
PHYSICA
PERIPATETICA
AD MENTEM SCOTI.

QVA SVBTILISSIMI DOCTRINÆ
adhuc magis Dilucidatur, Defenditur, Roboratur;

OPERA, ET INDVSTRIA

R. P. ILLVMINATI
DE ODDO A COLLISANO

Libraria CAPVCCINI, di Riano
SACRÆ THEOLOGIÆ PRÆLECTORIS ETC.



MESSANÆ, Apud Hæredes Petri Breę; 1667.

Superiorum Permissu.

Della Libreria de' Cappuccini di Riano

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



[illegible]

[illegible]

DOMINO LANCILLOTTO CASTELLI

Principi Castri Ferrati, Marchioni Capitij, Comiti Gagliani, Regi à Sanctioribus Consilijs, & Regiarum Rationum Magistro &c.

PHilosophica, qui tractare aggreditur, non tàm disputationes, quàm pugnas init, & prælia; siquidem non minùs acuuntur ingenia, quàm arma, nec accenduntur in bella minùs Scholæ, quàm Castra. Scientia, quibusdam non placet, nisi pacem animorum perturbet, nec patet dulcius veritas, nisi hostiliter impugnetur. Iam non est fabula, Mineruam è Parentis cerebro natam cum armis, statim à partu hostes quæsiisse, quos conficeret, quãdo scientia, quæ humanæ mentis est fœtus, ab ipso exortu certamina instituit, & ex præliorum simulacris exercitandis ingenijs veros exercitus fecit. Quid enim Philosophorum sectæ, nisi bellantium turmæ, quibus pro Ducibus sunt opinionum Auctores, pro Castris Academiæ, pro longioribus armis Syllogismi, pro breuioribus Entimemata, Inductiones pro machinis, pro aggressoribus oppugnationes Principiorum, pro conflictu ardor disputantium. De sæculi verò nostri eruditione quid dicam? Inquieta est turbida ferox, claritatem nominis per certamina quærit; Amicos ab

cos ab hostibus pugnandi libidine vix secernit; siuè in alienos agat, siuè in suos, aquè aggreditur, & paci non modò se infestam ostendit, sed & profitetur, scil. is est seculi nostri Genius, vt ingenÿs plerisq. magis placeant rixæ, quàm ipsius veritatis inquisitio. Quando ergo perÿt funditùs Eruditorum concordia, & hostili vbiq. tumultu strepunt scholæ, pugnandi fœlicitatem, quam ab ingenÿ viribus vix spero, à loci munitione sumere necessarium duxi. Meas proinde hasce Philosophicas lucubrationes, in argumentum securitatis tuo nomini Magne Castri Ferrati Princeps inscribere volui, meq. in gentilitiam tuæ familiæ Arcem recipere præoptaui, quæ Romæ quoq. Deiq. in Terris Vicario non semel tutela & præsidio fuit; legi .n. in clarissimo historiarum scriptore, à Galeasso Castelli magni nominis viro, & Ottoni Imperatori carissimo, fractam Crexentÿ Consulis audaciam, retusamq. potentiam, quæ & Vrbem sæuo dominatu premebat, & Italicæ inhiabat. Tutum quoq. Eugenium IV. auxiliaribus Andreassi Castelli armis, dum Roma à Nicolai Fortebrachÿ copÿs obsideretur, & Romana ditio Potentiorum tyrannide laboraret. Equidem nullum dixerim in Orbe firmius propugnaculum, quàm Regium Castellorum Castrum, quod non modò fortunæ impetus elusit, sed contra tot sæculorum incursus stetit inuictum, scit quicumq. Italicas nouit historias, Castellorum stirpem, siuè antiquitate originis, siuè titulorum splendore, siuè amplitudine ditionum, inter Principes Italiæ familias nulli secundam, nec ignorabit ex eadem domo, velut ex equo Troiano tot Heroes prodÿsse, quot homines; Siquidem Gundimarus Castellorum parens, & Auctor à Burgundiæ Regib. ortus, sub longobardorum Regibus, quos sanguinis propinquitate attingebat, ante annum Christi ottingesimum in Italiam venit; sedemq suam Interamnæ habuit, vnà cum Vrbis, & Regionis Principatu. Inde præclara nepotum series per Italiæ Vrbes primarias, magna ditionum accessione diffusa, dedit Genuensium Reipublicæ Consules, Mediolanensium Duces, Italiæ Cæsarum Vicarios, Exercitibus Imperatores, Regibus legatos, Siciliensi, & Neapolitano

Regno

Regno Mareſciallos, Romanæ Vrbi Præfectos, Purpuræ Cardinales, & quod Caput eſt Chriſtianæ Reipublicæ Bonifacium, & Cœleſtinum Pontifices Maximos, Cœloq. ipſo, & aris Diuos adiunxit in Anaſtaſio Sanctiſſimo Interamnenſium Epiſcopo.

Hæc pauca ſunt originis tuæ decora; præclara quidem, ſed extra, te vt potè Maiorum; At animi tui ornamentis quid illuſtrius, quib. & Siciliæ oculos in tui venerationem rapuiſti, & Philippi IV. Regis Potentiſſimi beneuolentiam attraxiſti? Scio animum tuum Modeſtiæ tenaciſſimum, at cùm te laudari æquum ſit, diſce veritatem pati, & qui optima quæque iam calles, noli diutiùs ignorare te ipſum. Nihil tibi vita tua præclarius oſtendi poteſt, ſed nec alijs vtilius; proderit .n. aſpexiſſe ætatem tuam ſumma cũ laude anteactam. Iuuabit aſpexiſſe quid feceris ipſe, cui & Natura ſagaciſſimum finxit ingenium, & Pietas ad virtutis ſtudia mores inflexit, & flexanimam dedit eloquentia linguam. Præturam in patria periculoſo ſanè tempore geſſiſti; ſed in maximis motibus animi tui conſtantiam, roburq. inuictiſſimum Regiæ Maieſtati, ac publicæ quieti officioſum ſuſpeximus. In Regiarum rationum camera Magiſtrum per triginta propè annos egiſti, ſed illud effeciſti, quod nulli ferè contigit, vt te nec vtiliorem Reges Adminiſtrum, nec fideliorem Proreges Conſiliarium, nec gratiorem Iudicem Siciliæ Magiſtratus deſiderarent. Certè quid de te ſentiant Proreges, ſatis oſtendunt, dum toties te in maximis Regni negotijs Generalem Vicarium ſuprema cum poteſtate per Siciliam demiſerunt. Nec tacuit Philippus Rex Auguſtiſſimus, quam de te exiſtimationem habuerit, ſiuè cùm te nobiliſſimo D. Iacobi ſtemmate decorauit, ſiuè cùm de te ad Sermonetę Ducem, ex proregem honorificentiſſimè in cauſa filij tui Abbatis D. Iui ſcripſit. Hæc de tuis Virtutibus politicis innuiſſe ſit ſatis. De priuatis, & Chriſtianis quid dicam? Scio, quòd amas occultas Virtutes ipſas, quas tantopere colis, ſed nullo ſtudio lux tegi poteſt, ipſa te prodit. Quid tua familia ordinatius, quid dignius? Is eſt ampliſſimæ, & ornatiſſimæ domus tuæ decor, ea ſanctitas, vt pro Templo haberi poſſit, aut Aſceterio, nec deeſt Nu-

minis

minis cultus, aut Virtutum studium; Ipse, qui foris Principis, Regijq. Administri personam geris, intus Sacerdotem agis, & Ascetam. Cęlo quoq fœderatam, & Christo sacram domum tuam, si aliunde non nossem, hinc dicerem, quòd tuo, & liberorum tuorum pectore tot Cruces splendent, siuè D. Iacobi, & Calatraua purpureę, siuè D. Ioannis Hierosolymitani candidi ipse color adeuntes admonet, te Vxorem nobilissimam, liberos, Nepotes, seruos ipsos viuere veluti in templo sub Christianæ innocentiæ, & Charitatis insignibus. Hæ quoq. Cruces preclaræ Nobilitatis insignia, Clypei mihi videntur, qui Castellorum è domo, veluti è Turri Dauidica pendent in Religionis Christianæ tutelam. Proinde patere Magnanime Princeps in tuam me arcem recipere; patere tui nominis patrocinio meas hasce lucubrationes munire, vt tanti Nominis Omine, & securius pugnem, & vincam fælicius. Interim submissi animi deuotione Deum oro, vt te diù seruet incolumem, tuaq. omnia fortunet publico Siciliæ bono, votoq. &c.

Dominationis vestrę

Obseruantissimus Seruus

Frater Illuminatus à Collisano Capuccinus

AD LECTOREM

EN tandem Amice lector post explicationē Dialecticæ, quæ potius pars ministerialis Philosophiæ, & modus sciendi est liber Physicorum, vbi de rebus ipsis realibus scientia, & doctrina innotescit. Sed ob quàm temporibus istis difficillimum bellum insumo! non .n. desunt Doctissimi viri acrimonia ingenij præditi, qui Castra nostra inuadere tentant; affligimur enim quotidie difficultate bellorum cum Antiquis Philosophis; cum Illustrissimis Thomistis vndequaq; ingenio præstantissimis; cum Nobilibus Nominalibus, non vulgari argutia, & dexteritate conspicuis; cum Venerabilibus Neuthericis, litterarum professoribus Celeberrimis; Nec non cum multis etiam ex Nostris summa eruditione probatissimis viris, qui omnes in arenariā Palladiam descendentes & ictus, & iacula argumentorum in palestris parant. Nec in Theologicis Controuersijs versamur quarum fundamenta, tum à reuelatione Diuina, tum à Sacris Concilijs, tum à Sanctorum Patrum Auctoritate fulciuntur; sed in rebus naturalibus, in quibus Prisci Illi Philosophi, nudo ingenij lumini innitentes, ex his solùm quæ oculis intuebantur, auribus percipiebant, olfactu sentiebant, libabant gustu, & manu palpabant, varias intulerunt conclusiones, quæ postea in sententias, in axiomata, in oracula ab eorum discipulis promota sunt. Nec dubium est quin etiam modò magnæ eruditionis Viri, acerrimiq; iudicij reperiantur non .n. in solo Platone, & Arist. finem habuit ingenium, vnde dignè Anastasius Sinaita lib. 2 Epist. 35. in proposito ait: Qui ante nos ista docuerunt, non Domini nostri, sed Duces sunt: patet omnibus veritas, non sum est occupata: multū ex illa futuris relictum est. Ex qua doctrina instruimur, vt totis viribus ad puram tantùm, simplicem, ac nudam veritatem inuigilemus omnem ergà hunc, vel illum Authorem excludentes affectum omnes .n. sicut possunt rectè loqui, ità etiam possunt errare, quia homines sumus.

Dices, cur ergo in hoc volumine, sicut & in logica tam exactè Scoticam doctrinam tantum extollis & sequeris? Respondeo quia sum veritatis amator. Sum cum Scoto, non ex affectu ad Doctorem, sed propter Eminentiam Doctrinæ, quia in nullo Authore ità claram, stabilem, inconcussam, & firmam veritatem cerno, & experior; non .n. nos de illis sumus, qui iurant in verba Magistri. Et tu dic mihi prudens lector, cui adhæres sententiæ? fortè dices D. Tho. aut Nominal. aut Suar. vel vasq. Arriaga &c. peto, ex quo motiuo? Si dicis, ex affectu ad aliquem horum Doctorum in eadem damnatione es, in qua alios iudicas; si ob puram, & solam veritatem addiscendam, benè; sed hoc est, quod inculcamus, & in palestra litteraria reponimus.

Impe-

Impetunt Zoili, ad quid eadem trascribere, & millies decantate repetere? iam apud Mastr. & Bell. totus Philosophiæ cursus vberrimè, & eruditissimè exuberat. Non inficior, nec erubesco: Sed quot etiam in Arist. textum, ac eius mentem indagandam insudarunt, Græci, Arabes, & Latini, & tamen non desunt adhuc Doctores eosdem textus ponderantes, easdemq. difficultates adhuc denuò agitantes. Neq de hoc conqueri possunt Thomistæ neq Neutherici, quia etiam & Ipsi eumdem actum agunt, & semper suorum Patrum sententias adducentes, & circumscribentes. Tu quid sentis de Mastrio? Quantum in Scholasticis doctrinis Gigas iste extulerit caput. Inimici nostri sint Iudices. Vnde & ego licèt illi satis, & infinitè impar laborare tamen censui, non eius scriptis, & Doctrinæ aliquid addendo, quia non potest per nos Infinitum augeri, & incrementum recipere, sed compendiosè, & methodo facili ea tantùm adducere, quæ pro Tyronibus in Subtilium Schola necessaria videntur. Tum quia Philosophia nostra ad Sacram Theologiam directa est, & tam licentiosa nouitatis libido in principijs ægrè fertur; quia non vniuocum & vnigenum sensum semper in disciplinis conducunt. facile est nouitatem inducere, sed non ità facilè ad consequenter loqui. Tum quia etiam hic aliquid tibi noui occurret, breuis scil ordinata, & clara doctrina quantum ad studentium facilitatem, & vtilitatem satis est, quod solùm pro scopo, & fine in his laborem suscepi.

Sed bona pace aliquorum Recentiorum, qui tantum de nouitate iactantur, fastu intumescentes, quòd nouas quæstiones instituant, & ingeniosas ingerant difficultates, & nouis vtantur terminis & nouam inuehant doctrinam; respondeant quæso ad quid gloriantur quasi non acceperint? quid n. habent quod non acceperunt? Negant in logica Relationes, sed hæc est res noua? Negant in physica indiuisibilia, sed hæc est res noua? negant in methaphysica præcisiones obiectiuas, & naturas communes, sed hæc est res noua? & sic de alijs, Sciunt Docti & loca, & folia, & lineas Priscorum Doctorum, ex quibus tales sententias furati sunt, quos tamen Ipsi nec citant, vt furtum lateat; & vt nouitatis Authores comprobentur, ingratitudinis labem contrahere non verentur. Eia ergo mi lector, meam in hac re accipe sententiam, plus operis impende ad veritatem percipiendam, quàm ad nouitates venandas; & si rectis oculis menteq pura Scoti fundamenta ponderaueris, ingenij eius sublimitas efficiet, vt cum in veritate, semper præcipuum Præceptorem habeas. Vnde meritò Scaliger exercit. 324. alacre Scoti ingenium, Aristotelis ingenio comparat, & limam veritatis *appellat. Vale, & pro me Deum exora.*

APPRO:

APPROBATIO

R. P. BRVNONIS PACTENSIS,
Sacræ Theologiæ Prælectoris, Pluries Visitatoris Generalis, & modo in Messanæ Prouincia, Prouincialis Benemeriti &c.

ARS Longa, Vita breuis aiebat Hyppocrates; & ideò ex arte vitam excedente, tàm exigua, tenuisq. Scientiarum, & Artium videtur adeptio; Opus autem hoc, cui titulus est, *Physica Peripatetica ad mentem Scoti &c.* à R. P. Illuminato à Collisano, nostri ordinis Concionatore, Philosophiæ, ac Theologiæ prelectore, & in hac Messanæ Prouincia, actu, & aliàs pluriès Diffinitore, De mandato A. R. P. Fortunati à Cadoro Procuratoris in Romana curia, & totius ordinis Vicarij Generalis, vidi, legi, & inueni, vltra fidei ortodoxæ, bonisq. moribus consonum, multo studio, & ingenio elaboratum; Opus quidem à Scotistis omnibus iamdiù expectatum, quod scil. vnum, & breue multa, & copiosa continet Scotistarum volumina; quidquid .n. eximij, quidquid optimi in alijs Scotistis, tum Priscis, tum Recentioribus, longioribus operibus sparsim, diffuseq. vagabatur, in hoc opere selectum, collectumq. inuenitur. Quò circa dignissimum censeo, vt Typis mandetur, ad claram Scoticarum subtilitatum intelligentiam, ad publicam studiosorum, maximè Scotistarum vtilitatem, & ad Deo gratias agendas, quod tandem in Scientiarum Lyceo cum vita breui, Ars quoq. breuis exorta est. Datum Messanæ 21. Nouembris 1666.

Ego Fr. Bruno à Pactis Capuccinus
Minister Prouincialis &c.

APPROBATIO

ADM. V. P. IOANNIS MARIÆ à Hijeracio Philoſophiæ lectoris, & Guardiani Miſtrectenſis.

OPVS R. P. Illuminati à Colliſano noſtri ordinis, Sacræ Theologiæ prælectoris, ac Prouinciæ Meſſanenſis benemeriti Diffinitoris, cui titulus eſt: *Phyſica Peripatetica ad mentem Scoti, &c.* Adm. R. P. Fortunati à Cadoro totius ordinis noſtri curiæ Romanæ Procuratoris, ac totius ordinis Vicarij Generalis vigilantiſſimi iuſſu, perlegi, quaq. potui diligentia luſtraui, nihilq. in illo inorthodoxum, & à catholica veritate aberrans, nihilq. bonis diſſonum moribus, imò maxima claritudine cum argutia, ac Scotica ſubtilitate refertum reperiens, vt propalàm fieri, Typiſq. mandari, dignum cenſeo. Verè dignum, vt tanta claritas à tanto lumine Prodiens, vniuerſorum ingeniorum perùadat acumina. in cuius veritatis fidem, hanc manu propria obſignaui, ac ſigillo huius noſtri conuentus Miſtrectenſis muniui hodie 5. Septembris, *1666.*

Ego Fr. Ioannes Maria à Hijeracio
Capuccinus Lector &c.

FA-

FACVLTAS
IMPRIMENDI PHYSICAM ETC.
NOS FRATER FORTVNATVS
A CADORO

Fratrum Minorum Capuccinorum Vicarius Generalis, & in Romana curia Generalis Procurator, licèt immeritò &c.

OPVS Compositum à R. P. Illuminato à Collisano Diffinitore, & Concionatore Capuccino, cuius titulus est, *Physica Peripatetica ad mentē Scoti, &c.* cùm ex impositione nostra fuerit examinatum, nihilq. in eo repertum, vel sanæ doctinæ, vel bonis moribus, publicoue bono contrarium, his nostris concedimus, vt seruatis seruandis, imprimi possit. Datum Romæ in loco nostro Immaculatę Couceptionis hac die *9.* 8bris *1666.*

† Loco Sigilli.

Fr. Fotunatus Supradictus &c.

LIBRVM, Cui titulus est *Physica Peripatetica ad mentem Scoti &c.* ab Admodum Reuerendo Patre Illuminato de Oddo à Collisano Ordinis Capuccinorum elaboratum, ego infrascriptus (iubente Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino Archiepiscopo Messanensi) exactissimè perlegi, nihilque in eo reperi, quod Catholicam offendat veritatem, vel à Christiana morum honestate dissentiat; imò in luculentissimis disputationibus mira emicat tum doctrinæ profunditas, ac soliditas, tum in difficillimis quæstionibus dissoluendis facilitas, ac felicitas. Idcirco non solùm, quòd Typis mandetur, verùm etiam quòd omnium tractetur manibus dignissimũ reor; vt tanti Doctoris felix ingenium, vbertas, ac perspicacia vndique sicut solis lumen elucescat. Datum Messanæ in Ædibus Sanctissimæ Annuntiatæ Die 20. Ottobris 1667.

D. Placidus Scoppa Clericus Regularis Sacræ Theologiæ Professor, & Philosophiæ Lector.

IN-

INDEX

DISPVTATIONVM, ET ARTICVLORVM

quæ in hoc Opere continentur,

DISPVTATIO PRIMA

Proemialis.

IN LIBRVM PRIMVM PHYSICORVM

DISPVTATIO SECVNDA

De Principijs rerum naturalium.

DISPVTATIO TERTIA

De Materia Prima, & Forma substantiali

DISPVTATIO QVARTA

Du-

DISPVTATIO OCTAVA

De Vnione, & composito Physico.

DISPVTATIO NONA

De Causis Extrinsecis. Vbi etiam de Actione, & Passione.

Art. 9.

DISPVTATIO DECIMA

De Causa finali.

DISPVTATIO VNDECIMA

De Collatione Causarum inter se, & cum suis effectibus.

DE LIBRO TERTIO PHYSICORVM
DISPVTATIO DVODECIMA
De Quantitate Continua.

DISPVTATIO TERTIADECIMA
De Infinito.

DE LIBRO QVARTO PHYSICORVM
In quo de loco, Vacuo, & Tempore agitur.

DISPVTATIO QVARTADECIMA
De Loco.

DISPVTATIO QVINTADECIMA

De Vacuo.

DISPVTATIO DECIMASEXTA

De Duratione, & Tempore.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA

De his quæ in libro Quinto Sexto, Septimo, & Octauo Physicorum Continentur.

IN-

INDEX

RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc opere continentur.

Numerus prior paginam, secundus columnam designat.

ter-

†††

††††† *Poten-*

per

vnio potest dicere respectum informationis per Scot. 335. 2. & 336. 1. vnio quid sit describitur. 336. 1. duplex vnio datur inter materiam, & formam. 336. 2. vnio est relatio vel æquiparantia scil. primi modi, vel secundi, & ideo mutua, vnio verò ad Verbum non est mutua, quia hoc non est capax nouæ relationis realis 337. 1. vnio formaliter non præcedit partes, sed sequitur, sicut omnes aliæ relationes, vnde Scot. ait, quod fallitur nostra imaginatio. 338. 2. vnitas importat negationē plurium, vnio verò importat plura inuicem vnita. 339. 1. vnio non est de essentia compositi, sed tantum cōditio 348. 2. vnitas vnionis differt ab vnitate identitatis. 358. 2. vnitum non est idem quod compositum. 362.

Vniuersale duplex, vnum in prædicando, aliud in continendo. 34. 1.

Quo-

QVONIAM ALIQVI REPERIVNTVR SCOLASTICI,

IN SCOTI PRINCIPIIS

PARVM IMBVTI.

QVI Eius doctrinam respuentes deuiam, periculosam, atq. suspectam prædicare, & conclamare audent; nos tanti Doctoris indemnitati consulere cupientes, operæ pretium duximus varia encomia, & elogia eius admirandæ doctrinæ ex testimoniis fide dignis hic adducere, quæ hinc inde ab Adm. R. P. Octauio Camerino Rauennate Ord. Minor. Conuentualium Theologo Eminentissimo, & Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris meritissimo Consiliario collecta, referuntur; ac denuò ab Adm. RR. PP. Mastr. & Bell. eiusdem ordinis in sua logica fideliter rescripta, vt sinceritas Scoticæ doctrinæ, subtilitas, ac soliditas vniuerso orbi euidentissimè innotescens, à tàm ingenti calumnia vindicetur.

DOCTRINA SCOTICA

Cęlitus, & Humanitus Approbata, & Commendata.

IOANNES Dunsius Scotus dum adhuc puerulus litteris incumberet, vt qui ab incunabulis omne in Sacratissimam Virginem Dei Genitricem obsequium vouerat, fertur aliquando vehementius eam orasse, vt intellectum illuminare, vegetioremq. reddere dignaretur; cui mox somno correpto, Deipara dignanter apparet, scientiarum copiam, & ingens in eisdem addiscendis, & exprimendis acumen pollicetur; gratias ille gaudens agit expergefactus Virginea apparitione lætabundus, studia prosequitur, & Dei Matris beneficio illustratum sibi experitur intellectum. P. Cauellus in vita Scoti c. 1. Vuandingus tom. 3. annal. Relig. in vita eiusdem.

Parisijs Ioanni Dunsio Scoto pro immaculato Conceptu Deiparæ à Labe originali propugnaturo, atq. enixius deprecanti, repetentiq. Vers. *Dignare me, Laudare te Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos;* Diuæ Virginis imago marmorea caput inclinauit, eoq. miraculo victoriam benignè pollicita est, atq. in eam formam, adhæc vsq. tempora sacram Imaginem perstare Parisijs testantur ex Ferchio nostro in Vita Scoti c. 5. Ioannes Pineda Societ. Iesu in aduertentijs D. Ioan. Regis Aragon. pro Immaculata Concept. Gregor. Ruis ante Comment. in 4. Ioan. de Manganellis in 1. sent. Chrystoph. Moren. de purit. Virg. c. 4. fol. 273. Ioan. Baptista Lezana Carmelita in Apol. pro Immacul. Concep.

In Re-

In Reuelationibus Beati Patris Amadæi, Angelus eidē testatus est, *Ioannē Dunsium Scotum à Regina Angelorum dilectum multum; cum primus gladium suum exemerit pro immaculata eiusdem Virginis Mariæ Conceptione; Eumq. monuit, vt in difficultatibus de augustissimo Altaris Sacramento Scoti doctrinam consuleret*; sic ex eodem Ferchio loc. cit. Ludouicus de Manganellis à Pola in vita Dunsij, Dempster in Menologio Scot. 4. Nou.

Stanislaus Osius Cardinalis vnius Scoti authoritate ex quol. 20. totam Ecclesiæ Catholicæ sententiam de Missæ efficacitate corroborat, contra Brētium Hæresiarcham lib. 2. de Legitimis Iudicibus rerum Ecclesiast. c. 22 I. *quamuis* inquit, *multi sint, qui tractent quæst. hanc, vtrum Sacerdotis mali Missa tantundem valeat, quantùm boni (tractant .n. eam Thomas de Aquino, & eius præceptor Albertus, Bonauentura, Io. Gerson, Gabriel Biel, & alij nonnulli) nos tamen vel vnius Ioannis Scoti testimonio contenti erimus, &c.*

Ioannes de Ragusio Dominicanus Orat. in Conc. Basiliensi habita de Communione sub vtraq. specie (& refertur à Canisio antiquæ Lectionis tom. 3. par. 2. car. 103. ait: *Itē Scot⁹ qui præ altitudine, & subtilitate doctring anthonomasticè nomen Doctoris Subtilis obtinuit, in 4. d. 8. q. 3. Vtrum Sacramentum à non ieiunis possit recipi &c.*

Extat Decretum Sacræ Congreg. Cardinalium ante annum 1610. circiter sancitum quo præcipitur doctrinarum, aut librorum Censoribus, *vt quicquid Scoti esse constaret, intactum, inuiolatumque admitteretur*, P. Cauel. in vita Scoti c. 5. & Vvandingus tom. 3. Annal. Relig. in vita eiusdem.

Antonius de Fantis Taruisinus Medicus in Epist. dedicat. Scotici Repertorij, quod mare magnum appellatur, de Scoto loquens inquit: *quis in Dialecticis argumentationibus acutior? quis in peripatetica Philosophia profundior? quis in sacris enodandis Mysterijs vigilantior? cuius rei singulare indicium, est irrefragabilis vbique ipsius adeò ventilata subtilitas, & celebrata sapientia, vt cum plurima excellentium Virorum volumina in publicis Concilijs dearticulata fuerint, eorumque articuli sub excommunicationis nota fuerint promulgati, candidissima Doctoris volumina absque vlla erroris caligine hunc vsque in diem inuiolata permanserunt.* Et in epist. ad Lectorem; *Quem vnum* (Scotum) *inter Sacræ Theologiæ professores, vt inter Euangelistas de B. Ioanne inconfesso est, aquilam, aut alteram mundi phænicem iure nuncupauerim, illius siquidem opera si paulò accuratius introspiciamus eadem cum aliorum operibus Theologorum conferentes, non humano quidem ab ingenio, sed vel angelico, planèq. diuino, vel potius à cęlesti quodam numine profecta, & excogitata fuisse intelligemus.*

Doctoris subtilis Opera inoffenso decurrenda pede, sicut de Hilarij libris scripsit ad Lętam Hieronymus, testatur etiam Antonius Posseuinus Societat. Iesu in suo apparatu, vbi de Scoto loquens ait; *In scripturis Diuinis, ac in Philosophia Arist. adeò præstitit, vt in Disputationibus palmam cæteris præriperet, atque ob id Doctor subtilis fuerit appellatus*; & infra: *cuius doctrinæ graue illud testimonium extat, quòd eius Libri absque vllo erroris*

ris

ris nostro vsque in hanc diem 300. circiter annos in Oecomenicis Concilijs innolati permanserint; & rursus: *Haud mirum fuerit*, ait, *si ingenium Doctoris subtilis modestia, & charitate præditum altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam, nunquam in suam sententiam profert in aliorum iniuriam, vel depressionem, quin quorum errores conuellit, aut opiniones discutit, adeò id modestè, & plerumque suppresso nomine facit, vt christiano pectore hausisse à Domino sapientiam conijci possit.*

Thomas de Vio Cardinalis Caiet. Ord. Prædic. in com. 1.p.q.14.art.13. dum solutiones ad Scoti argumenta parare nititur, quibus opponitur D. Thom. Doctrinæ, quòd Deus certò sciat futura contingentia ex coexistentia actuali futurorum in æternitate; suo libero ingenio, vim, & pondus rationum Scoti considerans, fatetur sensum D. Thom. esse satis difficile in hac quæstione, & annis ferè quindecim eum latuisse; & quòd tandem dum super commentationem huius articuli meditaretur, ait: *illuxit, vt arbitror D. Thom. ope, veritas plana, & in manifesto posita*. sed an Caiet. assecutus fuerit ad Scoti argumenta adæquatam solutionem, sint Iudices quamplures Thomistæ, ac Neuthenci, qui eius doctrinam respuentes, adhuc in solutione laborant.

Alfonsus Ciaconus Ord. Præd. in vita Clem. V. ait: *Ioanne Scotus in diuinis scripturis & Philosophia Peripatetica versatissimus ob ingenij acumen, & rerum abditissimarum accuratissimas interpretationes, Doctor subtilis vocatus.*

Cardinalis Bellarminus Societ. Iesu de Scriptoribus Ecclesiast. inquit: *Ioannes Duns Ord. Min. Vir fuit acutissimo ingenio præditus.*

Ferdinandus Salazar Societ. Iesu lib. de Immacul. Concep. c. 13. ait: *longè alia est subtilissimi Doctoris Scoti mens, qui quemadmodum omnibus Theologis Immaculatæ Conceptionis propagandæ Auctor extitit, ita nihil prætermisit, quod in hac re ad maiorem Virginis gloriam facere posset;* & cap. 42. *Ioannes Duns Scotus præcipuus & maximè puræ Conceptionis vindex, qui tantam huic doctrinæ sua authoritate fidem comparauit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum.*

Iacobus Breullius Ord. S. Benedicti Antiq. Paris. lib. 2. c. 704 *Quidam, (inquit) cognomento à patria sua sumpto Scotus vocatus, & Doctor subtilis, cuius memoria nunquam est peritura, præsertim inter Scolasticæ sapientiæ Professores, ob eruditionem quam scriptis suis inseruit, Hæreticorum impietati retundendæ opportunam, &c.*

Vniuersalis hist. in 6. ætate fol. 321. *Ioannes Scotus Ord. Min. Theologus subtilissimus anno Domini* 1300. *vel circa velut alter Apollo floruit, & præ cæteris Theologis subtilissima quædam opera edidit.*

Sabellicus lib. 7. c. 4. *Prædicari audio Ioann. Scotum, quo nemo subtilius diuina tractauit litteras.*

Tritem. Scriptor. de Eccles. de Scoto loquens inquit: *vir in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, & in philosoph. Arist. doctissimus, & adeo profundus, vt eius scripta paucis sint penetrabilia.*

Ioan.

Ioan. Læsſęus Episc. Roſſenſis lib. 7. ſuæ hiſt. pag. 250. *Ioannes Scotus fuit ingenij acumine, iudicij vi, doctrinæ cognitione adeo pollens, vt Theolog. illam reconditiorem, quam Scolaſticam vocant, multis ſubtilitatibus exquiſitis fœliciſſimè auxerit, in quibus quod multa, quæ in obſcuro poſita latebāt, à tenebris acerrima ingenij perſpicientia eruerit, qui eius viam, ac doctrinam auidius conſectantur, imò qui quæſtionis alicuius intimam rationem ad viuum reſecant, ac ſubtilius perſcrutantur, Scotiſtæ ſumma tanti ingenij laude vocantur; quaſi nihil, aut tanta difficultate interſeptum, aut tàm denſa caligine inuolutum, quod Scoti ingenium non potuerit penitus inſpicere, ac clarè aperire.*

Georgius Raguſeus in diſput. 2. peripath. c. 7. ait: *Dum Iuuenis philoſophiæ ſtuderem, atque potiſſimum doctrinæ Scoticæ operam diligenter nauarem, quò me aptius in ſubtilioribus diſputationibus, quibus ſemper mirificè ſum delectatus, exercerem, Scoti ſemper opinionem tàm in priuatis exercitationibus, quàm in publicis congreſſibus ſum ſecutus.*

Antonius Roccus in Præf. ad lib. Phyſ. ait: *Nec alia de cauſa hunc (Scotum) potius quàm alios Doctores ſequi decreui, niſi quia ipſius doctrina, ſicut alijs ſubtilitate præcellit, ſic magis peripatetica, firmaque prout ſcio redolet veritate.*

Leonardus Leſſius Societ. Ieſu in cenſura ſcripti Oxonienſis nouiter recogniti, & Scholijs exornati à P. Cauello, ait: *Nemo eſt, qui neſciat Scotum eſſe cotem ingeniorum, & limam ſubtilioris Theologiæ, ac Philoſophiæ, quæ in Scholis, & eruditis diſputationibus maximè triumphare conſueuit.*

Gregorius Pomus aureus in epiſtolis ante Comment. quem in 1. Scoti cōcinnauit, inquit: *Scoti ingenium ſine exemplo maximum fontem ingeniorum appello, in quo hoc præcipuum, quòd neq. ante illum, quem ille imitaretur, neq. poſt illum, qui illum imitari poſſet, inuentus ſit*; & rurſus: *Si ab Scholis auferas peculiares Scoti opiniones, reliquum eſt, vt ipſius planè diſſerendi vſus, & occaſio langueat.*

Scaliger exercit. 324. alacre Scoti ingenium (quem limam veritatis appellat) Ariſtotelico æquiparat.

Cardanus de ſubtilitate lib. 16. Humanorum ingeniorum apices enumerans, Ioannem Scotum peculiariter commemorat, *qui ſubtilis Doctoris, nomen,* (inquit,) *ob doctrinam parque vbiq. acumen, meritò meruit*; & infra: *Nec eſt vnum genus ſubtilitatis, in quo Authores celebrantur, ſed plura. Ariſtoteles ab ingenio, cuius Æmuli Theophraſtus, & Scotus.*

Ioannes Pitſeus Decanus Liuerduni in Lotharingia de rebus Anglicis p. 3. q. 1. ait: *Scotus ingenio ad litteras planè facto, & ad miraculum ſubtili, atq. acuto, vt non tàm hominem acie mentis ſtupendum, quàm inter Philoſophos quendam dixeris Deum*; & paulò poſt: *Nihil tam occultum, & abſtruſum, quod perſpicax eius ingenium non penetrauerit & è tenebris eruerit, nil deniq. tam nodoſum, quod ille quaſi quidam Oedipus non diſſoluerit.*

His igitur de cauſis celebriores Orbis Vniuerſitates doctrinā Scoti profitentur, ac in tanti Doctoris venerationem floret in ſingulis Cathedra eius doctri-

doctrinæ destinata in Bononiensi, Patauina, Romana, Perusina, Papiensi, Pisana, Taurinensi, Ferrariensi, & extra Italiam in Complutensi, Salmaticensi, Conimbricensi, Viennensi, & alijs; de Parisiensi omnium Principi quid dicemus? Antonius Cucharus Episc. Acernẽsis in Elucidar. Virg. p. 2. asserit, Authore Scoto Vniuersitatem Parisiensem decreto sanciuisse Festum Immaculatæ Conceptionis, ad quod sollemniter celebrandum quotannis se obstrinxerit, Episcopo Missæ sacrificium offerente, & vno ex Magistris concionem habente; quæ festiuitas, dum in diem Dominicum incidit, in Conuentu Prædicatorum, alijs temporibus in Conuentu Minorum habetur: confirmat P. Petrus Oyeda Soc. Iesu in sua informatione pro defensione Immaculatæ Concept. fol 62. ex Pelbarto lib. 4. Stellarij p. 1. art. 3.

Idcircò mirum non est, nocte Christi Domini Natali Sacratissima Seruatorem nostrum Iesum sub specie paruuli Ioanni Dunsio Scoto apparuisse, eiusdem oculis, & amplexibus attrectandum peramanter obtulisse; vt referunt ex P. Ferchio in Vita Scoti c. 5. Philip. de Sosa in Chron. Min. lib. 3. p. 2. c. 7. Ioannes à Pola in 1. sent. Paulin. Berti. Ord. S. Aug. in Vita Scoti ante 4. lib. sent. Greg. Ruis in epist. ante Comment. in 4. sent. Scoti, Antonius Cucharus Episc. Acernensis in elucidar. Virg. p. 2. Christoph. Moren. de puritate Virg. c. 4. §. Vlt. Sic vtiq. postulabat obsequentissimus amor, quo erga Christi Matrem flagrabat, ac ipsum Dominum Iesum, in cuius etiam laudibus omnes excessit Doctores, vt constat ex his, quæ de Sanctissima eius anima docet in 3. d. 13. & 14. vbi præter communem defendit, summam gratiam possibilem etiam de potentia absoluta fuisse illi collatam; intellectum eius videre, quæcunq. Verbum videt, ac voluntatem summa fruitione gaudere. quæ quia sunt difficilis probationis, ac præter communem viam, se Doctor excusat deuotissimis illis Verbis d. 13. cit. q. 2. lit. H. *In commendando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere;* quibus exprimit singulare in Christum obsequium, ob quod ait se libentius ignorantis nota inuri velle, quàm indeuoti. Ex quo tandem infertur, Doctrinam Scoticam deuotione non minus, quàm subtilitate esse refertam.

Imprimatur. *Imprimatur.*

Don Fortunatus Vic. Gen.

D. Franciscus Bisignano pro Spettab. de Dainotto F. P.

DISPVTATIO PRIMA
PROEMIALIS
AD VNIVERSAM PHILOSOPHIAM Naturalem

ARTICVLVS PRIMVS

De nomine Philosophiæ, eiusque diuisione, ac definitione.

NOmen Philosophiæ idem sonat, ac Amor Sapiētiæ; olim .n. à Græcis Sapiētia Sophia, & Sapiens Sophus dicebatur, & Pythagoras primus fuit, qui non sophus, & Sapiens, sed Philosophus, hoc, est amator sapientiæ vocari cœpit, & inde Philosophia quasi amor sapientiæ suum suscepit initium; ità Diogenes lib. 1. de vitis Philosophorum. Non est tamen Philosophia scientia aliqua particularis, sed vniuersale quoddam genus, varias sub se scientias complectens; sicut .n. apud morales Philosophos iustitia aliquando pro speciali quadam virtute vsurpatur, aliquando verò pro omnium virtutum aggregatione, secundum quam perfectè homo dicitur iustus; ità Philosophia quandoq; sumitur pro scientia particulari, quæ dicitur Methaphysica; quandoq, pro omnium scientiarū aggregatione, itaut Philosophus aliud non sit, quàm sciens omnia, vt per causas sciri possunt, ex 1. Meth. c. 2. hoc autem nō vnico habitu fit, sed multis, sicut non vnus sensus inest animalibus, quo cuncta sentiunt, sed multi, & varij; ità pari modo non vnica scientia cuncta cognoscuntur, sed pluribus, quæ omnes simul vnitæ generalem, ac perfectissimam cognitionem omnium faciunt.

Quantum ad eius diuisionem; præter eam, quam in Logica dedimus ex 2. Meth. c. 1. in practicam, & speculatiuam; ad huc in sua amplitudine diuidi solet in Naturalē, Moralem, & Rationalem. Naturalis, Physicam, & Mathematicam comprehendit; Moralis, ethicam; Rationalis Logicam seù Dialecticam, quæ trimembris diuisio communi calculo Stoicorum, & Platonicorum recepta fuit, vt Cicero lib. 1. de orat. ad Quinctum Fratrem, & Euseb. lib. 2. de præparat. Euangel. referunt, & ipsemet Aristoteles amplexus est 1. topic. c. 12. vbi problema diuisit in Naturale, Morale, & Logicum cuius

cuius sufficientiam disertè probat D. Aug lib. 8. de ciuit. Dei c. 4. Philosophia n. ad hominis fœlicitatem ordinatur, quæ in hac vita consequi potest; hæc autem in duobus consistit, scilicet in contemplatione veritatis, & in actione virtuti consentanea, vt Arist. docuit lib. 1. Nichomac. c. 7. statuenda est igitur scientia, quæ contemplationi solius veritatis incumbat, rerum causas, & arcana naturæ perscrutando, & dicitur naturalis Philosophia, Physicam, & Mathematicam complectẽs; Altera, quæ moribus instruendis, & ad ciuilem vitam instituendam inuigilet, & dicitur Moralis; sed quia omnia non nisi differendo, & discurrendo comparantur; & intellectus noster pro statu isto est erroribus expositus, hinc instituenda erat alia pars Philosophiæ, quæ intellectum in suis operationibus dirigeret; & hæc est Logica, scientia rationalis dicta, quia directiua est rationis, quæ trimembris diuisio recipitur etiã à D. Thoma initio eth. & ab omnibus illis, qui defendunt, Logicam esse scientiam, & partem Philos. vt Conimb; Cõplut. Amic. Moris. & Alij. Et quia regula generalis diuisionis est, vt quoad fieri potest ad bimembrem reducatur, aliqui Recentiores eam reducunt ad Naturalem & Moralem; sumendo tamen naturalem non presse pro sola contemplatione naturæ, sed largè prout se extendit ad res omnes intra ordinem naturæ speculabiles, sub quacũque abstractione illæ sint, quo sensu, res à Logica considerata, ad Philosophiam ipsam naturalem spectabunt.

Quod ad eius definitionẽ, non omnes in eius conceptu côueniunt. Pro cuius decisione præmittimus, quamlibet scientiam tripliciter definiri posse, scilicet, aut ex obiecto, aut ex fine, aut ex vtroque. Medicina v.g. ex obiecto definitur, quod sit ars, quæ circa humana corpora versatur; Ex fine, Medicina est ars sanitatis effectiua; Ex vtroque, Medicina est ars, quæ circa humana corpora versatur, sanitatis effectiua; quo pacto multi alij habitus, & facultates definiri possunt. Plato de Philosophia in Theage, & in Amatoribus, duas ex fine assignauit definitiones, quarum prima est: Philosophia est mortis meditatio, quam sic Ammonius explicat in expositione Porphyrij, scilicet duplex est vinculum animæ cum corpore, vnũ naturale, quo ei secundum esse compositi coniungitur; alterum voluntarium, quo Anima se corpori subijcit, & ei seruit, quia igitur mors aliud non est, quàm Animæ, & corporis solutio, duplex erit mors, iuxta duplicis vinculi solutionem; Vna naturalis, qua Anima separatur à corpore; altera voluntaria, qua homo ab istis rebus sensibilibus soluitur, & totaliter contemplationi traditur; & quia hoc per Philosoph. cõtingit, idcirco dicitur mortis meditatio, & Philosophum mortem meditari aliud non esse, quàm animum à corporis sensibus auocare; ità Plato, quæ definitio, præterquam quod Methaphorica est, quod Arist. non placet, adhuc deficit, quia solam contemplatiuam partem explicat.

Alia definitio est: Phylosophia est Dei

est Dei similitudo, quoad fieri à nobis potest, i. Philosophia est, per quā Deo similes efficimur, & ità explicatur; duplex in Deo operationum genus circa res has constituitur; vna est rerum cognitio, qua omnia speculatur; altera est actio, qua omnia disponit, gubernat, & prouidet; ità hæc duo per Philosophiam homini contingunt, nam per illam contemplatur res, & secundum eādem regit, & gubernat; Philosophia .n. est speculatiua, & actiua; dicitur quoad fieri potest, quia hęc similitudo non est æqualitatis, cùm Dei perfectio cuncta creata in infinitum excedat; sed est quædam similitudo proportionis, secundum quam infima superioribus comparari possunt.

Altera definitio desumpta est ab obiecto, & tradita fuit ab ipsomet Platone in Phædone, quam Cicero recipit, scilicet Philosophia est diuinorum, rerumque humanarum cognitio; per res diuinas intelliguntur, quæ separata sunt à materia, per res verò humanas, quæ materialia, & sensibilia sunt.

Arist. autē. 1. Meth. c. 3. sic eā definiit: Philosophia est cognitio rerum vt sunt, siue per suas causas, & hæc re vera videtur magis conceptum Philosophiæ exprimere, cum .n. omnia creata suum esse habeant per causas, tunc vt sunt, intelliguntur, cum per suas causas cognoscuntur, qua ratione 1. Meth. c. 2. ait, homines ex admirari cœperūt Philosophari .i. ex notitia effectuū, inuestigare cœperunt rerum causas; vnde deducitur, Philosophiam esse rerum cognitionem per suas causas, & Philosophum esse, qui rerū cognitionem per suas causas est assecutus. sed licèt hæc definitio sit alijs melior, quia tamen solùm speculatiuam partem videtur comprehendere, & non moralem; ideò melius ità definiri solet, scilicet: *Philosophia est habitus animi acquisitus per intellectum, quo Diuina cognoscuntur, & humana dispenuntur, pro felicitate naturali assequenda*. Per ly habitus animi acquisitus, explicatur genus, per alia verba explicatur differentia, ly Diuina, & humana intelliguntur, vt supra. Potest etiam explicari per quatuor genera causarum, nempè est habitus animi acquisitus, pro causa materiali, ab intellectu pro efficiente, quo Diuina cognoscuntur, &c. pro formali, & pro felicitate assequenda, pro causa finali, ideoq; optima censetur. Hæc de Philosophia in sua generalitate.

Et quia Physica, de qua agere aggredimur, est pars totius Philos. in communi, hic etiam eam definire libet, scilicet Physica, seù hæc pars Philosophiæ est contemplatio corporis naturalis habentis internum principium motus, & quietis per suas causas, ità ex 2. Phys. & 1. cęli, quæ pars Phię absoluitur ab Arist. octo libris Phys. vbi de principijs corporis naturalis substantialis in communi, & eius proprietatibus agitur. Quatuor lib. de cęlo, vbi de prima specie, quæ est corpus simplex. Duobus de generatione, vbi de altera specie, quæ est corpus mixtum, generabile, & corruptibile. Quatuor Metheoricis, vbi de mixtis imperfectis. Tribus de Anima, vbi de mixto perfecto, quod est

corpus animatum: De paruis naturalibus, vbi traduntur breui methodo, quæ corpora animata insequuntur. De Sensu, & Sensibili, Memoria, & Reminiscentia, Somno, & Vigilia, Longitudine, & Breuitate vitæ, Iuuentute, Senectute, Respiratione, Morte, & Vita.

Meritò igitur hunc articulum alijs de obiecto prætulimus, s.n. de subiecto præcognosci debet, quia est, & quid est; & quid nominis est absolutè primum præcognitum; & quæ plures habent conceptus, prius diuidi debent, quàm definiri, ideò his omnibus in præsenti articulo iã præhabitis, modo ad controuersiam de obiecto accedimus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De obiecto Materiali Philosophiæ Arist.

Scotus in sua Log. q. 3. vniuersal. explicans conditiones subiecti ab Aristotele 1. post tex. 25. insinuatas, docuit tres habere conditiones, vt etiã in Log. adnotauimus: Prima quod de subiecto in scientia præcognoscatur quia est, & quid est; Secunda vt per eius quod quid est, demonstrentur de eo passiones in illa scientia; & tandem Tertia quod omnia in illa scientia considerata, in eius gratiam considerentur, & ad ipsum reducantur, & habeant attributionem, vel vt partes subiectiuæ, vel integrantes, vel vt principia, vel vt passiones, aut alia consimili ratione; & de hoc obiecto in præsenti loquimur, non de illo quocunque modo in scientia considerato. Et quia controuersia hæc agitari potest, tàm de Philosophia ab Aristotele tradita, quàm de Philosophia in se, prout adęquatè institui potest secundum totam suam latitudinem, hinc diuisim de obiecto Philosophiæ hoc, vel illo modo consideratæ differemus, eò vel maximè, quia Nos Philosophiam in eo sensu enucleandam assumimus, vt Theologiæ nostræ inseruire possit; hinc quia Philosophus in multis errauit, idcircò si eius sententia non erit principijs nostræ fidei cõsentanea, limites eius Philosophiæ egredientes, Philosophiæ secũdum se incumbemus; Magis .n. naturali lumini, & auctoritati Ecclesiæ standum est, quá Aristotelis, Platonis, & omnium Philosophorum. & quia obiectum scientiæ adæquatum parte materiali, & formali constat, scilicet re cõsiderata, & modo considerandi, in vtroq; sensu differemus.

Loquendo igitur de obiecto materiali, multæ, & variæ extant opiniones. Quidam asserunt Philosophiæ adęquatum obiectum esse corpus generabile, & corruptibile includentes tanquam species elementa, excludentes tamen corpora cęlestia, quæ opinio tribuitur Galeno lib. 1. de elementis, & Simplicio initio Phys. quos sequitur, & defendit Raguseus disput. 1. Peripat. Alij posuerunt tantum corpus mixtum, Elementa autem, & Cœlos considerari à Philosopho tantum reductiuè, veluti principia, & causas obiecti. Alij verò considerantes Cœlum, & Elementa etiam directè ad Philosophiã ptinere, eius obiectum ampliarunt, vt Scotistæ ad corpus natura-

naturale, vt commune quoddam est ad corpora caduca, & æterna. Alij ad corp' mobile, vt Albert., & Ægidius. At alij videntes mobilitatem, qua Physica à Methaphisyca secernitur, non solum conuenire composito substantiali, sed etiam eius partibus, & præcipuè materiæ primæ, quæ subiectum est cuiuslibet transmutationis substantialis, extenderunt subiectum Philosophiæ, ad substantiam materialem, & corpoream, vt complectitur composita, & eius partes. Caiet. tract. de subiecto naturalis Philos. considerãs, ne dum compositum substantiale, verum etiam accidentale esse mobile, & si non subiectiuè, ait ipse, saltem terminatiuè, magis obiectum dilatauit, vt vtrumq; directè comprehenderet, scilicet tam compositum substantiale, quàm accidentale, vocarique posse ens mobile, à quo parum distat Auersa, & est receptissima sententia apud Thomistas. Alij dicunt esse corpus substantiale naturale.

Alij tandem considerantes mobilitatem non solum entibus materialibus conuenire, sed etiam substantijs Spiritualibus, nolunt obiectum Philosophiæ esse substantiam materialem, neq; ens mobile, vt composita materialia amplectitur, siuè substantialia sint, siuè accidentalia, sed potius esse substantiam finitam, directè complectentem tam substantias corporeas, quàm Angelos, ità Antiquiores Scotistæ, Parisienses q. 4. Proemiali Phys. Ant. Andr. de tribus principijs q. 1. Tromb. 6. meth. q. 1. Canonic. 1. Phys. q. 1. imo Tatar. q. prœm. Phys. Bonet. 1. Phys. c. 1. & Alij assignarunt pro obiecto Philosophiæ ens finitũ directè complectens tam accidentia, quàm substantias, ea ratione moti, quia nedum substantiæ, sed etiam accidentia sunt essentialiter mutabilia, habentia talis passionis principium radicale. Relati tamen Scotistæ protestantur, dum Philosophiæ obiectũ ità extendunt, se loqui de obiecto Philos. secundum se, & in tota sua amplitudine, non prout fuit ab Arist. contesta, Scotistæ verò Recentiores quàplures, vt Tribar., Fuentes, Rocchus, Sghemma, & alij corpus naturale statuunt pro obiecto Philosophiæ absolutè, absq; vlla distinctione; Quid verò sentiant de obiecto formali, agemus infra.

Pro resolutione aduertimus ex Doct. 6. Meth. q. 1. in fine, dari non posse rationem aliquam, ad ponendam vnam, vel plures scientias, sed ex beneplacito hominum hoc dependere, sicut in Log. diximus de numero Prædicamentorum, cũ fundamento tamen in re, & ideo rationabiliter dubitari solet: An Metaphysica sit à Philosophia distincta, veluti quædam scientia totalis, & per se vna? An potius sint scientiæ partiales, vnam totalem integrantes, cuius subiectum sit ens in sua communitate. Antonius Mirandulanus lib. 13. de euersione singularis certaminis, sect. 6. quem sequitur Auersa in Philos. q. 1. sect. 6. hoc secundum affirmat, scilicet quod Philosophia, & Methaphisica sint duo habitus partiales; Scotus videtur anceps, nam aliquando docet Metaphisicã res tantum in vniuersali cõsiderare, quandoq; verò ad particularia

latia descendere. Scotistę sunt diuisi, Philosophi, qui Arist. praecesserunt, sub titulo vnius scientiae eas tradiderunt; Aristoteles verò Philosophiā à Methaphysica discreuit; & quia omnia materialia, vt subsunt motui, magnam inter se habent affinitatem, vnam scientiam de his omnibus contexit, & Philosophiam naturalem appellauit, quam etiam in alias scientias partiales iuxta obiectorum numerum diuisit; sic etiā quia omnia immaterialia magnam habent affinitatem in abstractione à motu, aliam scientiam totalem de illis instituit, & Methaphysicam nominauit; Vnde has duas scientias, vt totales ab inuicē secauit per ordinē ad motū, quapropter 2. Phys. tex. 71. ait, *quae mota mouent considerari à Physico, non verò mouentia immota*; & 6. Meth. c. 1. ait, Philosophiam esse circa tale genus entis, in quo est principium motus, & status; & idem habet 11. Meth. c. 1. n. 3. itaut substantias separatas posuerit penitùs immobiles, ac proindè 12. Meth. egit de substantijs separatis sub titulo de substantia immobili, & quas omnes putauit esse necessarias in essendo, vt Scot. aduertit quol. 15. lit. C. poterat equidē Arist. has scientias aliter distinguere secundum varietatem obiectorū, quae considerare poterat, sed contentus fuit eas diuidere in ordine ad motum. *Conclusio.*

Dicimus obiectū materiale adęquatum Peripateticae Philosophiae esse corpus substantiale naturale. Est Scot. 6. Meth. q. 1. & omnium Scotist., quē sequūtur Recent. ferè ōnes, & eruditè satis defendit P. Ser sale Illust. Ord. Cleric. Reg. cū alijs eiusdē Relig. & patet Primò apertis ipsi° Philos. auctoritatibus. 6. Meth. ait, Philosophiam naturalem esse circa quoddam genus entis, in quo est principium motus, & status; & nequis occasionem arriperet, hoc nomen entis etiam ad accidens dilatare, se declarauit, dicens, etenim circa talem substantiam, in qua principium est motus, & quietis; & ne quis substantię conceptū ad substantias Spirituales extenderet, aut saltem ad partes essentiales compositi materialis, ait 11. Meth. c. 1. n. 3. naturalem scientiam esse circa ea, quae in se principium motus habēt, & subdit esse corpora natura constantia, quod etiam expressis verbis 1. de cęl. ab initio docuerat, per quae excluduntur Angeli, qui non sunt corporei, & etiam partes essētiales compositi Physici, quae licèt materiales dici possint, corpus tamen appellari nequeunt.

Secundò probatur ratione: illud est obiectum adaequatum in aliqua scientia, quod est ibi primò consideratum, & reliqua in gratiam ipsius considerantur, vel vt partes, vel vt principia, vel vt passiones, & in quo tota cura artificis sit posita, vt ex Arist. colligitur 1. post. cit. sed corpus naturale in Philos. naturali Arist. est huiusmodi, ergo &c. Probatur minor, nam. 2. Phys. c. 1. explicans eius essentiam, dixit, esse illud ens naturale, in quo est internum principium motus, & quietis; eius principia in fieri assignauit, & per naturam docet, corpus naturale essentialiter constitui, quae principia deinde diuisit in materiam, & formam:

nam: explicuit etiam principia cognoscendi, quæ sunt propositiones illæ vniuersales, quæ ad eius notitiam maximè conducunt, veluti sũt definitio ipsius corporis naturalis, definitio naturæ, definitio motus, & aliæ: in cæteris libris Phys. ostendit plures eius proprietates, & affectiones, vt esse mobile, esse locabile, esse diuisibile, &c. & plures eius partes subiectiuas, vt sunt Cœlum, Elementa, Mixta imperfecta, & perfecta, Animata, de quibus agit in alijs libris de Cœlo, & Mundo, de Generatione, & Corruptione, de Anima, &c. ex quibus manifestè apparet, omnia in Philosophia considerata, in gratiam corporis naturalis considerari.

Tertiò, probatur ex confutatione opinionum aliorum. Et in primis, quod obiectum adæquatum Philosophiæ non potest esse corpus corruptibile, aut mixtum; nam Philosophus 1. Metheor. c. 1. docet Cœlum, & Elementa esse corpora naturalia, ac per se mobilia, vbi etiam se declarat dixisse de causis naturæ, & de omni motu naturali, & de Astris, & de Elementis, & 7. Meth. c. 5. inter corpora naturalia enumerat Animalia, Elementa, & Cœlum, & 2. Phys. tex. 71. inquit negotium Physicum esse circa mobile, & corruptibile, & incorruptibile, & vtique si cœlum tantum, & elementa essent, reliquis corporibus destructis, adhuc sciẽtia Physica permaneret. Nec respondere valet, Cœlum, & Elementa tantũ reductiuè in Physicis tractari, quatenus scilicet principia sunt obiecti Physici, Elementa nimirum principia materialia mixtorũ, Cœli autẽ principia eff ctiua; Non valet, nam reuera Cœlum, & Elementa sunt quædam obiecta excellentia, atque ideo directè, & per se, veluti species principales corporis naturalis à Philos. naturali considerabilia, & in hoc sensu de ipsis egit in lib. de Cęl. & Generat., & Metheor., hinc in libro de Mundo ad Alexandrum c. 1. asseruit, pręcipuam partem Philosophiæ esse, quæ cęlestia corpora contemplatur.

Quartò, neq; vt Caiet. putauit loc. cit. Philosophiæ obiectum esse ens mobile, vt est commune per prædicationem ad compositum substantiale, & accidentale, falsum .n. est transmutationem, vel transmutabilitatem, ratione cuius Philosophus scientiam Physicam constituit, & à Methaphisica discreuit, per se, & directè includere quoq; transmutationem terminatiuã; nã tam 2. Phys. vbi explicat naturam esse principium huius mobilitatis, quàm in 3. vbi motum definiuit, semper loquitur de mobilitate subiectiua; quarè mobile subiectiuè, & vt quod, est id, quo l solũ directè spectat ad physicum, mobile autem terminatiuè, indirectè tantũ quatenus scil. eius productio, vel defitio mutationem subiectiuam ãnexam habet; Productio namq; sine vlla prorsus mutatione potius ad Methaphys. spectat, vt productio intelligentiarum, vel ad Theolog. productio Filij in Diuinis, &c.

Quintò, neq; obiectum Philosophiæ esse potest ens mobile, vel materiale, vt commune per predicationem compositis substantialibus, partibus

partibus eius, & accidentibus, vt Auersa asserit q. 2. de obiecto Philos. sect. 2. nam hoc est confundere subiectum communitatis cum subiecto attributionis; tum quia in hoc sensu, non distinguuntur in Philosophia principia, passiones, & subiectum, contra leges subiecti ab Arist. assignatas 1. post tex. 25. nā hæc omnia considerarentur, vt species, intrinsecè .n. imbibunt cōceptū entis materialis, vt sic; agit igitur Philosophus de materia, & forma, sed indirectè, & reductiuè, quatenus principia sunt compositi substantialis; agit de motu, loco, & tempore, sed quatenus sunt affectiones corporis naturalis in communi, & idcirco 6. Meth. c. 1. ait Philosophiam versari circa substantiam, in qua est principium motus, vt excluderet accidentia à consideratione directa, & per se Physicæ; & alibi repetit, scientiam naturalem esse circa corpora natura constantia, vt materiam, & formam excluderet, quæ non sunt corpora, nec in sensu Philosophi natura constant, sed potius sunt naturæ, vt ipsemet 2. Phys. c. 1. innuit.

Ex his refelli potest cōmunis opinio Thomist. destruendo eorum cōmune fundamētum, quod est, primam passionem Physicam esse mobilitatem in cōmuni ad substantialē & accidentalem, & consequenter ens mobile, quod materiam quoq; complectitur, esse obiectū adęquatū Philosophiæ. At hoc fundamentum ruinosum est, licèt .n. Arist. suam Physicam instituere poterat, vt haberet pro obiecto substantiam materialem adæquatè sumptam, & de illa per eius definitionem, transmutabilitatem in communi demonstrare, imò assumere pro tali obiecto ens materiale in communi, comprehendens etiam accidentia, tamē non fecit, in 1. n. & 2. Phys. agit de materia, & forma, vt principijs rerum naturalium, non autem vt de speciebus obiecti adæquati, sicut in cæteris libris agit de motu, loco, & tempore, vt de affectionibus corporum naturalium. Vnde etiam sequitur, solam mutabilitatem accidentalem esse primam passionem Physicam, nā mobilitas illa est prima passio Physica, cuius principium est natura 2. Phys. de finita, at natura ibi definita est principium mutationis accidentalis tantum, nam .2. Phys. ait, omnia, quæ natura constant, habere in se ipsis principium motus, & status, & explicans qualis sit iste motus, ait: hæc quidem secundum locum, illa verò secundū augmentum, & decrementum, quędam autem secundum alterationē, qui omnes, vt clarè patet, sunt motus accidentales.

Non tamen negamus, iuxta distinctionem scientiarum à Philosopho traditam, ad Physicum spectare contemplationem cuiuscumq; entis materialis, & mobilis, sed non eodem modo, sed quædam vt species, quædam vt passiones &c. & falsum est hæc omnia considerari non posse in gratiam corporis naturalis, sicut etiā falsū est in sciētia genus ad speciē saltē in esse scibili reduci nō posse, vt ipsi Thomistæ autumāt, nā omnino necessaria est cognitio generis ad scientificā speciei notitiam, atq; ideo potius genus ad speciem, quàm

specis

species ad genus reduci debet in scientijs. Vnde sicut in logica species, seu modi Argumentationis, Secunda intentio, ens rationis &c. reducuntur ad syllogismum, tanquã ad obiectum adæquatum, cuius exacta cognitio per se, & directè intendebatur ab Arist. in sua logica, ità etiam in sua Philos. ens materiale, &c. Ad corpus naturale tanquam ad obiectum adequatum attributionis reduci debet, cuius exacta cognitio directè, & per se intenditur à Philosopho.

Sextò, illud est subiectum scientiæ, quod continet omnes passiones scientiæ; at corpus naturale est huiusmodi, non autem ens mobile, ergo &c. probatur minor nam quiescibile est passio Physica, non tamen videtur in esse mobili, cum motus, & quies sint opposita, at quies inest corpori naturali, ergo hoc potius erit subiectum, non autem corpus mobile, aut ens mobile; nec sufficit dicere, quod satis sit exprimere passionem positiuam, nam eodem modo posset dici, quod in defitiitione naturæ non oportebat dicere, natura est principiũ motus, & quietis, vt fecit Arist. vt benè aduertit Tatar. q. 2. de subiecto Philos. naturalis. Sed dixisset: natura est principium motus.

Septimò, Passio non est sumenda pro subiecto, sed mobilitas, & motus sunt passiones Physicæ, sicut risibilitas, & risus respectu hominis, ergo non ens mobile, vel corpus mobile est subiectum, sicut nec homo risibilis dicitur subiectum sciẽtiæ, sed solus homo, de quo demonstratur risibilitas.

Octauò, illud est subiectum in aliqua scientia, quod non facit prædicationes ridiculas, sed ens mobile, vel corpus mobile est huiusmodi, vt benè aduertit Tolet. ridiculũ .n. est dicere corpus mobile est mobile, vel ens mobile mouetur, non sic autem corpus naturale mouetur. Quod si per corpus mobile intelligat corpus naturale, quia illud accipiunt radicaliter, lis euadit de nomine, sed ratio stat pro nobis, nam æquiuocatio parit obscuritatem, at corpus mobile, vel ens mobile est nomen æquiuocum, nam accipi potest pro passione, pro actu, & pro radice, & principio passionis, vt ait Tolet. quod non euenit de corpore naturali, ergo &c.

Obiectiones.

Obijciunt primò Auctores primæ sententiæ: illud est subiectum in tota Philosophia, cuius principia, & passiones traduntur in octo libris Phys. vbi Arist. tradit principia communia Physicæ, sed principia, & passiones in octo lib. Phys. competunt tantùm corporibus corruptibilibus, ergo corpus generabile erit obiectum Philosophiæ naturalis; Ma. patet, minor probatur, nam 1. Phys. agit de principijs in fieri, inter quæ est priuatio, quæ in cęlis non reperitur, in 2. tradit principia in facto esse, quæ est natura, & eam diuidit in formam, & materiam, quæ in cęlo non reperitur in sententia Arist., vt etiam Scotus fatetur. Et tandem locus, & tempus, de quibus Philosophus agit 4. Phys. cęlo non conueniunt, quia sempiternum est, & saltem vltima sphęra

 nullum

nullum habet extra se corpus, a quo ambiatur, ergo &c. Tum quia subiectum debet esse vniuocum, sed cęlo, & sublunaribus nihil est commune vniuocum, nam æternum, & corruptibile plusquam genere differunt ex 10. Meth. tex. 20.

℞. ad primum, negando minorē, & ad probationem dicimus, ibi tradi principia in fieri transmutationis in communi; vt etiam se extendunt ad mutationem accidentalem, vt infra patebit, & quia cęlestia corpora mutationi accidētali subduntur, idcirco illa tria principia etiā participabunt: Conueniunt etiam Cęlo principia in facto esse, scilicet natura, non quatenus dicitur de materia, & forma, sed prout dicit essentiam, & quidditatem, ex qua habet, vt moueri possit: competunt etiam Cœlo affectiones communes cęterorum corporum, nam habet motum circularem, ratione cuius tribuit ei Arist. tempus æternum, habet locum, quia semper inferior sphęra à superficie cōcaua superioris continetur, & quomodo etiam vltima sphęra sit in loco, dicetur infra.

Ad secundum ℞. ex Scoto in 4. d. 6. q. 10. lit. M. Philosophum loqui de genere Physico, scilicet materia, non verò Logico, & verum est in eius sententia, corpora cęlestia non conuenire in materia cum sublunaribus, vt ipse doctor habet 2. sent. d. 14. q. 1. non tamen ex hoc sequitur, cęlos ad Phys. nō pertinere, nā & si cęli 8. Meth. tex. 12. careāt materia transmutabili secundum substantiam, eam tamen retinent, quæ est secundum locum mobilis, & de hac præcipuè loquitur Arist. cum docet Physicum considerare res materiæ immersas, Methaphysicum vero abstractas.

Secundò, obijcit Caiet. probans, quod obiectum adæquatum Philosophię sit ens mobile prout compositum substantiale, & accidentale comprehendit. Adęquatum obiectū primæ passionis Physicæ, est etiam subiectum adęquatum Philosophię, sed hoc est ens mobile, commune composito substantiali, & accidentali, ergo. probatur minor nam si loquamur de mobilitate subiectiua, hæc non tantùm conuenit composito substantiali, sed etiam accidentali, id .n. quod mouetur ad qualitatem corpoream, & vbi circumscriptiuum, est Corpus substantiale quantum, quia mediante quantitate est susceptiuū qualitatis corporeæ, & Vbi circumscriptiui: Si verò loquamur de trāsmutabilitate terminatiua, hæc etiam composito accidentali conuenit; principia .n. istius ait Arist. 12. Meth. 22. vagari etiam per accidentium prædicamenta, sicut .n. compositum substantiale fit ex priuatione formæ substantialis, sic compositum accidentale fit ex priuatione accidentalis, qua ratione 1. Phys. ait se tractare in vniuersum de principijs omnis generationis, inter quas sunt etiam res Metheorologicæ, quę sunt quędā composita accidentalia. Per mutabilitatem subiectiuam intelligit id, in quo recipitur motus, per mutabilitatem terminatiuam intelligit id, quod producitur, seu terminat motum.

℞. neg. minorem, & loquendo de mutabilitate subiectiua, falsū est ens

mo-

mobile in communi ad compositum substantiale, & accidentale esse subiectũ adęquatum Physicæ, nã neq; compositum substantiale est subiectum transmutationis substantialis, cum etiam in sententia Thomistar. hoc sit materia prima, neque compositum accidentale est subiectum mutationis accidentalis, quod .n. mouetur ad quantitatem, qualitatẽ, & vbi, est corpus ipsum substantiale, licèt non intelligatur moueri ad qualitatem, & vbi, nisi sit quantum: hinc etiã Tolet. negat illud triplex corpus mobile Caiet. scilicet aut secundum substantiam, aut secundũ qualitatem, aut secundum quantitatem, nam vnicum est corpus substãtiæ, nempè compositum ex materia, & forma, quod est mobile, secundum qualitatem, & quod est mobile secundum quantitatem. Loquendo verò de trãsmutabilitate terminatiua, negamus hanc esse primam passionem Physicam, & propriè cõposito accidentali cõuenire; & quãdo Arist. id asserit 12. Meth. cit. intelligi debet per quamdam Analogiam, vt ipsemet ibi se explicuit, nã propriè loquẽdo fieri conuenit cõposito substantiali, sicut propriè ei solùm cõpetit esse, & existere, vt idẽ Philosophus apertis verbis asseruit 7. Meth. Tex. 22. & 23. Vnde in cõmuni etiã modo loquendi dicimus, aquam calefieri, non verò produci aquam calidam. Falsum est etiam transmutabilitati terminatiuæ conuenire tria illa principia, materiã, formam, & priuationem, sic .n. inspecta ipsa transmutabilitate, rationem habet productionis, à ratione mutationis prescindens; atq; ideo pro principio respicit agens, & ità prescindit à subiecto. Non tamen negamus illa tria principia conuenire transmutationi subiectiuæ in communi ad substantialẽ, & accidẽtalem, & de illis in hac communitate à Phõ tractari 1. Phys. non tamẽ sequitur ex hoc, compositum accidentale esse per se obiectum directè à Phõ consideratum, nam hoc est tantum compositum substantiale, mutationi accidentali subijcibile, compositum verò accidentale solũ indirectè; res verò Metheorologicę sicut sunt entia per accidens, ità nõ considerantur, vt per se obiecta, sed potius veluti quasi passiones elemẽtorum, vel mixtorum.

Auersa multa obijcit contra nostram sententiam, vt suam fulciat, ad quæ omnia plenè, & exquisitè Bell. & Mastr. respondent. arguit igitur primò ex 2. de anima vbi Arist. diuisit substantiam in materiam, formam, & compositum, ergo substantia sic sũpta est obiectũ scibile, de quo demonstrari possunt passiones Physicæ: Item, ex 2. Phys. in principio enumerans substantias naturales, quas erat consideraturus, enumerat animalia, & partes eorum, & præsertim in lib. de Anima adęquatè, & directè agit de ipsa anima, quę, & ibi statuitur pro obiecto: Nec respõderi valet (ait Auersa) non posse materiam, & formam directè includi in obiecto Physicę, ex eo quia considerantur vt principia, & partes, non vt species; id .n. nõ impedit, quin adhuc possint in seipsis considerari tamquam species substantiæ materialis in tota sua latitudine inspectæ, sicut patet de

elementis, quæ sunt vtique principia respectu mixti, sed in se sunt quædam species corporis, & vtroq; modo à Phō considerantur, nec vna contemplatio impedit aliam.

℞. admittendo potuisse Phūm, ità Physicam instituere, vt pro obiecto haberet substantiam materialē adęquatè sumptam, & de illa per eius quod quid est transmutabilitatem in communi demostrare, sed nō fecit, nam in primo, & secundo Physicorum agit de materia, & forma, vt de principijs rerum naturalium, nō vt de speciebus obiecti adęquati, in quo etiam sensu in 2. Phis. ab initio agit de partibus animalium, .s. indirectè, & reductiuè per ordinem ad totum, quod constituunt, & rationabiliter quidem, sic .n. requirebat ordo ad scientificam notitiā, vt sicut sunt entia imperfecta, & ordinata ad totum, ità etiam considerarentur; & Ideò non valet assumpta paritas ab Auersa de materia, & formà in ordine ad compositum, & Elementis in ordine ad mistum, nam elementa possunt equidem, vt species obiecti considerari, quia sūt quædam species integræ, & completæ, de quibus corpus predicatur in recto, & ablato corpore misto, aduc in vniuerso remanerent; & sine ordine ad mixtum possunt scientifica cognitione attingi, quod de materia, & forma dici non potest. Nec Aristotiles in libris de Anima agit de illa per se, & directè, sed in ordine ad corpus, & vt pars est animalis. Neque ex eo, ꝙ statuitur obiectum in illis libris, sequitur quod sit de directa consideratione totius Philosophiæ; sicut nō sequitur ex hoc, quod principia ponuntur obiectum primi, & secūdi Phys., passiones verò cæterorum librorum, cadere sub directa consideratione totius Philosophiæ, veluti species eius adequati obiecti.

At instat Auersa; passiones Physicę, non competunt tantùm, & adęquatè corpori, sed etiam partibus, nam quantitas est in materia prima, vt in subiecto, sicut etiam mutatio substantialis, ergo non solùm corpus, sed etiam partes corporis spectant adequatè ad obiectum Philosophiæ naturalis. Nec responderi valet, primam passionem Physicam esse mutabilitatem tantùm accidentalem, quia mobilitas illa est prima passio Physica, cuius principium est natura, sed natura est principiū non solùm mutationis accidentalis, sed etiam substantialis, ergo &c. ℞. negando antecedens, quantitas .n. non materiæ primæ, sed corpori inhęret, vt infra patebit; similiter, & mobilitas, quæ est prima passio Physica, solùm corpori naturali adęquatè conuenit; & ad impugnationem, gratis admittimus absolutè loquendo, mobilitatem materiæ, & corporis pro altera parte cōpositi posse dici naturalem, quatenus principium eius est natura, si in ampliori acceptione natura sumatur; sed nō ità Philosophus accepit, sed per naturam, & habentem naturam intellexit ibi ens completum, hinc tex. 14. se declarat, generationem esse naturalem, non quia sit à natura, sed quia est via in naturam, quatenus scilicet est via ad constituendas rerum essentias, quæ ex materia, & forma constant.

Vrget

Vrget idem Auctor, nam 3. Phyſ. 6. & 9. pro ſubiecto adęquato motus, qui ponitur prima paſſio Phyſica aſſignauit Phyloſophus ēs mobile in tota ſua latitudine, qui conceptus entis mobilis in Phyſica, non conſideratur in ordine ad aliquam ſui ſpeciem; & primo Cœli tex. 1. ait: ſcientiam de natura, agere de corporibus, & magnitudinibus, & motibus, & paſſionibus, & alijs accidentibus; & 4. Meth. tex. 1. inquit, ſcientias particulares abſcindere ſibi partem entis, eamque conſiderare, ergo eius adæquatum obiectū aſſignari debet ens materiale, vt etiā partes & accidentia comprehendit. ℞. negando conſequentiam, licèt. n. reuera potuiſſet Ariſt. accipere pro adęquato obiecto Philoſophiæ ens materiale in communi, comprehendeus etiam accidentia, non tamen fecit; ſed directè, & per ſe conſiderauit corpora naturalia, & in ordine ad illa conſiderauit accidentia Phyſica, & itá ratio poſtulabat, modus. n. ſcientificus eſt cognoſcere accidentia Phyſica per ſuas cauſas, dęmonſtrando de ſubiecto in quo ſunt, & itá ad Phyſ. ſpectat cōſideratio omnis entis materialis, vel per ſe, & directè, vel indirectè, & reductiuè, vnde 3. Phyſ. ſicut definiuit motum in communi in gratiā motus accidentalis, cuius principiū eſt natura, itá conſiderauit ens mobile in cōmuni in gratiam entis mobilis accidentalis, quod eſt corpus naturale, nam cognitio diſtincta ſpeciei pręexigit cognitionem generis, licet Thomiſtę vociferentur, quod ſpecies debet reduci ad genus, non genus ad ſpecięs, quod falsū eſt in eſſe ſcibili; & ſic intelligitur Ariſt. in 4. Meth. tex. 1. & patet euidenter ex diſcurſu, & methodo tradita ab Ariſt. in Philoſophiam, nam primò egit de corpore naturali in communi in octo libros Phyſ. & deinde de corporibus ſimplicibus mixtis &c. primò egit de principijs in genere, deinde de principijs in ſpecie; primò egit de motu in communi in 3. Phyſ. deinde de motus ſpeciebus in alijs libris.

Vrget iterum: obiectum adęquatum in Meth. eſt ens in cōmuni, nec accidens cōſideratur per reductionem ad ſubſtantiam in cōmuni, ergo ſimiliter illa ſcientia, quæ conſiderat omne ens materiale, quæ dicitur Phyſica, habebit pro obiecto adęquato ens materiale, & non ſolam ſubſtantiam materialem corpoream completam. ℞. negando paritatem, nam Meth. verſatur circa traſcendentia, nec accidens conſiderat, vt affectionem ſubſtantiæ, ſed vt ens, quod ęquè participat paſſiones traſcendentes, ſicut ſubſtantia; Phyſica verò conſiderat accidentia, quatenus affectiones ſunt corporis, & idcircò rationabiliter poteſt demōſtrare mobilitatem, & alias paſſiones Phyſicas de accidentibus, non per ſe, & abſolutè, ſed in ordine ad corpora.

Inſtat tandem, nam accidentia ſunt eſſentialiter, & verè mutabilia, habentia naturam, vt radicale principium talis paſſionis, ſumendo naturam pro eſſentia rei; vnde quātitas alterari poteſt cum ſit immediatum ſubiectum qualitatis, & accidentia ſeparata in Euchariſtia tendunt deorſum naturaliter, quia a-

deſt

deſt grauitas, ergo &c. ℞. quod ſi admittatur accidentia eſſe adhuc mutabilia naturaliter, non tamen in eo ſenſu, quo Ariſt. ait naturam eſſe principium motus 2. Phyſ. qua ratione ibidem accidentia, non entia naturalia directè appellauit, ſed entia ſecundum naturam, quatenus etiam ſi ſint mutationis capacia, hoc eis tantùm conuenit in ordine ad corpus, eorum ſubiectum; & quamuis vnum accidens poſſit immediatè in ſe aliud ſuſcipere, & ſuſtentare, quia tamen hoc totum facit dependenter à ſubſtantia, quia eſt ſubiectum primum, & vltimatè terminans dependentiam omnium accidentiũ, ideo quod per ſe mouetur ad quantitatem, ad vbi &c. eſt ſubſtantia; vnde accidens ad ſummum dici poterit mobile, vt quo, & ad motum alterius. Motus verò accid. in Euchariſtia non ſpectat ad Phyſ. qui conſiderat motum accidentis depẽdenter à ſubſtantia, ſed euenit ex vi præcedentis miraculi.

Sed dices, ſi in ſententia Ariſt. anima rationalis ponatur immortalis, etiam extra corpus mobilis poni deberet, & quidem non ex vi prę cedentis miraculi, ſed ex natura ſua, ergo non corpus, ſed ens mobile poni debet ſubiectum in Philoſophia. ℞. quod ſicut ſtatus accidentis extra ſubiectum non ſpectat ad Phyſicum, ità neque ſtatus animæ rationalis extra corpus, vnde Ariſt. de immortalitate animæ rationalis non fuit vndequaque ſecurus in ſententia Scoti; & quãdo etiã hoc admitteretur de illo motu animæ, eſſet illud omnino aſſerendum, quod de motu corporis pro altera parte compoſiti aſſeritur in ſententia, & Philoſophia Ariſt., hinc tripliciter anima conſiderari poteſt, vel ſecundum ſe, vel vt eſt in corpore, vel vt eſt extra corpus; primo, & ſecundo modo ſpectat ad Phyſicum, quia vt ſic dicit ordinem ad materiam actualem, vel aptitudinalem, & reducitur ad corpus veluti eius pars, at tertio modo ſpectat ad Meth.

Obijciunt, nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum eſſe, at Philoſophus 6. Phyſ. tex. 32. probat omne corpus mobile eſſe, ſiue habere principium motus, & quietis, quod idem eſt, ac ſi probaret corpus naturale eſſe. Hoc argumentum quod tanti magni faciunt Thomiſtæ, nullius roboris eſt, etiam apud Recentiores, hinc dicimus primò falſum eſſe in Philoſophia probari corpus naturale eſſe, cum potius vbique ſupponatur. Vnde 2. Phyſ. tex. 6. ait Ariſt. non magis ridiculum eſſe, demonſtrare naturam eſſe, quam corpus eſſe, cum manifeſtius ſit, eſſe corpora naturalia, quam naturam. Et 6. Phyſ. tex. 32. non probat corpus eſſe, nec mobile eſſe, ſed tantùm omne mobile eſſe quantum, & diuiſibile; imò nec ſumit ibi mobile pro ratione formali, & principio radicali, ſed loquitur expreſsè de motu, quod eſt accidens, vt benè aduertit Auerſa loc. cit. ſec. 3. vel dicendum cum Amico, quod ibi Philoſophus non probat corpus mobile eſſe, ſed ſuppoſita exiſtentia corporis ſubſtantialis, probat mobilitatem in eſſe ſoli, & omni corpori, quod eſt probare omne mobile eſſe corpus; & quando etiam probaret

corpus

corpus naturale, seu mobile esse, adhuc non sequitur non posse poni subiectum, nam in scientia benè potest de subiecto demonstrari, quod sit à posteriori ex Doc. q. 3. Prologi, & nos diximus in logica; & ipsemet Caiet. 1. p. q. 2. art. 3. concedit quod estò Theologia habeat Deum pro obiecto, posset adhuc probare Deum esse.

Sed dices, etiam à priori probari posse existentiam corporis naturalis in Philosophia, cum 1. Phys. ostendat Arist. dari materiam, & formam. R. communiter id fecisse Philosophum in cultum habitu Meth. vt ipsemet tex. 8. protestatur, ad quod etiam addere possumus, Arist. hæc principia probare medio Physico, ex continua scil. rerum mutatione, quod est demonstrare principia, & subiectum à posteriori, quod subiecto scientiæ non repugnat.

ARTICVLVS TERTIVS

De Obiecto materiali Philosophiæ in se.

SCotus 6. Meth. q. 1. docet, rationem, quare substantia separata ad Meth. pertineat, esse, quia, & si habeat proprias passiones sibi primò inhærentes, non tamen nobis scibiles sunt via sẽsus. Et subdit Doct. *Vnde verum est, quod ipsa est subiectum secundæ scientiæ speculatiuæ possibilis intellectui cognoscenti ipsam sub propria ratione, sed non nobis.* Hæc Scot. vnde apparet in eius sententia, substantiam separatam pertinere ad Physicam, quæ est secunda scientia speculatiua, si secundum se consideretur, & in intellectu illam cognoscente, & consequenter in eius sententia poni potest pro adæquato obiecto Philosophiæ in tota sua latitudine, aliquod commune substantijs corporeis, & in corporeis.

Conclusio.

Dicimus, obiectum adæquatum in Philosophia naturali in tota sua latitudine, & secundum se considerata, esse substantiam finitam, naturalem, vt etiam substantias immateriales complectitur, siuè per se subsistentes, vt sunt Angeli, siuè habẽtis modum subsistentis, vt est anima separata. Est Scot. loc. cit., & multorum priscorum Scotistarũ, vt videre est apud Canonicum, Tromb., & Alios, & ex recentioribus ãplectuntur Mast., & Bell., & ex exteris Auersa q. 2. sec. 1. cum alijs Clericis Regul., & ita probatur: prima, & cõmunissima passio, quæ in Philosophia consideratur, & per quam à Meth. secernitur, est mobilitas, ergo subiectum adæquatum huius passionis, erit etiam adæquatum obiectũ scientiæ naturalis, sed tale subiectũ non potest esse corpus, sed substãtia finita, ergo hæc erit Philosophiæ naturalis adæquatum obiectum in tota sua latitudine, sub illata mi. probatur à Canonico loc. cit. ex eo quia aliqua entia non corporea sũt per se mobilia, quod ipse probat de Angelis ex Scot. 2. d. 2. q. 9. omne .n. receptiuum formarum alicuius generis, quod non est determinatũ ad aliquam vnam illarũ, potest mutari de vna, in alteram, si non est illimitatum ad omnes; at Angelus est receptiuus vbi definitiui, nec est illimitatũ

limitatum ad omnia vbi, cum non sit immensus, ergo potest de vno loco in aliud mutari.

Probatur 2. ex Trombet. 6. Meth. q. 2. hoc modo: si quid obstaret, ne substātia immaterialis finita ad Physicum pertineret, vt ens per se mobile, vel esset quia omne per se mobile debet esse in loco ex 5. Phys. tex. 8. huiusmodi autem substantiæ nō sunt in loco ex 4. Phys. tex. 100. at hoc non obstat, nam estò huiusmodi substantiæ nō sint in loco circumscriptiuè, sunt tamē in loco definitiuè per actualem exibitionem, & præsentiam suæ substātiæ hic, vel ibi; vel esset quia indiuisibile moueri non potest ex Philosopho 6. Phys. tex. 31. at hoc non impedit, quia etiam indiuisibile moueri potest, vt suo loco ostendemus, nec ibi Arist. loquitur de indiuisibili spirituali, & genere substantiæ, quod est virtualiter diuisibile, sed de indiuisibili de genere quantitatis: vel tādem esset, quia cum Angeli non reperiant resistentiam in medio, motus fieret in instanti; At neque hoc obstat, quia licèt non adsit resistentia ex parte medij positiui, adest tamē ex parte medij negatiui, scilicet ex distantia extremorum, quā Angelus non potest totam simul pertransire, ob limitationem suæ virtutis, nec toti spatio intermedio simul coexistere; & quando etiam moueretur in instanti, non idcirco ab obiecto Physicæ excludi debet, cum etiā mutationes instantaneę ad Physicum spectent ex lib. 3. & 5. Phys.

Tertiò probatur, nam substantia Angelica est mobilis, vel localiter, vel saltem motu alterationis, quia recipit in se varias mutationes per suas operationes, & qualitates sibi conuenientes, & vt sic est obiectum scibile, & ad aliquam scientiam attinere debet; sed non ad Meth. quia hæc agit de rebus immobilibus ex 6. Meth. tex. 3. ergo ad Physicam, quæ de rebus mobilibus agit; & vtique certissimum est, ideò Arist. substantias separatas à Physica remouisse, quatenus eas penitus immutabiles posuit, quod certè non fecisset, si eas mutabiles cognouisset, & hoc idem dicendum est de anima separata, nam quantū ad motum est eadem ratio de ipsa, & Angelo. Tum quia licèt non sit per se subsistens, habet tamen modum subsistentis quantum sufficit, vt dicatur mobilis, vt quod, extra corpus, & consequenter cadere potest directè sub Physica consideratione in se, & non reductiuè tantum in ordine ad corpus.

At respondent Aliqui, quod estò Angeli sint entia mobilia, non tamē Physicę considerationis, & ratio est, quia eorum motus non est Physicus. Hoc autem variè à varijs explicatur; Nam quidam volunt, tunc motum esse Physicum, quando fit cum mole corporea, & sensibili locum occupando, & quia motus Angeli non fit huiusmodi, ideo non spectat ad Physicum. Sed Contra vel isti loquuntur de motu formaliter, ità vt motus Physicus debeat in se esse formaliter extensus, & diuisibilis; vel subiectiuè quatenus, scilicet, exerceatur in subiecto extenso, & diuisibili; si primum, motus localis Angeli erit verè Physicus, nam talis motus est reuera quantitas successiua, quam

ua, quam extensionem habet ex parte spatij, super quod fit, ex Trombet. loc. cit. falsum est etiam motum omnem ad Physicum spectantẽ hoc modo extensum esse debere, ac diuisibilem, cum etiam mutationes instantaneç, & indiuisibiles ad Physicum spectent. Neque secundum, quod patet de alterationib⁹ animç, quas in corpore patitur, & in ipsa anima rationali recipiuntur, quæ tamen omnes ad Physicum spectãt.

Alij verò ideò negant Angelicum motum ad Physicum attinere, quia Physicus nõ habet medium ad illud cognoscendum, scil. non potest probari medio Phyco, cum non esset ex sensibilibus deductus, Ad Physicum autem solùm pertinet illud ẽs mobile, cuius motus medio sensibili, & naturali dignosci potest. Non valet, nam si ideò hoc asserant, quia motus Angelorum non est sensibilis, & materialis, & solùm talis motus attingi pòtest à Physico, sic dicendo, nõ amplius per rationẽ motus absolutè, aut naturalitatis constitueretur obiectum Phycæ, vt à Methaphysica distinctum, sed per rationem motus sensibilis, & per rationem corporeitatis, quod Arist. non fecit. Tum quia licèt Philosophia, vt tradita est ab Arist. procedat per media ex sensibus deducta ad rerum naturalium affectiones inuestigandas, Philosophia tamen in se, non indigeret via sensus, sed ex ipsa rerum natura, & rationibus lumine naturali notis, affectiones de rebus ipsis demonstraret. Tum denique quia potest etiam aliquo modo ex affectionibus sensibilibus motus Angelicus ostẽdi, vt benè Auersa aduertit loc. cit. sec. 1. ex eo scil. quod Angeli sint finitæ virtutis, & finiti loci, & quod moueant Cęlos; ex operibus etiam Magorum &c.

Quidam tandem ex nostratibus affirmant motum Angeli non esse Physicum, quia non est naturalis, sed neuter, quod deducũt ex Doct. in 2. d. 2. q. 6. O. sed neque isti satisfaciunt; motus .n. Angeli naturalissimus est, quia est à principio intrinseco existente in Angelo, sicut definitur natura, esse principium motus eius in quo est, accipiendo naturam non pro materia, & forma, quibus Angeli carent, sed pro essentia rei, ex qua res ipsa habet, vt possit moueri, & hæc est doctrina Scoti in 2. d. 2. q. 9. B. dicentis: vbi esse aliquam Angeli perfectionem, sicut intellectio est perfectio potentiæ intellectiuæ; at perfectibile naturaliter mouetur ad suam perfectionem. Et quando Scot. appellat illum motum neutrum, sumit neutralitatem, vt excludit naturalitatem rigorosam, scilicet, inclinationem determinatam ad hoc, vel illud vbi, quod facit, vt si aliquid fit hic naturaliter, fit alibi violenter, vt ipse Doctor se declarat in 1. d. 1. q. 1. in fine, & videbimus infra. Tum tandem quia motus Cęli à multis ponitur neuter, & tamen adhuc spectat ad Physicum, cuius est de omni motu disserere etiam de violento, igitur etiã si motus Angelicus neuter esset, adhuc à physica consideratione excludi non deberet.

Obiectiones.

Amicus multipliciter contra hãc conclusionem arguit, & primò, si Angeli, vt entia mobilia ad Physicum

eum spectarent, iam tolleretur sufficiens ratio distinguendi Physicam à Meth. ex eo quia Physica abstraheret re, & ratione à materia, sicut Meth. nam consideraret Angeli naturam, que re, & ratione à materia abstrahit. R. ex Tromb. negando sequelam, & ratio est, quia etiã motus Angelicus dicit ordinem ad materiam scil. ad magnitudinem, & spatium super quod fit motus, qui in seipso est formaliter extensus, licèt non subiectiuè, & ideo non sequitur, quod substantia Angelica abstrahat à materia re, & ratione, nam vt sic dicit ordinem ad motum, necessariò respicientem spatium materiale; & in tantum Arist. Physicã à Meth. seiunxit, in quantum Angelorum motum non cognouit, quia posuit eos necesse esse, & modò sufficit distinctio, quod Methaphysica ab omni materia abstrahat, tàm singulari, quàm sensibili, & intelligibili, quod non habet Physica; Neque oportet quicquid ad Physicum spectat, materiam intrinsicè includere, sed sufficit, si dicat ordinem ad materiam, & ad aliquid extensum, vt patet de anima rationali, quæ licèt spiritualis sit, ad Physicum tamen attinet propter ordinẽ, quem ad corpus dicit.

Secundò obijcit, si motus Angeli ad Phys. spectaret, sic etiam intellectus, & voluntas Angelica, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, illa enim quæ æqualẽ habent abstractionem à materia, vidẽtur pertinere ad eũdem Artificem, sed æquè abstractus est à materia motus Angeli, ac eius potentiæ, ergo si Philosophus considerat motũ eius, etiam potentias eius intellectuales considerare debebit. Respondet Trombet. negando sequelam, & ad probationem, negat minorem, falsum .n. est motum Angeli esse ità abstractum à materia, sicut eius potentiæ, nam motus eius non potest dici successiuus, & continuus, nisi per habitudinem ad materiam sensibilem, scil. ad spatium, & magnitudinem, at intellectus, & voluntas Angeli nullam habent habitudinem ad materiam sensibilem.

Sed Responsiones ad Tromb. nititur Amicus soluere, ea potissima ratione, quia si huiusmodi ordo ad ad materiam sufficeret ad ponendas substantias spirituales sub obiecto Physicæ, sequeretur, quod intellectus, & Voluntas Angelica, saltem vt sunt principia operationum circa aliquod quantum, & materiale, pertinerent ad Physicum, nam in tali casu, ità intellectio, & volitio dicerent ordinem ad aliquod quantum, & materiale, sicut motus. At benè respondet ad hanc replicã Mast., & Bell. negando paritatem; & ratio est, quia motus localis necessariò in se extenditur per extensionem spatij super quod fit, non autem sic potentiæ, & operationes intellectuales, licèt circa obiecta materialia versentur, sed obiectiuè, tantùm, & terminatiuè operationes illæ extensæ, & materiales in tali casu dici poterunt.

Quartò obijcitur pro Tat., & Boneto, qui asserunt ens naturale, commune ad accid., & substantiam esse subiectum adęquatum in tota Philosophia, Accidens seclusa quocumque

cumque ordine ad subiectum habet in se ipso principium motus, & est naturaliter mutabile, ergo potius poni debet obiectum Philosophiæ ens finitum, quatenus naturale. ℞. admisso etiam accidens habere intrinsecum principium motus, sumendo naturam pro essentia, non potest tamen poni obiectum per se directè in Philosophia, res .n. sic se habet ad esse, sicut ad cognosci; & quia ex Philosopho accidentia non sunt absoluiè entia, sed entis entia, ità in scientia non consideratur nisi per ordinem ad substantiam, cui inhęrent, atque ideò tantùm reductiuè spectant ad obiectum Philosophiæ.

Dices, idem dici posset de anima separata, cum sit ad corpus essentialiter ordinata. ℞. negando paritatem, nam nos hic consideramus etiā statum animæ separatæ, quæ supposita fide, intelligi potest modum habere subsistētis, ideo eius motus potest directè ad Philosophiā spectare, quod non potest euenire de accidente separato citrà miraculū &c.

Quintò obijcitur pro Poncio, quod nec substantia mobilis, nec substantia naturalis, vt sic quatenus comprehendit substantias immateriales, & Angelos est obiectum adęquatū Philosophię, siuè vt traditę ab Arist. siuè secundum se. Probat: quia Angeli non sunt per se considerationis Phy. ergo &c. probat antecedē. quia Angeli secundum omnem rationem sunt considerationis Methaphysicæ, ergo secundum nullam rationem sunt considerationis Physicæ; supposito, quod Physica, & Methaphysica sunt scientiæ distinctæ. Probat antecedens, quia res Mathaphysicæ abstrahunt à materia, non solum singularis, sed etiam Physica; Vnde mobilitas, quam considerat Physica, & à qua Methaphysica discernitur, est mobilitas competens substātijs corporeis, & materialibus, Methaphysica verò agit de motu Angelorum, qui spirituales sunt.

℞. pro Mast. negando antecedens cum sua probatione, vt .n. mobiles sunt ad Physicam spectant, non ad Methaphysicam; ad aliam probationem, quod res Methaphysicæ abstrahunt à materia, non autem res Physicæ, & per hoc Physicā à Methaphysica distingui, non per ordinem ad motum; non loquitur Scoticè, qui nunquam Physicam à Methaphysica per materialitatē, & immaterialitatem discreuit (vt Recētiores faciunt) sed semper per mobilitatem, & immobilitatem, vt Arist. fecit loc. citatis, & 6. Meth. c. 1.

At instat Poncius, quod Arist. negauit in Angelis motum Physicum, qui scil. oritur ex re materiali, i. est corporea, non autem motum Methaphysicum. Vellem ex Poncio scire, quis nam sit hic motus Angeli, quem solus methaphysicus considerat; Arist. omnem motum prorsus, & mobilitatem ab Angelis remouit, posuit .n. eos adeò entia necessaria, vt ne dum motus locales eis negauerit, sed etiam intellectionem posuerit eamdem cum eorum substantia, legat quęso Poncius Doct. Subtilem quol. 15. lit. C., & ità apertè reperiet. Legat Arist. 12. Meth. cap. 4. tex. 43., & inueniet ipsum ponentem secundas intelligentias per se immobiles, sicuti primam, vt ibi

etiam aduertunt D.Thom.Alens.,& Alij expositores communiter; sed quia de facto Arist. in hoc puncto errauit, cum reuera Angeli sint mobiles, non solùm quo ad actus immanentes, sed etiam quo ad transeuntes, de loco ad locum se trãsferentes, & iste motus non spectat ad Methaphysicam, quæ per ipsum, de substantia tantùm immobili agit, hinc iure meritò motum etiam Angelorum ad Physicum pertinere affirmamus. Et in hoc sensu etiam cõcedimus, Angelos non esse à materia omnino abstractos, sed eidem immersos. Tum quia habent in se principiũ motus localis. Tum quia motus eius ordinem dicit ad materiam scil. ad magnitudinem, & spatium super quod fit, vt eruditè docet Tromb.6.Meth.q.2.Scotista genuinus, & fidelis.

ARTICVLVS QVARTVS

De obiecto formali Philosophiæ.

SCotus q.3.Prol.§. *Ex his*, vt ibi Lych.exponit,& veriores Scotistæ, docet quod obiectum materiale scientiæ est illud, quod in sciẽtia consideratur, & dicitur obiectũ materiale, ob indifferentiam, quam habet, vt à diuersis scientijs consideretur, & à Thomistis appellatur ratio formalis Quæ; obiectum verò formale, est ratio illa, sub qua à sciẽtia consideratur, & dicitur modus considerandi, seu ratio qua, & se habet, vt differentia contrahens rem consideratam, per quem modũ vna scientia ab altera distinguitur, quãuis eamdem rem considerent; vt patet de homine, qui vt ens est absolutè, spectat ad Meth. vt ens naturale ad Philosophiam, vt sanabilis ad medicinam, vt dirigibilis in moribus ad moralem &c. ratio entis naturalitas, sanabilitas, & dirigibilitas dicuntur rationes, sub quibus, seu modi quibus homo specificatur, & determinatur ad hanc, vel illam scientiam,& hic est verus sensus huius formalitatis, quicquid Recentiores autument, & est etiam sentẽtia D.Thomæ 22. q. 1. art. 1. vt fatentur, & sequuntur Complut. Subiectum igitur completum, & adæquatum specificans scientiam, ipsãque ab alijs distinguens, non est materiale tantùm, vel tantùm formalem, sed ex vtroque constitutum, nam neque sanabilitas, vt sic constituit medicinam, neque dirigibilitas scientiam moralem, sed homo quatenus sanabilis, quatenus dirigibilis &c. Est tamen hic aduertendum cum Bell.,& Mast. quod ly in quantum nõ se tenet reduplicatiuè, nã tunc facit sensum reduplicatiuũ, quando particula cui additur, est causa, vel conditio, cur prædicatum conueniat subiecto, vt diximus in Logica, modò naturalitas non est causa, cur hoc prædicatum, scil. esse subiectum adæquatum Philosophiæ conueniat corpori, non.n.valet. corpus naturaliter est habens naturam, vel corpus habet naturalitatem, ergo est subiectum Philosophiæ, sed causa est, quia habet omnes conditiones subiecti; quare ly quantum se tenet specificatiuè, vnde homo Vg. qui ad plures scientias pertinere potest, per naturalitatem tantùm, vel dirigibilitatem deter-

determinatur ad Physicam, vel moralem &c.

Conclusio.

Dicimus, naturalitatem dictam à natura, quæ definitur principium motus &c. esse rationem formalem adęquatam secundũ quam obiectũ materiale in Philosophia considerari debeat, itá vt Corpus naturale, quatenus naturale sit obiectum Philosophiæ Peripateticæ; substantia verò finita naturalis, quatenus naturalis Philos. Obiec. in tota sua latitudine. Est Scoti, & probatur faciliter ex aliarum opinionum confutatione; & in primis assignari non potest pro ratione formali adęquata, generabilitas, vt Alij asserunt, nam etiam Philosophia peripatetica est maioris ambitus, & ad corpora incorruptibilia extenditur. Tum quia generabilitas, & corruptibilitas de corpore caduco demonstrari potest à priori, cum tamen scientia suum obiectum præsupponere debeat, tàm quoad materiale, quàm quoad formale.

Neq; potest assignari mobilitas, vt Thomistæ, quia tunc vel sumitur pro passione ipsa mobilitatis, aut pro principio essentiali illius; primo modo statui non potest, quia tũc scientia naturalis non consideraret quidditatem, & essentiam rerum naturalium, sed tantùm accidens, sicut Mathematica, quę in corpore substantiali, solam quantitatẽ considerat; & tamen Philosophia agit de principijs, causis, & elementis rerum naturalium, ex quibus earum affectiones, & proprietates oriuntur, & in hoc à Mathematica distinguitur ex Doct. 6. Meth. q. 1. Tum quia si mobilitas pro passione sumeretur, non erit vtiq; prima ratio in re ipsa naturali, sed aliam necessariò præsupponit, ad quam consequitur, & per quam à priori de re naturali demonstratur, quod opponitur rationi obiecti scientiæ.

Si verò sumatur pro principio essentiali mobilitatis, neq; adhuc benè statuitur pro formali obiecto, & ratione considerandi; quia Philosophia est de essentia rerum naturalium, vt est principium omnium affectionum ipsas naturaliter consequentium, & non quatenus est solum principium radicale motus, nam agit etiam de quantitate, de qualitate, de loco, de tempore, & de alijs accidentibus, res naturales cõsequentibus.

Nec potest rationabiliter assignari sensibilitas, cum Alijs, nam tunc sequeretur, quod Philosophia esset de accidentibus per se, & de substantia solùm per accidens, sicut illa tantùm sunt per se sensibilia, substantia verò solùm per accidens, & tamen Philosophus per se, & directè de substantia agit 6. Meth. c. 1. & de accidentibus tantùm, vt de passionibus, ex 4. Meth. c. 1. ergo non benè assignatur pro obiecto formali sensibilitas in Philosophia Arist., & tantò minus in Philosophia secundum se, cum hæc etiam insensibilia consideret, substantias scilicet spirituales.

Solùm igitur remanet, vt naturalitas rectè assignetur pro formali ratione considerandi obiectum materiale Philosophiæ, tam secundum se, quàm secundum Aristotelis Philosophiam, Sic n. faciendo, non possimus

nimus obiectū formale respectu vnius solummodo passionis, scil. motus, vt Thomistæ faciunt, vel sensibilitatis, & generabilitatis, vt Alij; sed adæquatè respectu omnium affectionum naturalium, cum .n. Philosophia sibi proponit considerandum corpus naturale, vt naturale est, illud sibi proponit contemplandum, vt principium omnium naturalium affectionum, inter quas reperiuntur quantitas, & qualitas, motu longè nobiliores. Tum quia ratio formalis est illa, qua posita, res ponitur, & qua ablata, aufertur, quocumq; alio remanente; sed posita naturalitate in rebus, quocumq; alio ablato, remanet scientia Physica, & ipsa ablata, & alio quocunq; posito, aufertur talis scientia; & si maneret mobilitas, sensibilitas, & qualibet alia passio, ablata substantia naturali, non esset eadem scientia, quæ nunc est, quia non esset de substantia, sed de accidente. Tum quia Philosophia dicitur scientia naturalis à corpore naturali, vel à re naturali, quam considerat, & ideò ex hoc rationabiliter nomen obiecti formalis sibi vendicat.

Obiectiones.

Auersa q. 2. de obiecto Philosophiæ sec. 4. negat necessariam esse aliquam rationem peculiarem obiectiuam, que obiectum formale dicatur, & ità primò contra nostram conclusionē arguit: *Natura* 2. Phys. definita, propriè, & per se significata est principium radicale, & essentiale motus, & mutabilitatis, quoniam definitur principium motus, ergo sicut malè assignant obiectum formale, qui statuunt mobilitatem sumptam pro principio radicali talis passionis, quia Physica non considerat res naturales tantùm secundum rationem motus, & mobilitatis, sed etiam secundum alias affectiones, & prædicata, & ipsam essentiam rerum naturalium, vt adæquatum principium omnium Physicarum affectionum; ità malè loquūtur, qui assignant naturalitatem, eadē ratione, cum hæc sit principium motus. ℞. neg. consequentiam, nam naturalitas adęquatè non tantùm significat principium motus, sed aliarum etiam passionum res naturales consequentium, & ideò natura definitur quod sit principiū motus, & quietis, vbi sub nomine quietis, intelliguntur omnes aliæ Physicæ affectiones; mobilitas verò radicalis significat tantùm principium, & radicem motus.

At instat adhuc Auersa: Admittamus naturalitatem insinuare etiā principium quarumcunq; passionū, que ex corporis essentia consequūtur, non ideò rectè assignatur pro ratione formali adęquata in Philosophia; & ratio est, quia scientia totalis, & perfecta suum obiectum considerare debet, non solùm quātùm ad passiones consequentes, sed etiam absolutè quantum ad principia, & causas ex quibus ipsū obiectum dependet, sed hæc omnia non exprimit cōceptus naturę, ergo &c. ℞. neg. sequelam, & ad probationē neg. min., nam Philosophia considerando rerum naturalitatem, considerat etiam essentialia earum, ex quibus affectiones dimanant; Vndè in compositis materialibus conside-

rat

rat materiam, & formam, & causas intrinsecas; & quia 7. & 8. Phys. ōne quod mouetur, ab alio mouetur, ideoq; causam efficientem etiam considerat; & tandem quia natura agit propter finem ex 2. Phys. ideò de causa finali quoq; in Philosophia agitur. Et falsum est, quod ait Auersa, substantiam corpoream non considerari in Physica secundū omnes rationes, quibus considerari potest, ideoq; rationem determinātem non admittere; falsum inquam est, substantia .n. corporea (vt omnibus patet) considerari potest secundum rationes transcendentales, scilicet, vt ens, vt bona &c. in quo sensu non consideratur à Physico. Est etiam commune obiectum materiale Physicæ, & Mathem., quę inter se solùm secernuntur per diuersas rationes formales obiectiuas cōsiderandi idem obiectū, quia Phys. illud considerat, vt habet naturalitatem, Mathematica verò quatenus habet in se quantitatem commensurabilem &c.

Tertiò Obijcitur, Physica ab alijs scientijs non distinguitur per rationem naturalitatis, ergo non est ratio formalis obiectiua, cuius peculiare munus est vnam scientiam ab alia distinguere, probatur anteced. tum quia natura vt est principium motus, consideratur à Meth., & eam Arist. definiuit 5. Meth. tex. 5 Tum quia Astrologia agit etiam de corpore naturali, quatenus in se principium motus habet, ex x. Meth. tex. 4. Vnde Astrol. cōsiderat figurā, motum, situm, & ordinem corporum cęlestium. ℞. neg. assumptum, & ad primam probationem, dicimus Meth. considerare naturam, nō vt rationem formalem obiectiuam, sed potius vt eam probet, ad Meth. .n. spectat probare principia omniū scientiarum, contra negantes ea: potest etiam dici, quod naturam considerat quasi per accid. & indirectè, quatenus considerando causas entis, vt sic, necessariò explicat naturam, quę rationem causæ habet; licèt .n. natura vt principium passiuum est, ad Physicum solùm spectet, cuius est considerare mouētia mota, tamē quaten⁹ actiuū, attinet etiam ad Meth. ad alteram probationem de Astrologia, dicimus, alia ratione agere Physicum de corpore naturali, scilicet Cælesti, alia ratione Astrologum, nam hic contemplatur situm, & figuram eius; Ille verò essentiam, & naturam, & accidentia sensibilia, quę ab illa natura dimanant; Physicus considerat motum Cęli, prout est actus entis in potentia, & eius sunt tria principia, scil. materia, forma, & priuatio, quę etiam suo modo in cælo reperiuntur; Astrologus verò eum considerat secundum rationes Mathematicas, scilicet, numerum, æqualitatem, mensuram, propinquitatem, & alia attributa. Ità etiā sentiunt P. Moranda, P. Sarsale, cū mult. Dot. Cler. Regul.

Quartò Obijcitur, Arist. distinxit Physicam, à Meth. per ordinem ad motum ex dictis, ergo potius mobilitas erit ratio formalis obiectiua. ℞. neg. cōseq. nam Arist. Phys. à Meth. distinxit per mobilitatem à posteriori, vt benè aduertunt Canonicus 1. Phys. q. 1. Bell., & Mastr. q. proem. ad vniuersam Philosoph. à art. 3.

art. 3. at à priori distinguntur per naturalitatem.

Magist. Raphael Bonherba, qui ex Ægidiano propugnaculo, nititur D. Thom. cum Scoto concordare, ex Ægidio 1. Meth. q. 5. ità distinguit; Datur duplex ratio materialis, & vtraq; principalis, sed vna principalis prima, & per se; Altera principalis 2. & ex consequenti. Prima est corpus, & hoc probant Scoti argumenta, secunda est ens mobile, quatenus scil. ratio entis ità clauditur in corpore, vt omne corpus sit ens, & post rationem corporis, sola ratio entis potest participare rationem mobilitatis. Deindè soluit argumenta Thōharū, quod intelligi debent de obiecto materiali secundario, & ex consequenti, quod Scotistæ non possunt negare, nam omne corpus est ens, Scotist. argumenta non soluit, sed solùm ait, quod eorum argumenta concludunt de obiecto principali primo.

Equidem negare non possum iudicium huius Auctoris satis ingeniosum, & industrium esse, sed addubito, ne dum vtriusq; scholæ Angelicæ, & Subtilis Alumnos pacare conetur, vtriusq; etiam gladios contra se acuere nitatur; ego gladium non accipiam, quia vt ipse placidissimus, & lepidus sum, & summę pacis amator, & cultor; Tum etiam quia vt reuera subtilissimus satis subtilium scholæ fauere videtur; solùm dicam, quod si argumenta Thomistarum, quibus probant, ens mobile esse obiectum in Philosophia, bene saluantur per hoc, quod intelligenda sunt de obiecto materiali ex consequenti, quatenus scilicet, omne corpus includit ens, eadem ratione Thomistæ asserere cogūtur obiectum materiale esse substantiam mobilem, quia non minus substātia, quàm ens sunt de conceptu quidditatiuo, & essentia corporis. At quomodo acquiescent hic Thomistę illi, qui extendunt obiectum Philosophiæ etiam ad accid. &c. Quod deinde non soluat Scoti argumenta habemus gratiam, sed nescio quo modo opinio Ægidij de corpore mobili constans permanebit, semper .n. ly mobile in schola subtiliū scrupulum intulit, vt in conceptu obiecti naturalis scientiæ ingrediatur, tàm quo ad materiale, quàm quo ad formale, cum mobilitas sit passio de subiecto à priori demonstrabilis; quod si ad radicem mobilitatis recurrit, vrgent contra ipsum allata argumenta contra Thōtas, quod scilicet obiectum in scientia naturali esse debet radix, & principium non solùm motus, sed etiam quantitatis, qualitatis, & omnium affectionum naturalium, quod magis explicatur per ly naturale, quàm per radicem motus. Tum quia obiectum debet esse vniuocum, at corpus mobile facit sensum æquiuocū, cum sumi possit pro motu tam accidentali, quàm pro passione, ac etiā pro radice motus, que est naturalitas, vt Tolet. arguebat, & hæc de Philosophiæ obiecto sufficiant, nam res inualuit pro Scoto, vt omnibus palàm est, & totus torrens Neuthericorum eum sequitur.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS

An Philosophia sit scientia, vbi aliqua dubia breuiter resoluuntur.

SCot.in 1.d.3.q.4.lit.I.docet, q̄ vt de aliquo obiecto habeatur sciētia, nō requiritur necessitas, & incorruptibilitas ipsius, nam in hoc sensu solus Deus esset obiectum scibile; sed sufficere necessariam connexionem alicuius prædicati cum ipso subiecto in intellectu de illo enunciationem componente; & ratio est, quia scientia est de complexis, non de incomplexis, Atq; ideò exigitur ad ipsam necessitas propositionum, cum ab intellectu formantur, non autem terminorum in seipsis. Requiritur etiam, quod sit causata per discursum syllogisticū, scientia.n.non est cuiuslibet rei cognitio, sed cognitio rei discursiua, & illatiua per causam, & quia in illatione potest intellectus errare, idcircò requiritur, vt sit per demonstrationem &c. & aliæ conditiones requiruntur, quę in logica lib. post.art.1.de scientia videri possunt.

Conclusio.

Dicimus, Philosophiam esse verè, & propriè scientiam. Est Scoti, & communis apud Peripateticos, & Arist.docuit 4. Meth. tex 43. contra Heraclitum, & Cratillum, & 1.Cęli dicitur scientia de natura, & 2.Meth. dicitur scientia veritatis, & 6.Meth. inter scientias speculatiuas enumerat. Prob.ratione: de rebus naturalibus scimus causas, propter quas sūt, ergo de rebus naturalibus datur scientia; patet sequela, tunc .n.scimus, cum causas, propter quas res est, cognoscimus ex 1. post c. 2. Anteced. prob. nam res naturales habent causas necessarias suarum proprietatum, sunt .n. mobiles, quia habent naturam, que est principium motus; sunt corruptibiles, quia constant ex materia, & forma, & ex contrarijs elementis; corpus est diuisibile, quia est continuum &c.

Dices, corruptio, motus, transmutatio, tollit potius scientię necessitatem, quæ esse debet de immutabilibus, ergo &c. Resp. negando anteced.scire.n.corruptibilitatem, & mobilitatem per causas necessarias, est verè scire causā, & ꝓpter q̄d; atq; ideo de corruptibilitate & mobilitate rerum in Physica habetur scientia necessaria, patet anteced. nam tantæ necessitatis est, quę constant ex materia, & forma corruptibilia esse, quantæ necessitatis est entia separata esse incorruptibilia. Tum quia in Physica sunt demonstrationes tàm à priori, & per causam, quàm à post. & per effectum, ergo est scientia, cōseq. patet, nam scientia est effectus demonstrationis, ex 1. Phys. c.2.anteced.prob. nam hę sunt demonstrationes ab effectu; motus est, ergo natura est; composita sunt, ergo & principia sunt; mixta corrumpuntur, ergo Elementis contrarijs constant. Hę sūt à priori, & per causam, corpus naturale est, ergo motus est; materia in sublunaribus, ergo generatio, & corruptio; sunt viuentia naturalia, ergo opera vitæ, vegetare, sentire, intelligere &c.

Obiectiones.

Obijcies 1. sciētia est habitus certus, & necessarius, sed Physica non est huiusmodi, ergo &c. prob. min. nam Phys. considerat mixta corruptibilia,

tibilia, & generabilia, Eclypsim solis, & lunę, quę semper non sunt ergo &c. Responsio patet ex dictis, sufficit .n. ad scientiam, necessaria connexio prædicati cum subiecto, licèt in existentia singulari corrumpantur; vel sufficit, quod habeant connexionē in quidditate specifica, non indiuiduali; Eclypsis autem solis, & lunæ habent causas necessarias, & determinatas in suis speciebus.

Ob. 2. Tota Physica est in opinione, ergo non parit scientiam. ℞. neg. sequelam, nam in opinionibus omninò oppositis, non datur medium, sed semper necessariò vna est vera; vel Anteced. est verum quo ad nos, non de Phys. in se scibili, quę demõstrat passiones de proprio subiecto, sicut quęlibet alia scientia.

Ob. 3. scientia abstrahit à materia, & tempore, at res Physicæ sunt in materia, & sub tempore, ergo &c. ℞. Phys. considerare prędicata necessaria, que insunt mateiiæ, & formę. vel quo ad prædicata absoluta, libera sunt à loco, tempore, & corruptibilitate, & in singularibus solùm corrumpuntur; vel quod si res in motu, & fluxu sunt, quò ad propositiones tamen necessarias, stabiles sunt.

Ob. 4. primi Philosophi non scire, sed nihil se scire dicebant, ergo &c. ℞. nihil dicebant se scire respectu omnium scibilium; vel nihil de Deo; vel dubitantes se scire, iam dubitare sciebant.

Dubium de Vnitate huius scientiæ.

Hoc dubium solutum remanet ex dictis in Logica disp. de scientia, vbi ex Scoto in primo d. 3. q. 6. & in 3. d. 25. q. 2. in fine determinauimus, vnitatem extrinsecam, & obiectiuam, ex vnitate obiecti desumi; vnde in proposito, sicut obiectum in Philosophia Arist. est corpus naturale, & in Philosophia secundum se, substantia finita, vnum sunt, vnitate tantum generica, & potentiali, non autē specifica, quia ea, quę in Philosophia considerantur, vt partes subiectiuæ, specie differunt, vt Cęlū ab elementis, & hæc à mixtis, & animatis, ità etiam Philosophia naturalis eadem vnitate vna erit; & ratio est, quia vt Scot. docet loc. cit. in 3. quando considerata in scientia differunt specie, vt in casu, assignari nequit, nisi commune prædicatum, quod habet rationem generis, in quo conueniunt, illud .n. commune solùm potentialiter continet illos habitus in scientia contentos, sicut potentialiter continet obiecta eorum, à quibus abstrahitur, non autem virtualiter, & est communis sententia Scotistarum, & sequitur Zabar. cum alijs. Perfecta decisio huius dubij patet in Logica, art. de vnitate scientiæ totalis, vbi conclusimus, sciām quamlibet totalem, esse vnam non aggregatione, aut vnione per se Physica, sed artificiali, quę tamen non appellanda est vnitas specifica, sed potius generica cum Doctore 6. Meth. q. 1.

Dubium de Qualitate, An scilicet sit speculatiua.

Et ℞. cum communi, Philosophiam esse scientiam simpliciter speculatiuam, Vnde Philosophus 6. Meth. inter scientias speculatiuas eam recenset, quæ decisio pendet etiam ex Logica, & assignato discrimine inter speculatiuam, & practicam cū Arist.

2. Me-

2.Meth.tex.3. vbi ait finem speculatiuæ esse veritatẽ, & cõtẽplationem, Practicæ verò opus, & praxim; at sit est quod omnes habitus Philosophiæ in sola speculatione obiecti sistunt, neq; regulas, & præcepta operandi tradendo, in praxim dirigunt, sed tota est de corpore, aut substantia naturali, sub ratione merè speculabili, vt V.g. corpus naturale est mobile, ignis est calefactiuus &c.nec vberius progreditur ex natura sua, licèt aliquando per accid. possit aliò referri, scil. ad lucrum, ad honores, aliosq. fines operabiles, ergo &c.

Dices Medicina est scientia practica, & tamen est pars Philosophiæ naturalis, ex Arist. libello de sanit. & morbo, sicut etiam magia naturalis, & alchimia, ergo Philosophia naturalis est scientia practica. Rnt cum Masio Aliqui Medici, quod duplex est medicina, Theorica, & practica; Theorica est illa, quæ versatur in cognitione herbarum, & morborum, & considerat naturas temperamentorũ, & qualitatum sensibilium, & in hoc sensu est scientia speculatiua, & pars, Philosophiæ naturalis: practica est illa, quę tradit præcepta medendi, & applicat virtutes medicamentorum ad morbos, & sic est practica, quia finis eius est operatio sanitatis.

Sed licèt hanc etiam distinctionem admittant D. Thom. opusc.70.q.5.art.1.& Scot.q.4.Prolog.totam tamen medicinam faciunt simpliciter practicam, quia finis totalis, quem sibi præfigit, est operatio sanitatis per varia, & diuersa medicamenta; Vnde Angel. Doct. ait: *non oportet, vt si alicuius actiuæ scientiæ aliqua pars dicatur Theorica, quod propter hoc illa pars, speculatiua scientia ponatur*. Et instantia est, quia etiam scientia moralis est simpliciter practica, estò aliqua obiecta speculatiuo modo, definiendo, & diuidendo consideret, quia illa considerat in ordine ad finem suum intrinsecum, scil. ad operationem, qua ratione Arist. 2. Eth. c. 2. ait: *non quæritur quid sit virtus, vt in eius cognitione sistamus, sed vt efficiamur boni*. Hinc ad argum.neg. quod medicina sit pars Philosophiæ naturalis, non .n. obiectum medicinæ est ens naturale, vel corpus naturale sanabile à natura, vel quod naturaliter possit moueri ad sanitatẽ, sed pro vt sanabile ab arte; neq; id Arist.loc.cit. asseruit, sed solùm docuit terminos vtriusq. proximos esse, quatenùs vbi definit Physicus, ibi incipit medicus, ideoq. medicina subalterna a Philosophiæ dicitur, & idẽ dicimus de alchimia, & magia naturali, non .n. sunt partes Philosophiæ naturalis, & speculatiuæ; & ratio est, quia obiectũ earũ est aliquod mobile per artem, nam obiectum alchimiæ est metallum per artem transmutabile, Magiæ naturalis est ens naturale applicabile ad effectus admirabiles per artes, & consequenter habet pro obiecto aliquod, quod habet principium motus, non in se ipso, sed in artifice extrinseco.

Ex hac doctrina tamen benè conuincuntur illi, qui Logicam, scientiam practicam faciunt, ex eo quia circa regulas, & efformationem syllogismi versatur; quamuis.n.hoc verum sit, attamen quia finis eius non est in talibus regulis, vel efformatione sistere, sed adhuc ad veritatem, & scibilitatem omnia dirigit, hinc ra-

tionabiliter tota speculatiua censeri debet, iuxta illud Arist. 3. Meth. c. 2. finis speculatiuæ est veritas, practicæ verò est opus. Que verba comment. exponens, ait: per speculatiuam scimus, vt sciamus, per practicam verò sumus scientes, vt operemur, quia practicæ finis est opus. videatur in Logica quæst. proem. art. 8. fol. 156.

Dubitatur An sit subalternata Methaphysicæ.

Decisio huius dubij pendet ex varia acceptione subalternationis, & perfecta resolutio pendet etiam ex Logica art. de natura scientiæ subalternatæ; diximus. n. ibi, quod loquendo de subalternata rigorosè accepta, tres conditiones requiruntur, prima quod habeat pro obiecto speciem aliquam, siue partem subiecti scientiæ subalternantis; 2. vt addat conditionē aliquam accidentalem sibi propriam; 3. vt assumat præmissas probatas, & demonstratas in scientia subalternante; Hinc licèt ratione primæ conditionis possit Physica dici subalternata Meth quatenus corpus naturale, vel substantia finita naturalis continetur sub ente; 2. tamen conditio deficit, quia naturalitas addita corpori, vel substantiæ finitæ est differentia essentialis, non accidentalis; Neq. 3. adest, licèt. n. Meth. probet principia cōmunia omnibus sciētijs, per reductionem ad impossibile, qua ratione aliæ scientię ei subalternantur, ex Arist. 4. Meth. tex. 7. & 1. Phys. tex. 8. Physica tamen habet sua propria principia (quibus intellect statim assentitur) veluti per se notis, & euidentibus in ipsa Physica sine recursu ad Meth. neq. illa probatio Meth. quoad omnes alias scientias inducit propriam, & rigorosam rationem subalternantis. Quam Doctrinam ex PP. CC. Reg. sequuntur Pasqual. & Moranda in Logica.

De Philosophiæ Inuentoribus.

Primus Auctor Philosophiæ fuit Deus, quā in creatione indidit Adę, traditione deinde ad posteros peruenit. Noe docuit Armenos, à quibus peruenit deinde ad Abrahā, Ioseph, Moysen &c. deinde antiqui illi Patriarchæ peregrinantes in Ægipto, Ægiptios docuerunt, ad quos Græci discendi causa peruenerunt, vt Diogenes refert lib. 7. hinc scientia originem traxit ab Hebreis, & Caldeis, vt referunt Iosephus 1. lib. contra Appion. & Eusebius lib. x. de præparat. Euangelica. Græci tamen sibi inuentionem Philosophiæ arrogarunt, testantur. n. Dialecticam à Zenone ortum duxisse, à Platone verò perfectionem, moralem à Socrate, naturalem à Thalete primo septem sapientium, vt Arist. refert. 1. Meth. c. 4. auctā verò à Pythagora ibidem cap. 5. fuit igitur duplex genus Philosophorum, Alterum Ionicum, & habuit originem à Thalete Milesio. Alterum, Italicum, & originem habuit à Pythagora, qui Samum Patriam (à qua Samus dictus est) à Tyramno Polycrate videns occupatam, Crotonem in Italiam petijt, in ea ipsius parte, que calabria modò dicitur, Cuius Metropolis est Catāzarium Vrbs Amplissima, Nobilis, ac Fidelissima, ingeniorum ferax, olim verò magna Græcia appellabatur. à Thalete deriuati sunt Philosophi Anaximāder, Anassagoras, & Socrates; habuit autē Socrates discipulos, Platonem, & Antisthenem, & hic fuit caput Philoso-

losophorum, qui dicti sunt Stoici, Zeno .n. Chrisippus, & Alij ab hoc originem doctrinæ sumunt, dicuntur autem Stoici, quia Zeno docebat in porticu, ston. enim porticum significat.

Plato autem fuit caput Academicorum, qui Academici dicti sunt ab Academia loco, quo Plato docebat, & huius fuerunt discipuli Zenocrates, & Arist. ille retinuit nomen Academicum, Arist. verò docuit in lyceo, & quia deambulans docebat, discipuli dicti sunt Peripatetici, & ità tres sectæ Philosophorum à Thalete fluxerunt, scilicet, Stoici, Academici, & Peripatetici; à Pythagora verò originē sūpserūt Xenophanes, Parmenides, Xenocrates, Leucippus, & Epicurus, & ab hoc dicti sunt Epicurei. Sunt igitur quatuor Philosophorum sectę non solùm nominibus, sed etiam sententijs, & opinionibus, omnes tamen à Græcis originem ducunt.

Verum tamen est, quod & si plures ante Arist. sapientia floruerunt, iste tamen primus fuit, qui scientia mirabili; sua, & aliorum studia ad certam Methodum, ac magis rationabilem reduxit, nulla .n. pars ad Cęlum, ad mare, ad terram, ad principia, ad mixta, ad Viuentia pertinentes fuit ab eo prætermissa; Vnde Magnus ille Alexāder Orbis terræ Monarcha, ab eo præcepta viuendi, & eloquendi accepit. Alię classes minus eruditę ostenduntur: Epicurei voluptatibus traditi, brutis nō absimiles sunt: Stoici non sapientes, sed potius honesti vocandi sunt: Zeno eorum Princeps, negauit motum. Platonici longè omnibus sapientia florentes, de rebus tamen fluctuantes, & vagam sententiam habentes, negarunt aliquid de nouo percipi posse. Melius ergo inter omnes Arist. processit, qui quoad potuit, rerum naturas inuestigauit, fęlicitatem in rerum contemplatione sibi constituit, & ità in disciplinarum studijs assiduus, vt nocturnis laboribus (vt fertur) ænea pila in manu vteretur, vt si fatigatus vigilia, somnum arriperet, strepitu cadentis pilę expergefactus, denuò iugum studij subiret.

Egit primò de corpore naturali in genere, & in specie; De corpore naturali in genere octo lib. Physic. composuit: deinde de prima specie, quę est corpus simplex, ingenerabile, & incorruptibile, 4. lib. de Cælo edidit: posteà de mixtis imperfectis, quę in sublimi aeris generantur, 4. lib. Metheororum cōposuit: de mixto generabili, & corruptibili perfecto duos lib. de generat. composuit: & tandem de Anima lib. tres. & de consequentibus, & concomitantibus vitam, parua naturalia &c.

Dices, in multis Arist. errauit; Re. satis pro Arist. si minus quàm cæteri, sed hæc satis, non .n. nostrum institutum est, hæc quę parui momenti sūt vltra protrahere.

ARTICVLVS SEXTVS.

De Introductione ad Octo libros Physicorum.

INscriptio horum librorū est Physices, vox Physis, naturam sonat, & Physica idem est, ac natura, ideò appellantur lib. Physicorum, quia de his, quę ad naturam, & res naturales in

les in communi spectant, inquirunt. Intitulatur de Physico auditu, duo.n. operum genera Arist.edidit, quędam communia, facilia, & modo vulgari conscripta, exterica vocata, quibus hora vespertina operam dabat, alia acromatica, subtilia, & difficilia, singularem doctrinam continentia.

Prioris generis erant Poetica, Rhetorica, & Historica animalium; posterioris, Logica, Physica, Meth. & has docebat matutinis horis, ad cōtemplandum aptioribus; quia igitur Physica ex illis est, que à Magistris enarrari, & à discipulis diligenter audiri debent, meritò de Physico auditu, seu auscultatione inscribuntur.

Congruus ordo est, vt à lib.Phys. incipiamus, hic.n.principia communia corporis naturalis tradūtur; Ordo autem doctrinæ est, vt ab vniuersalioribus, & communioribus, & quę notiora sunt, cum omnibus insint, procedamus, veluti sunt principia, causæ, motus, locus, tempus &c. de quibus in his libris agitur.

Dices, notiores sunt effectus, ergo à compositis prius agendum est; R.effectus notiores esse quia ipsi sunt, nō quid sunt, & ordine doctrinæ effectus præcedunt in prima inuentione, non in doctrina inuenta ab Arist.nos autē procedimus post inuētionem, & cognitione distincta.

Vrgebis adhùc, si à communioribus inchoandū est, ergo prius à Meth. quę tradit communia, ex qua aliæ scientiæ sumunt principia; R. neg.sequelam, nam Meth.tradit communia per abstractionem, & cōceptus obiectiuos. Tum quia magis abstractæ, & à sensibus remotæ sunt difficiliores, atq; ideò quando essent priores ordine naturæ, non ordine doctrinæ. Tùm quia si probat principia aliarū scientiarum, iam supponit illa, ergo &c.

Physica igitur, quam incipimus, distincta est in octo lib. de principijs corporis naturalis, quę sunt materia, forma, & priuatio, & est lib.primus 2. est de natura, & causis 3. de prima passione, que est motus, & de infinito, quod si esset, prima passio esset 4. de alijs passionibus, loco, vacuo, & tempore 5. de speciebus, & partibus subiectiuis motus 6. de partibus integrantibus motum, & an sint diuisibiles, vel non. 7. de comparatione motus ad mouentia, & mobilia.8.de primo motu, primo Motore, & primo mobili. Hic quæri solet quęnam sit subiectum horum librorum.

Cuius decisio pendent à Logica, art. de subiecto scientiæ, vbi discrimen assignauimus inter subiectū virtualis continentiæ, & subiectum cōtinentiæ potentialis, idcircò vt consequenter loquamur, dicimus hic cum Scoto q. 3. Vniuersalium, & latinis ferè omnibus, corpus naturale simpliciter, & secundum continentiam virtualem, esse obiectum adæquatum in octo lib.Phys.& ità explicatur, & probatur: dupliciter corpus naturale considerari potest, vno modo simpliciter, & in genere, & quasi abstractum à suis partibus subiectiuis, quatenus, scilicet, dicit principia ipsius, vt sic, & passiones ipsum formaliter consequentes, quarum notitiam producere potest per suam formalem rationem adęquatè, & secundum quod ipsum, veluti sunt mobilitas, locabilitas, diuisibilitas, &c.

Altero

Altero modo considerari potest non tantùm quoàd hæc principia, & passiones suorum inferiorum; in primo sensu supponit simpliciter, nimirum pro solo conceptu communi corporis. In 2. sensu supponit absolutè .s. pro corpore in tota sua latitudine, pro conceptu nimirum corporis, & eius speciebus; quia igitur corpus naturale est obiectum adæquatum in tota Philosophia naturali, necesse est, vt in ipsa consideretur non solùm secundum rationem specificam, sed etiam secundum rationem genericã; in p̃sẽti verò cõsideratur ratio generica ab imperfectionibus præcisa, & ẽput supponit simpliciter vt de se patet. Tum quia subiectũ est id, cuius principia, & passiones explicantur in scientia, ex primo post 25. sed in his octo lib. explicantur principia, & passiones corporis naturalis simpliciter, nam in primis duobus lib. explicantur principia, in primo principia in fieri, seu mutationis, cui corpus naturale subijcitur, nam vt infra patebit, Philosophus non tantùm explicat ibi principia generationis substantialis, sed etiã accidentalis, cuius subiectum est corpus naturale. In 2. verò agitur de principijs in facto esse, quia agitur de natura quę est principium constituens essentialiter corpus naturale ex tali esse, & de causis ad eius constitutionem concurrentibus; in reliquis tandem lib. agitur de eius affectionibus, ipsum formaliter consequentibus, vt sunt mobilitas, locabilitas, & cęteræ eius passiones; hinc corpus naturale erit adęquatum obiectũ huius lib. & quidem virtualis continentiæ tantùm, non simul virtualis, & potentialis, hic, n. consideratur natura corporis naturalis, solùm in ordine ad passiones, ipsã formaliter consequentes, quarum ipsa est adæquatum principium in essendo, & cognoscendo, non autem est in ordine ad passiones inferiorum, quarum non est adæquatum principium, nec in essendo, nec in cognoscendo.

Dices, idem non potest esse subiectum totius, & partis, sed corpus naturale est subiectum adequatum totius Philosophiæ, ergo non potest esse subiectum horum librorum, aliter pars adæquaretur toti, & totum parti. Nec Respõdere valet (ait Vicomerc.) maiorem valere de eodem subiecto, & eodem modo accepto, hic autem non eodem modo accipitur corpus naturale, nam ponitur subiectum totius Philosophiæ, vt supponit absolutè, scilicet, tam pro se, quàm pro suis speciebus, seu vt subiectum virtualis, & potentialis continentiæ simul, ponitur verò subiectũ partis, vt supponit simpliciter, & vt subiectum virtualis continentiæ tantùm, (non valet inquit) quia in 8. Phys. agitur de motu æterno Cęli, qui non est passio corporis naturalis in communi, sed tantum Cęli, quod est inferius ad ipsum corpus naturale, ergo eodem modo erit subiec. hic, & in tota Philosophia, & consequenter pars adæquabitur toti.

Scio Aliquos Scotist. ob hanc instantiam, concedere corpus naturale in octo lib. Phys. esse subiectum tã virtualis, quàm potentialis continẽtiæ, & hanc fuisse Doctoris mentem, q. 3. cit. in respon. ad secundum in 2. responsione, negant tamen adhuc eodem modo fore subiectum hic, & in

tota

tota Philosophia, quia & si hic sit quoq. subiec. virtualis, & potentialis continentiæ simul, adhuc tamen differunt, quia estò hic supponat etiam pro aliquo inferiori, tamen in tota Philosophia supponit pro omnibus, & ità ibi est subiec. virtualis, & potentialis continentiæ simul, in tota sua latitudine, non autem hic.

Sed licèt hæc Respond. sustineri possit, nulla tamen necessitas cogit, vt à communi discedamus, vt benè hic Mastr. & Bell. aduertunt, & ad auctoritatem ex 8. Phys. ℞. communiter, Arist. ibi loqui vtiq. de motu æterno, & de motu Cęli, sed vt æternitatem motus in communi demonstraret, & solus Auerroes ait de motu Cęli fuisse Arist. locutum, & de eodem æternitatem demonstrasse; fatetur tamen ipsemet Auerroes hoc factum fuisse in gratiam motus in communi quatenus, scilicet, ex æternitate Cęlestis motus, æternitas etiam motus in genere deduceretur, quod etiam manifestis Philosophi verbis colligitur, nam in 8. Phys. de æternitate motus in cõmuni se locuturum protestatur, scilicet, de illo motu agere, qui est veluti vita quędam, quæ inest omnibus natura constantibus, motus autem Cęli non est huiusmodi, non .n. inest omnibus rebus naturalibus, sed ipsi Cęlo tantùm, & ad Scotum Dicunt citati Doctores secundam Respon. non esse diuersam à prima sed potius prioris declaratoriam, si .n. in secunda Respon. intelligeret de subiec. virtualis continentiæ, & potentialis simul, iam concederet Doct. syllog. in lib. priorum esse subiectum virtualis, & potentialis cõtinentiæ simul, quod ipse Doct. non admisit. Et hæc est germana, & cõstans sententia latinorũ, D. Thom. Scot. Alber. Ægid. Zabar. &c. contra Græcos, qui volebant subiec. horum lib. esse principia, & passiones, quæ sunt omnibus corporibus Physicis communia, quod falsum videtur, quoniam omnia hæc non habent illam vnitatem, quæ in obiecto desideratur, & ideò potius id, cuius sunt principia, & passiones poni debet subiectum, cum in gratiam eius considerentur.

IN LIBRVM PRIMVM
PHYSICORVM
BREVIS DIGRESSIO
TEXTVS.
In quo de Principijs in fieri rerum naturalium agitur.

CAPVT PRIMVM,

à tex.1.vsq.ad sextum.

Quoniam cognoscere, ac scire contingit &c.

ARist. in 1. cap. quod veluti proemium est totius Philosophiæ, duo principaliter facit, in 1. tex. ponit suum intentum, & institutum, in secundo docet viam, & methodum attingendi suũ intentum, & hoc probat in sequentibus textibus. ait igitur suum intẽtum esse agere de principijs, causis, & elementis rerum naturalium, & quidem rationabiliter, quod ità probat: In scientia, cuius sunt principia, causæ, & elementa ex his progredi oportet, sed Philosophia naturalis est scientia, ergo ab his incipi debet. Probat maiorem, prius de illis agendum est, quorum cognitione, alia sunt cognita, sed ex notitia causarum nota fiunt causata, & principiata, ergo prius de principijs agendum est, vel ma. probat ex communi omnium æstimatione, omnes .n. tunc vnumquodq. cognoscere arbitrantur, cum principia, & causas, vsq. ad elementa inclusiuè cognoscunt. Deinde tex.2. aperit methodum inueniendi principia, & est methodus resolutiua, siuè per demõstrationem à poster. quia procedit à compositis, & principiatis, ad principia componentia, quod sic probat: In quacumq. inquisitione procedere debemus ex notis nobis, ad manifestiora natura, quia talis via est nobis insita à natura, sed confusa magis (.i. composita, quæ dicuntur magis confusa, quia plura essentialiter, & actualiter continent) sunt nobis notiora, ergo à magis confusis, siuè vniuersalibus ad singularia procedere oportet: Vndè in istis 4. textibus vnicus syllogis. continetur, in secundo ma-

do maior, id 3. min. & in 4. concl. in tex. 5. probat min. tripliciter, primò quia totum integrale sensibile notius est suis partibus, prius .n. cognoscimus domum, quam partes; 2. definitum, vt per nomen confusè est impor tatum, notius nobis est, quàm definitio, ità se habet cōpositum ad suas partes, 3. ea sunt nobis primò nota, quæ pueri instinctu naturæ prius apprehendunt, tale autem est Vniuersale, vel compositum. quia primò appellant omnes homines Patres, & omnes fæminas matres, quod inde euenit, quia prius apprehendunt illud singulare hominis confusè, quàm apprehendant eius partes, quæ sunt aliquę conditiones indiuiduantes, vt talis facies, talis color, &c. si primò illas partes attingerent, cognoscerēt vtiq; illud singulare hominis, quod est Pater, esse à quocunq. alio distinctum.

Est hic adnot. ex Scot. in primo, d. 3. q. 2. lit. O. quod per ly Vniuersalibus Philos. intellexit compositum, & totum essentiale; & per ly singularia, intellexit principia, hinc sicut duplex est totum, aliud potentiale, vt superius; Aliud essentiale, vt inferius; ita duplex est magis confusū, aliud potentiale, quod plura continet potentialiter; Aliud essentiale, quod plura habet actualiter, quale est compositum; ità quoq. duplex est Vniuersale, vnum in prædicando, vt totum Vniuersale, aliud in continendo, vt totum essentiale, quod actualiter plura continet, & de isto loquitur Philosophus hic, vt ex rationibus suis patet, cū procedat à posteriori.

Petes, quid intelligit Arist. per principia, causas, & elementa. Est sciendum, quod principia, causæ, & elementa, vel sunt synonima, intelligendo omne id, q̄ potest esse mediū in demonstratione à priori, vel se habent vt superius, & inferius, principium .n. in plus se habet, quā causa, nàm hæc tribuitur illi rei, quæ realiter in effectum influit, non ità principium, hinc priuatio dicitur principium, non causa, causa quoq. vniuersalior est, quàm elementum, hoc .n. propriè intrinsecis causis competit, causa verò dicitur etiam de extrinsecis. Ad propositum, Physica non tantùm habet principia, & causas, sed etiam elementa, ex quibus fiunt mixta, ideò de omnibus proponit agendum. De principijs in primo Phys. de causis secundo Phys. de Elementis in lib. de Cælo &c.

Dices, si à notioribus in scientijs agendum est, ergo non à principijs, causis, & elementis, quæ remotiora sunt. R. quod in prima inuentione à notioribus nobis inchoandum est, .s. ab effectibus, sed in doctrina, iam industria Magistri comparata, procedendum est à principijs &c.

CAPVT SECVNDVM.

A tex. 6. vsq. ad 23.

Necesse est itaq. aut vnum esse principium, aut plura &c.

INcipit Philosophus hic agere de principijs rerum naturalium, & eorum numero, & quæ sunt inuestigare; & tribus capitibus sententias Veterum refert, & confutat, deinde propriam statuit sentent. in hoc igitur Cap. relatis quibusdam Antiquorum opinionibus, inuehitur præcipuè contra Parmenidem, & Melissum, qui rerum naturalium vnum tā-

tùm

tùm principium ponebant, & immobile; licèt Parmenides finitum, Melissus verò infinitum esse asserebat. hos Philosophos nõ naturales Arist. appellat, quia motum negabant, ac consequenter naturam, quæ est principium motus, & ideò non esse contra ipsos disputandum, nam contra negantes principia alicuius scientiæ, non est in illa scientia disputandum, principia .n. supponuntur, non probantur; ait tamen Philosophus, quia de principijs agendum erit, vtile quoq. erit, contra ipsos arguere, medijs ex altiori scientia acceptis, scil. Methaphysica, vndè sic argumentatur: Si omnia sunt vnum ens, iam non erit principium, quia principiũ refertur ad suum principatum, vt suũ correlatiuũ realiter distinctũ. Deinde arguit rationibus desumptis ex ente, & vno, & prima ratio est hæc: Ens multipliciter dicitur, scilicet, de substantia, quantitate, qualitate &c. ergo si omnia sunt vnum, aut substãtia sine accidente, & sic nec finitum, nec infinitum esset, quia hæc quantitatem sequuntur, loquendo de magnitudine molis; vel quantitas, vel aliud accid. & hoc est falsum, quia accidentia sunt in alio entia, & substantiam, vt subiectum supponunt; Si vtrumq; substantia cum accidente, iam non vnum omnia erunt, sed plura, quia hæc siuè coniuncta, siuè separata, diuersa sunt. Secunda ratio est hæc, vnum, aliud continuitate, aliud indiuisibilitate, aliud definitione, omnia non sunt vnum continuitate, quia multa separata, & seiuncta sunt, vt patet; nec vnum indiuisibilitate, quia nec finitum, nec infinitum, nam hæc quantitatem sequuntur, & ratio finiti, & infiniti in re materiali est à quantitate. Neq. vnum definitione, quia contraria, & contradictoria, eamdem definitionem, & essentiam haberent. Posteà quosdam spernit, qui Parmenidem, & Melissum sequentes, ne concederent vnũ esse plura, copulam à propositione tollebant, vnde non dicebant homo est albus, sed homo dealbatur. Hos irridet Arist. nam idem potest esse vnum, & multa. vt homo albus, vnum materialiter multa formaliter, totum est vnum, cuius multæ sunt partes, idem est vnum actu, plura potentia: Tandem proponit soluere rationes Parmenidis, & Melissi, tamquam sophisticas, quas facilè solui dicit, cum sint vitiosæ in materia, & in forma; in materia quidem quia propositiones falsas assumunt, in forma verò quia non obseruant rectam syllogizandi rationem.

CAPVT TERTIVM.

à tex. 23. vsq. ad 32.

Ex quibus .n. demonstrant, soluere non est facile &c.

SOluit Philosophus in hoc cap. rationes Parmen. & Melissi, probabat Melissus omnia esse vnum, infinitũ, & immobile, hoc medio: Omne quod genitum est, habet principium, ergo omne, quod genitum non est, non habet principium, sed ens non est genitum, ergo non habet princip. quod non habet principium, non habet finem, quod caret principio, & fine, est infinitum; infinitum est immobile, nam occupat omnem locum, ergo ens est vnum, infinitum, & immobile; min. subillata probatur, si ens est genitum, aut ex ente, aut ex nihilo,

hilo, non ex ente quia quod fit, ex ente fit, & ità eſſet antequam fieret, neq. ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit. Reſpondet Philoſophus hoc argum. peccare, quia arguit ab inferiori ad ſuperius negatiuè; genitum eſſe, eſt inferius, ad habere principium magnitudinis, de quo ratio Meliſſi procedebat, datur .n. Cęlum ingenitum ſecundum Philoſophos, & tamen habet principium, quia eſt finitum in magnitudine; Nec etiam ſequitur eſt vnum, ergo immobile, nam moueri poteſt ſecundum partem, & motu alterationis.

Parmē. ſic probabat: Quicquid eſt prater ens, eſt non ens, ſed non ens eſt nihil, ergo quicquid eſt pręterēs, eſt nihil, ſed ens, & vnum conuertuntur, ergo quicquid eſt pręter vnū, eſt nihil, ergo omnia ſunt vnum ens; ſi vnum, ergo immobile, quia non habet, à quo moueatur. Reſpondet Ariſt. argum. hoc etiam peccare, nam in primò argum. accipit ens communiſſimè, at in ſubſillata minori, vt ſit vera, ſumit pro aliquo ente in particulari, alioquin ſi communiſſimè illud acciperet, eſſet falſa, nam ens in ſua communitate non dicit vnum, ſed plura, ſcilicet, ſubſtantiam, & accidens.

CAPVT QVARTVM.
à tex. 32. vſq. ad 41.
Vt autem Phyſici dicuntur &c.

DIſputat in hoc cap. contra Philoſophos naturaliter loquentes, illos, ſcilicet, qui motū admittebant; ex quibus Alij vnum princip. ponebant, & hoc aut aerem, aut ignē, aut corpus medium inter ignem, & aerem denſius igne, & rarius aere; & præter hoc principium, alia duo contraria ponebant, ſcilicet, raritatem, & denſitatem, vel magnum, & paruum. Anaxagoras verò, à quo parùm diſtat Empedocles, poſuit principia infinita, in quodam Chaos incluſa, quæ erant infinitæ particulæ V.g. carnis, oſſis, aquæ &c. quā partium confuſionem aſſerebant fuiſſe ab initio, ſed Mentem, ideſt Deum diſtinxiſſe, & ſeparaſſe in varias ſpecies; At modò creatum agens ex iſtis corporibus ſegregat multas portiones alterius rei, in ipſis latentes, & quia vna res ab alia generatur, deducebat, quodlibet ex quolibet fieri, & omnia in omnibus eſſe, ſed ab eo denominationem habere, quod in illa re magis eniteret, denominatio .n. fit à principaliori V. g. aliquid dicitur aqua, quia plures aquæ particulę in eo eſſent, quā alterius rei. Empedocles verò affirmauit ex illo Chaos primò extracta fuiſſe 4. elementa, ex quibus poſtea omnia alia genita fuerunt, & totum illorum fundamentum fuit, quia ex nihilo, nihil fit.

Hanc Anaxagoræ opinionē Ariſt. multipliciter impugnat; primò ſequeretur nō dari ſcientiam de rebus naturalibus, no .n. haberi poteſt ſcientia de re aliqua, niſi cognitis principijs, ergo ſi principia rerum naturalium eſſent infinita, & infinitum, vt infinitum, ignotum eſt, res naturales cognoſci non poſſent; ſecundò quia res naturales non eſſent determinatæ quantitatis, ſub qua petunt exiſtere, ſed in infinitū poſſent maiores, vel minores eſſe, quod eſt falsū; tertiò, quia finitum per ablationem finiti tandē conſumitur, ergo à qualibet parte carnis non poteſt fieri ſegre-

gre-

gregatio in infinitum aliarum partiū, quia tunc daretur minima caro, à qua nihil extrahi posset 4. quia in qunlibet corpore essent infinitiès infinita corpora, vt in qualibet parte cerebri, infinitus sanguinis, in qualiter parte sanguinis, infinita caro, infinitus ignis, infinitum cerebrum, & sic quælibet res esset infinitæ magnitudinis: rationes autem horum Philosophorū adæquatè in cap. 8. soluit.

CAPVT QVINTVM.

à tex. 41. vsq. ad 50.

Melius autem est pauciora &c.

EX propria sententia nunc de principijs rerum naturalium determinare incipit, & primò proponit, cuius conditionis sunt principia, & ait debere esse contraria quod est ab omnibus Philosophis concessum, nam etiam Parmenides, qui vnū omnia asseruit, calidum, & frigidum contraria posuit, & vnum ratione, plura sensu; Alij rarum, & densum; Alij plenum, & vacuum; Plato magnum, & paruum; Alij contraria positione, vt sursum, & deorsum, antè, & retrò; vel figuram, vt rectum, & rotundum; angulare, & non angulare; etiā Anaxagoras athomos specie distinctos posuit. secundò probat ratione, & talis est: Principia prima sunt, quæ non fiunt ex alijs, neq. ex alterutris, sed ex ipsis omnia fiunt, sed prima contraria sunt huiusmodi, ergo prima principia, sunt prima contraria; patet maior, quia si ex alijs fierent, non essent prima principia, neq; ex alterutris, quia vnum esset principiatum, & non principiatum; quod autem omnia ex ipsis fiant, est clarum, quia sunt principia omnium rerum, & prima: Prob. min. prima contraria ex eo, quod sunt prima, non fiunt ex alijs, neq. ex alterutris, calidum .n. estò ex frigido fiat, vt ex subiecto, non tamen ex frigore; & omnia ex ipsis, quia quod agit, in suum contrarium agit; & quod patitur, à suo contrario patitur; sed res naturales sunt per actionem, & passionem, ergo omnia fiunt ex contrarijs; scilicet, in omni rerum generatione, contraria interueniunt. solet hic à Philosophis disputari, an intellectus singularia cognoscat, & quid sit primò cognitum ab intellectu, quod, vt commodius ad libros de anima transferimus.

CAPVT SEXTVM.

à tex. 50. vsq. ad 57.

Quod igitur contraria oportet esse principia &c.

IN hoc capite principiorum numerum sic infert: Principia sunt contraria, ergo non vnum, nam idem non potest sibimetipsi contrariari, ergo plura, sed non infinita, quia vt contra Anaxagoram dictum est, res naturales non essent scibiles; neq. tātùm duo, quia vnum contrarium non transmutat, nec conuertit aliud, sed à communi subiecto illud expellit, ergo tertium amborum susceptiuum dari debet. Tum quia aliqua principia substantiam intrinsecè cōstituūt, substantiæ autem nihil est contrariū, ergo præter cōtraria debet dari tertium illis commune. Deinde probat, quod non sint plura tribus, nam pro vna contrarietate sufficit vnicū principium, circa quod contraria illa vt commune subiec. versantur, & pro vna contrarietate duo tantùm ponu-

cur ex-

tur extrema, & in quolibet genere, non est, nisi vna contrarietas ex cõmuni axiomate; hæc autem sunt priuatio, & forma in genere; formę autẽ, & priuationes in specie, quæ multę sunt, non multiplicant principia in communi, ergo tantùm tria principia, nec pauciora, scilicet, subiec. forma, & priuatio.

CAPVT SEPTIMVM.

à tex. 57. vsq. ad 71.

Quod igitur neq. vnum sit elementum &c.

Confirmat, & explicat magis assignatum numerum principiorum, hac via: in quacumq. mutatione datur vnum subiectum commune respectu contrariorum, & duo termini contrarij, scilicet, terminus à quo, & ad quem, quæ sunt priuatio, & forma, ergo tria principia. probat assumptum inductione, tam in substantiali generatione, quàm accidentali, vt cum producitur homo, vel cum fit musicus; ad quod explicandum supponit, quod duobus modis ipsa priuatione vtimur, scilicet, ex non albo fit album, & non album fit album, at de subiecto vnico tantum modo vtimur, scilicet, hominem fieri album, non verò ex homine fieri album, nisi in artificialibus, nam dicim⁹ ex ligno fit statua. Subdit etiã quod licèt materia, & priuatio sint vnum numerò subiectiuè, differunt tamen ratione, scilicet, conceptu, quia manet materia in composito, recedente priuatione. Ex his deducit, principia dici posse tria, & duo; tria si secundum rationes formales sumãtur, alia .n. est ratio subiecti, alia termini à quo, & alia termini ad quẽ; duo autem secundum rem, & simpliciter, quia priuatio cum sit non ens, non ponitur in numerum, sed vnum principium cum materia poni potest. Inquit etiam principia dici posse cõtraria, & non contraria; contraria si termini à quo, & ad quem inter se ad inuicem comparentur; non contraria, si subiectum sumatur cum altero illorum terminorum, cum quolibet .n. illorum compossibile est. Et tandem ait, materiam cognoscibilẽ esse per analogiam, ad formam quod probat inductione; sicut .n. in artificialibus ęs se habet ad statuam, & lignum ad lectum, & similia, quæ formam artificialem recipiunt, & ante ipsam dicebantur informia, sic se habet materia ad formam substantialem, & ideò materia est vnum principium, & pars potentialis substantiæ.

CAPVT OCTAVVM.

à tex. 71. vsq. ad 82.

Quot igitur, & quæ sunt principia &c.

Ex his quæ dicta sunt de materia. soluit Arist. rationes Philosophorum, quæ ex huius materiæ ignorantia processerunt; & hoc ob inexperientiam, scilicet, ob paucam in Dialectica exercitationem, qua nescierunt per se, & per accid. distinguere, à veritate ab errauerunt. Achilles igitur Aduersariorum erat, materiam esse totam rei quidditatẽ, nec dari posse generationem substãtialem, sed tantùm accidentalem, & ratio erat hæc: Si fit aliquid, vel fit ex ente, vel ex non ente, ex ente fieri non potest, quia iam esset ens, antequam factum esset; nec ex non ente, quia non ens nihil est, ex nihilo

autem

autem nihil fit, semper in aliquid est præsupponendum. Respondet Arist. quod fit, non fit ex non ente simpliciter, neq. & ente in actu simpliciter, sed ex non ente per accid. & secundum quid, nam fit ex materia, quæ ratione priuationis annexę, potest dici non ens secundum quid; sic etiā ex simpliciter non ente, scilicet, ex priuatione, non per se, sed per accid. quatenus priuatio in materia præsupponitur. Similiter omne quod fit, non fit per se ex ente in actu simpliciter, & completè, sed per accid. nam V. g. aqua non fit per se ex materia, vt informata forma ignis quia hoc sibi accidit, sed per se fit ex ente in potentia.

Confutat deinde Platonis opinionem, qui priuationem à materia non distinguebat, sed vnum esse subiecto, & numero asserebat, & consequenter, quod fit non ens, quia quicquid est præter ens, est non ens, materia est præter ens, quia est ens in potentia, ergo absolutè est non ens, & eadem cum priuatione: Sed hoc Philosophus dupliciter impugnat, primò quia licèt materia vnum sit subiecto cum priuatione, diuersa tamen munera exercent, nam materia est quodam modo subiecta, suscipit formam, & cum ea concurrit ad causandum compositum, quæ priuatio non habet, cum sit non ens, & potius ad maleficium tendat. secundò impugnat, quia neq. per hoc excludi debet priuatio à numero principiorum, cum sit caussa appetitus, quem habet materia respectu formæ, sicut fæmina appetit marem, & turpe pulchrum, ratione carentiæ, & priuationis illius formæ.

CAPVT NONVM.

à tex. 82. vsq. ad finem.

Corrumpitur autem, & fit &c.

IN hoc tandem Cap. Philosophus probat materiam esse per accid. generabilem, & corruptibilem, per se verò ingenerabilem, & incorruptibilem. Probat primùm, quia priuatio aduenit materiæ, recedente forma, & perit illa adueniente, ergo per accid. dici potest generari, & corrumpi ad generationem, & corruptionem formæ, vel priuationis. Probat 2. ponendo prius materiæ primæ definitionem, dicens: *Materia est subiec. primum vniuscuiusq. ex quo fit aliquid cum insit, & si aliquid corrumpitur, in hoc abibit vltimum*, ergo si ipsa per se generatur, & corrumpitur, per se habet subiectum generationis, & corruptionis; sed ipsa est primum, & vltimum subiec. cuiuslibet generationis, & corrup. ergo esset antequam generaretur, & remaneret post sui ipsius corruptionem, quod implicat. ait deniq. non esse Phys. considerationis agere de forma, vt abstracta à materia, sed solùm de formis in materia, & hæc sufficiant pro rudi quadam notitia tex. huius primi lib.

DISPV-

DISPVTATIO II.

DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

IN hoc primo lib. agit Arist. de principijs rerum naturalium in fieri, scilicet, de principijs ad mutationem rerum concurrentibus, quibus res esse accipiunt, vel simpliciter, vel secundum quid: & quia ly *principium* multas habet aceptationes, hic de ipso loquimur, vt significat id, à quo aliud oritur, quomodocumq. illud accipiatur, ad quod duo requiruntur, vnum, quod sit aliquo modo prius principiato, & colligitur ex 5. Meth. c. 1. vbi habetur commune esse, omni principio primum esse: Aliud est, quod sit aliquo modo consecutio intrinseca posterioris ad illud, ratione cuius hoc dicatur esse ab illo, ità quod ipsum principiatum habeat ad ipsum principium necessariam, & per se habitudinem, quamuis positiuus influxus non intercesserit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Principia hic rectè definiantur, & quomodo talis definitio eis conueniat. s. an vniuocè, vel æquiuocè, vel analogicè.

SCot. 1. sent. d. 3. q. 3. docet præfatam definitionem vniuocè conuenire rationi principij, cum aliquali tamen analogia, cum vniuocatione possibili, quem communiter Scotistę sequuntur, & ratio assignabitur infra. Prima igitur difficultas est circa definitionem Principij ab Arist. hic traditam, sub illis verbis .s. *Principia prima sunt illa, quæ non fiunt ex alijs, neq. ex alterutris, sed ex ipsis omnia fiunt*. An sit rectè tradita, & R. communiter affirmatiuè, quod patet per illas tres particulas discurrendo, optimè essentiam, & munus principiorum explicantes. Prima particula est, quod prima principia non fiunt ex alijs, quod faciliter Philosophus probat ex eorumdem primitate, cum .n. singula sint prima in suo genere principiandi, consequens est, vt non sint ex alijs in eodem genere, id est formam non fieri ex aliqua forma, nec materiam ex alia materia, at in diuerso genere non repugnat, vnum esse ab alio; sic materia in ratione principij actiui est à Deo, non tamen in ratione principij passiui cum hoc sit sibi proprium.

Alia pars est, quod non fiant ex alterutris, quæ tamen apparentem habet instantiam, quia forma fit ex materia, tamquam ex subiecto, & ex priuatione tamquam ex termino à quo, hinc differenter à diuersis explicatur. Communior expositio est, quod fieri propriè competit compositis ex 1. Phys. tex. 64. & 7. Meth. tex. 27. & ideò non rectè dicitur formam

mam fieri materia, vel ex priuatione. Sed hæc explicatio nõ satisfacit, estò .n. sola composita fiant, vt termini totales, forma tamen etiam fit saltem, vt terminus partialis, & in communi vsu loquendi, dicimus formam fieri ex materia, formam fieri ex priuatione. Multi Græcorum exponunt particulam, ex, non sumi, vt dicit habitudinem à quo, quia sic vnum contrarium fit ex alio, formam scilicet ex priuatione, & è contra, sed accipi, vt notat habitudinem subiecti recipientis, in quo sensu repugnat vtiq. vnum contrarium fieri ex alio, quia vnum non potest esse subiectum alterius: Sed hæc expositio non saluat adæquatè principia non fieri ex alterutris, sed tantùm contraria, quia iam forma fit ex materia tanquam ex subiecto. Aliqui Latinorum explicãt particulam, ex, importare habitudinem partis intrinsecæ; in quo sensu non solùm vnum contrarium non fit ex alio tanquam ex parte, sed neq. forma fit ex materia, quia hæc non est pars intrinseca constitutiua formæ, quam explicationem sequitur Auersa q. x. sec. 1. sed neq. hæc sententia quadrat, quia hic est sermo de principijs in fieri, non in facto esse; sicut .n. Arist. probare intendit omnia esse ex his, veluti ex principijs in fieri, ità etiam ostendere contendit nõ esse ex alijs, vel ex alterutris, eodem modo, scilicet tamquam ex principijs in fieri. neq. verisimile est accepisse Philosophum illam particulam, ex, cum tanta æquiuocatione, vt aliquando dicat in eadem definitione rationem principiandi in fieri, quandoq. verò in facto esse.

Melius igitur, & securius est asserere principia non fieri ex se inuicem in eodem genere principiandi, quam explicationem sequuntur quamplures Scotistæ, & Hurtad. in Philosophia disputatione 1. sectione 2 Amic. tractatu 3. disputatione 1. sec. 2. & Alij, quia igitur forma principiat tanquam terminus ad quem, est primum prorsus principium in hoc genere principiandi, neq. fit ex alijs, nec ex alterutris in hoc genere; sed solùm in alio, nimirum ex materia, tamquã ex subiecto; ex priuatione, tamquam ex termino à quo; quæ vtiq. expositio satis conformis est textui; Arist. .n. probare intendit principia eo modo nõ fieri ex alijs, vel alterutris, quomodo omnia fiunt ex ipsis; at ex ipsis omnia fiunt, vel tamquam ex subiecto, vel tamquam ex termino ad quem, vel tamquam ex termino à quo, ergo vnumquodq. non fit ex alio in genere, in quo ipsum est principium, licèt in alio genere esse possit, quia respectu diuersorum idem esse potest principium, & principiatum.

Vltima tandem part. est, quod omnia ex ipsis fiant, in qua sola conditione consistit ratio essentialis principiorum, & formale eorum significatum, quia principium, vt principium dicit habitudinem tantùm ad principiatum, ex eo autem, quod omnia ex ipsis fiant connotantur duæ conditiones, scilicet, quod non fint ex alijs, neq. ex alterutris. Ex quo sequitur, hanc non esse definitionem quidditatiuam, sed assignatam per additamentum, cum vltrà principale significatum, explicet etiam connotatum.

Obiectiones.

Cōtra hæc dicta multipliciter obiicitur, probando, quod principia fiant ex alterutris etiam in eodem principiandi genere, nam materia habet suas partes integrantes, à quibus pendet in genere causæ materialis, ergo in eodem genere est principium, & principiatū. R. neg. sequelam, licèt.n.materia habeat suas partes integrantes, non tamen ex eis fit eo modo, quo materia est principiū materiale omnium mutationum, scilicèt, per modum subiecti: imò neq; de ratione principiandi in facto esse concludit, vt videtur argum. vrgere, nam nec materia pendet ab eis in genere principij materialis, eo modo, quo compositum pendet à materia, materia .n. est pars essentialis compositi, non integralis.

Sed Contra, materia, & forma constant ex gradibus Methaphysicis, quæ faciunt compositionem essentialem, ergo fiunt ex alijs in eodem principiandi genere, quo ipsa sunt principia compositi in facto esse. R. neg. conseq. nam genus, & differentia sunt principia essentialia Methaphysica, non Physica, qualia sunt materia, & forma; atq. ideò non fiunt ex eis in eodem gen. principiandi, principium .n. Meth. est à Physico diuersum.

Ob. 2. Hęc principiorum definitio non conuenit principijs in particulari, quia non omnia fiunt ex hac materia, ex hac forma, ex hac priuatione, ergo non recta definitio. R. neg. conseq. & ratio est, quia non oportet definitionem communioris conuenire particularibus, quādo cōmune definitur in sua communitate, & vt supponit simpliciter, quomodo hic talis definitio sumitur, quamuis etiam hæc definitio in sensu distributiuo, particularibus quoq, accommodari possit, si fiat distributio tam ex parte prædicati hoc modo, omnia fiunt ex principijs, ergo hoc fit ex istis, & illud & illis &c. scilicèt, hoc fit ex tali materia, & tali forma, illud ex tali, & tali priuatione &c.

Vrges, si quælibet generatio est rei singularis, quomodo ex principijs in cōmuni dicuntur omnia fieri? R. dicuntur omnia fieri ex ipsis in communi, quia in qualibet generatione particulari concurrit aliquid per modū materiæ, aliquid per modum formæ, & aliquid per modum priuationis; vnde nos ab his particularibus rationibus abstrahentes, dicimus in communi ea esse, ex quibus omnia fiunt, quatenus, scilicet in qualibet generatione, est aliquid, quod habet rationem materiæ, aliquid rationem formæ, & aliquid rationem priuationis; vnde sensus est, quod omnia fiunt ex principijs in communi in esse signato, singula verò ex singulis in esse exercito. qua etiam solutione satisfit argum. præcedenti.

Ob. 3. Cælum est præstantissimum corpus naturale, & tamen his principijs non constat, cum in senten. Philosophi materia, & forma careat, ex Scoto in 2.d.14 q.1. Resp. Aliqui in hoc primo lib. tradi principia rerum corruptibilium, in quibus Cęlum non continetur, non valet. Arist. .n. in proemio præmisit se velle incipere generatim à cōmunioribus principijs, quod vtiq. non fecisset, si hic de principijs omnium rerum naturalium in fieri non egisset. Tùm quia

sicut

ficut ftatuimus adequatū fubiec. huius lib. corpus naturale, vt fupponit fimpliciter, potius de principijs corporis naturalis in communi, tàm in fieri, quàm in facto effe agere debebat, & non de principijs corporis, vt generabilis tantùm, idcircò rectius R. per ly omnia, nòn denotari res ipfas, fed generationes, & mutationes omnium, quæ generantur, & mutantur; hinc quia Cęleftia corpora, faltem mutationi accidentali fubduntur, hac etiam ratione tria illa principia participant.

Maior difficultas eft, quomodo definitio hæc tribus principijs conueniat, an fcilicèt, vniuocè, vel analogicè, aut æquiuocè.

Not. quod principium in communi fic ab Arift. Definitur 5. Meth. fcilicèt, *eft id, vnde aliquod eft, vel fit, vel cognofcitur.* primo modo, punctū dicitur principium lineę, quia linea eft à puncto 2. modo, Materia, & forma, efficiens, & finis dicuntur principia rei naturalis 3. modo, prę miffę dicuntur principia conclufionis, & omnes effectus ducentes nos in cognitionem fuarum caufarum poffunt dici principia in cognofcendo. D. Thom. 1. p. q. 33. articulo primo fic principium definit, nempè. *Principium eft à quo aliquod procedit quomodocumq.* in qua definitione benè explicatur conuenientia, & differentia inter caufam, & principium.

Auerfa q. x. fec. 2. Hurt. & Alij nolunt hanc rationem principij coniunctiuè omnibus conuenire, fed folùm difiunctiuè, fcilicet materiæ, fi ly ex, dicat habitudinem fubiecti; Formæ, fi dicat habitudinem termini ad quem; Et priuationi, fi dicat habitudinem termini à quo, atq; ità potius æquiuocè conuenire, quàm vniuocè. Scot. è contra loc. cit. docet non definiri hæc principia difiunctiuè, fed potius definiri generalem rationem principij abftrahētem à particularibus rationibus principiandi pofitiuis, & priuatis, per modum fubiecti, per modum termini ad quē, & per modum termini à quo, atq. ideò effe conceptum vniuocum, cum aliquali tamen analogia; & probatur eadem ratione, qua Doctor in 2. d. 3. q. 2. B. probat vniuocationem entis, fcilicet, omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de duobus, feu diuerfis, habet conceptum, de quo eft certus alium, à conceptibus, de quibus eft dubius; fed intellectus poteft effe naturaliter certus, quod in aliqua mutatione priuatio, vel forma eft talis mutationis principium, dubitando tamen, an per modum termini à quo, vel ad quem, ergo conceptus principij in communi eft alius, à conceptu principij per modum termini à quo, vel ad quem, & ità neuter ex fe, fed in vtroq. inclufus quidditatiuè, ergo vniuocus; maior patet, quia nullus conceptus idē eft fimul certus, & dubius, ergo vel alius, & habetur intentum, vel nullus, & tunc non erit certitudo de aliquo conceptu, min. eft clara per exemplum mutationis deperditiuę, in qua certi fumus ad talem mutationē, præter materiam, concurrere in ratione principij formam, & priuationem, dubitatur verò an priuatio fit principium in tali mutatione per modum termini ad quem, vel à quo, ergo &c. ità Maftr. & Bell. difp. 1. Phyf. q. 1. & Fuentes 1. Phyf. q. 3. art. 3. Cō firma-

firmatur, sicut .n. Materia, & forma sunt illa principia, quæ non fiunt ex alijs, neq. ex alterutris, sed ex ipsis omnia fiunt, ità etiam, & priuatio in suo modo principiandi. Ergo &c.

Sequitur M. Bonherba, qui citat etiam Ægid. concedendo talem vniuocationem, quæ cum Analogia cōpossibilis sit, quatenus scil. talis res significata per nomen habet eumdem conceptū, diuersum tamen habet modum essendi, & diuersum gradum perfectionis. Ità de principijs in cōmuni dubit. 6.

Sed contra hoc communiter obijcitur: enti reali, & rationis, positiuo, & priuatio nihil esse potest commune vniuocum, sed priuatio, & eius habitudo ad generationem nihil positiuum importat, materia autem, & forma, & earum habitudines sunt entia realia, & positiua, ergo &c. R. ex Doc. in 1. d. 29. q. vn. maiorem illam non esse propositionem immediatam, sed dependentem ex hac alia propositione, scilicet, quod est secundum quid tale, nihil est commune vniuocum, in quid, at positiuum, & negatiuum, ens reale, & rationis sunt huiusmodi, ergo &c. sed maior hæc non est vera, nisi talia membra compararentur ad aliquod commune prædicatum, quod vni simpliciter, & absolutè competat, & alteri membro non, nisi concipiatur ad modum alterius, sicut se habet hoc prædicatum ens, ad ens reale, & rationis, positiuum, & priuatiuum; At si compararentur ad commune prædicatum, quod ex æquo, & simpliciter eis cōpetit absq. eo, quod vnum concipiatur ad modū alterius, falsa est illa minor, & hac de causa ratio principij cōuenit vniuocè formæ, & priuationi, non ratione entis, quia vt priuatio dicatur principium generationis, non requirit vt concipiatur ad modum formæ, & principij per modum termini ad quem, sed tunc verè concipitur, quando concipitur vt priuatio, & terminus à quo; hoc autem nō euenit in ratione entis, quia ad hoc vt tenebra dicatur ens, petit concipi ad modum lucis, formæ scilicet, per aerem extēsæ, hinc vtiq. fatentur omnes, priuationem esse absolutè principium generationis, sicut forma, non tamen ità simpliciter ens, & habetur exemplum Scoti in 1. d. 23. q. 1. de negatione infinitante, nam hæc negatio V.g. non lapis, cōpetit enti, & non enti, homini, scilicet, & chimeræ vniuocè, quia vt competit chimeræ non exigitur, vt cōcipiatur ad modum alterius membri, scilicet, hominis, sed sufficit si concipiatur vt chimera; sic etiam in moralibus, genus moris vniuocum est in quid ad tres suas species, bonum, malum, & indifferens, & tamen malum inter eas species, priuationem tantùm bonitatis dicit, ità in proposito.

Ioannes Ponc. disp. 2. Phys. nu. 17. allatæ doctrinæ sic opponitur, Cum P. Aiosa, P. Aresio, in Philosoph. & Aliquib. Cler. Regul. si ly principia conuenirent vniuocè, ratio communis, in qua conuenirent, vel esset ens, vel esset non ens, si esset ens, priuatio esset ens, quod est absurdum, si esset non ens, materia, & forma essēt non ens; R. Argumētū hoc esse sępissimè inculcatum, & solutio est facillima, non .n. est de ratione principij, quod importet relationem propriè realem, & positiuum influxum, sed suffi-

et ei q. est simpliciter tale

sufficere, quod ad ipsū habeat principiatum necessariam, & per se habitudinem; cum igitur quæritur, an ratio illa communis principij sit realis, & importet aliquid reale, respondemus cum Scoto in simili 2. d.30.q.2. in fine, quod si realitas, ac, entitas accipiantur, vt important positiuum quid, & verè ens, ratio communis principij non importat quid reale, si verò accipiantur, vt excludunt fictionem intellectus, & quicquid habet esse per solam eius negotiationē, sic ratio principij, vt sic, importat quid reale; per quam doctrinam optimè satisfit ad omnia illa, quæ Poncius congerit contra Mastr. in Apolog.nu.208.imò sibi ipsi Poncius cōtrarius videtur, nam disput.5. Phys. nu. 1. quærens, num priuatio possit dici ens reale priuatiuum, respondet, quod si intelligatur per ens reale priuatiuum aliquid, quod non est ens rationis, nec ens reale positiuum, melius dicitur quod sit ens reale priuatiuum, imò dici potest absolutè, & simpliciter ens reale, quatenus ens reale, vt sic simpliciter opponitur enti rationis, hæc ibi: quomodo clarius loqui poterat in nostra sentētia? imò plus addit, quàm nos, quia nos non appellamus ens reale, sed priuationem realem, at ipse docet, quod absolutè ens reale priuatiuū dici potest. Rursus disp. 18. nu. 6. de ente, ait Ponc. quod ens directè, & immediatè oppositum enti rationis, est ens reale positiuum, ergo si priuatio dici potest ens reale, quatenus ens reale opponitur enti rationis, vt habet disp. supra cit. sequitur in sua sent. posse dici ens reale positiuum.

In forma igitur argumenti ℞. quod si entitas, & realitas accipiantur, vt important positiuum quid, & verè ens, ratio communis principij non importat ens, & quid reale; si verè accipiantur, vt excludunt fictionem intellectus, sic importat quid reale: & est conceptus realis, quatenus non habet esse per solam intellectus operationem, sed verè exprimitur id, quod est à parte rei, quo sensu dicere solemus (ait Scot.) hæc propositio, *homo est asinus*, est realiter falsa, non quod ly *realiter*, importet in falsitate formalitatem realem, & positiuā, sed quatenùs idem sonat, quod verè falsa. Ex quo deinde patet, quid sit dicendum ad consequentiam illatam ex tali antecedenti, nam cum infertur: si esset ens, priuatio esset ens, quod est absurdum. ℞. quod non esset ens, primo modo, sed esset ens secundo modo, quo pacto dicitur ens, quicquid habet esse, vel reperitur in rerum natura præter fictionem intellectus, qualecumq. sit illud ens, siue positiuum, siue negatiuum, ex quo nullum sequitur absurdum. Tùm quia nec materia, nec forma, nec priuatio sunt essentialiter principia, seu non includunt essentialiter rationem principij, quia ratio principij consistit in respectu principij ad principiatum, & clarum est in schola nostra nullum respectum esse de essentia absoluti. Quod si dicat Ponc. rationem principij saltem fundamentaliter sūptam illis essentialiter cōuenire, hoc verum est, nam ratio principij in hoc sensu in materia, vel forma non importat, nisi ētitates earum absolutas, & est ac si diceretur essentiā materiæ esse de essentia materiæ, & est doctrina Scoti in 4.d.43.q.3. H. quod cum quæ-

quæritur, an potentia sit de essentia materiæ, non quæritur de potentia fundamentaliter sumpta, quia hoc modo sumpta, est ipsa essentia materiæ. Cum igitur quæritur an ratio principij vniuocè cõueniat materiæ, formæ, & priuationi, non est quæstio de illis secundum suas entitates consideratas, sed consideratis sub ratione principij, seu quatenus principia sunt in Physica mutatione, præscindendo à singularibus rationibus principiãdi per modum subiecti, vel termini à quo, vel ad quem.

Deinde Respondet Ponc. ad illam maiorem Scoti, sic distinguẽdo, quãdo ille conceptus vnus, de quo est certus, est conceptus determinatus, concedit, quando non, negat. quæ est responsio Thomistarum ad labefactandam illam Scoti Maximã. contra quam distinctionem insurgunt Ca non. Tromb. Barg. & Scot. ipse in 1. d. 8. q. 3. versiculo *tertio modo Resp.* & Mastr. disp. 1. Meth. q. 1. num. 6. vbi Deo fauente, illa Scoti maxima, vt in ꝓprio loco examinabitur præsse.

Ob. Non potest dari ens reale cõmune vniuocum positiuo, & negatiuo, sed materia, forma, & priuatio sunt huiusmodi, ergo non possunt vniuocè conuenire in ratione principij. ℞. vt supra, quod ratio principij vniuocè communis illis tribus principijs non est ens positiuum, sed à positiuo, & negatiuo præscindens, in qua præcisione explicatur, vt principium sit illud, quod necessariò concurrit ad mutationem Physicam, siuè talis conceptus sit positiuus, siue non; quæ ratio vt sic, bene saluatur tam in materia, & forma, quàm in priuatione. Non est igitur eadẽ ratio de ente reali, vt sic, & de conceptu principij in fieri; nam ens reale de suo conceptu formali dicit quid positiuum, ideoq; implicat esse de se præcisum à positiuo, & priuatiuo; at non ità principium reale, quia vt sic præscindit à rationibus principiandi positiua, & priuatiua.

Dices, ratio principij realis vt sic, vel includit rationem entis realis, vel non; non secundum, quia tunc materia, & forma non essent principia realia; si primum, ergo sicuti datur ratio præcisa principij realis à positiuo, & negatiuo, ità quoq; dari potest ratio præcisa entis realis à positiuo, & negatiuo. Respondet Mastr. iuxta supradicta, quod si per ens reale intelligitur ratio veri entis, & positiui, in hoc sensu principium in fieri, vt sic non includit rationem entis realis; si verò per ens reale intelligitur quicquid excludit fictionem intellectus, & reperitur in rerum natura, opere intellectus secluso, in hoc sensu principium in fieri dicit qd reale, quæ realitas præscindit à positiuo, & priuatiuo, cum etiam priuationibus, & negationibus realibus conueniat.

Pugnat etiam pro nobis P. Antoninus Maria Sarsale temporibus hisce doctrina, & probitate famosus, qui Doctrinæ Scoti innixus, ait: sicut in via Subtilissimi Doctoris, veritas, bonitas, & passiones entis, non sunt de se explicitè, & formaliter nec ens, nec non ens, sic asserendum De conceptu Principij in casu, vbi etiã alias rõnes ꝓbabilissimas adducit, q̃ doctrina est verissima, & Doctrinæ Scoti conformis; sicuti .n. passio formaliter non est ens, nec cum suo subiecto demon-

demõſtrabilis ſit; ſic Principiũ formaliter, & in ſuo conceptu formali, non oportet, vt dicat ens, ſed ſufficit, vt exprimatur per ſuam quidditatem, ſcilicet, Principium eſt id, vnde aliquid fit, vt dicebat Ariſt. in Meth. vel cum D. Thom. Principium eſt, à quo aliquod procedit quomodocumq. quod ſufficit ad propoſitũ, licèt deinde ex alijs capitibus valdè differant.

Scio P. Guerinum Cleric. Regul. Philoſ. ac Mathematicum inſignẽ in ſua Philoſ. nouiſſima cum Aliquib. PP. eiuſdem ordinis negare hæc tria principia generationis in fieri, & Aliquos negare materiã, Aliquos etiã formas, excepta Anima rationali, & formis viuentibus. Hoc decet Doctos; ſed ego bona pace, nunquam adhærere potui Authoribus, magis nouitatis, quàm veritatis amicis; & maximè in conceptu Principiorum, quæ magis in ſcientijs ſupponuntur, quàm probentur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quænam Principia hic definiantur?

Scotus in 2. ſent. d. 12. q. 1. lit. I. docet Ariſt. 1. Phyſ. egiſſe de materia, vt habet ordinem ad mutationem, & in 1. d. 5. q. 2. lit. G. ait generationem in creaturis mutationem regulariter includere, & ideò dupliciter ſumi poſſe, ſcilicet, & in ratione productionis, quo ſenſu conuenit compoſito; & in ratione mutationis, quo ſenſu conuenit ſubiecto, ſeu mobili, quod de priuatione tranſit ad formam. Sciendũ eſt, igitur magnam eſſe inter Doctores concertationem, quæ nam principia in præfata definitione definiantur. Aliqui volunt Philoſophum hic definiſſe generatim omnia principia, quatuor etiam cauſas complectendo, ità Hurtad. diſp. 1. ſec. 2. cum Alijs, Aliqui putãt, hic definiri principia generationis, vt ſic, præſcindendo à quacumq. acceptione particulari, & non in ratione mutationis tantùm, ità Auerſa q. x. ſec. 2. Alij affirmant hic definiri principia tàm in fieri, quã in facto eſſe, ſcilicet, tam generationis, quàm rei genitæ, & eſt opinio D. Thomæ, quam ſequuntur Zabarel. Conimb. Ruu. & Alij. Alij tandem defendunt, hic definiri tantùm principia in fieri, ſeu generationis, ſed ſubſtantialis tantùm, non autem accidentalis, quod ſi etiam accidentalis, non niſi ſecundariò, & in gratiã mutationis ſubſtantialis, ità Amicus cum Alijs, quibus ſuppoſitis. ℞. ad Articulum ſequentibus concluſionibus.

Concluſio Prima.

Dicimus primò, à Philoſopho hic deſcribi principia generationis, in ratione mutationis tantùm, non verò productionis, & ideò cauſam efficientem, & finalem ab ea excludimus. Eſt Scoti loc. cit. & contra Auerſam, & Hurtadum, & ità facilè probatur: Principia generationis hic ab Ariſt. definiuntur, eo ſenſu, quo ſubiectum exigit, at non exigit ſubiectum in ratione productionis, ſed ſolùm in ratione mutationis, in ratione. n. productionis conuenit cum creatione, quæ omne ſubiectũ excludit, ergo in ratione mutationis tantùm ea definit; maior patet ex verbis ipſius Philoſophi 1. Phyſ. vbi de principijs generationis agens, præter contraria, exigit etiam ſubiectum. Tum quia

ſi ly

si ly ex, in proprio rigore sumatur, excludi videntur efficiens, & finis, nam propriè res non dicitur fieri ex suo agente, sed potius à suo agente; nec dicitur fieri ex suo fine, sed propter suum finem, quod etiam ipse Aduersa concedit, ergo non in ratione productionis, quia vt productio, & actio est, dicit intrinsecè in suo conceptu principium agens, & constituitur per respectum ad causam agẽtem. Ex hoc etiam excluditur causa finalis, nam omne agens agit propter finem; In ratione verò mutationis, ab efficiente præscindit, & consequenter à fine, & respicit tantùm materiam, formam, & priuationem.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. hic definiri principia generationis in fieri tantũ, non autem in facto esse. Est Scoti loc. cit. Vbi asserit Arist. egisse de materia, quatenus est subiectum generationis, non autẽ quatenus est pars compositi, & est contra D. Thomã, Zibarel. Conimb. Ruui & Alios, & probatur, quia Philosophus 1. Phys. tex. 68. epilogans principia, de quibus agit, ait se assignasse principia rerum naturalium, quæ circa generationem sunt, & hæc esse tria, scilicet, materiam, formam, & priuationem, ergo non fuit locutus de principijs rei genitæ, in qua tantum duo sunt principia, scilicet, materia, & forma. Tum quia principia rei genitæ, & in facto esse considerantur tantùm in 2. Phys. sub nomine naturę, & causarũ intrinsecarũ.

Conclusio Tertia.

Dicimus tertiò, hic definiri à Philosopho principia generationis in communi ad substantialem, & accidentalem. est Scoti loc. cit. Vbi affirmat, Arist. 1. Phys. locutum esse de materia, vt subiectum est, non solùm in generatione, sed etiam in alteratione, & est contra Doctores vltimę sententiæ. Probatur primò Authoritate Arist. qui tex. 57. protestatur se agere de omni generatione, & reddens rationem, ait, quia secundum naturam prius debemus principia communia, deindè particularia speculari, quem locum communiter Interpetres explicant de generatione, & mutatione omni, tàm substantiali, quàm accidentali, vt videri potest apud Simplicium, & Vicomercatum, qui sunt pro nobis. Tùm quia asserens Philosophus tex. 57. se velle inquirere principia generationis omnis. Posteà tex. 62. duplicem generationem distinguit, vnam simplicẽ, idest substantialem, alteram secundũ quid, idest accidentalem, vtramq. explicans. Tùm quia principia, de quibus agit Arist. 1. Phys. scilicet, materia, forma, & priuatio, suo modo in omni mutatione reperiuntur, tam substantiali, quàm accidentali, nam cum V. g. ferrum ex non calido fit calidum, tunc ferrum tamquam subiectum ex priuatione frigoris mutatur, & transit sub forma caloris, sicut in mutatione substantiali, materia, quæ est sub forma ligni, mutatur in formam ignis; Vndè sicut à mutatione substantiali, & accidentali abstrahi potest conceptus mutationis in communi, ità etiam à principijs mutationis substantialis, & accidentalis abstrahere possumus principia in cõmuni, præscindendo à substantiali, & accidentali, in qua abstractione dici solent principia communitatis, & Vniuersalia, quia prædicantur in recto, de

ćto de omni materia tam prima, quã secunda, & de omni forma, & priuatione tàm substantiali, quàm accidentali. Tùm quia ad Philosophum naturalem non magis spectat agere de generatione substantiali, quàm accidentali, cum sit effectus propriæ passionis corporis naturalis, ergo asserendum est in hoc primo Phys. Arist. de principijs generationis in tali communitate fuisse locutum, cum alibi de his non tractauerit, ne asseramus ipsum mancum, & diminutum fuisse in principiorum omnium rerum naturalium inuestigatione.

Obiectiones.

Contra primam conclusionem arguit Auersa: Generatio non tantùm sub ratione mutationis, sed etiam sub ratione actionis, & productionis considerari potest, in quo sensu intrinsecè respicit agens pro principio, ergo cum hic assignet principia generationis, eaq. definiat, non est arctanda hæc definitio ad principia generationis in ratione mutationis tantùm, sed amplianda ad principia generationis, vt sic, præscindendo à quacumq. speciali acceptione; Nec Arist. 1. Phys. tria principia assignauit sub nomine mutationis, sed absolutè, vel sub nomine fieri, vel sub nomine generationis. Resp. negari non posse generationem sub illa gemina ratione considerari posse, sed falsum est in 1. Phys. sic considerasse, nam de principijs in ratione productionis, egit 2. Phys. dum ait, causam efficientem esse principium, vnde motus; hic verò assignauit principia illius in ratione mutationis tantùm; & falsum est Philosophum nunquam mutationis meminisse, nã in tex. 68. colligens se assignasse, quænam sint principia generationis, & quot, nè quis putaret ipsum locutum fuisse de generatione in ratione productionis, in fine textus ipsum specificauit sub nomine mutationis; & quando de generatione loquitur sub nomine fieri, ly *fieri*, non indicat productionem termini ad quem, sed transmutationem subiecti, quod ex illius exemplis patet, quando .n. dicimus, Petrum fieri musicum; aquam fieri calidam &c. proprius sensus non est, quod musica in Petro producatur, vel caliditas in aqua, sed potius Petrum de non musico fieri musicum, idest in musicum transmutari; aquam de non calida, fieri calidam, hoc est in calidam transmutari.

Obijcit Hurt. Ea principia describit Philosophus c. 5. de quibus acturum se dicit c. 1. vbi proponit, se acturum de principijs, causis, & elementis naturalibus, ea autem sunt omnia principia rei naturalis, causas omnes complectendo, ergo &c. R. neg. maiorem, nulla .n. videtur necessitas c. 5. describendi omnia ea principia in vniuersali, de quibus se acturum dixit in proemio, nam illud nõ est principium solius primi Phys. sed totius Philosophiæ; & ideò satis fuit, vt principia in fieri assignauerit 1. Phys. principia verò in facto esse, & causas, tàm extrinsecas, quàm intrinsecas, in 2. quid autem Philosophus in proemio per principia, causas, & elementa intelligat, diuersimodè à diuersis exponitur.

Contra secundam, obijciunt Auctores secundæ sententiæ, & præcipuè ex definitione ipsius materiæ, quam Arist. 1. Phys. definiuit *esse subiectum*

biectum, ex quo fit aliquid cum insit. Si igitur inest composito, erit principium rei genitæ, & in facto esse, in quo etiam sensu principia non fiunt ex alijs, neq; ex alterutris &c. ℞. neg. consequentiam, non. n. debemus hic cōfundere rationes principij in fieri, & in facto esse; & per illam definitionem Arist. vt ex ipso contextu patet, ostendere voluit materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilē, quia est subiectum primum in omni generatione, & vltimum in qualibet corruptione, & illa particula ex, iam explicata est supra; addit tamen particulam illam, cum insit, vt sciatur non quomodocumq. fieri compositū, sed ità ex ea fieri, vt etiam in ipso per modum partis permaneat, id tamen in 2. Phys. disertè ostensurus, & hic est germanus, & verus Philosophi sensus, nisi principia in fieri, & in facto esse confundere velimus.

Contra vltimam conclusionē obijciunt Auctores tertię sentētiæ: Multa dixit Arist. in hoc 1. Phys. quæ de generatione substantiali tantùm verificantur; & si de principijs mutationis accidentalis agit, vt patet, cum materiam naturalium inuestigat per materiam artificialium, hoc facit in gratia mutationis substantialis, vt principia illius, tanquam per notiora, & sensibiliora in notitiam istius deueniamus, ergo principia generationis substantialis tantùm hic Arist. definiuit, non autē accidentalis ℞. q̄ esto Phūs plurima de gen. subantiali dixerit, multa etiā dixit q̄ tantū de accid. verificātur; hinc cōcedim⁹ etiā media mutatione accidentali, nos manu duci in cognitionem mutationis substantialis, & per subiectum illius, nos deuenire in cognitionem subiecti istius, non tamen ex hoc deducitur, Arist. intentum esse solùm de mutatione substantiali agere, & eius principia inquirere, nam tex. 57. disertè ait, se velle adæquatè cuiuscūq. generationis principia per se, & directè inuestigare; sed quia illa accidentalis notior est, & magis sensibus manifesta, & hæc substantialis ignotior erat, speciali etiam explicatione indigebat, non ità de materia mutationis accidentalis, quæ cum sit corpus, & compositum naturale, magis sensibus, quàm ipsa materia prima expositum est.

At instant Aduersarij: in Philosophia non agitur directè, & per se de accidentibus, sed indirectè tantùm, & per ordinem ad corpus substantiale, cuius sunt accidentia, vt etiam nos asseruimus in disp. de obiect. Philosophiæ, ergò à pari mutatio accidentalis non est per se tractanda, nisi in ordine ad mutationem substātialem. ℞. quod neq. etiam mutatio substantialis per se tractatur à Philosopho, sed vtraque tàm substantialis, quàm accidentalis mutatio consideratur in ordine ad subiecta, quorum sunt mutationes, & quia subiectum mutationis substantialis est materia prima accidentalis verò corpus naturale, & compositum, cuius materia est pars, vtraq. in ordine ad aliud considerari debet, mutatio vtiq. accidentalis proximè veluti effectus adæquatæ passionis illius; substantialis verò remotè veluti effectus passionis materiæ, quæ etiam ad compositum ordinatur; hinc non valet assūpta paritas de accidentibus materialibus in ordine ad corpus, & de mu-

tatione

tatione accidentali in ordine ad mutationem substantialem, nam accidétia materialia ordinantur ad corpus, veluti ad subiectum suum, non sic mutatio accidentalis, ad mutationé substantialem, cum vtraq. sit accidens; ità optimè Mastr. & Bell.disp. 1. Phys.q.2.

Hic dubitari solet de numero principiorum rerum naturalium, & quidem ab Antiquis ante Arist.magna fuit controuersia. Aliqui .n. vnum principium ponebant, & hoc immobile, vt Parmenides, & Melissus; aut vnum ex elementis; & Heraclitus ignem, Anaximens aerem, Thales aquam; Aliqui duo, scilicet, litem, & amicitiam inter 4. elementa, vt Empedocles; Alij tria, vt Plato in Timeo, nempè materiam, Deum, & Ideam; quidam viginti, vt Pythagorici, enumerantes decem ex vna parte bona, & decem ex altera parte mala. Alij infinita, vt Anaxagoras, Democritus, Leucippus, & Epicurus, omnia ex athomis componentes; Arist. verò post longam, & maturam rei discussionem, tria assignauit principia rerum naturalium, materiam, scilicet, formam, & priuationem. quæ sententia modò in omnibus scholis plausibilis, & receptissima est.

Et ità à Philosopho probatur à tex.50.& sequentibus: illa sunt principia intrinseca õnis mutationis Physicæ, quibus positis, vel intellectis, ponitur, vel intelligitur mutatio.sed materia, forma, & priuatio sunt huiusmodi, ergo hæc tria sunt principia intrinseca omnis mutationis Physicæ; maior est clara, minor etiam probatur: mutatio est essentialiter transitus de quodam, ad quoddam, sed ad hunc transitum requiruntur id, quod transit, terminus ad adqué transit, & terminus à quo transit, quę sunt materia, forma, & priuatio, ergo his positis ponitur mutatio, & illis ablatis, tollitur; ex quo etiam probatum remanet nõ esse plura tribus.

Solet hic obijci, quod principia sint plura tribus nam ad mutationem Physicam, præter materiam, formã, & priuationem concurrunt etiam ex parte materiæ potentia, quantitas, & dispositiones; ex parte formæ requiritur etiam priuatio alterius formæ, quia requiritur, vt non sit alia in materia, vt ipsa possit esse in materia; ex parte vtriusq. exigitur vnio, quia non sit compositum sine vnione partium, & multa alia requiruntur ad generationem, sine quibus resultare nõ posset, ergo plura tribus, R. quod neq. potentia, neq. dispositiones, neq. quantitas, si materiæ primæ insint, constituent principium ab ea diuersum; nam id, quod principium multiplicat, est diuersa ratio principiandi, non omnia, quæ in generatione interueniunt; hinc cum hæc omnia quæ in generatione interueniunt; sint conditiones ipsius materiæ ad recipiendam formam, omnes censentur concurrere per modum subiecti, & ideò ad materiam ipsam reducuntur; idem de Vnione asserédum est, quæ .n. se tenet ex parte materiæ, est vnio quædam passiua, qua dicitur forma recipi in materia, ac proinde spectat ad materiam; quæ se tenet ex parte formæ, est quasi actiua quędam informatio, qua mediante forma perficit, & actuat materiam, ac proindè reducitur ad formam; forma etiam expellenda, & si

vt plurimùm interueniat in mutationibus, non tamen distinctum principium efficit, non .n. semper interuenit, vt cum aer fit lucidus; Tum quia quando interuenit, per accidens interuenit. vt subtiliter Doctor ostendit in 2.d.1.q.5.in fine, ex Arist. 5.Phys.tex.7.& 8. Vbi inquit, quod terminus à quo propriè, & per se mutationis non est quid positiuum, sed priuatio, quià si per Diuinam potentiam forma introduceretur in materiam nudam, & forma præexistens non aboleretur per aduentum nouæ, adhùc esset vera mutatio; quod autem generatio vnius sit corruptio alterius, non euenit per se ex necessitate mutationis, sed per accidens, ex incōpossibilitate formarū, & propter priuationem formæ in materia, nulla alia priuatio in mutatione necessariò interuenit.

Obijciunt etiam ex alio capite, quod sint minora tribus, nam tria prīcipia assignata vniuocè analogicè ex dictis conueniunt in genere principij, ergo sunt vnum genere, & non tria genere distincta, & prima, cùm his tribus adhùc detur vnum prius commune omnibus. ℞. faciliter negando consequentiam, nam sicut benè assignantur quatuor causarum genera ob diuersas rationes specificas causandi, quamuis omnes in communi ratione conueniant; sic etiam in proposito, omnia principia conueniunt in ratione cōmunis principij, cum hoc tamen stat, quòd distinguātur in tria genera, iuxtà triplicem principiandi rationem; Vndè ratio principij cōmunis illis tribus est prior eis Logicè, & prioritate prædicationis, illa verò tria principia sunt ~~propria~~ priora Physicè, & ~~proprietate~~ prioritate causalitatis, in quo sensu Arist. appellauit prima.

Hic etiam dubitari solet de ratione principiandi singulorum principiorum, & ℞. vt supra, scilicet materiam concurrere ad mutationē per modum subiecti, alitèr se habentis nunc, quàm priùs; formam per modum termini ad quem transit, & acquirit; priuationem per modum termini à quo transit, & quem abijcit, & ratio est supra assignata, in hoc .n. primo Phys. sermo est de principijs generationis in fieri, non in facto esse, de quibus deindè agitur in 2. nè rationes principiandi confundantur.

Sed communiter obijcitur, quod forma constitui non potest principiū generationis per modum termini ad quem, nam sic est posterior generatione, & mutatione, cum per eam acquiratur, principium autem debet esse prius principiato. Tum quia sic est terminus, & finis generationis. Respondetur cōmunitèr, quod forma est terminus partialis generationis, & quo res fit, non verò totalis, & quod; & sic non estità terminus, & finis generationis, quin etiam possit esse principium. sed non placet, nam estò saluet, quod sit principium rei genitæ, & etiam generationis cōpositi, in ratione productionis, quia est pars constitutiua illius, obiectio tamen vrget, quod non sit principiū generationis in ratione mutationis; & quandò est principium generationis in ratione productionis, seu rei genitæ, non est vtiq. principium per modum termini ad quē, sed per modū partis formalis; at nos hic quærimus de ratione priucipiandi eius per modum

dum termini ad quem. Suar. disp. 12. Meth. sec. 1. num. 9. ait, formam esse priorem generatione in intentione, quatenus generatio essentialiter ordinatur ad formam, quæ est prioritas causæ finalis. sequitur Amicus tract. 4. q. 5. art. 4. sed hæc responsio est peior priore, quia sic potius causa finalis poni deberet inter principia generationis, & non causa formalis, vt benè cum Auersa aduertunt Bell. & Mastr. & tamen communiter fatentur, materiam, formam, & priuationem, esse principia generationis, efficientem, & finalem excludentes. Tū etiā quia hac prioritate per modum finis, & intentionis, compositum est prius forma, quia etiam ipsa forma, hoc genere prioritatis est propter compositum.

Melius igitur dicendum est, quod generatio considerari potest, vel in ratione productionis, vel in ratione mutationis; si primo modo, forma non est principium generationis per modum termini ad quem, sed potius res è contra se habet, quòd generatio est principium, vel inchoatio formæ. Si verò secundo modo consideratur, scilicet, in ratione mutationis, adhùc potest forma in ordine ad illā considerari dupliciter; vel scilicet, vt immediatè succedens in materia ad sui priuationem, vel post illam immediatam successionem; primo modo considerata est principium illius, q̃a tunc fit mutatio in materia, cum primò intelligitur informata forma, qua prius immediatè carebat; quare forma in materia saltem prioritate naturæ, mutationem præcedit; in secundo autem sensu, forma non est principium illius generationis, sed potiùs est per ipsam principiata, quia tunc intelligitur quasi in esse quieto, & in hoc sensu forma dici solet per generationem acquiri, veluti per viā, & dicitur terminus, & finis generationis, in quo etiam sensu Philosophus 2. de generatione tex. 55. ait, ad formæ pręsentiam cessare motum, cum in alio sensu dixisset 1. Phys. tex. 68. præsentiam formę facere mutationem.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Principia rerum naturalium sint contraria, & quomodo.

Scotus de hoc art. agit in 2. sent. d. 1. q. 5. & ibidem q. 3. lit. L. & alibi: supponimus Arist. à tex. 42. clarè docuisse aliqua principia debere, esse contraria, formā, scilicet, & priuationē, contrarietate nimirùm latè sumpta, prout cum oppositione priuatiua coincidit, non tamèn omnia, quia præter ista institui debet Tertium principium, quod sit commune subiectum vtriusq. contrarij, de vno in aliud successiuè progrediens, quæ veritas licèt sic luce clarior, non tamen desunt ex Recentioribus, qui etiam lucem inutilibus speculationibus obnubilent. Nos autem veteres scholasticos sequentes, & præcipuè nostri Doctoris vestigiis insistendo, ità per sequentes conclusiones respondemus.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, non omnia principia Physicæ mutationis esse contraria positiuè, vel priuatiuè, sed solùm formam, & priuationem, seu terminum à quo, & ad quem partiales, esse adinuicem contraria per se primò, & directè. Prima pars colligitur

mani-

manifestè ex Philosopho 1. Phys. Vbi tex. 67. ait. principia esse contraria, & non esse contraria, idest, vt eius Expositores communiter exponunt, aliqua principia sunt contraria, vt forma, & priuatio, quædam verò non; vt forma, & materia. probatur, nam materia secundum se manet cum forma, absente priuatione, & manet cum priuatione, absente forma, ergo cum illis nullam habet contrarietatem. Tum quia contraria habent fieri circa idem, quod recipit vtrumq. ergo aliquod principium non est contrarium, sed vtriusq. susceptiuum. Vndè inter materiam, & formam; potentiam, & actum, solum opposito relatiua intercedit.

Probatur quoad secūdam partem ex Arist. 1. Phys. qui tex. 41. & sequētibus, posuit contrarietatem inter principia per modum termini à quo, & ad quem, prout incipiunt mutationem, non autem inter principium per modum termini à quo, & suum principiatum, vt concedit Auersa. Vult iste Doctor q. x. Phys. sec. 4. ꝙ terminus à quo, vndè directè, & adęquatè fit compositum, non fit præcisè priuatio formæ, sed priuatio totius compositi; nam quando fit compositum, directè, & adæquatè fit ex non composito, atq. ideò cùm priuatio, seu non esse compositi directè opponatur composito, & non formę, sequitur contrarietatem per se, & directè inueniri inter hanc priuationē, seu terminum à quo totalem, & principiatum; at quia hæc priuatio totalis includit priuationem partialem, & terminus ad quem totalis, includit terminum ad quem partialem, scilicet formam, hac ratione (ait præfatus Doctor) cōcomitanter cōtrarietatē reperiri etiam inter principia compositi, sed falsum fundamentum, nam in generatione compositi non interuenit priuatio, velut terminus à quo respectu compositi, cum hæc potius sit negatio extrà genus, concurrens per modum termini à quo ad creationem, quæ fit ex nullo præcedenti subiecto, non verò ad generationem, quæ fit ex præsupposito subiecto, & ideò petit pro termino à quo negationem in genere, quæ est carentia formæ in subiecto apto nato; & solùm hoc significare voluit Arist. dum ait, hominem fieri ex non homine, album ex non albo, idest album fieri ex negatione albedinis in subiecto apto nato, quod magis declarauit tex. 43. & 44. cum dixit, album, & musicum non fieri ex quocumq. non albo, & non musico, sed ex nigro, aut medijs, aut immusico, quibus verbis innuere voluit, vt ferè omnes eius Expositores interpetrantur, & Auersa ipsemet loc. cit. in fine, album non fieri ex pura negatione albedinis, sed tantū ex priuatione dicente aptitudinem in subiecto, ergo terminus, à quo fit compositum in generatione, non est pura negatio totius esse, cùm hęc materiam, & formam neget, in generatione autem, estò forma non præexistat, præexistit tamèn materia. Tùm quia communissima, & receptissima est distinctio illa contrariorū, quòd aliqua se totis adęquatè, & primò sint contraria, vt sunt forma, & priuatio in abstracto, vt V. g. albedo, & non albedo; aliqua verò non se totis, sed inadæquatè tantùm, & ratione alterius partis sunt contraria,

vt sunt

vt sunt eadem in concreto, scilicet, album, & non album, nam album, quod est compositum accidentale, opponitur non albo, nempe subiecto, tali forma priuato, non se toto, sed inadęquatè, scilicet, ratione albedinis, ergo compositum, idest album non per se primò opponitur nõ albo, sed potius concomitanter, ratione contrarietatis per se primò repertæ inter albedinem, & priuationem albedinis, quod est contra Auersam.

Conclusio Secunda.

Dicimus secundò, contrarietatem hanc per se primò repertã inter terminum à quo, & ad quem, esse per se oppositionem priuatiuam, per accidens autem, & concomitanter esse quoq. positiuam. Est Scoti loc.cit.in 2.sent. Vbi docet, generationem vnius, esse corruptionem alterius, non quod per se hoc exigat generatio, sed ob formarum incompossibilitatẽ, & ità quasi accidentaliter, non per se: est contrà Zabarel. & ità facilè quòad primam partem probatur: Illa sunt contraria priuatiuè, quæ se inuicem expellunt ab eodem subiecto, sed terminus à quo, & ad quem generationis, in ratione mutationis sũt huiusmodi, ergo &c. maior patet ex Logica, minor nota est ex dictis, quia terminus ad quem est forma, terminus à quo, est priuatio, quæ se inuicem excludunt ab eodem subiecto. Probatur etiam quò ad secundam partem, quandò .n. fit generatio, nõ solùm reperitur in materia, priuatio formæ generandæ, sed alia forma ei positiuè repugnãs, saltèm disparatè, quæ etiam computatur pro termino à quo, quia cum ipsa priuatione recedit, sed quia hoc oritur, vel ex incompossibilitate formarum, vel quia materia non potest duas formas simul, & semel habere, vel quia aliquando in mutationibus accidentalibus, huiusmodi terminus positiuus non interuenit, vt cum aer fit lucidus, hinc sequitur, vt per accidens tantùm, & concomitanter inter terminum à quo, & ad quem, contrarietas positiua reperiatur.

Obiectiones contrà Primam.

Contra primam partem conclusionis arguitur pro Aquario ad quest.8. Ferrariensis, quòd scilicet, materia habeat pro contrario formam, nam ex 2. de generatione tex.56. contrariorum effectuum sunt causæ contrariæ, sed effectus materiæ, & formæ sunt contrarij, ergo &c. ℞. effectus materiæ, & formæ non esse contrarios, sed diuersos, & ideò compossibiles, & conueniunt ad constitutionem totius, Vndè præter oppositionem relatiuam, inter materiam, & formam, quæ sunt actus, & potentia nulla alia contraria opposito reperitur.

Ob. 2. materiæ, & formæ conueniunt conditiones primorum contrariorũ assignatæ 1. Phys. tex.42. quòd scilicet, non fiunt ex alijs, nec ex alterutris, sed ex his omnia, ergo sũt contraria. ℞. conditiones loc. cit. à Philosopho enumeratas non conuenire adęquatè primis contrarijs, sed adęquatè primis principijs, ità quod quæcumq. illas habent, sint prima principia.

Ob. 3. Contraria ità se habent, vt vno contrariorum existente in rerũ natura, ponatur, & reliquum 2. Cęli tex.18. at materia, & forma, ità se habent,

habent, vnum .n. sine altero existere non potest, ergo &c. R. in tali modo arguendi committi fallaciam cõsequentis, vt est animal, ergo est homo. licèt enim contraria ità se habeant, vt ex positione vnius, inferatur positio alterius, non tamen ex tali mutua illatione duorum valet inter ea inferre contrarietatem, talis.n. mutua illatio non adæquatè cõuenit contrarijs, sicut non valet, risibilitas existere non potest sine rationalitate, ergo risibilitas, & rationalitas sunt contraria.

Contra secundam partem conclusionis arguit Auersa: Terminus à quo directè, & perse opponitur termino ad quem, sed terminus ad quem quatenus talis, non est principium, sed principiatum, ergo principium, quod est terminus à quo per se, & directè non dicit oppositionẽ cum alio principio, sed cum suo principiato. R. vt suprà, quod terminus ad quem generationis, in ratione productionis est principiatum, in ratione autem mutationis, est principium, in quo sensu loquitur de termino ad quem, vt opponitur termino à quo.

Arguit 3. Hoc genus principij per modum termini à quo, inuenitur in omnibus rebus creatis, etiam si non constent ex materia, & forma, nam etiam Angelus factus est ex suo non esse, ergo per se, & directè hoc genus principij nõ dicit oppositionem cum alio principio; sed cũ suo principiato. R. Auersam re vera confundere terminum à quo creationis, cum termino à quo generationis, & terminum ad quem generationis, cum termino ad quem productionis. Verum est, quod Angelus fit ex non esse sui, sed talis est negatio extra genus, quæ solùm in creatione est terminus à quo, & admittimus talem terminum, directè opponi termino ad quem, vt principium principiato, quia creatio habet rationem productionis, non mutationis; & terminus ad quem in productione semper habet rationem principiati, non principij; sic etiam concedimus, formam opponi cum sua priuatione, ex qua fit, sicut principiatum principio, si sumatur talis factio in ratione productionis, non autem si accipiatur in ratione mutationis, quia sic priuatio, & forma non comparantur inter se, vt principium, & principiatum, sed ambo comparantur ad tertium, scil. ad mutationem, vt principia per modum termini à quo, & ad quem. ità Bell. & Mastr.

Obiectiones contra Secundam.

Obijcitur primò pro Zabarella ex Philosopho in hoc 1. Phys. Vbi hanc principiorum oppositionem semper exprimit nomine contrarietatis, & nunquam oppositionis priuatiuæ, hinc tex. 43. ait album fieri quidem ex non albo, non tamen ex omni non albo, sed ex nigro, aut medijs, quo innuere voluit inter terminum à quo, & ad quem non sufficere qualemcumq. oppositionem, sed requiri contrariam positiuè. R. Arist. locutum esse de contrarietate largè, pro oppositione, quam tex. 50. clarè docuit esse priuationem, & dum tex. 43. ait, album fieri non ex omni non albo, sed ex nigro, non vtiq. requirebat contrarium positiuum in subiecto, quia sine illo fit generatio, vt patet in illuminatione, sed requirebat subiectum capax formæ generandæ;

Vndè

Vndè ait, album nõ fieri ex quocũq. non albo, ideſt non ex quocumq. habente negationem albedinis, cuiuſmodi ſunt etiam ea, quæ non poſſunt eſſe alba, ſed ex nigro, ideſt non albo priuatiuè ſumpto, ſcilicet habente priuationem albedinis, cuiuſmodi ſunt illa, quæ licèt alba non ſint, talia tamen eſſe poſſunt, & nomine nigri, vel medij coloris Philoſophus indicauit, quia cum idem ſit ſubiectum contrariorum, hoc ipſo, quod aliquid eſt nigrum, vel viride, eſt etiam capax albedinis.

Ob. 2. Si ſufficeret contrarietas priuatiua principiorum, ſequeretur ex quolibet fieri quodlibet V. g. ex ligno fieri aquam, ex lapide panem, ſed hoc eſt contra Philoſophum 1. Phyſ. tex. 43. & contra experientiam, nam acetum non fit ex materia ferri, ſed ex vino, ergo &c. ſequela maioris patet, quia materia ligni, vel lapidis habet priuationem formæ panis &c. ℞. communiter quod ſicut duplex aſſignatur potentia in materia, vna remota, & indeterminata ad omnes formas indifferenter, altera proxima, & determinata ad hanc, vel illam formam, ad quam peculiariter diſpoſita eſt per agens naturale, ſic etiam duplex aſſignatur priuatio, remota, quæ connotat nudam capacitatem materiæ; & proxima, quæ cõnotat aptitudinem proximam per debitas diſpoſitiones, atq. ideò duplex contrarietas priuatiua, vna remota, & indeterminata, altera proxima, & determinata; Vndè concedimus ex quacumq. parte materiæ fieri quodcumq. remotè, & immediatè, multis .n. tranſmutationibus mediantibus, ã dem eſſe poteſt, vt materia, quæ eſt ſub forma lapidis, reperiatur ſub forma panis, non tamẽ proximè, & immediatè ex quolibet, nam ſic determinata forma, fit ex determinata materia iuxtà præuias diſpoſitiones; & ità ad probationem ſequelæ maioris, concedimus, materiam ligni, vel lapidis habere priuationem panis &c. remotam, ſed non proximã, de qua nos hìc loquimur, & ideò ſolùm remotè ex ea fieri poſſe.

Ob. 3. Ad generationem non ſufficit, quod præcedat in materia quæcumq. forma, ſed debet ſupponi forma, ex qua proximè poſſit alia gigni, Vndè in materia lapidis non eſt priuatio formæ animalis, cum ex lapide proximè non poſſit gigni animal, ergo requiritur oppoſitio poſitiua inter formas. ℞. admittendo ad generationem naturalem certæ formæ, certas quoq. prærequiri diſpoſitiones, quę non diſponunt pro quacũq. forma ſubſtantiali, vt in exemplo allato patet, vt enim anima ſenſitiua generetur, præſupponitur in materia forma corporeitatis, id autem oritur ex neceſſitate talium diſpoſitionum, non ex neceſſitate contrarietatis poſitiuæ inter formas; imò in ſententia noſtra quando hoc modo prærequiritur forma mixti, vt ex ea proximè generari poſſit ſenſitiua, forma præcedens non ſe habet, vt terminus à quo contrarius, ſed permanet cum forma adueniente, & ideò negatur conſequentia; ſufficit .n. quod ad mutationem præcedat carentia formæ generandæ in ſubiecto apto nato.

Quartò obijcitur ex Fonſeca 5. Meth. cap. 2. q. 4. ſec. 2. ſi Deus materiam nudam propè ignem apponeret

ignis nihil in eam ageret, quia agens naturale non introducit formam, nisi in materiã dispositam, nec disponit materiam, nisi quæ habet aliquam formam substantialem, ergo &c. & negando in tali casu, ignem non introducere in materia formam ignis, imò statim induceret, quia nullam resistentiam in passo reperiret, & satis disposita censetur materia, vt possit hanc, vel illam formam recipere, præter animam; & quamuis modo non disponatur, nisi dum est sub alia forma, hoc oritur, quia naturaliter non potest sine omni forma reperiri, non autem ex generationis necessitate. sed de hoc puncto fusiùs suo loco &c.

DISPVTATIO III.

DE MATERIA PRIMA,

ET FORMA SVBSTANTIALI.

HAbita notitia de principijs in communi, tàm quòad mutationem substantialem, quàm accidentalem, de illis agere aggredimur in particulari; & quia ordine naturæ mutatio substantialis, accidentalem præcedit, de materia prima, & forma substantiali, quæ sunt talis mutationis principia, incipiendum erit; Item quia materia, & forma transcendenter inter se referuntur, indè notitia vnius maximè ad alterius notitiam cõducet; Ideòq. agemus primò de vtriusq. principij existentia in rerum natura, deinde sigillatim de vtriusq. quidditate.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Materia Prima, & Forma Substantialis sint in rerum natura.

SCot. in 2. sent. d. 12. q. 1. §. *Propositio ista &c.* defendit dari existentiam materiæ primæ in rerum natura, quod ità certum apud Antiquos Philosophos fuit, vt Quidam eorum asseruerint, totam substantiam rerum naturalium esse materiam, putantes sola accidentium diuersitate res abinuicem differre, vt Arist. meminit 1. Meth. c. 2. & 3. sed quicquid sit de Antiquorum opinionibus circa materiæ, & formæ existentiam, certissimum est post Arist. tempora, Philosophos omnes eius vestigijs inhærentes, vtrumq. principium mutationis substantialis concessisse.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, certissimum esse dari in rerum natura materiam primam, principium vtiq. substantiale rerum omnium materialium. est cõmunis toti scholæ Peripateticæ, exceptis Iunioribus aliquibus Cl. Reg. quam Scot. in 2. cit. efficacissimis rationibus probat, sed quia modò hoc potius supponitur, quàm probatur, sufficiãt mõ hę rõnes 1. si non daretur materia prima, res omnes fierent ex ni-

ex nihilo, & in nihilum redirent, ac proindè quęlibet productio esset creatio, aut transsubstantiatio, & omnis corruptio esset annihilatio, sed ex nihilo nihil fit naturaliter, & nulla res in penitùs nihil desinit, ergo danda est materia, ex qua tanquàm ex subiecto primo omnia fiant, & in quod tamquam in vltimum resoluantur, vt Arist. docuit 1. Phys. tex. 82. sequela maioris probatur, nam quādò v.g. ex ligno fit ignis, si ignis factus est totus de nouo, iam de nihilo sui factus est, & consequenter creatus; si aliquid remanet, hoc non potest esse forma ligni, quia adhùc in igne esset lignum, post destructionem ligni, quod est falsum, ergo illud, quod remanet erit materia; sic etiam quandò lignum corrumpitur in ignem, vel in igne manet aliquid, quod anteà esset in ligno, vel nihil: si nihil, ergo admittitur annihilatio naturaliter, si aliquid, hoc non potest esse forma ligni ratione iam dicta, ergo erit materia.

Probatur 2. ratione Arist. Quælibet sensibilis mutatio requirit aliq̃ commune subiectū, quod transeat à termino à quo, ad terminū ad quem; sed datur mutatio substantialis, vt constat in omnibus sublunaribꝰ, quæ modò generantur, modò corrūpuntur, ergo dandum est commune subiectum, quod modò vnam formam suscipiat, alteram amittat, & hoc est, quod materiam primam appellamus.

Probatur 3. ex eodem Arist. in hoc primo tex. 69. per analogiam ad artefacta, dicens: *vt .n. ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formas materia, & informe se habet priusquam accipiat formam: si hæc ad substantiam, & hoc aliquid, & quod est, se habet.*

Probatur 4. Quia negata materia prima, sequeretur necessariò processus in infinitum in causis materialibus, ergo &c. probatur sequela, si .n. ponatur subiectum compositum; vel in eo ponitur pars materialis omnino simplex, & ità habetur intentum, quia illa materia prima vocatur; vel in subiecto composito datur pars materialis adhuc etiam composita; & tunc de illa iterum quærimus, vel habet partem materialem simplicem, vel compositam; si simplicē hæc est materia; si composita, adhuc quærimus, vt supra, & ità in infinitum. Tum tandem quia homo est corporeus, & habet animam rationalem De fide ex D. Athan. *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo*; ac anima est spiritualis, & imortalis de fide, ergo si homo est corporeus, necessariò per materiam primam, quam continet, tanquam aliam compartem, erit talis, ergo datur materia. ità P. Ricardus lync. tract. 2. de Materia, cap. 2. vbi etiam in calce septem affert absurda, quæ ex negatione materiæ primæ sequerētur, quę à curiosis videri poterunt.

Iustinus Martir in confutatione Dogmatum Arist. lactantius Firmianus, & Theodoretus affirmarunt, nullam dari materiam primam. ex quib. Aliqui Recentiorum ansam arripuerunt negandi materiam primam in scholis; sed non satis fæliciter, nam relati PP. non negarunt absolutè materiam primam, sed modum, quo illam Antiqui Philosophi posuerunt, scilicet Coęternam Deo, vel necessariò creatam, vt Arist. putauit.

prout videri potest apud D. Aug. lib. de fide c. 2. tom. 3. Cæterum, quod detur materia in rerum natura colligitur manifestè ex illo sap 11. vbi legitur: *non .n. impossibilis erat omnipotens manus tuas, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa. immittere illis multitudinem vrsorum*. idest de materia informi, & impolita, quæ est materia prima, & potentialis; ità defendit tota Schola, & vniuersitas Peripat. quæ inter Philosophos est prima, & in multis per tot ãnos eã ãplectitur Ecclesia. Ità sentiunt SS. PP. & Theologi Potiores, & Classici in suis Scholis. ità D. Thom. 1. p. q. 66. tit. 4. cum suis asseclis. ità D. Bonau. in 2. d. 12. q. 2 art. 2. cum suis Discipulis. ità Scot. in 2. cit. & alibi cum suis Turmis. ità Ocham cum suis Nominalibus. ità Ægid. quol. 5. q. 19. cum Agustinẽsibus, & toto Agmine Scolasticorum.

Non potest tamen negari, quin intellectus humanus propter suam participatam libertatem, & amplam indeterminationem, quam ad suos actus habet, possit semper, & in qualibet sententia amphibilogiam, & dubitationes afferre, vt Aliqui ex Recentioribus in præsenti quæstione gloriantur, quo ego certè non auderẽ, sed potius in obsequium tot. Phylosophorum, ac Sanctorum intellectum meum captiuarem, nemĩnis arrogans apparerem.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. dari formam substantialem in rerum natura. Probatur ratione deducta à Philosopho 1. Phys. tex. 43. oportet admittere principium, quo vna substantia materialis ità in suo esse constituatur, vt per illud etiam substantialiter differat à qualibet alia re, tali principio constitutiuo carente, sed talis esse non potest nisi forma substantialis, ergo &c. maior patet, nam euidens est dari substantias materiales specie, & genere diuersas, vt hominem, plantam, lapidem &c. min. probatur, nam quærimus quid sit illud, quo ignis differt essentialiter ab aqua, vel .n. differunt ratione materiæ, & hoc non quia est eiusdem rationis in omnibus, saltem sublunaribus; vel essentialiter differunt per accidentia, sed neq. hoc, quia accidentia, & qualitates vnius elementi aliquando reperiuntur in alio, vt humiditas in aqua, & aere, & calor in aere, & igne &c. ergo per tales qualitates nequeunt essentialitèr differre, & huiusmodi accidentia ad summum nõ nisi accidẽtalem diuersitatem efficere possunt, ergo necessariò assignari debet in substantijs materialibus aliquid aliud præter materiam, quo substantialiter differunt, quod esse non poterit nisi forma substantialis, cuius proprium munus est specificè constituere, & distinguere; quod peculialitèr in homine, non solum Philosophia, sed etiam fides docet, vt habetur in Concil. Lateran. sub Leone X. Vbi determinatur, animam rationalem reperiri, vt formam informantem, & distinguentem hominem substantialiter à brutis. Probatur tandem existentia vtriusq. principij ex transmutatione substantiali, nam ex aqua fit aer, ex ligno fit ignis, at hæ mutationes fieri nequeunt per corruptionem, & generationem primi subiecti, quia tunc essent creationes, & annihilationes, ergo per generationem,

onem, & corruptionem formarum.

Obiectiones.

Ob. primò contra primam, quod, licet, nec detur, nec necessaria sit materia prima, nam ex Philosopho de generatione tex. 23. generatio substantialis est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ergo cum ex ligno generatur ignis, tota substantia ligni corrumpitur, & tota substantia ignis generatur. ℞. generationem esse mutationem totius in totum, non syncathegorematicè, pro toto, scilicet, & singulis eius partibus, sed sumendo totum cathegorematicè, vt dicit compositum illud per vnum ex materia, & forma constitutum, hoc .n. modo totum in generatione mutatur, quia materia cum sua forma, nouum totum constituit priori specie diuersum; ità Scot. 2. d. 12. q. 1. lit. A. in quo etiam sensu per generationem substantialem dicitur totum produci.

2. Ad introductionem formæ substantialis non requiritur materia prima, quod patet in Eucharistia, cum eius speciebus homo nutritur, ergo &c. ℞. negando assumptum cum sua probatione, omnes .n. fatentur tunc à Deo produci materiam primam, in qua forma carnis introducitur. Licèt hoc negetur à P. Palúbo. Reg. in Tract. de Sacramentis.

3. Sicut in generatione accidentis fit ens secundum quid, ex non ente secundum quid, ità in substantiali, quia fit ens simpliciter, debet fieri ex non ente simpliciter; ℞. admittendo genitum substantialiter fieri ex non ente simpliciter, scilicet, non ente in actu completo, & perfecto per formam substantialem, & talis est materia prima, carens forma substantiali, & dicitur ens in potentia ad illam, & est doctrina Philosophi 1. de generatione c. 3. non autem ex non ente simpliciter, scilicet, ex nihilo.

Contra formam substantialem arguitur ex Arist. 7. Meth. tex. 8. vbi docere videtur, solam materiam esse substantiam, cætera affectiones substantiæ; & 2. de generatione à tex. 7. docet formas elementorum esse primas qualitates; & 2. de Anima tex. 7. ait ex materia, & forma fieri vnũ, vt ex cera, & figura. ℞. ad primam auctoritatẽ, quod Arist. solùm proponebat dubitationem Antiquorum, quibus sola materia videbatur substãtia, at ipse in processu ostendit etiam formam, & compositum substantias esse. Ad secundam ex 2. de generatione descripsit formas elementorum per primas qualitates, veluti per notiores; vel illas constituit formas, & principia corporis tangibilis, & sensibilis reduplicatiuè, quo sensu etiã albedo potest dici forma, & principium constitutiuum corporis albi, nõ tamen specificatiuè. Ad Tertiam ex 2. de Anima similitudinem accepit ex artificialibus, vt actualitatem formę substantialis, & potentialitatem materiæ ostenderet, vt à notioribus nobis, non quod eadem compositio fieret hic, & ibi, vt in alijs locis Arist. explicat.

Obijcitur. Si daretur forma substantialis, subsisteret, & nullo subiecto sustentante indigeret, & tamen indiget, ergo est forma accidentalis; ℞. negando sequelam ex Doct. Quol. 9. lit. A. nam modus essendi per se, qui substantialem formam ab accidens-

cidentali distinguit, negat eam esse in alio, tãquàm in subiecto inhæsiuè, illud autem est in subiecto inhæsiuè, quod dependet à subiecto vt substentante, & non constituit cum eo vnum per se, sed vnum per accidens, quod propriè accidenti conuenit.

Ob. Corrupta forma substantiali, in aliquibus viuentibus manet eadẽ operatio, vt patet de napello, elleboro, & alijs plantis exiccatis, ergo &c. ℞. virtutes harum, & similium plantarum in eis manere adhùc exsiccatis, quia non à vegetatiua dimanant, quæ recedit, sed à forma mixti, seu corporeitatis.

Ob. Tandem, si daretur forma substantialis, maximè ex operatione deprehenderetur, cum operatio arguat formam, sed in vna re plures videntur operationes, non solùm inter se diuersæ, verùm etiam contrariç, nam napellus hominem interimit, & turdum nutrit, ergo tales operationes non ab vna forma substantiali, sed à diuersis accidentibus eiusdẽ rei prouenıunt. ℞. multitudinem operationum non semper arguere pluralitatẽ formarum, sed potius perfectionem formæ, quæ cum ob sui perfectionem illimitata sit, multis indiget accidentibus, veluti instrumentis ad eas producendas, quò .n. forma est nobilior, eò est illimitatior ad operandum, vt de Anima rationali patet; quod verò eadem causa diuersos, ac etiam contrarios aliquando producat effectus, hoc interdum euenit ex varia subiecti dispositione; Vndè idem sol constringit lutum, & dissoluit glaciem, sic accidit in proposito de allato exemplo, ex varia .n. hominis, & turdi complexione euenit, vt napellus hominem necet, & turdum nutriat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Materia Prima habet actum entitatiuum, & quid sit eius quidditas, & natura.

SCotus hunc articulum resoluit in 2. sent. d. 12. q. 1. Vbi lit. C. loquendo de materia prima ait: *igitur sequitur, quod est aliquid, non in potentia obiectiua tantum, vt probant omnes rationes supradictæ &c.* supponimus primò ex Auicenna 1. lib. suff. c. 2. nomina materiæ in duplici esse differentia, quædam propria, quædam metaphorica; Propria sunt Hyle, subiectum, materia, massa, origo, elementum. Dicitur Hyle, quatenùs est in potentia ad formas, cum ipsarum priuatione. Subiectum, respectu formæ quam habet, & hoc dicitur subiectum primum ad differentiam subiecti accidentium, quod est compositum, & posterius, & ideò dicitur subiectum secundum. Materia, quatenùs ex ea omnes res naturales effectæ sunt, & ob eamdem rationem secundum Auicennam dicitur Massa, licèt secundum Albertum dicta sit massa, prout in diuersas portiones diuisa, varia constituat composita. Dicitur Origo, quatenùs principium est generationis rerum. Dicitur Elementum, quia ex ea omnia primò componuntur, & in eam vltimò resoluuntur; omnia autem in materiam resolui, aliud non est, quàm quòd ex corruptione totius, nihil aliud ipsius remaneat, nisi sola materia, cætera verò corrumpuntur. Aduertimus tamèn Hyle, & materiam idem significare, nam Hyle est græcum, & idem significat, quod latinè materia.

Nomina autem metaphorica quatuor

r enumerat Alber. trac. 3. cap. 12. itur .n. sylua, mater, fæmina; pe; sylua ob confusionem, vt .n. ita continentur actu, & potentia fusè in sylua, sic formæ in mate-, quæ confusio est quædam indeminatio, & indifferentia materię, formas; Dicitur mater, quia ex procedunt formæ; Dicitur fæmiquia recipiens ab agente formam, e est pulchritudo, poteſtq. per ta- formam pulchra fieri. his, & mul alijs nominibus appellari solet, tà plura eius munera, scilicet, fun nentum omnium formarum, 1. de ieratione; principium, 1. Phys. cau 2. Phys. pars essentialis, 1. Phys. 7. Meth. & à D. Aug. x. confess. itur terminus creationis de nihilo ducta. Nos in præsenti de ea lomur, vt principium est materiale im, ex quo omnia generantur, altntur, & corrumpuntur, & supito quod iam sit, quærimus quid sit.

Quantùm igitur ad eius quidditat, mirum est quidèm quot sunt eita, & sententiæ apud etiam pessimos Peripateticos; Quidam .n. um affirmant materiam primam vtiq. substantiam, sed ità potenem, vt nullum prorsus actum hat etiam entitatiuum, ità D. Tho- 1. p. q. 66. art. 1. & q. 69. art. 1. & q. 7. de potentia art. 1. & q. 3. de itate art. 5. & alibi, quem omnes omistæ sequuntur. Aliqui asserũt eriam esse corpus, quod non eo modo explicant, nam Philopolib. x1. contra Proclum ait, maam esse corpus per trinam dimẽem quantitatis ipsi essentialiter uenientem, quæ tamẽ intermi- nata est ante aduentum formæ, & per eam terminatur, & amplectitur Thomas Gianninus lib. 3. cap. x. Auicen. verò lib. 1. suffic. c. 2. ait materiam esse corpus per formam quamdam substantialem ei cõgenitã, & ab ea inseparabilem, quam formam corporeitatis appellauit. Zabarel. lib. 2. de materia c. 12. vult materiam esse corpus simplex substantiale de prædicamento substantiæ, imò ipsam esse genus generalissimũ in recta linea.

Supponimus 2. quod Veteres Thomistæ ità prorsus à natura materiæ omnem actum entitatiuum excluserunt, vt intrà entium coordinationem nullum gradũ entis eis adscripserint, sed omnem eius entitatem, & actualitatem à forma mendicare affirmarunt. Alij tamen Thomistæ magis Diui Thomæ mentem penetrantes, concesserunt materiæ primæ propriam entitatem, & essentiam, realiter distinctam ab entitate formæ, nõ tamẽn existentiam distinctam ab existentia formæ, vel compositi, ità vt per actum entitatiuum, nihil aliud intellexerunt, quàm rei existentiam, quam ipsi ab essentia realiter distinguunt, & hunc actum materiæ denegant; & hæc videtur reuera mens D. Thomæ 1. p. q. 7. art. 2. ad secundum, vbi de tali actu loquens ait: *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia*. Ita sentit P. Aiossa, P. Carafa Archiepiscopus Salernit. P. Delbene Cl. Reg. & alij.

Aliqui verò Recentiores vlteriùs procedentes, concedunt materiæ nedum suam partialem entitatem, sed etiam existentiam realiter distinctam ab existentia formæ, & tamen adhuc actum

actum entitatiuum eidem negant, cōtendentes existentiam hoc nomine vocari non posse, ità Ruu. tract. de materia q. 2.

Ex his habetur, nullum Thomistarum materiam primam ità puram potentiam fecisse, vt etiam in sola potentia obiectiua posuerit, sicut modò est rosa in hyeme, Antichristus &c. sed semper falsi sunt, fuisse ab initio creatam, & in rerum natura existere cum alijs rebus; sed Alij dixerunt esse, & existere in natura, sed per solam essentiam, & existentiam formæ; Alij, quòd propriam habeat essentiā, non autem existentiam, sed hanc habet à forma; & ità cum Thomistis habemus litem de re, cum Ruuio tātùm de nomine.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, materiam primā esse entitatem de genere substantiæ, actu existentem in rerum natura, realiter distinctam ab entitate formæ, atq; ideo rectè dici potest habere actum entitatium. Est Scoti loc. cit. quem præter Scotistas communiter, sequuntur Nominales omnes, & ex Recentioribus Thomistis Tolet Suar. Auersa, PP. Pasqualigus, Aresi° Moranda, cū Aliq.b° CC.RR. Amicus, Perer. Hurt. Ariag. & Alij. & ità probatur à Doct. Materia secundū se considerata, vel est aliquid in rerum natura, vel nihil; non secundum, quia ex 1. Phys. est principium rerum in fieri, & subiectū primum omnium mutationum substantialiū; ex 2. Phys. est natura, est per se causa intrinseca compositi. ex 7. Meth. est fundamentum formarum, & secundū Theologos est terminus creationis, vt supra diximus ex D. Aug. ergo necesse est, vt sit aliquod ens reale actuale positiuum extra causas existens, quia cum principiatum pendent à principio, & causatum à causa, si materia nihil est, composita naturalia in suo esse dependerent à nihilo, vel non ente; si est aliquid, vel est substantia, vel accidens; non secundum, quia ponitur subiectum formæ substantialis, & pars constitutiua substantialis compositi, ergo est entitas de genere substantiæ; sed non est eadem entitas substantialis cum forma, quia tunc non esset subiectum formæ, neq; esset altera pars compositi, & compositum foret entitas simplex, & materia generaretur, & corrumperetur ad corruptionem formæ, quæ omnia absurda, & indigna Philosopho sunt, non erit ergo solùm possibilis in rerum natura, sed entitas actu extra suas causas posita, excludens potentiam obiectiuam rei possibilis.

Tum quia cum Thomistæ dicunt, materiam non esse in actu, sed tantùm in potentia; vel intelligunt ipsā esse potentialem solùm, quia receptiua est formæ substantialis; vel in se non esse quidditatiuè aliquam entitatem actualem; si primo modo materiam potentialem vocant, benè loquuntur, & sunt nobiscum; at ex hoc non benè inferunt ipsam non esse secundum se in rerum natura entitatē actualem, cum potius oppositum inferre debeant, si .n. materia est fundamentum idoneum, & susceptiuum formæ substantialis actualis, debet esse in actu, & extra suas causas posita, ne ens in actu .i. compositum in nihil, vel in non ente fundetur; si secundo modo potentialem appellant, asserere coguntur, vel quod materia sit tan-

sit tantùm possibilis in rerum natura, vt est Antichristus, vel esse in rerum natura per solam entitatem formę, vt Veteres Thomistæ affirmabant, quod iam impugnatum est, quia tunc materia non esset pars compositi, compositum foret entitas simplex, & materia generaretur, & corrūperetur, quæ omnia sunt contra Philosophū.

Quòd deindè rectè dicatur, materiam habere actum entitatiuum, indè patet, quia per actum entitatiuum, omnes intelligunt id, per quod ens est à parte rei extra suas causas, ità vt de re per propositionem de præsenti, & de inesse verificari possit, absolutè dicendo, hoc est, vt benè aduertunt Mastr. & Bell. disp. 2. Phys. q. 1. ex Ariminensi in 2. sent. d. 12. q. 1. art. 1. & è contra ens in potentia dicitur, de quo non verificatur esse hoc modo, sed per propositionem de possibili, dicendo, hoc potest esse, at quamuis secundum nos verificari non possit propositio, quod res sit de præsenti in rerum natura, nisi per existensiam, quam nos ponimus modum intrinsecum essentiæ, quo dicitur esse extra suas causas, & ideò solùm existentia secundum nos verè dicatur actus entitatiuus; tamen secundum Thomistas, etiam ab existētia præscindendo, potest de re propositio verificari, quod habeat esse substantiale extra suas causas in rerum natura, cum Ipsi ponant Essentiam realitèr ab existentia distinctā; ergo concedendo in composito materiam habere entitatem realem, ab entitate formæ realitèr actualitèr distinctam, admittunt quantùm sufficit dicere de præsenti, quod materia est in composito, & quod in eo habet esse substantiale, & consequenter quod sit ens in actu, vel habet actum entitatiuum &c.

Respondēt Thomistæ, concedendo materiam, vt etiam à forma distinctam, esse entitatem realem, esse principium in fieri, esse subiectum formarum, esse partem cōpositi &c. non tamen ob id dici posse ens in actu, nam id tantùm est forma, vel cōpositum, quod habet formam; & ideò causat vt potentia, principiat vt subiectum, nunquam tamen vt actus: qua responsione etiam vtuntur, qui existentiam quoq. distinctam à materia concedunt, adhùc .n. volunt hāc existentiam esse merè potentialem, nec vllo modo dici debere actum, quia etiam Arist. licèt benè agnouerit, materiam esse entitatem in rerum natura existentem, ad hùc tamen sēper potentiam vocauit, nunquā actū.

At hæc responsio tota in æquiuocatione potentiæ, & actus posita est; cum .n. materiam appellant potentiam, vel intelligunt de potentia obiectiua, seu entitatiua, quæ est res possibilis, quæ tamen ad hùc non est, & hoc dici nequit, quia re vera materia non est tantùm res possibilis, sed est in actu in rerum natura; vel intelligunt de potentia subiectiua, quæ est res existens, potens tamen in se formam recipere, qua perficiatur, qualis est V. g. potentia ligni ad formam statuæ, in quo sensu vtiq. intelligi debet; & sæpè Arist. potentialitatem materiæ explicauit per potentialitatem materiæ artefactorum ad formas artificiales, & in hoc sensu negare non possunt materiæ actum entis, quia talis actus non excluditur à potentia subiectiua. Quod autem Arist.

eam appellauerit potentiam, mirum non eſt, quia ſemper de ea locutus fuit in ſecunda notione, in ordine, ſcilicet, ad ſubſtantialem formam, cuius eſt ſubiectum, & cum qua vnũ per ſe conſtituit; & dicitur etiam communiter pura potentia, quatenùs actus entitatiuus, quem includit, totum exercet in munus potentiæ paſſiuæ, ſeu receptiuæ, & ſuſtentatiuæ formarum; & eadem ratione dici non debet ens in actu, quia ſecundum cõmunẽ loquendi vſum, hoc ſignificat actum ſimpliciter completum, & perfectum, quod eſt compoſitum, vel forma illud actuans, & per hæc Rꝫ ad plures Ariſt. auctoritates, qui ſępiùs materiam potentiam appellat, & per ſe potentiam &c. Ad id quod Materia exiſtat per exiſtentiam formę, videbimus infra art. 3.

Concluſio Secunda.

Dicimus 2. Materiam eſſe ſubſtantiam corpoream per gradum corporeitatis ſibi eſſentialiter identificatum, abſolutè tamen non poteſt dici corpus, neq; in ſenſu Philoponi per trinam dimenſionem ſibi eſſentialiter conuenientem, neq. in ſenſu Auicennæ per formã corporeitatis ſibi coeuam, neq. tandem in ſenſu Zabarel. per gradum corporis ſimplicis directè poſitum in prædicamento ſubſtãtiæ. & quoad primam partem, quòd materia poni debeat corporea per gradum corporeitatis eſſentialiter diſtinguentis ſubſtantiam corpoream, & materialem ab incorporea, & immateriali, eſt apud omnes communis; materia .n. habet pluralitatem partiũ entitatiuarum, & integralium, ratione cuius dicitur ſubſtantia exigitiua quantitatis, in qua exigentia, vel principio eius radicali conſiſtit gradus corporeitatis diſtinguens eſſentialiter ſubſtantiam corpoream ab incorporea, tàm completa vt Angelus, quàm incompleta, vt anima rationalis.

Quod autem poni non poſſit corpus trinæ dimenſionis cum Philopono, quatenùs ſcilicet, habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, indeterminatas tamen, & ſine limitibus, & determinari per formas aduenientes, eſt etiam (Ipſo excepto) communis; nam huiuſmodi corpus eſt accidens, & in prædicamento Quantitatis. Tum quia ideò ponebatur ab eo trinè dimenſa materia, vt redderetur diuiſibilis, & extenſa, vt eſſet proportionatum ſubiectum formarum materialium, forma .n. diuiſibilis recipi non poteſt in ſubiecto indiuiſibili, qualis eſſet materia ſine quantitate; Sed contra, vel hæc trina dimenſio eſt forma eſſentialiter diſtincta à materia prima, & in ipſa recepta, veluti in ſubiecto ad modum aliarum formarum, vel non; ſi primum, ergo antecedenter ad illam trinam dimenſionem materia eſt extenſa, & corporea, quia quantitas cum ſit accidens materiale, non poteſt in ſubiecto in extenſo recipi; ſi ſecundum, ergo materia prima eſt eſſentialiter accidens, vel accidens eſt de eſſentia ſubſtantię. cogimur ergo dicere, quod materia prima dicatur corporea per gradum corporeitatis iam explicatum.

Quod etiam dici nequeat corporea per formam corporeitatis coęuã cum Auicennâ, diffusè probat Doctor in 2. diſt. 18. pro nunc ſic breuiter probatur: Vel hæc forma corporeitatis

reitatis coęua est de essentia materiæ, vel non, sed potius in ea reperitur, vt in suo perpetuo subiecto; non primum, quia tunc materia non esset in potentia ad omnes formas, cũ non sit in potentia ad illam, quæ ponitur de eius essentia, nullum .n. ponitur in potentia ad id, quod ponitur de essentia illius. Tum quia Philosophus 1. Phys. tex. 69. ponit eam à quacumq. forma naturali denudatam, sicut materia artefactorum denudata est à quacumq. artificiali. Tũ quia materia prima esset essentialiter actus formalis, & composita: neq. secundum, quia sic materia non redderetur primò corporea substantialiter per talem formam, si hæc non esset de eius essentia, sed potius quia hæc forma esset extensa, & corporea, extensum etiam, & corporeum subiectum in quo reciperetur, supponeret.

Quod tandem dici non possit corpus per gradum corporeitatis simplicis, directè positum in prædicamento substantiæ, & maximè vt generalissimum, vt Zabarel. autumabat, probatur, quia tunc materia prima prædicari posset de substantia corporea, & incorporea, quia etiam substantiæ incorporeæ finitæ sunt directè in prædicamento substantię. Tum quia posset saltem de substantijs corporeis inferioribus prædicari in recto, dicendo homo est materia, sicut dicitur homo est corpus, est substantia &c. Tum tandèm quia materia prima secundũ omnes ponitur in prædicamento reductiuè tantùm, per modum partis compositi substantialis, cum non sit ens completum, ergo &c.

Obiectiones contra Primam.

Obijciunt Thomistæ: Volens Arist. ostendere materiam esse puram potentiam, ait tex. 8. 7. Meth. *non esse quid, nec quale, nec quantum, ergo* &c. ℞. Philosophum in eadem auctoritate se declarasse, ait .n. *materiam non esse quid nec quale nec quantum, nec quid eorum quibus ens est determinatum*. Videlicet, non esse actum determinantem, vel complentem, aut similem actum habentem. ita Doct.

Ob. 2. quod hæc nostra sententia fundata sit in illa distinctione de potentia obiectiua, & subiectiua; de actu formali, & entitatiuo, cum tamẽ Arist. solùm agnouerit distinctionem actus in primum, & secundum in 2. de Anima tex. 6. & distinctionẽ potentiæ in actiuam, & passiuam. Neq. explicari potest, ait Zabarel. quid sit iste actus ẽtitatiuus materiæ, nam si aliquid, vtiq. substantia erit, hæc verò diuiditur 2. de Anima, in materiam, formam, & compositum, & cum non possit esse forma, vel compositum, remanet quod sit materia materiæ. ℞. hanc distinctionem benè reperiri apud Arist. pluribus in locis, vt Scotus docet in 4. d. x 1. q. 3. D. & præsertim 7. Meth. tex. 59. & 8. Meth. tex. 15. Vbi loquens Philosophus de actu, & potentia, vt ex ipsis fit vnum per se, loquitur de istis, non vt opposita sunt actus, & potentia obiectiua, quia sic non stãt simul, sed de potentia subiectiua, & actu informante, quæ stant simul, de actu verò, & potentia pro vt opposita sunt, loquitur 9. Meth. tex. x 1. dum ait, *est autem actus existere rem, non ità sicut dicimus potentia*. quam distinctionem deinde explicans, in multis oppo-

oppositis manifestat, scilicet, vigilans ad dormiens, videns ad claudēs oculos, & elaboratum ad illaboratū, addens: *huiusmodi differentiæ alteri parti actus applicatus sit alteri verò possibili*. Videant quæsò 1 homines si illa Scoti distinctio in potentiam obiectiuam, & subiectiuam sit mera fictio: *est autem actus rem existere*, en actus entitatiuus. *non ita sicut dicimus potentia*, en potentia obiectiua tali actui opposita. Per hunc autem actum nos intelligimus id, per quod excluditur potentia obiectiua, & non dicitur āplius res possibilis, sed actu esse in rerum natura. intelligitur etiā id, quod aiebat Greg. per quod verificantur propositio de inesse, & de 2. adiacente, & de præsenti, quod, scilicet, res est; & secundum nos existentia est modus intrinsecus essētiæ, quo dicitur extra suas causas stare, hoc. n. propriè sonat nomen existentiæ; Vndè actus entitatiuus materiæ, erit existentia ipsius materiæ, non materia materiæ, vt aiebat Zabarel.

Tertiò, si materia includeret actū, tunc ex materia, & forma non fieret vnum per se, quia ex duobus entibus in actu nō fit per se vnum ex 7. Meth. cap. 29. forma. n. adueniens enti in actu est accidens. ℞. negando sequelam, & Arist. dictum intelligitur de duobus in actu completo, & totali, non de incompleto, & partiali, aliter si actum entitatiuum non haberet, nihil esset, & ideò nullum ens constituere posset, nec per se, nec per accidens.

Quartò, forma dat esse rei, ergo materia nihil entitatis ex se habet. Nec valet distinguere de esse completo, & specifico, &c. quia sicut se habet esse accidentale ad formam accidentalem, ità substantiale, ad formam substantialem, sed omne esse accidentale est prorsùs à forma accidentali in genere causæ formalis, ergo & esse quodcumq. substantiale erit à forma substantiali. ℞. formam dare esse specificum, & completum, non quodcumq. esse entitatiuum; & assumpta paritas de forma accidentali, & substantiali non valet, nam esse accidentale conuertitur cum forma accidentali, non sic esse substantiale cum forma substantiali, quia præter formam, datur etiam materia, & compositum, quæ sunt substantiæ ex 2. de Anima, & 8. Meth. vbi substantia diuiditur in materiam, formam, & compositum, & si totum esse substantiale est prorsus à forma substantiali, quomodo compositum substantiale est essentialiter compositum, & conflatum ex duabus partibus essentialibus, & duabus causis intrinsecis? hoc est argum. quod refert, & sequitur M. Iacob. Bru. q. 3. Phys. art. 3. putans per hoc benè probatam esse sent. Thomist. contra Scotist. addens, *malè ergo īquiūt Scotist. Thomist per tot secula nunquam probasse existentiam esse actum, seu effectū formæ*. sed quanti roboris hoc fuerit argum. cui tantum fisus est hic Doctor, vtriusq. Scholæ, ac Neuthericorum Arbitros peritos eligo.

Quintò, datur purus actus, nihil potentiæ passiuæ includens; qui est Deus, ergo in creatis dari debet pura potentia nihil prorsùs includens act⁹ entitatiui, & hæc erit materia prima remotissima à Deo. ℞. neg. paritatem, nam Deus dicitur actus purus

per

per exclusionem cuiuslibet potentiæ, tam obiectiuæ, quàm subiectiuæ, materia verò dicitur pura potentia subiectiua per exclusionem actus formalis tantùm, nō verò entitatiui, alioquin inter creaturas computāda non esset.

Sextò, omnis actus vel est informans, vt forma; vel per se existens, vt Angelus; sed materia non est forma, neq. Angelus, ergo neq. actus. ℞. diuisionem illam actus, esse diminutam, debet .n. addi, vel actus entis, quo materia ponitur extra suas causas, & existit, completur tamen respectu actus formalis in determinata specie predicamentali.

Septimò, si materia includeret aliquem actum, esset principium alicuius operationis, quia hæc ab illo actu dimanaret, sed nulla apparet operatio in materia, ergo &c. ℞. negando sequelam, nam hoc tantùm verum est de actu informante, & rem constituente in actu completo, non de actu entitatiuo materiæ, qui potentialis est, & potiùs ad passionem, quàm ad actionem ordinatus.

Octauò, sic se habet materia ad potentiam, vt forma ad actum, at forma sic est actus, vt excludat omnem potentiam, non solùm subiectiuam, sed etiam obiectiuam, ergo materia est ità potentia, vt excludat omnem actum, ne dum formalem, sed etiam entitatiuum. ℞. neg. paritatem, quæ solùm tenet quò ad potentiam subiectiuam, & actum formalem, non quò ad potentiam obiectiuam, & actum entitatiuum; nam tàm forma suum actum entitatiuum habet, quàm materia, vtraq. excludens potentiam obiectiuam; Nec verùm est, actum formalem omnem potentiam excludere, cum etiam talis actus sit in potentia ad plures actus accidentales recipiendos, imò, & in potentia ad materiam informandam, considerata in illo priori antequam informat.

Nonò, si materia includeret actū, tunc esset purus actus, quia est quid Physicè simplex non resolubile in alias partes, vndè est vel totaliter potentia, vel totaliter actus; non secundum, ergo primum. ℞. neg. sequelam, sed tota est actus, quia extrà suas causas; & tota potentia simul, quia tota eius actualis entitas rationem potentiæ passiuæ habet, & licèt sit quid Physicè simplex, non tamen excludit compositionem Methaphysicam ex potentia, & actu, & ex essentia, & modo eius intrinseco, scilicet existentia.

Deindè arguitur contra aliam particulam, probando, quod non sit substantia: Potentiale non est aliquid actu illius generis, cuius est potētiale, nec formaliter, nec reductiuè, vt patet de superficie receptiua coloris, quæ non est aliquid actu in prædicamento qualitatis, ergo cùm materia sit receptiua substantiæ, non erit aliquid generis substantiæ. ℞. ex Scoto in 2.d.12.q.2.lit.C. assumptum admitti posse de receptiuis in posterioribus generibus, non in primo genere, quale est genus substantiæ, & ratio est quia receptiuum in posterioribus generibus potest esse in aliquo priori genere, non sic receptiuum substantiæ, quod omninò primum genus est, atq. ideò cum hoc receptiuum debeat esse aliquid, saltèm reductiuè in hoc primo genere collocādū erit. Hinc

Hinc aduertendum ex Doct. loc. cit. lit. F. quod materia, & forma in esse Physico sunt primò diuersa, & se totis distincta, quatenùs materia q[uid]ditatiuè nihil includit actualitatis formalis, nec forma aliquid potentialitatis subiectiuæ, respectu alterius formæ substantialis, nèc eius actus entitatiuus ipsam materiam constituit sub specie completa substantiæ, nec ab alia specie completa eam distinguit, & hoc significare voluit Philosophus dum ait, in fundamento naturæ nihil esse distinctum, scilicet, rès materiales per materiam non distingui, sed per formam, at negare non potuit, materiam per suã entitatẽ distingui à forma, & à quocumq. alio, quod non est ipsa.

Sed contra, si materia à forma distingueretur, differentiam haberet, sed hoc est falsum, nam quæ constant ex genere, & differentia, sunt directè in genere, quo modo non est materia prima. ℞. negando sequelam, quia vt à forma distinguatur, non oportet ex genere, & differentia constare, cum non distinguantur vt duæ species completæ, sed vt partes illius, potentialis, & actualis. si autem prædicamentum substantiæ ità constitueretur, vt apex illius sit substantia finita, vt comprehendat tàm completas, quàm incompletas, admitti posset materiam constare ex genere, & differentia, nec aliquod sequeretur inconueniens, dispositio n. illa prædicamentorum non est ex natura rei, sed artificiosa ex dictis in Logica.

Obiectiones contra Secundam.

Arguitur pro Philopono: Materia antequàm formam quamcumq. substantialem recipiat, habet plures partes, secundũ quas subsistere potest et à formis incompossibilibus; & quia forma substantialis est indiuisibilis, & solùm ratione materiæ, in qua recipitur fit diuisibilis, & extensa; est etiã subiectum actionum agentis naturalis, quod non agit nisi in quantum, & constituit compositum corporeũ, ergo materia secundum suam naturalitatem est trinè dimensa, vel ipsa trina dimensio ℞. argumentum hoc plura falsa in se continere. & in primis, falsum est pluralitatem partium in materia inferre extensionem, vel corporeitatem de genere quantitatis, sed solùm gradum corporeitatis distinguentem ens corporeum ab incorporeo, & talis corporeitas sufficit ad omnia illa munera: falsum est etiam formam materialem esse indiuisibilem, nam etiam ipsa diuisibilis est in plures partes entitatiuas, alitèr esset tota in toto, & in qualibet parte totius, quod solùm priuilegiũ animæ rationalis est. Tum quia materia in nullo instanti sine aliqua forma substantiali reperitur, atq. ideò semper requisita habet, vt actionem agentis naturalis recipere possit &c.

Obijcitur pro Auicenna, quod sit necessaria forma corpo[r]ea: Contrarium non appetit contrarium, sed simile appetit simile, At materia vt habet rationem potentiæ, est contraria actui, ergo debet assimilari per formam. Tum quia hæc forma corporeitatis etiam confert veluti seminarium ad generationem aliarum formarum, cum non possit forma, quæ est actus, & perfectio, generari ex rudi & imperfecta materia. ℞. ex Doct. in 2. d. 12. q. 1. lit. C. inter perfectiũ,

fectiuum, & perfectibile, recipiens, & receptum non requiri similitudinem in natura, sed tantùm proportionem, quæ potiùs disconuenientiã in natura postulat; Vndè illa propositio simile appetit sibi simile, accipi debet largè, prout simile etiam proportionẽ significat inter aliqua duo; nec materia in ratione potentiæ, & forma in ratione actus, propriè contraria dicuntur, cùm stent simul, sed solùm sunt relatiuè opposita, & Physicè primò diuersa. Nec illa corporeitatis forma ad generationem aliarum formarum confert, cum sola materia ad hoc sufficiat, estò rudis, & imperfecta, adest .n. causa efficiens, in cuius virtute tales formæ continentur, iuxtà illud Auerrois 8. Meth. tex. 15. Agẽs largitur perfectionẽ

Instatur tandèm pro Zabarel. Omnis ratio generica sumi debet ex aliqua parte speciei, vt sumitur animal ab anima, sensitiuum à sensu, sed ratio generica corporis sumi non potest à forma, vel alia parte, sed tantùm à materia, ergo materia est corpus. ℞. nec maiorem esse vniuersaliter veram, nec minorem, nec indè benè illatam consequentiam; maior non est semper nam non oportet, vt genus semper sumatur ex determinata parte speciei, nam sumitur etiã multotiès ab eadem natura, & forma simplici secũdum diuersas realitates, vt patet in accidentibus. vt Color, qualitas &c. Minor est etiam falsa, quia forma materialis est substantia corporea veluti materia, ac consequenter etiam ab ea ratio corporis desumi posset, sicut vnà cum materia dat composito esse corporeum. Tum quia in rebus compositis etiam abstrahitur ratio generis à toto per modum totius; & non ab aliqua parte, ab homine .n. benè obstrahi potest ratio animalis &c. Tandem quãdò etiam à sola materia ratio generica corporis sumeretur hic conceptus abstractus, & se habens per modum totius, deberet poni genus, seu corpus, & non materia, quæ habet rationem partis; sicut animal ponitur genus, & non anima, à qua secundum ipsum sumitur ratio animalis.

Ex his omnibus inferimus quid sit essentia, & quidditas materiæ, de ipsa loquendo in secunda notione, per ordinem, scilicet, ad formam, cuius est subiectum, & ad compositũ, cuius est pars essentialis, nec alio modo est à nobis cognoscibilis pro statu isto ex Doct. in 2. d. 12. q. 1. in fine, sic .n. describi potest: *Materia est substantia quædam imperfecta, & incompleta, subiectum primum omniũ formarum, & transmutationum, & pars essentialis compositi substantialis per modum per se potentiæ*. Omnes particulæ ex se patent, & desumitur ex 1. Phys. tex. 82. Vbi quò ad secundam notionem sic materiã Philosophus definiuit, scilicet, *Materia est subiectum primum vniuscuiusq; ex quo fit aliquid cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*. Dicitur *primum subiectum vniuscuiusq;* vt ostendatur esse subiectum omnium formarum substantialium, & transmutationum, ad differentiam compositi, quod est subiectum omnium formarum accidentalium, & quandoq; etiam substantialium, si est compositum incompletum formæ nobiliori essentialitèr subordinatum, vt est cor

pus

pus mixtum respectu animæ, sed non primum, Dicitur, *ex quo fit aliquid* vt ostēdatur esse principium in fieri; Dicitur, *cum insit*, vt sciatur esse principium nedum in fieri, vt est priuatio, sed etiam in facto esse, quia remanet in composito; additur, *non secundum accidens*, ad differentiam subiecti accidentis, ex quo non fit vnum per se, sed per accidens; & tandèm additur, *& si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum*, ad differentiam formæ, quæ in corruptione desinit, & vt etiam ostendatur, quòd licèt in aliquibus corruptionibus nō immediatè fiat resolutio vsq. ad materiam primam, vt de viuentium interitu patet, postmodum tamèn resoluitur in eam, vt in subiectum vltimū.

Petes, an materia prima absolutè, & in gradu suo possit dici perfecta? R. affirmatiuè, sicut latro in genere suo dicitur bonus latro, si in latrocinando est diligens, & cautus; in quo sensu Philosophus definiuit perfectum, quinto, Meth. tex. 16. cum ait: *Perfectum est, cui nihil deest in genere suo*; sic materia se habet, quia reuera nihil sibi deest eorum, quæ ad eius essentiam, & integritatem spectant; Vndè dicitur imperfecta, & incompleta tantùm respectu compositi, & respectu formæ, à qua determinatur, & specificatur.

Quantùm verò ad quidditatem, & essentiam formæ, sic eam Arist. definiuit 2. Phys. tex. 28. scilicet, *Forma est quicquid erat esse rei*, i. est substantia pfecta, & cōpleta ex 2. de aīa tex. 2. & rectè dicitur, *quicquid erat esse rei* idest, quæ dat rei essentiam, & qdditatem saltèm principalitèr. & ponitur in tempore præterito verbum, vt ostendatur formam pertinere ad conceptum essentialem rei, qui abstrahit ab eius existentia, ex Scoto in 1. d. 36. q. vn. quæ definitio, vt melius percipiatur notanda est differentia, quam ponit Doctor in 4. d. 11. q. 3. lit. Y. inter formam substantialem, & accidentalem, vbi docet formam, quæ est actus, & perfectio diuidendam esse in actum primarium, & secundarium, ità vt actus primarij dicantur substantiales, essentiales, ac dantes esse simpliciter, actus verò secundi ordinis dicuntur accidentales, & dantes esse secundum quid, nam quæ rei in esse secundariò adueniūt, accidentia dici solent; hinc ratio præcisa cur forma substantialis talis dicatur, & vnum per se constituat cum materia, & differt ab accidentali, est quia ipsa est actus primarius materiæ, primò .n. materia vnitur formę substantiali, & ad formas substantiales primò refertur; Accidens verò actus secundarius, & secundariò à materia respicitur. hunc modum declarandi naturam formæ substantialis amplectitur Auersa postquàm multos Alios reijcit q. 20. sec. 5. quod declarat exemplo ex compositione Methaphysica, in qua præter gen⁹, quod se habet vt materia, & potentiale, inuenitur actus quidam, qui illi primariò coniungitur, constituitq. cum eo vnum per se, & dicitur differentia. Reperiuntur etiam quidam alij actus secundariò aduenientes, vt sunt passiones, & affectiones &c. sola autē ratio, quam genus primariò respicit, & ad quam passiones consequuntur, dicitur essentialis differentia; ità se habet forma substantialis in composito Physico. Quare autèm forma substan-

substantialis sit actus primarius materiæ, ac proindè eam substantialiter perficiens, & dans rei, quam constituit esse simplitèr, & faciens per se vnum cum ea; Accidens verò sit actus secundarius eiusdem, ac proinde dans esse tantùm secundum quid, & vnum per accidens constituens, (ait Scot.) à priori aliam rationem assignari non posse, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud, ex qua Scotica doctrina sic benè colligunt Scotistæ formæ substantialis definitionem, scilicet, *Forma est actus primarius materiæ, vnum per se cum ea constituere natus*. Dicitur *actus*, ad differentiam materiæ, quæ est potentia; dicitur *primarius*, ad distinctionem formæ accidentalis, quæ est actus secundarius; Additur, *vnum per se cum ea constituere natus*, ad maiorem distinctionem à forma accidentali, quæ cum subiecto vnum per accidés constituit.

Sed dices, ponamus casum, quod quantitas immediatè recipiatur in materia, vt Aliqui ponunt, & postea forma substantialis adueniat, tunc quantitas haberet rationem formæ substantialis, quia esset actus primus materiæ; sic etiam anima, quia non primò aduenit materiæ, sed post formam corporeitatis, esset forma accidentalis, quia est actus secundarius, ergo falsa est differentia assignata à Scoto inter formam substantialem, & accidentalem, quod illa sit actus primarius materiæ, hæc verò secundarius. ℞. ex Doct. ibidem lit. Y. & lit. D. quod per prius, & posterius non intelligimus præcisè ordinem introductionis formarum in materia, sed vt significant primum esse simplicitèr, esse.n. simplicitèr præcedit naturalitèr esse secundum quid, & ideò licèt quantitas primò materiæ adueniens daret primum esse formale in primo sensu, scilicet, ordine introductionis, non tamen in secundo sensu, nimirùm vt significat esse simplicitèr, quamuis .n. forma substantialis adueniret materiæ secundò, & tertiò, semper daret esse naturale, & simpliciter, accidens verò semper daret esse secundum quid, secundariũ, & accidentale.

Ad illud de anima. ℞. quod vel hoc intelligi debet de forma vltima, quæ absolutè est forma, & forma nuncupatur, formæ autem intermediæ, & subordinatæ potius materiæ dicuntur ex Arist. 4. Metheor. in fine, vbi ait, postremam formam esse absolutè actum, intermedias verò vt materiã, & alterius gratia; vel accipi non debent absolutè, & in toto rigore, sed comparatiuè, & in ordine ad materiam, quam informant, & in hoc sensu etiam formæ intermediæ dant aliquo modo esse specificum, & magis determinatum, quàm tribuat sola materia, & dici possunt actus, facta autem comparatione ad animam, potius tales formæ intermediæ rationẽ habent materiæ &c.

Quærit Arriaga disp. 2. Phys. sec. 3. cũ Aliquibus Recentioribus, Quare potiùs materia prima sit potentia passiua, siuè subiectum formæ, quàm è contrario? quod proponit tamquã difficillimum quæsitum, & postquam plures dicẽdi modos cõfutauit, Resp. tandem ipse nu. 23 materiam esse potiùs subiectum, quàm formam, quia ita inter se vniuntur, vt illa antecedat, hæc ei superueniat. non valet,

neq. etiam in suis principijs, nam ipse disp. 5. nu. 37. negat ex eo benè deduci quantitatem esse aliorum accidentium subiectum, quia illa præcedit, nam etiam primus gradus intensionis, (ait ipse) præcedit secũdum, & tamen illum non recipit, Itẽ primæ qualitates præcedunt secundas, quas non recipiunt. Melius igitur dicetur, quod vera, & germana ratio, cur materia sit subiectum formæ, & non è contra est illa, quam Arist. assignauit 1. Phys. quia, scilicet, forma accedit, & recedit, at materia semper permanet sub vtroq. termino mutationis, quæ est vera Methodus inuestigandi subiectum formarum. quæ veritas magis patebit infrà, cum determinabimus, quantitatem esse subiectum aliorum accidentium.

ARTICVLVS TERTIVS.

An tàm Materia, quàm Forma, propriã existentiã partialẽ habeãt.

Scotus art. hũc resoluit in 2. d. 12. q. 1. & 2. & pluries alibi, vbi discertè docet, tàm materiam, quàm formã suas existentias partiales, & incompletas habere, ex quibus coalescit completa, & adęquata existentia totius compositi &c. supponimus pro clariori intelligẽtia, Thomistas quãplures conuenire cum Scotistis in significato actus entitatiui, per quem intelligũt ipsam rei existentiam, quã tamen ipsi Thomistæ supponunt ab essentia realitèr distinctam; Vndè sicut materiæ denegant proprium actũ entitatiuum, ità etiam existentiam, sed existere per solam existentiam formæ in genere causæ formalis, eo modo, quo dicitur subiectum extendi per extensionem quantitatis in ipso receptę in genere causæ formalis; vel si habet distinctam existentiam ab existentia formæ, adhuc hanc dependere ab ipsamet existentia formæ tãquàm effectum formalem ipsius. fatentur tamen hanc dependentiam materiæ à forma quò ad existere, non esse ab vna forma determinatè, sed ab aliqua vagè, cum sine vlla forma vnquàm esse possit. Scotistæ è contra omnes mordicùs defendunt, quod sicut materia secundum se independenter à forma habet propriam entitatem in rerum natura, distinctam realitèr ab entitate formæ, ità quoq. propriam existentiam habet indepẽdenter à forma, quam sententiam torrens Recentiorum vnanimi consensu ãplectitur, Suar. disp. 13. Meth. sec. 4. Auersa q. 20. sec. 8. Hurt. disp. 2. Phys. sec. 6. Amic. tract. 5. q. 4. dub. 2. Arriag. disp. 2. Phys. sec. 5. Bonherba etiam Ægid. ad sensum Scoti trahit, vt videre est in concordia vtriusq. scholæ, & Alij cum Nominalibus omnibus. Quantùm verò ad existentiam formæ, Aliqui Antiquiores Philosophi, qui totam entitatem tribuebant materiæ, negarunt formæ propriam existentiam, sed solùm terminationem materiæ ei concedebãt, vt videre est apud Canon. 1. Phys. q. 9. à quibus nõ discrepant Recentiores illi, qui asserunt tàm materiam, quàm formam existere, & subsistere existentia, & subsistentia compositi. cum Thomistis tamèn de existentia formę nullam habemus controuersiã.

Conclusio.

Dicimus, tàm materiam, quàm formam suas existentias partiales, & incompletas possidere, quibus perfecta, & completa existentia totius compositi

positi resultat. est Scoti loc. cit. & Scotistarum,& Nominalium,& Neutralium ferè omnium, & de vtraq. probatur principio illo Methaphysico Scotico, & à Recentioribus passim recepto, contra Thomistas,quod scilicet, existentia non distinguatur realiter ab essentia, nec est alia entitas illi superaddita, sed ipsamet essentia posita in actu extra suas causas, quo semel admisso, cum materia, & forma habeant entitatem essentiæ realiter distinctam, statim deducitur habere etiam distinctam realiter existentiam, quam sententiam, adhuc admissa distinctione reali inter essentiam, & existentiam, defendunt Molina 1.p.q.3.art.4.disp.2.Tolet.& Alij. sed quia hoc principium probatur in Meth.accipiamus modò litem, & controuersiam cum Thomistis,medijs Physicis.

Probatur igitur à Scoto loc.cit.ex muneribus, quæ materia exercet,ad quæ omnino inhabilis, & inepta foret sine existentia; est .n. subiectum mutationis substantialis, est receptaculum formarum, est causa materialis earum, est altera pars compositi substantialis, ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, & ab ea independenter independentia propria, & à priori; Assumptum est clarum, conseq.probatur, nam mutatio non fit nisi in subiecto existente in rerum natura, & manente sub vtroq.termino;nec forma in subiecto recipitur, & sustentatur nisi ipsum subiectum sic existat; nec compositum constituitur, nisi ex partibus priùs natura existentibus, prius autem non accipit existentiam à suo posteriori, & prorsus incapibile est, materiam esse subiectum actuale formæ,& Physicam exercere causalitatem erga formam, & non præintelligi existentem, cum existētia sit ratio, vel saltem necessaria cōditio prærequisita (vt communitèr asseritur etiam secūdum Thomistas.) ad exercitium Physicæ causalitatis.

Respondent Thomistæ,mater à præexistere ante productionem formæ, quæ producitur,quia existit existentia alterius formæ, quam amittit, & secundum illam priorem existentiā concurrere ad productionem nouæ formæ.

Contra, causa in actu, & effectus in actu sunt simul tempore cum effectu causato; at quando primò fit noua forma, non amplius existit prior forma in materia, quia tunc primò fit noua forma, quando primò non est forma præcedens, ergo materia non potest causare existentiam nouæ formæ per existentiam prioris, alioquin quod actu non est ens in actu, causaret; neque per formam nouam, quia prius natura non pendet quòad existere à suo posteriori, sed noua forma est posterior natura ipsa materia,vt est quilibet effectus in ordine ad suam causam, ergo &c.

Respondent Thomistæ, in instanti generationis materiam existere per existentiam formæ subsequentis.

Sed contra hoc, militat ratio supra allata, quia prius non existit per posterius se. Tum quia forma subsequens non posset existentiam materiæ præbere nisi per informationem, informatio .n. est medium,quo communicatur existentia; at informatio præsupponit subiectum existens, est .n. quedam vnio actualis formæ ad subiectum,

biectum, & vnio præsupponit extrema existentia, cum sit relatio, ergo in instanti generationis, quando forma vnitur materiæ iam præsupponitur materiam existere, vt extremum vnionis.

Respondent, materiam priùs natura existere in genere causæ materialis, formam verò priùs in genere causæ formalis.

Contra, in nullo genere causæ potest effectus realitèr suam causā præcedere; & quando dicunt materiam priùs existere in genere causæ materialis, vel talis existentia ei competit indepēdenter à forma in quocūq. genere, vel non; si primum, habetur intentum, si secundum, ergo existentia effectus formæ erit ratio causandi ipsumet effectum, vel conditio prærequisita in causa ad actualē eius causationem, & eadem existentia formæ à se ipsa dependebit, & ipsa seipsam in materia præcederet. ita Mastr. & Bell. disp. 2. Phys. q. 2. art. 1. ex Lychet. in 2. d. 12. q. 2. ad argumenta Caiet.

Tum quia si à Deo crearetur materia simul tempore cum forma, iam talis productio formę non esset creatio, sed eductio, quia fieret forma in materia, & dependeret ab ea, vndè materia Physicè concurreret ad existentiam talis formæ, & tamen in tali casu non concurreret per existētiam formæ præcedentis, cum supponatur materiam, nullam præhabuisse formam. ergo &c.

Probatur 2. ex alio munere Physico ipsius materiæ, quod est esse subiectum mutationis, & sub vtroq. termino mutationis manere, qua ratione à Philosopho ponitur materia ingenerabilis, & incorruptibilis; at si propriam existentiam nō haberet, sed existeret existentia formæ, ingenerabilis, & incorruptibilis non erit, nec eadem numerò sub vtroq. termino mutationis permanebit, sed cum veteri forma, veterem amittere existentiam, & cum noua, nouam acquiret, vnde etiam sequeretur, quod agens naturale in qualibet mutatione materiam crearet, & annihilaret.

Respondent Thomistæ, materiam eamdem numero sub vtroq. termino mutationis permanere, quia eamdem essentiam numero retinet, & hac eadem ratione nec incipit, nec definit, nec creatur, nec annihilatur ab agēte naturali, quia creatio dicit inceptionem totius esse, & annihilatio desitionem totius etiam esse, tam essentiæ, quàm existentiæ. Alij Resp. posse etiam dici permanere sub vtroq. termino mutationis, etiam quò ad esse existentiæ, quia existentia eius absq. vlla interruptione per subsequentes formas conseruatur, eo modo, quo idem lumen productum ab vno agente luminoso cōseruatur successiuè ab alio, & alio simili agente absq. interruptione, ità materia cū supponatur existens per existentiam prioris formæ, non transit ex nihilo ad existentiam, sed ex vna existentia ad aliam, & eadem ratione non annihilatur, quia non desit in nihilum.

At contra, quælibet res ideò de nouo genita dicitur, quia acquirit essentiam cum existentia, & dicitur corrupta, quia essentiam cum existētia amisit, ergo si materia in generatione, vel corruptione compositi, acquirit, & amittit aliam, & aliam existen-

xiſtentiam, acquirit conſequenter, & amittit aliam eſſentiam, nam ſic generaliter fit rerum naturalium generatio, & corruptio, quando .n. V.g. comburitur lignum, & introducitur forma ignis, lignũ corrumpitur tam quò ad eſſentiam, quàm quò ad exiſtentiam. ſed huius veritatis rationem reddit Methaphyſica de identitate inter eſſentiam, & exiſtentiam, & magis etiam patebit ex tertia ratione, quam modò ponemus.

Nec alia reſponſio ſoluit; & illud exemplum de lumine non eſt ad propoſitum, vt benè etiam aduertit Auerſa, & ratio eſt, quia lumen procedit à corpore luminoſo in genere cauſæ efficientis, & quia effectus in hoc genere habet eſſe realiter diſtinctum à cauſa efficiente, contingere poteſt vt idem effectus conſeruetur à conſimili cauſa, effectus autem cauſę formalis non eſt, niſi ipſamet forma communicata ſubiecto, & ideò ſi forma deſtruitur, & tollitur à ſubiecto, tollitur etiam eius effectus, que eſt exiſtentia, nec per ſuccedentem formam conſeruari poteſt. Nec ſufficit ad hoc ne generari dicatur, vel corrumpi, quod abſq. interruptione ſemper exiſtere dicatur per exiſtentiam, vel prioris formæ, vel alterius immediatè ſuccedentis, quia ad hoc vt res aliqua corrumpi dicatur, ſufficit, quod ſuam amiſerit exiſtentiam, quòd verò immediatè poſteà reproducatur, & nullum fuerit tempus, vel inſtans medium, in quo exiſtentia corruerit, nihil obſtat, quia ſemper verum erit dicere, quòd res amiſit propriam exiſtentiam, & conſequẽter quòd corrupta fuerit. Tum quia quotieſcumq. alia duo exiſtunt vnica, & ſingulari exiſtentia, ſi talis exiſtentia corrumpatur, vtrumq. per ipſam exiſtens corrumpitur, ſed per Thomiſtas materia, & forma vnica exiſtentia formæ exiſtunt, ergo ſicut corrupta exiſtentia formæ, corrumpitur forma, ſic etiam corrumpitur materia, quæ eadem exiſtentia exiſtebat, quòd deinde materia ſubleuatur per concurſum exiſtentię alterius formæ, hoc non tollit quin reuera fuerit materia corrupta, ſicut ſi Deus creata vna forma in aliquo inſtanti eam annihilaret, & immediatè poſteà eam reproduceret, nõ per hoc tolleretur, quin talis forma fuerit reuera annihilata, ità in propoſito de iſta ſucceſione exiſtentiarum &c.

Prob. 3. eadem actione, qua producitur rei eſſentia, producitur etiã eius exiſtentia, & ab eodem agente, ſed materia, (ait Scotus, ex D. Auguſt.) eſt terminus creationis; forma verò materialis eſt terminus generationis, ergo exiſtentia materiæ eſt omninò diuerſa ab exiſtentia formæ, & à diuerſo agente; minor eſt clara, maior probatur, nam actio terminata ad eſſentiam producendam, tendit ad eam conſtituendam extra ſuas cauſas, nec eſſentia rei poteſt concipi eſſe terminus actionis agentis, niſi vt exiſtens, & poſita extra ſuas cauſas, exiſtere .n. idem eſt, ac extra ſuas cauſas ſiſtere, ergo eadem actione, qua producitur rei eſſentia, producitur etiam eius exiſtentia ab eodem agente. Tum quia cum ab agente producitur eſſentia rei in rerum natura, vel per illam productionem conſtituitur eſſentia extra ſuas cauſas, vel non; ſi primum, ergo per illam conſtituitur exiſtens; ſi ſecundum,

dum, ergo non erit vera productio, nec poterit reuera dici producta in rerum natura, sed solum erit essentia possibilis produci; Essentia.n.possibilis ex vi vocabuli non significat esse extra suas causas, sed in causis, existentia autem eam significat extra causas, & in rerum natura.

Respondent Thomistæ, maiorem esse veram, vbi essentia existit propria existentia, vt est de forma, & composito, non vbi existit existentia aliena, vt essentia materiæ, quod exemplificant de humanitate Christi in Verbo, non habente propriam existentiam, vbi terminus productionis talis humanitatis non fuit existentia, sed essentia humanitatis cũ vnione ad Diuinam existentiam.

Sed contra, Vnio præsupponit extremorum existentiam, cum sit relatio, & maximè in casu, cum .n. non sit nisi informatio, debet vtrumq. extremum priùs natura existens præsupponere; nam sicut forma solùm possibilis, actu informare non potest, ità nec subiectum in esse possibili est idoneum actu informari. Tum quia actus secundus præsupponit ex natura sua actum primum; at informatio tàm passiua ex parte materiæ, quàm actiua ex parte formæ, habet rationem actus secundi, ergo præsupponit rem actu existentem; falsum est etiam humanitatem Christi non habere propriam existentiam distinctã ab existentia Verbi, vt in Theologia videbimus, aliter Verbum assumpsisset naturam tantùm possibilem, non in actu.

Resp. Cõplut. q. 5. quòd licèt causalitas efficientis præsupponat necessariò existentiam in causis, q̃a actiones sunt existentium, & subsistentiũ, causalitas tamen materialis, & formalis hoc non exigit, sed satis est, si pro illo priori talis causa sit extra nihil essentiæ, & in eodem instanti temporis vnà cum composito, & per illius existentiam existat; cuius ratio est, quia genus causæ materialis præsertim est genus potentialitatis, & ideò exerceri nequit p existentiam, q̃ est vltima rei actualitatis.

Sed Contra, non minus indiget existentia ad suam causalitatem exercendam materia, quàm efficiens, cum sustentare debeat tàm actionem agentis, quàm formę. Tũ q̃a in illo priori, in quo materia sm̃ suum esse essentiæ realis causat formam, & compositum, intelligitur esse exra causam efficientem quantùm ad illud esse, ergo intelligitur existens, p esse .n. existentiæ nos nihil aliud intelligimus, quàm esse essentiæ positum extra suas causas; Et cum dicunt genus causæ materialis esse potentiale, atq. adeò exerceri non posse per existentiam, q̃ est vltima actualitatis rei; hoc parùm prodest, nam tale dictum intelligitur de existentia vltima, & completa, quæ est modus essentiæ totalis. Tum quia ipsamet existentia materiæ estò habeat rationem actus respectu suæ essentiæ, attamèn respectu formæ habet rationem potentiæ subiectiuæ. Tum quia subiectum erga formã accidentalem ex ipso eductam, iam exercet genus causæ materialis, & tñ adhùc ad exercitium talis causalitatis licèt potentialis sit, existentiam requirit.

Resp. ad hunc punctum Ioan. de S. Tho. 3. Phys. art. 2. neg. paritatem, quia subiectum erga accidentia non solùm

solùm est causa materialis recipiens, sicut est materia respectu formæ, sed etiam sustentans, & illi esse communicans in suo genere; vnde cum illa receptio non sit purè potentialis sed sustentatiua in esse, supponit in causa materiali existentiam. Non valet, quia non minus forma accidentalis à subiecto dependet in suo esse, fieri, & conseruari, quàm forma substantialis materialis à materia, quæ non solùm eam recipit, sed etiam sustentat, & verè causat in genere causæ materialis, vt clarius infra patebit; nec differentia formæ substantialis ab accidentali consistit in dependentia, vel in independentia à subiecto, sed in eo, quod constituat totum per se, vel per accidens, vt benè Mastr. & Bell. aduertunt.

Quid autem de hac controuersia senserit D. Bonauentura, licèt apud Aliquos Bonauenturistas extet aliqualis scrupulus, absolutè tñ asserẽdum est magis Scotistis fauere, quàm Thomistis; & ità apertè docet P. noster Marcus Antonius à Carpenedolo in sua Philosophia lib. 1. tract. 2. q. 8. fol. mihi 53. ex 2. sent. d. 1. art. 1. q. 1. ad 2. vbi Seraph. Doctor sic ait: *Materia ratione suæ essentiæ habet aliquid de pulchritudine, & aliquid de luce, Vnde Augustinus dicit, quòd habet modum, speciem, & ordinem, quamuis imperfectè, & ideò nec turpis, nec tenebrosa dicitur nisi comparatione*. ex his rectè infertur, quòd materia habet aliquem actum, saltem entitatiuum, quia modus, lux, & veritas sunt ab actu; & quia insunt in materia ratione essentiæ materiæ ex S. Doctore non sunt à forma, quia forma non spectat ad essentiam materiæ, sed tantùm illam extrinsecè determinat. non habet tamèn materia actum formalem, à quo est perfecta pulchritudo, & ideò ad hanc pulchritudinem comparata, dicitur turpis, & tenebrosa; sicut dicebatur terra inanis, & vacua, non absolutè, cùm sua potiretur forma, sed comparata ad illam formositatem, quam postea à Deo recepit, ità præfatus Doctor in via D. Bonauenturæ.

Obiectiones.

Obijciunt Thomistæ pluribus Philosophorum, & Sanctorum Patrum Auctoritatibus, quibus docere vidẽtur, existere à forma deriuare. at ℞. faciliter Philosophos, & Patres non loqui de esse, & existere entitatiuo, & transcendentali, quod commune est omnibus rebus, vt entia sunt, sed de esse specifico, & completo in determinata specie prædicamentali.

Ob. 2. Commune est axioma intèr Peripateticos, quod existentia est vltima actualitas omnis formæ, vndè si existentia materiæ non est effectus formæ, forma non erit amplius causa materiæ, quia non daret ei essentiam, neq. existentiam, vnde etiam sequeretur, quod cũ materia sit prior forma s͞m essentiam, si est ab ea independens etiam quò ad existentiam, posset etiam naturalitèr sine ea existere. ℞. Axioma illud intelligi debere de existentia completa, & in specie determinata; & quò ad esse extrinsecũ, & aduenticium dependet à forma, nõ autem in sua essentia, & intrinseca existentia; neq. ex hoc sequitur, quod materia possit naturalitèr sine forma existere, quia nec figura est causa quantitatis, & tamen quantitas nequit esse sine figura, &c. quare solùm infer-

infertur, quòd materia pendeat à forma dependentia impropria, quæ appellatur à posteriori, & non potest ab ōni forma separari, propter quamdam coexigentiam, & conditionem necessariam, totius vniuersi, vt infra patebit.

Tertiò, si materia existeret, aut existere per seipsam, & ex se, aut cū alio scil. cum forma, si cum alio, ergo non existit proprio actu, sed actu alterius; si ex se, ergo erit indiuidua, vel indiuiduata, quia omne, quod est ideò est, quia vnum numerò est; si est indiuiduū, ergo à forma habebit suū esse, quia indiuiduū ponitur in prædicamento, & omne tale esse habetur à forma. ℞. hoc argum. posse retorqueri etiam contra existentiā formæ, nam si forma existit, vel ex se, vel cū alio existit, nunquam .n. forma materialis sola existit &c. Dicimus igitur quod materia existit cū alio, seu coexistit, non tamen existentia aliena, sed propria, & quando cum forma in composito existit, est vtiq. indiuiduata, sed per propriam suā hęcceitatem, ex Doct. in 2. d. 3. q. 6. potest etiam dici indiuiduum incompletum, & partiale, & vt tale nō ponibile directè in prædicamēto, in quo solùm induidua completa reponuntur, iuxta constructionē Arist. in linea prædicamentali.

Dices, ergo indiuiduum materiæ erit in determinata specie rerum, nō .n. dari potest indiuiduum, quod nō sit alicuius determinatæ speciei, hoc autem falsum est, cum non sit in specie determinata, nisi per formā. ℞. ex Mastr. & Bell. eo modo aliq. d esse in certa, & determinata specie rerū, quo est ens, atq. ideò ens completū, & perfectum est in certa, ac determinata specie rerum completa; at quia materia est ens incompletū, erit vtiq. in certa, ac determinata specie entis, sed entis incompleti.

Quartò, si materia haberet propriā, & determinatam existentiam, nō haberet vndè distingueretur à forma, quia iam vtraq. est ens substantiale, & incompletum, ordinatum ad constitutionem essentialem compositi substantialis, vtraq. in suo genere haberet vltimum actum existentię propriæ, & quælibet esset determinatæ speciei, quæ omnia sunt absurda. ℞. neg. consequentiam, & ratio est, quia licèt materia sit sm̄ se determinatæ speciei incompletæ, sicut forma, est tamen indeterminata, quoad speciem prædicamentalem, quia sm̄ se est indifferens positiuè ad constituendam hanc, vel illam speciē; forma autem est determinata tam in sua specie incompleta, quàm etiam ad completam constituendam, quia cum materia vnita, determinatam speciē prædicamētalem constituere potest, & hac ratione dicitur materia principium indeterminatum, & perfectibile, forma verò principium determinatum, & perfectum.

Ob. inde sequi, materiam esse perfectiorem forma, quia eò causa est perfectior, quò potest ad plures effectus concurrere, forma autem limitata est ad vnam speciem constituendam. ℞. neg. sequelam, & ad probationem, dicimus cum Scoto in 1. d. 28. q. 3. lit. H quod illimitatio ad plures effectus duplex est; actiua, & passiua; illimitatio actiua ad plures effectus arguere potest maiorem perfectionem in causa respectu plurium effe-

effectuum, ad quos concurrit; non autem illimitatio passiua, qualis est materiæ ad plures species constituendas.

ARTICVLVS QVARTVS.

An materia, & Forma propriam habeant subsistentiam partialem.

SCot. quol. 9. lit. A. dignè hanc litem dirimit, quæ inter Recentiores tota de nomine contestata videtur. docet igitur trifariàm sumi posse subsistentiam, scil. communissimè, communitèr, & propriè; primo modo subsistere idē sonat, ac per se esse, & non alio ad modum accidentis, & in hoc sensu subsistere cōuenit omni substantiæ tàm completę, quàm incompletę; & quod talis modus possit nomine subsistentiæ appellari, ex eo patet, quia per subsistere, dicitur substantia ab accidente differre, cui acceptioni fauere videtur D. Athan. in disp. habita cōtra Ariū in Concilio Niceno, vbi substantiā definiuit esse illam rem, vndè habet aliquid vt subsistat. Secundo modo dicitur subsistens illud ens, quod per se existit independenter ab alio, velati à subiecto, & substentante, in quo sensu formæ materiales subsistentia carent, & subsistentia hoc modo tribuitur tantùm animæ rationali inter formas, & etiam materiæ primæ. Tertio modo, & magis propriè illud dicitur subsistens, quod ità est perfecte existens, vt habeat vltimam actualitatem, ità vt non sit per se ordinabile ad aliquem actum simplicitèr vltra istum, quem habet, nec alteri esse possit ratio essendi, sed omninò incōmunicabile sit, vt quo, & vt quod; de quo etiam loquitur Scot. in 1. d. 2. q. 7. & hoc est quod dicitur propriè, & rigorosè subsistens, (ait Doctor) & conuertitur cum supposito, & solùm primæ substantiæ conuenit. ex quibus patet, nomē subsistentiæ multas habere acceptiones veras, & rationabiles, & diuersimodè responderi posse ad quæsitum sm̄ varias ipsius subsistentiæ acceptiones.

R. P. Illuminati à Collisano Capuc.

Conclusio.

Dicimus, Materiam, & Formam habere propriam subsistentiā in primo sensu; in secundo sensu etiam materiam subsistere, non autèm formam, (Anima tamen rationali excepta) In tertio tandem sensu, nec materiam, nec formam subsistere, sed solùm compositum completum, seu suppositum. est Scoti loc. cit. & patet ex dictis, nam tàm materia, quàm forma dicuntur, & sunt veræ substātiæ, ergo dicuntur subsistere, vt subsistentia ab inhærentia, & substantiam ab accidente secernit; sic etiam quia materia à nullo subiecto, & substentante dependet, imò potius est primum subiectum, à quo omnes formę materiales dependent, ideò materia subsistit secundo sensu, quatenùs excludit dependentiam ab alio, velut à sustentante, quod non habet forma; Attamèn quia nō sunt penitùs incōmunicabiles, sed possunt alicui tertio communicari, & eidem esse rationes essendi, ideò non dicuntur in tertio sensu subsistere, cū in tali sensu subsistentia omnem prorsùs excludat cōmunicabilitatem tàm respectu subiecti, quam respectu formæ, ac propterea, totum substantiale. & completum dicitur modo rigorosè subsistere; & hæc est vera Scoti intelligentia, vt videre est apud Mastr. & Bell. disp. 2. q. 1. art. 3.

Obiectiones.

Vasq. vult, quod subsistentia sit solius naturæ completæ, & totalis, & quod ponatur ad constituendum suppositum, ità vt subsistere sit incommunicabilitèr existere. eiusdem sententiæ est noster Sghemma 1. Phys. d greff. 5.q.3. conclus. 2. fol. mihi 76. vbi sic arguit: subsistere, est incommunicabilitèr existere, at materia est communicabilis, ergo non subsistit, nec respondere valet, ait Sghēma, hanc esse veram de subsistentia completa, & totali, non de incompleta, & partiali, implicat .n. subsistentiam esse partialem, cum incommunicabilitas sit de ratione subsistentiæ. At ℞. non repugnare reuera parti nomen subsistentiæ, quia subsistentia magis patet, quàm suppositū, nec de ratione subsistentiæ absolutè est esse incommunicabilem, sed tantùm de subsistentia rigorosè accepta, in quo sensu conuertitur cum suppositalitate, hinc Scotus hos omnes modos subsistendi rationabilitèr agnouit. & anima rationalis etiam subsistentiam habet, cum solitariè naturaliter existat, licèt communicabilis sit, vt quo.

Ob. 2. Si subsistentia cōmuniter accepta tribuitur materiæ, debebit etiā tribui formæ, quæ est illa longè perfectior; nam substantia in eo sensu dicit perfectionem in re ita subsistente, quatenùs caret dependentia à subiecto, vt sustentante; quod si formæ denegetur, materia erit perfectior forma. ℞. neg. paritatem, & ratio est, quia materia ad tale munus in rerum natura instituta est, vt independens à subiecto existat, creata est .n. vt sit primum, & perpetuum subiectum omnium formarum, & transmutationum; ad quod munus non est instituta forma, neq. ex hoc sequitur, quod materia sit perfectior forma, & ratio redditur à Doct. in 1. d. 8. q. 1. ad primum, vbi docet; q' d quandò sunt duæ naturæ, quę habent peculiares, & diuersas perfectiones, illa nobilior censeri debet, cui conuenit perfectio aliam excedens à toto genere; & sic exemplificat ibi de simplicitate materiæ, & actualitate compositi; Vnde ex eo quod actualitas à toto genere præcellit materiæ simplicitatem, infert compositum esse perfectius materia, quamuis non sit simplex sicut illa; ita in proposito, actualitas quæ conuenit formæ à toto genere supereminet subsistentiæ, quæ conuenit materiæ; quia hæc subsistentia stat cū potentialitate, cum ad hoc materiæ collata fuerit, vt sit idoneum subiectum cuiuscumq. formæ materialis; Ex hac doctrina facilè solui poterūt omnia argum. quæ circa hunc punctū à Recentioribus adduci solent.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Materia, & forma possit naturaliter separatæ existere, & vndè oritur ratio inseparabilitatis.

Scotus hoc dubium resoluit in 2. sent. d. 12. q. 2. lit. C. & ibidem d. 1. q. 3. in expositione illius propositionis; *generatio vnius, est corruptio alterius*. Vbi docet inseparabilitatē materiæ à forma ex conditione naturæ vniuersalis, & ordine vniuersi oriri, quatenus Auctor naturæ ità instituit, vt agentia naturalia nō corrumpant formam in materia, quin aliā de nouo generent, qui ordo ab agēte naturali inueniri non potest.

Sup-

Supponimus pro resolutione quæ-
iti, omnes conuenire materiam na-
uraliter existere non posse sine for-
na, nec formam materialem sine ma-
eria, rationem autem inseparabili-
atis, non omnes ex eodem capite
leducunt. Thomistæ ex hoc proue-
ire dicunt, quia materia ex se non
abet existentiam, sed à forma in ge-
iere causæ formalis, vel saltèm in
ua existentia dependet à forma, vt
condicione sine qua non. Alij asse-
unt, quòd estò materia ex se suam
xistentiam habeat, eam tamen re-
inet dependenter à forma, tamquàm
condicione sine qua non, & si non
oræuia, saltèm consequente, & con-
omitante, & à posteriori, eo modo
uo natura à subsistētia, anima à suis
otentijs, & substantia ab acciden-
ibus dependent, sine quibus natura-
itèr conseruari nequeunt, quæ po-
ius dici debet naturalis coexigētia,
indigentia, ex naturali constitu-
ione rei deriuans, ità Suar. disp. 13.
Meth. sec. 4. ex quo infert, materiæ
ne forma naturalitèr non deberi cō-
eruationē, sed ad formę ablationē ex
atura rei materiā interiturā. Alij tā
lē negant depēdentiā materiæ à for-
na etiā in hoc sensu, sed volunt hāc
ecessariam connexionem naturalem
nter materiam, & formam non oriri
x conditione naturæ ipsius materiæ
articularis, sed potius ex conditio-
e naturæ vniuersalis, & ordine vni-
ersi. ità ex Scotis. Fuent. 1. Phys. q.
2. diff. 4. art. 1. Vulpes tom. 2. parte 2.
disp. 32. art. 4. Mastr. & Bell. disp. 2.
Phys. q. 3. art. 1. & ex Alienis sequi-
ur Auersa q. 20. sec. x. ex Recentio-
ibus verò Scotistis recedit Ponc.
disp. 3. Phys. nu. 59. & iterum in apo-
logia fol. 121. nu. 170.

Conclusio.

Dicimus, secundum communem naturæ cursum, nec materiam posse absq. omni forma existere, nec formam materialem absq. materiæ fulcimento; ratio autèm cur forma materialis esse non possit sine materia, est eius dependentia à priori, à materia; ratio autem qua materia non possit sine forma existere, est coexigentia, proueniens ex conditione naturę vniuersalis, & ordine vniuersi. est ad mentem Scoti, & Scotistarum relatorum, & Auersæ loc. cit. tres habet partes, & quo ad primam nulla indiget probatione, ad sensum. n. patet; Quoad secundam scil. de inseparabilitate formæ à materia, probatur, nam materia est verè causa materialis ipsius formæ, quæ vtiq. ab eius potentiā educitur, vt infra patebit, & ideò ad ablationem materiæ debet quoq. naturalitèr forma desinere, quatenùs ex eius innata conditione, non debetur ei à Deo conseruatio, nisi in materia; quod si alitèr à Deo conseruetur, hoc erit omninò præter eius naturam, & conditionem, vt de accidentibus Eucharistiæ dicimus; & circa hoc nulla est inter Doctores cōtrouersia. Quòad tertiam, probatur, hæc .n. exigentia attendi non debet ex dependentia, quam habet materia à forma, veluti à causa sui esse, quia vt supra probatum est, materia ex se indepēdentèr à forma propriā suam entitatem, & existentiam habet; Vnde solùm forma dici potest causa materiæ, quatenùs per informationem eam constituit in specie completa, & determinata.

Neq. hæc necessaria exigentia oritur ex dependentia, quā habet à for-

ma, tamquàm à præuia conditione sibi requisita ad existendum, non .n. minus causa, quàm conditio causandi debet natura effectum præuenire, ergo cum forma fituerus effectus materiæ in genere causæ materialis, nō poterit vtiq. constitui conditio materiæ ad existendum, effectus.n. supponit causam cum omni conditione necessaria ad causandum requisita. Neq. hæc necessaria coexigentia desumi debet ex dependentia, quam habet à forma, veluti à conditione concomitante, vt loquebatur Suar. vt scil. ei non debeatur naturaliter existentia, ablata forma, nam etiam status coniunctionis animę rationalis cum corpore connaturalis est, & vt pars essentialis hominis petit compleri, & tamen separata à corpore, adhùc naturalitèr perseuerat in esse, ob subsistentiam, quam suapte natura habet, ergo cum materia consimilem habeat subsistentiam, poterit si semèl separetur à forma, naturalitèr in suo esse perseuerare. Tum quia illa incōpletio materiæ solùm infert, vt indigeat formę tamquàm actu perficiente, & complente in determinata specie, non tamquàm conditione necessaria ad existendum. Tum tandem, quia in sensu Suar. illæ censentur conditiones necessariæ ad exigētiam rei pro naturali sua conseruatione, quæ per naturalem dimanationem in ipsa pullulant, & dimanāt, eo ipso quod in rerum natura ponitur, secluso quocumq. extrinseco agente, vt dicere solemus solem à luce pendere in existendo, velut à cōditione concomitante, ignemà calore, aquam à frigore &c. quæ habent à natura, & propria virtute sibi acquirunt sine auxilio agentis extrinsecis, tam in præuia eorum constitutione, quàm si illa in aliquo gradu amisissent, &c. sed materia non ità sibi vendicat formam, cum ab extrinseco agente ei imprimatur, ergo censeri non debet conditio naturalis necessariò requisita ad naturalem materiæ existentiam. Solùm igitur restat, vt hæc necessaria coexigentia formæ in materia attendatur ex conditione ordinis vniuersi, quod ab Auctore naturæ ità institutum est, vt agens naturale semper per se generationem intendat, corruptionem verò per accidens; Vndè sequitur, quòd nunquam possit materia prima virtute agentis naturalis, vna forma expoliari, quin aliam recipiat.

Restat igitur, vt hæc necessaria coexigentia formę in materia sm̄ cōmunē naturæ cursum petatur ex cōditione naturæ vniuersalis, & ordine vniuersi, quod ità ab Authore naturæ institutum est, vt agentia naturalia non corrumpant formam in materia, quin aliam de nouo generent, qui ordo ab agente naturali inuerti non potest, vt Scotus docuit in 2. cit. & Marsil. in 2. d. 12. q. 8. art. 2. Gabr. q. 1. art. 2. Bassol. in 2. d. 12. q. 1. in decisione art. 3. & P. Vulpes loc. cit. ait, q' necessaria connexio materiæ cū forma non absolutè fundatur in indigentia materiæ, sed in exigentia vniuersi pro sua integritate poscentis elemēta, mixta, viuentia, & cætera composita ex materia, & forma. Quia tamen materia est pars, quæ petit essentialiter compleri, est potentia, quæ naturaliter petit actuari, est imperfecta, & ideò naturaliter petit pfici, hinc coexigentia formæ potest

etiam

etiam in aliquo sensu attendi ex natura, & peculiari conditione ipsius materiæ, ità vt sine forma existens esset in statu violento, & contra suam naturalem inclinationem.

Obiectiones.

Ob. primò pro Suar. probando, materia dependet à forma in suo existere, vt à conditione concomitante, & ex intrinseca eius indigentia; nam ità pendet materia in essendo ab accidentibus, saltèm à quantitate, ergo tanto magis à forma substantiali, quæ est actus materiæ magis proportionatus. ℞. neg. consequentiam, & ratio est, quia si quantitas constituatur accidens materiæ coæuū, magis à quantitate materia dependebit, vt à conditione consequenti, & concomitanti, quàm à forma substantiali, quantitatem .n. haberet per naturalem resultantiam, quo modo non habet formam substantialem; & quamuis ad existentiam materiæ determinatam, & specificam, magis forma substantialis conducat, tamen ad in completam materiæ propriam, magis quantitas confert.

Ob. 2. ex Scoto in 2. d. 12. q. 2. lit. A. vbi docet, quòd Deus modo dat esse materiæ mediante forma, vt caussa, ergo &c. ℞. hoc asserere Doctorem, quia Deus decreuit conseruare in Vniuerso materiam cum consortio formæ, & infrà se explicuit, connexionem hanc non esse necessariam absolutè ex natura materiæ, sed ex Dei decreto; vel intelligitur de actu specifico, & completo.

Ob. 3. Materia essentialiter ordinatur ad formam, & est propter formā, ità vt si forma implicaret, etiam materia non esset, ergo prorsus à forma dependet. ℞. hoc omnibus transcendenter relatiuis commune esse, quòd necessariò terminum aptitudine respiciant, non tamen actu dependeant in existentia ab existentia termini, & ità verum est quod omnis potentia est propter actum, & si hic implicaret, potentia ad illum non esset: sed indè non sequitur, quòd non existente actu, neq. existat potentia, sufficit .n. quòd actus sit possibilis, & habeat aptitudinem ad esse, circa quā versetur relatio transcēdētalis, ideò negatur consequentia.

Deindè arguitur, quod materia existere naturalitèr possit sine forma; habet materia propriam existentiam, & subsistentiam, & vtiq. independētèr à forma, & tamquàm à causa, & tamquàm à conditione concomitante ex dictis, ergo nihil impedit quin se sola existere possit. ℞. vt supra, illam inseparabilitatē non prouenire proptèr aliquam veram dependentiā eius à forma, sed peculialitèr ob ordinē naturalem rerum, à Deo præfixum.

Arguitur 2. hac eadem ratione dicimus, naturalitèr euenire separationē animæ rationalis à corpore, licèt ordinem dicat ad corpus, tamquàm ad sui compartem, quia scil. suā subsistentiam habet. ℞. neg. paritatem, existentia .n., & subsistētia animæ lōgè perfectior est existentia, & subsistentia materiæ, nam illa in ordine spiritualiū substantiarum reperitur; poterat etiam Deus, vt Auctor naturæ, talem rerum ordinem instituere, vt materia naturalitèr interdū à forma separata reperiretur, vt patet de anima rationali, sed non fecio vt euidentia ostendit.

Arguitur tandèm 3. pars integralis

potest naturalitèr extra totum existere, ergo & essentialis. ℞. etiam neg. paritatem, nam pars integralis adhùc separata habet rationē totius, & in se verè est ens completum, vt patet de gutta aquæ, quod de parte essentiali asserendum non est.

Ponc.loc.cit.negat necessariā connexionem materie cum forma oriri ex cōditione naturę vniuersalis,quatenus ab Authore naturæ ità institutum est; sed vult talem necessariam connexionem ex eo præcisè oriri, quòd semper applicatur causa determinata ad producendum in ipsa materia naturalitèr formam, ac proindè non ex natura sua,sed ex sola virtute agentis extrinseci nequeat esse in vniuerso sine forma sm̄ communem naturæ cursum. Non valet, nam etiam nos concedimus semper reperiri causam determinatam ad inducendā formam in materia, sed vndè hoc procedit?

Ponamus, quod Deus creet materiam nudam, non posset agens naturale in illa formam inducere, quia agens naturale non agit,nisi in quantum ex Doct.in 2.d. 12.q.2.F.& quia in sententia nostra, materia nuda nō est quātitate prædita, neq.terminata, neq.interminata, vtiq. in casu posito non posset ab agente naturali applicato recipere dispositionem pro introductione formæ substantialis, & consequentèr ex sola virtute agentis naturalis non potest necessitas connexionis materiæ cum forma deduci sm̄ communem naturæ cursum. Tum q̄a potest naturalitèr contingere casus, quòd duo agentia naturalia æqualis virtutis essent æquè applicata ad materiam, quo casu se inuicèm impedirent,& materia à neutro formam reciperet. Tum tandèm euenire potest, quod agens ob improportionatā applicationem, vel ob debilem virtutem non producat formam substantialem in totam materiam nudam,& sic pars remotior esset sine forma: ità Mastr.in respons.ad Ponc.quod probat exemplo in generatione animatorum; vbi interdum contingunt monstra præter intentionem naturæ, & tamèn in tali generatione agentia naturalia sunt quoq. naturalitèr determinata ad finem suum consequendū in omni perfectione eis possibili;attamen nunquā hæc monstra contingūt in generatione substantiali,quod parum materiæ etiam pro minima morula detur sine forma, quod sanè alia ratio reddi non potest, nisi conditio vniuersalis naturæ, & ordo vniuersi ità ab Authore naturæ institutus, vt agentia naturalia in generationibus substantialibus nequeant vnquam formam in materia corrumpere, quin statim aliam generent: quæ doctrina tantò magis à Scotistis amplecti debet, quantò est sui Doctoris aperta sententia, & quæ Poncius contra nos congerit,relinquitur iudicio Sapientium. &c.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Materia, et Forma possint supernaturalitèr separata conseruari; & An tunc opus esset nouus perseitatis modus positiuus.

SCot.loc.cit.in 2. d. 12. q. 2. Respondet affirmatiuè cum Scotistis quò ad primum punctu; oppositum verò defendunt Thomistæ,& cōtrouersia pendet ex diuersitate fundamentorum; nam Scotistarum funda-

damentum est, quia materia prima independentèr ab omni forma partis habet suum peculiarem actum, suáq. propriam existentiam, imò & propriam subsistentiam, distinctam realitèr, & omninò independentem ab existentia, & subsistentia formæ; Thomistarum verò fundamentum est totũ oppositum, quia scil. materia prima nullum habet actum existentiæ distinctum à forma, sed eius existentia est effectus formalis formæ. Vnde idem iudicium ferendum est in hac, & illa controuersia, & cuius veritas in scholis inualuit pro prima, inualebit etiã pro secunda. pro Scoto stare D. Bonauen. probat Carpened. in sua Philosophia lib. 1. tract. 2. q. 9. item & Ægid. probat M. Bonherba dub. 3. de forma, q. Alios Augustinienses citat, & tandem Recentiores ferè omnes Scoti sententiam sequuntur.

Quomodo autem materia separata à forma conseruaretur, vel forma separata à materia, variæ sunt Auctorum sententiæ, An scil. hoc fieret per nouum perseitatis modum, ei in tali statu inditum, vel saltem per specialem concursum à priori diuersũ. Illi, qui materiæ propriam subsistentiam partialem negant, volunt non solùm necessarium esse nouum influxũ, sed etiam nouum perseitatis modũ, quo separata à forma conseruetur, & eodem modo loquuntur de forma; Qui autem vtriq. propriam subsistentiam concedunt, adhuc discrepant; licèt .n. pro materiæ cõseruatione omnes conueniant non esse necessarium nouum perseitatis modum, Aliqui tamen asserunt, materiam indigere speciali concursu, quo suppleatur concomitantia formæ; ità Conimb. 1. Phys. cap. 9. q. 6. art. 3. Suar. disp. 13. Meth & Ruu. 1. Phys. q. 5 dubio collaterali: Alij verò negant necessitatem specialis concursus, vt Auersa q. 20. sec. x. Hurt. Fuentes &c. loquẽtes verò de forma relati Auctores, videntur vtriusq. necessitatem affirmare, & noui scil. perseitatis modi, & noui concursus propter dependẽtiam à priori ad materiam. verum est tamen præcitatos Auctores loqui de forma accidentali præsertim, sed q. a forma substantialis materialis nõ minus indiget fulcimento subiecti (licèt ex alio capite dicatur subsistere ex dictis) ideò vniformiter de vtraq. loqui tenentur.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, posse per absolutam Dei potentiam, formam sine materia, & materiam sine forma conseruari. est Scoti, & Scotist. & ex familia Dominicana Sot. 1. Phys. q. 6. art. 2. & Bann. p. p. q. 66. art. 1. dub. 2. & Recentiores passim; & quidem de forma iam patet, ità .n. de facto conseruantur accidentia in Eucharistia, ergo tantò magis hoc asserendũ erit de forma substantiali, quæ nobiliorẽ habet existentiam. Confirmatur, quãuis .n. forma à materia dependeat in genere causæ materialis, hæc tamen non est causalitas materialis intrinseca, quam solam exercet respectu cõpositi, sed est extrinseca, atq. ideò à Deo suppleri potest, & si non eodem genere materialis causæ, saltem in eminentiori, nimirùm in genere causæ efficientis, vt de facto in Eucharistia supplet.

Ex hac doctrina euidenter probatur altera pars de materia, nam magis dependet posterius à priori, quàm

prius

prius à posteriori, cum omnis depẽdentia sit ad aliquid prius, sed accidens est posterius substantia, & forma est posterior materia, ergo si potest conseruari accidẽs sine subiecto, & forma sine materia, tantò magis materia sine omni forma.

Respondẽt Thomistæ, quod estò materia sit prior forma in genere causæ materialis, forma tamen est prior in genere causæ formalis, quatenùs existentia materiæ est formalis effectus formæ, sicut superficies est prior albedine, sed hæc est prior superficie alba.

Sed contra, si materia est prior in genere causæ materialis, quàm forma, ergo in illo priori intelligitur existens, quia nulla causa potest Physicè causare, nisi existens sit. Tum q. ideò albedo est prior superficie alba, quia albedo in superficie non supponitur, sed in casu existentia supponitur in materia, vt forma in ipsa recipiatur. Tum quia (& est ad hominẽ contra Thomistas) humanitas assumpta à Verbo per ipsos non existit existentia suæ formæ, quia neq. hæc propriam habet existentiam in Verbo, sed existit existentia Verbi, ergo falsum est, existentiã materiæ ità esse effectum formalem formæ, vt à Deo suppleri non possit; ex qua doctrina mouentur Recentiores quamplures, vt Amic. Murcia, Hurt. Pla, & Alij ad asserendum quod etiam si materia penderet à forma in sua existentia, & in genere causæ formalis, adhùc per Dei potentiam sine forma existere posset, quamuis .n. Deus efficere non possit effectum formalem sine aliqua causa formali, potest tamen illum efficere sine causa formali connaturali, dummodò tamẽ sit alia causa formalis supplens naturalem, cum hæc sit causalitas extrinseca. Tum quia conseruat Deus efficienter materiam, & formam, & quare non potest solam materiam conseruare? cum non pendeat à forma tamquam à comparte? sunt Misteria, non opiniones.

Prob. tandem: Materia pendet à solo Deo per creationem, & non à natura, cum sit terminus creationis, secundum Diuum Augustinum 12. confessionũ ergo potest conseruari à solo Deo absq. forma, quæ est à natura. Probatur consequentia dupliciter: primò, causatum immediatè à Deo, potest conseruari remoto quocumq. alio causato à natura, quia potest Deus impedire actionem naturę. Resp. M. Brun. q. 3. Phys. art. 6. fol. 124. distinguẽdo anteced. efficienter, & quo ad fieri, seu produci ex nihilo, concedo; formaliter, & in facto esse, nego; quia in facto esse materia pendet à forma. parcat mihi. potuit Deus esse solus in pductione materiæ ex nihilo, & quare non potuit etiam esse solus in eius cõseruatione? quis eius potentiam in tantũ restrinxit, & debilitauit? in facto esse associauit materiam cum forma. bene. sed non poterat, non associare? vt poterat non creare? Tum quia dependentia materiæ à forma sola est quo ad esse specificum, & determinatũ, non quo ad esse essentiale, & quidditatiuũ ipsius materiæ. Secundò Deus eadẽ virtute, qua creat, conseruat, ergo &c.

Conclusio Secunda.

Dicimus secundò, pro conseruatione materiæ, & formæ seperatarum, non opus esse nouo perseitatis modo posi-

sitiuo, neq. nouo concursu maiori, & alterius rationis ab eo, quo earum entitates priùs à Deo conseruabantur, quando coniunctæ erant. est Scoti loc. cit. & Scotist & quo ad materiã patet, diximus .n. propriam existentiam, & subsistentiam possidere, quæ omnimodam dependentiam excludit ab alio, vt subiecto substentante, ergo nulla videtur necessitas huius noui perseitatis modi positiuũ. Tum quia ideò anima rationalis ponitur separata existere à corpore absq. nouo perseitatis modo, quia de se consimilem habet subsistentiam, ergo cum materia etiam talem existentiam, & subsistentiam habeat, tali perseitatis modo non indiget; & eadem ratione probari potest, neque necessarium esse specialem influxum, ex hoc .n. capite Aduersarij passim inferunt necessitatem specialis concursus in cõseruatione formæ materialis, & accidentis absq. subiecto, quia subiectũ verum influxum habet in formã materialem, qui idcirco à Deo suppleri debet; quia igitur forma nullum proprium habet influxum in materiam, peculiari influxu Diuino, quo causalitas formæ suppletur, non indigebit; sicut è contra asserunt ideò animam separatam speciali concursu nõ indigere pro sui conseruatione, quia quando in corpore erat, non depẽdebat à corpore in sua existentia, ergo vt materia sine forma maneat, sufficit sola continuatio eiusdem influxus, quo priùs sub forma conseruabatur, quia quando erat cum forma, non dependebat à forma in sua existentia, vt supra probatum est.

Maior difficultas est de forma materiali, quæ cum verè à materia dependeat, si hæc causalitas suppleri debeat, videtur, quod vel nouus modus essendi, vel concursus à priori diuersus adhiberi debeat; sed reuera neutrum horum necessarium videtur pro conseruatione formæ separatæ; & ratio est, quia modus per se essendi, quo dicitur V.g. accidentia per se existere in Eucharistia, ex Scoto in 2. sent. cit. versus finem, non importat aliquam perseitatem positiuam, quæ sm communiorem sententiam est subsistentia, sed dicit solam negationem actus essendi in alio, vt in subiecto, cum aptitudine ad talem actum, quod (vt Doctor ait) nõ est nisi per se esse negatiuum; & ideò cogitari non debet, vt modus positiuus p se essendi de nouo formæ materiali communicatus, cum extra subiectum ponitur, & conseruatur; sed haberi per solum concursum extrinsecum Diuinum continuatum, sicut cum materia, & subiecto priùs conseruabatur.

Confirmatur, vel hic modus perseitatis, & subsistentiæ ità inhęrentię opponitur, vt eam neget à subiecto, in quo est, tàm in actu primo, quàm secundo, scil. tam aptitudinalitèr, quàm actualiter; vel vt excludat tantùm eius actualitatem, & non aptitudinem; non potest primo modo dici, quia inhærentia aptitudinalis non potest à forma materiali separari, cũ ei realitèr identificetur, secundo modo statuitur sufficienter per solam negationem actus secundi, eo modo, quo dicimus hominem dormientem esse irrationalem, quia actu non discurrit, actus .n. secundus sufficientèr excluditur per simplicem negationẽ, quamuis actus primus excludi non

M possit,

possit, nisi per positionem; que est doctrina Scoti in 2. sent. d. 3. q. 2. & alibi, quod etiam clariùs explicatur, licèt .n. negatio, quæ necessò rei cõuenit, petat in re aliquid positiuum, ratione cuius rei conuenit talis negatio, & simpliciter repugnat opposita affirmatio; negatio tamèn, quæ rei conuenit contingentèr, non supponit in re aliquod tale positiuũ necessariò, sed negatio actualis inhærentię formæ in subiecto contingentèr ei conuenit, ergo non per aliquem actum positiuum, sed solùm sufficit positiua aptitudo, quam connotat in forma dependendi à subiecto. Tum eadem quia separatio formæ à subiecto potest fieri per solam subtractionem influxus, quo prius Deus subiectum conseruabat, & per continuationem eiusdem influxus, quo conseruabat formam, & ità credimus de facto accidentia in Eucharistia per se manere, per solam scil. desitionem subiecti, & continuationem conseruationis eorum, in quo casu nulla noua interuenit actio positiua, cuius per se terminus dicatur ille modus perseitatis, ergo sine tali modo potest forma per se existere sine materia, qui tamen modus sic manendi sine subiecto dici debet supernaturalis, quia non conseruatur sm̃ leges in vniuerso prefixas, sed est ab illis absolutus.

Deindè, quòd pro conseruatione formæ separatæ, non sit necessarius nouus cõcursus, nec maior illo priori, quo iam in subiecto conseruabatur, probatur; nam inuariato principio, & termino nequit actio variari, cum ab his vnitatem, & diuersitatem accipiat, sed in casu idem principiũ manet, scil. Diuina Voluntas ad opus applicata, & idem terminus scil. entitas formæ, ergo est idem prorsus concursus cum priori. Huic rationi pluribus resp. Poncius lib. 1. Phys. disp. 4. q. 5. fol. mihi 130. sed præsertim quod maior est vera de principio adęquato, quo sensu min. est falsa, quia Deus non est principium adæquatum formæ quando producitur, & conseruatur in subiecto. Sed vana responsio, Deus.n. est causa adęquatissima formæ sm̃ rem, quod inde patet, quia se solo iam posset illam producere absq; subiecti consortio, vnde dicitur causa inadæquata solùm sm̃ modum, quatenus vult causas secundas secum agere; sicut etiam falsum assumit, quod tunc idem effectus esset à duobus causis totalibus, nam id solùm sequeretur quando Deus ageret sm̃ rem ex parte sua, & subiectũ se solo posset formam producere, quod vtrumq; est falsum. Sed de hoc fusiùs infra in art. quomodo accid. separatũ conseruatur. Tum quia conseruatio actiua, cum est ab eodem omnino agente, non est diuersa actio à productione sm̃ rem, sed vna, & eadẽ etiã, sm̃ Aduersarios, ergo in casu conseruatio formæ in posterùm absq; subiecto ab ipso Deo non esset noua actio diuersa sm̃ rem à priori, & de facto ità est in multis rebus, quas Deus cũ causis secundis producit, & sine ipsis deinceps conseruat, quæ tamen conseruatio non ponitur actio diuersa à productione secundum rem.

Dices, verum est concursum Diuinum non mutari, sed solùm eumdẽ numerò augeri, eo modo, quo duo homines pondus sustinentes, si vnus desistat, & alter prosequatur ponderis

ris sustentationem se solo, in quo casu non interrumpitur eius actio, cum semper pondus sustineat; sed ipse intendit vires suas, & auget eumdem numerò concursum, quem prius adhibebat, quia debet deinceps ipse solus vices alterius supplere. Non valet, nam alius est concursus causę secundæ, alius concursus causæ primę; in illo concipere possumus intensioné, & remissioné, q.a potétię finitę est, & applicabilis ad opus modò cũ maiori, modo cũ minori conatu, hinc fit vt aliquãdo sufficiens sit ad ponendũ effectũ, aliquando insufficiens; quod de concursu Dei sentiendum non est, qui sm̃ se consideratus, se solo sm̃ ré sufficientissimus est ad ponendum in esse quicquid media causa secunda causat, vt Scot. docet in 4. sent. d. 12. q. 1. lit. R. Tum quia, vel Diuinus concursus hic accipitur fundamétalitèr, seu materialitèr, & ità cum sit ipsamet Diuina Voluntas applicata ad opus, seu ipsum velle Diuinum, non potest vtiq. insufficiens dici sm̃ rem, neq in eo cogitare possumus intensionem; vel accipitur formalitèr, & ità cum non sit, nisi terminatio depédentię effectus ad illud velle Diuinũ, hæc sola sufficientissima est ad positionem, & conseruationem effectus ex Doctore loc. cit. Vndè cum omnia æquè à Deo dependeant, & eodem modo, cogitari non potest in tali actione intensio, & remissio.

Est igitur concursus Dei semper sufficiens secundum rem, & quando coniunctus est cum concursu secundarum causarum, dicitur insufficiens solùm sm̃ modum, quatenùs scil. non ex necessitate rei, sed ex sua libertate, & suaui Diuinæ prouidentiæ dispositione, causas secundas assumit ad operandum, vt sicut eis communicauit esse, ita eas suos motus agere finat; Vnde prorsùs idem est sm̃ rem concursus Dei, quo cum igne comburit lignum, & sine igne combureret; & ideò idem est concursus sm̃ ré, quo formam conseruat cum cõcursu subiecti, & sine eo, & solùm diuersitas infertur sm̃ modũ, quatenùs priùs vnitus cum concursu secundæ causæ modum habebat quasi insufficientis, quamuis sufficientissimus esset sm̃ ré, postea verò solùm gerens quicquid cum consortio alterius gerebat, dicitur sufficiens sm̃ rem, & modum, ità ex Recentioribus Scotistis Vulpes, Mastr. & Bell.

Obiectiones.

Contra primam conclusionem arguitur primò ex Thomistis opinantibus implicare materiam sine forma existere, ex suis principijs. Si materia sine forma existere posset, esset in actu, & non in actu, at hoc implicat, & Deus facere non potest, quæ implicant contradictionem, ergo &c. sequela patet, nam haberet actum, quia haberet existentiam in rerum natura, & non haberet actum, quia nõ habet formam, à qua est omnis actus. R. esset in actu entitatiuo, quem alij vocant transcendentalem, qui omnibus entibus conuenit, non autem in actu formali specifico, & completo, qui à forma prouenit, ideoq. nulla implicantia.

Secundò, tunc materia esset indiuiduum, & non esset indiuiduum; esset quidem, quia solitariè existeret, non esset, qua non haberet formam, quæ sola ponit indiuiduum in determinata specie entis, & est principium

indiuiduationis, tàm materiæ, quàm compositi, quæ omnia implicant. ℞. neg. sequelam, materia enim est indiuiduata per suam hæcceitatem per Scotus in secunda sententia dicitur tertio, questione sexta litera C. Vnde esset eadem numerò, & specie, vt nunc est in composito, nec à forma cognoscit differentiam indiuidualem, nec speciem intrinsecam, & essentialem, sed extrinsecam tantùm, & aduentitiam, completam tamen, & perfectam, de se tamen est determinata entitas à quacumq. alia distincta, & ex se in specie determinata entis, & substantiæ; & quando dicitur, quod quicquid est in determinata specie incompleta debet reductiuè spectare ad determinatā completam, in casu autem ad nullam cōpletam spectaret, admittimus id valere de substantia incompleta determinante, qualis est forma, non de determinabilis, qualis est materia, hæc .n. ex proprio munere, & naturali sua conditione debet ad omnes species esse contrahibilis, & quamuis ad hanc, vel illam actu per formam trahatur, & reducatur, aptitudine tamen de se ad omnes reductibilis est, & ità se haberet separata à forma sine vlla actuali reductione, & in hoc nulla est repugnantia vt benè Mastriuſ. & Bell. aduertunt.

Tertiò, implicat Deum supplere vicem formæ, sed si separaret formā à materia, suppleret effectum formalem, ergo &c. ℞. neg. minorē, Deus .n. non influit informando materiam, sed conseruando sine actu informante, nec ad conseruationem materiæ requiritur actus formalis specificans, & determinans, qui est illi extrinsecus, sed sufficit actus existentiæ, & entitatiuus, qui est eius essentiæ idētificatus.

Quartò, magis vnum sunt materia, & forma, quàm subiectum, & passio, sed Dei potentia nō potest passio separari à subiecto, ergo nec materia à forma, maior patet, quia materia, & forma faciunt vnum per se primò; subiectum, & passio vnum per se secundò. ℞. ex Scoto materiam, & formam esse magis vnum, quàm subiectum, & passio; vnitate vnionis, non vnitate identitatis, ideò nullum est argumentum.

Deindè Obijcitur contra aliā partem conclusionis, probando, quod forma non possit sine materia conseruari; nam forma est essentialitèr pars compositi, ergo non potest existere nisi in composito, vnita materiæ; & quidem repugnare videtur, esse essentialitèr partem, & solitariè existere, & habere rationem totius. ℞. quòd si concedatur formam esse essētialitèr partem, hoc intelligi non debere actualitèr, sed potentialitèr, nā esse actu partem accidit sibi in aduentu vnionis cum materia, atq. ideò sicut sibi accidit esse acta materiæ vnitam, ita ei accidit esse compartem actualem compositi.

Vrges, vnum relatiuum esse non potest sine alio, nec etiam supernaturalitèr, sed forma est relatiua ad materiam, vt actus ad potentiā, ergo &c. ℞. ex dictis, materiam, & formam non esse relatiua prædicamentalia, sed transcendentalia, quorum vnum non respicit aliud necessariò in actuali existentia, sed sufficit, vt respiciat in esse possibili, sic potentia effectiua conseruari potest sine

esse-

effectu, potentia visiua sine colore &c.

Dices, ex 2.Phys.tex.20.forma Physica se habet ad materiam, vt simitas ad nasum, sed impossibile est simitatem extra nasum reperiri, ergo &c. Resp. Scot.in 4.sent.d.2.q.1.lit. E.hunc esse vnum ex pręcipuis errorum Philosophi, qui putauit, idem esse impossibile naturalitèr, & impossibile Deo; posuit .n. ordinem causarum necessariam, & quod Prima causa non possit causare causatum secundæ causæ sine ipsa; & quia subiectum aliquam causalitatem exercet circa formam materialem, sine hac causa actu causante negaret Philosophus posse formam solam existere; at quia ipse errauit in principijs, errauit etiam in conclusione. Vel responderi potest similitudinem valere, quod sicuti forma specificat materiam, ità simitas specificat, & distinguit nasum, at non valet deinde inferre etiam inseparabilitatem &c.

Ob. Impossibile est formam materialem, per quamcumq. potentiã fieri immaterialem, & spiritualem, at posito casu, quod forma separaretur à materia, talis fieret, esset .n. tunc spiritualis, ergo &c. R. ex Doct. neg. minorem, sicut .n. quantitas est forma eiusdem naturæ quando est in subiecto, & quando est separata, ità & formæ substantiales se haberent ãtè, & post separationem. Tum quia adhùc aptæ sunt informare materiam, & solùm immateriales dicerẽtur sm qd, prout actualitèr materię immersæ nõ essent.

Vrges tandem, quod forma esset actus, & non esset actus, foret actus, quia forma est essentialitèr actus, & definitur per actum, vt patet de definitione animæ; & non foret, quia iã esset perse, & nõ actuaret. R. neg. sequelam, quia iam esset actus fundamentalitèr, quatenùs apta foret informare materiã, sed nõ formalitèr, quia non fundaret actualem respectũ informationis, vndè forma dicitur actus in secunda notione, non in prima, vt etiam dicimus de potentia respectu materiæ.

Contra secundam Obijcitur probãdo, quod materia separata reciperet à Deo nouum perseitatis modum, vel saltem conseruaretur per specialem concursum, diuersum *à* priori, & primò *à* paritate partis integralis, quæ cum separatur, statim acquirit modũ totalitatis per indiuisibile terminatiuum in ipsa resultans, ergo etiã pars essentialis, vt est materia, consimilem modum totalitatis recipiet cum ab alia comparte separatur. R. neg. paritatem, nam pars integralis indiget indiuisibili terminante ob necessitatẽ horum indiuisibilium in corporibus, nulla autem est necessitas huius modi positiui per se existendi in separatione partis essentialis a toto, sed sufficit modus negatiuus, scil. vnionis cũ altera comparte. Tum quia pars integralis cum est separata verè dicitur totum, quia in se est ens completum, & ideò petit modum totalitatis positiuum, quod non militat de materia, quæ etiam separata est ens incompletum, cum sit essentialitèr pars.

Secundò, Non fit nouum miraculũ, nisi aliquod nouum producatur in re, circa quam miraculum contingit, sed materiam existere separatam à forma est nouum miraculum, ergo &c. R. neg. maiorem, quia miraculum con-

tingere

tingere potest per solam subtractionem concursus, vt in fornace Babilonis accidit, & itá in proposito foret. Nec vltra miraculum separationis, aliud miraculum requiritur, nec alius specialis concursus, sed sufficit ad conseruationé materiæ continuatio eiusdem miraculi, & eiusdé concursus, quo priùs conseruabatur cũ forma, & dicitur talis concursus supernaturalis, ex eo præcipuè quod non est debitus sm commune cursum naturæ, ideo nihil, quia minor est falsa &c.

Tertiò, Materia in casu existeret in statu violento, & præter naturam suam, ergo habebit alium modum essendi à Deo sibi tributum. ℞. quod tunc materia separata non existeret violentèr positiuè, vt aqua existit sub calore, sed negatiuè, quatenùs reperitur sine modo suo naturali existendi sub forma, & ideò non oportet nouum modum per se essendi positiuum recipere, sed sufficere negatiuum non existendi cum forma; & ratio disparitatis est, quia frigiditas ab intrinseco dimanat ab aqua, forma verò extrinsecè competit materiæ.

Quartò, Materia in tali statu iam supernaturalitèr conseruaretur, at si eodem concursu conseruaretur, iam naturalitèr existeret, quia ille concursus nõ haberet vim conseruandi, nisi naturalitèr. ℞. neg. min. sufficit .n. idem concursus, sed prius dicebatur naturalis, quia erat debitus materiæ ex lege ordinaria, posteà dicitur supernaturalis, quia præstatur materiæ in eo statu, in quo non sibi debetur ex lege ordinaria, & ideò in tali statu dicitur supernaturalis.

Deinde arguitur probando, quod forma separata indigeat nouo perseitatis modo positiuo: ideò asserimus materiam separatam non indigere hoc nouo modo perseitatis, quia de se propriam habet subsistentiam, vt dicit independentiam à subiecto sustentãte, ergo quia forma tali subsistẽtia caret, tali vtiq. modo indigebit, vt per se separata existat. ℞. neg. anteced. asserimus vtiq. quod materia minus indiget tali perseitatis modo positiuo, quàm forma, ob subsistentiã, quam habet, & independentiam à subiecto; sed non ob id negamus quin conseruari possit aliquid solitarié, virtute Dei absq. nouo perseitatis modo, dummodò illud propriam habeat subsistentiam, vti est iam forma materialis substantialis.

Secundò, Dum forma manet in subiecto, non sufficit sola actio Diuina, per quam dicatur conseruari in subiecto, sed requiritur adhùc peculiaris modus inexistentiæ positiuus, ergo paritèr dum extra subiectum cõseruatur, satisfieri non potest per solam eamdem actionem conseruatiuã, sed cõcedendus erit alius nouus modus positiuus, oppositus priori essédi in alio. ℞. neg. consequentiam, & ratio est, quia in primo casu, vltra Diuinam actionem conseruatiuã formæ, concurrit etiam modus positiuus inhærentiæ, nequit .n. forma poni in subiecto, quin etiam ponatur respectus iste vnionis, qui etiam distincta actione conseruatiua indigebit à cõseruatiua formæ distincta; in separatione autem formæ à subiecto nullus alius nouus modus est necessarius, sed sufficit prior actio conseruatiua formæ continuata ad conseruationẽ

eiusdem

eiusdem extra subiectum, ex vi cuius forma illa in subiecto conseruabatur, & illa prima actio Diuina dicitur insufficiens solùm sm̃ modum, non sm̃ rem.

Tertiò Arguitur ad probandum, quod forma separata indigeat nouo, vel saltem maiori influxu: prior influxus de se erat insufficiens se solo ad conseruandam formam, & ideò conseruabat mediante influxu subiecti, nam si de se sufficiens erat, ad quid influxus subiecti? vel igitur asserendum esset, quod eiusdem effectus essent duæ causæ totales, quod Scot. negat; vel saltèm, quod vna fuisset totalis, alia partialis; at partialis influxus non est de se sufficiēs, ergo à priori diuersus. ℞. priorem influxum esse insufficientē solùm sm̃ modum non sm̃ rem, quatenùs Deus Benedictus, non ex necessitate, sed ex mera sua libertate subiectum assumebat ad secum cooperandum; & licèt concursus causæ secundæ non sit Deo necessarius, non ob id iudicari debet superfluus, nam inter necessarium, & superfluum mediat congruū, & satis congruum fuit Diuinam prouidentiam ad manifestationem summæ suæ bonitatis, & largitatis creaturas assumere ad secum operādum. Nec inde sequitur eiusdem effectus fore duas causas totales, vel saltem vnam totalem, & aliam partialem, quando .n. Deus assumit causam secundam ad secum operandum, eius concursus est partialis, & insufficiēs saltem sm̃ modum, & vtitur eo, ac si insufficiens esset sm̃ rem; absolutè tamen sufficientissimus est, vt se solo efficiat quicquid cum causa secunda efficiebat.

Quartò, Prior influxus erat eductiuus, quia forma conseruabatur cū concursu subiecti, posterior est creatiuus, quia cōseruatur sine subiecto, ergo sunt diuersi, & alterius rationis. ℞. actionem creatiuam, & eductiuam in Deo non differre, nisi penès connotationem concursus materialis subiecti, vel eius negationem, sicut actio quoq. corruptiua, & annihilatiua; Vnde sicut desitio formæ semper in se est eadem, licèt quando desinit in subiecto, dicatur corruptio, & quando extra, annihilatio, ità productio formę in subiecto dicitur generatio, vel actio eductiua, conseruatio autem eiusdem extra subiectum dicitur actio creatiua, per solam variationem connotatorum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An sit Vna omnium rerum Materia, tum Cęlestium, tum sublunarium.

Scot. Articulum hunc apertis verbis resoluit in 2. sent. d.14.q.1. & 4.d.11.q.3.lit.H. vbi docet materiam Cęlestem, & sublunarem esse eiusdem rationis specificæ, quem sequuntur communitèr Scotistæ. Supponimus pro intelligentia, varias esse de materia prima opiniones. Quidam .n. non solùm materiam ponunt in corporibus Cęlestibus saltem sm̃ veritatem, sed etiam in spiritualibus; vnde licèt Angeli, & anima rationalis substantiæ sint spirituales, & simplices, compositione materiæ, & formę carentes sm̃ communiorem sententiam, quam Scot. docuit in 2. sent. d.1.q.5.in fine, & d.16.q.vn. F. qui tamen non implicare videtur dari materiam spiritualem receptiuam formæ substantialis, spiritualis, & aliquā

talem

talem substătiam ex his constitutam, idcircò ad hanc quoq; materiam spiritualem possibilem, quæstionem extendunt, an scil. esset eiusdem speciei, vel diuersæ à materia corporalium, & hi discipuli sunt D. Bonauen. qui Angelos componunt ex materia, & forma, iuxta Seraphici Doctoris probabilē sententiam in 2. sēt. d.3.p.1.art.1.q.2.

Peripatetici igitur, qui iuxta Arist. sententiam solùm in his sublunaribus materiam concedunt, vnam numerò materiam omnium posuerunt, non quidem actu, & positiuè, implicat .n. eamdem numerò materiam in hoc sensu esse simul sub diuersis, & disparatis formis, & oppositis dispositionibus, sed illam posuerunt in omnibus sublunaribus potētialitèr, quatenùs omnibus materiæ partib⁹, quæ modò sub diuersis formis reperiuntur, non repugnat, esse vnam numero materiam, nam si omnes formæ tollerentur, & portiones illæ vnirentur vnam numerò materiā efficerēt; non sic formæ, quia hæ semper essēt numerò distinctæ etiam si continuæ essent, quia in hoc homegenea ab etherogeneis differunt, heterogenitas.n. & diuersitas specifica à formis diuersis extrinsecè oritur, ità in finuare videtur Auerr. 1. Phys. 63. & 1.Meth.17.& sequitur Achill.1.de elementis dub.8.& Quidam etiā Antiqui Scotistæ, vt videre est apud Canon.1.Phys.q.9.dub. 6. & Tromb.8. Meth.q.3.concl.6. Alij verò in sublunaribus eam ponunt vnam vnitate spec fica athoma, & numerabilitèr multiplicatam positiuè sub formis etiam specificè distinctis per proprias hæcceitates intrinsecè, per formas verò solùm multiplicatam extrinsecè; & hæc est vera, & germana Doctoris sententia in 4. d. 11. q.3. H. & sequitur Ocham in Phys.c.8.0.1.cum Nominalibus, & Recentioribus ferè omnibus, vt patet apud Suar.in Meth.disp. 13.sec.3. Amic. tract.5.q. 8.dub. 1. Auers.q.20.sec.2.Hurt.d.2. sec. 5. qui Alios citat. & consentiunt PP.CC.Reg.supracit.

Qui verò materiam agnoscunt non solùm in his inferioribus, sed etiam in superioribus corporibus, adhuc inter se discrepant; nam Aliqui volunt materiam esse eiusdem rationis in his, & illis, & retinere adhùc vnitatem specificam athomam respectu eorum. Alij affirmant esse diuersæ rationis, & ideò non continere nisi vnitatem genericam, vel specificam sub alternam. Illi tandem, qui materiam ponunt etiam in substantijs spiritualibus, neq.etiam conueniunt inter se, nam Aliqui asserunt materiam sublunarium esse diuersæ rationis à materia Cęlestium, & vtramq. materiam corporalem, adhùc diuersam à materia spiritualium, hinc tres materiæ species agnoscunt, Vnam elemētarem, Alteram Cęlestem, & Alteram spiritualem, & est opinio Alensis p.1.q.20.memb.2. Alij verò defendunt materiam esse vnam, & eamdem specie horum omnium, & solùm differre penes diuersa accidentia prouenientia à formis, sua quibus sunt, quia vt est sub forma Cęli redditur capax quantitatis; vt est sub sublunari, fit capax, & substernitur non tantùm quantitati, sed etiam qualitatibus contrarium habentibus, vnde oritur corruptibilitas; vt tandem sub forma spirituali, reperitur, nec quātitati,

ritati, nec qualitati substernitur, sed tantùm motui, & ità significauit Cauellus in lib. de anima q. x 1. conclus. 2. in sententia Seraphici Doctoris in 2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 2.

Adnot. p decisione art. ex Tröb. 8. Meth. q. 3. q vnitas specifica duplex est, alia completa; alia incompleta, vnitas verò numerica triplex; prima substantialis, & entitatiua, quæ rei competit ex sua hæccęitate, quæ materiæ conuenit independentèr à forma; Altera est vnitas numerica prædicamentalis, quæ extrinsecè aduenit à tali forma, quæ sicut ei dat extrinsecum esse specificum in prædicamento, ità etiam & numericum; Alia tandem est vnitas numerica integralis, vel continuitatis, quæ propria est rebus homogeneis, constantibus ex diuersis partibus eiusdē rationis, vndè illud sic constitutum dicitur vnum numero vnitate continuitatis, vt aqua ex pluribus partibus aquæ constans &c. quibus positis.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, materiam omnium corporum tam sublunarium, quàm Cęlestium (sm veritatem) esse vnā specie athomā, & solùm numero multiplicatam in diuersis corporibus. Est Scoti loc. cit. contra Thomistas, & sequuntur communitèr Scotistæ. Faber theor. 27. & 59. Vulp. tom. 2. par. 2. disp. 32. art. 5. Fuentes 1. Phys. q. 2. diff. 7. art. 2. Sghem. 1. Phys. digres. 5. q. 12. & Alij cum Recentioribus ferè omnibus, & pro modo breuitèr probatur, nam fusiùs hæc controu. in lib. de Cælo examinabitur: forma Cæli non complet, & satiat totum appetitum materiæ intensiuè, & extensiuè, cum non contineat eminenter perfectionem aliarum formarum, non .n. ait Scot. in 2. d. 14. q. 1. continet saltèm animam intellectiuam, ergo est capax & in potentia ad alias formas, & ideò eiusdem rationis cū materia sublunari. Tum quia, & si in Cęlo accidentia contraria non sint, ratione quorum corrumpi possit ab agente naturali, hoc non euenit ex incapacitate materiæ (ait Doct.) q̄a adhùc sibi inest alia potentia ad contrarium, Cęlum .n. ex natura sua est simplicitèr corruptibile, sed carentia contrarij euenit ex cōditione formæ, quæ ità illi materiæ dominatur, vt ab agente naturali, saltem corporeo alterari non possit.

At respondere solent Aduersarij, quod materia Cęlorum differt à materia sublunari, non quia respiciat formas alterius rationis, & speciei, sed quia tales formæ respiciunt ipsā materiam sub diuersa ratione informandi, quia Cęlestes formæ informant inseparabilitèr, sublunares autem separabilitèr. non valet, nam hęc necessaria connexio, ex Doct. non potest ex parte materię assignari, quæ quantum est ex se, separabilitèr semper, & contingentèr respicit formā, vt potentia est contradictionis ex 9. Meth. tex. 17. alioquin non eam reciperet, vt perse potentia. Tum quia si sufficeret hæc diuersitas informationis ad diuersitatem specificam inducendam materiarum, materiæ omniū Cęlorum essent eiusdem speciei, cū eodē modo eā formæ respiciant, scil. inseparabilitèr, quod tñ Aduersarij non admitterent, ponentes tot materias speciedistinctas, quot sunt Cęli. Tùm quia si illa materia est corporea, cur non est capax harum forma-

rum sublunarium, quæ etiã sunt corporeæ? si dicãt hoc obstare, quia istę formæ non sunt ei proportionatæ, ostendere tenentur, quid hæc improportio inportet. Tum quia si in Cęlo non sunt accidentia contraria, ratione quorum corrumpi possit ab agente naturali, hoc non oritur ait Scot. ex incapacitate materiæ, quia sibi inest illa potentia ad Contrariũ, & Cęlum est natura sua corruptibile; sed carẽtia contrarij prouenit ex cõditione formæ, quæ in tantum illi materiæ dominatur, vt non possit ab aliquo alio alterari, peregrinas impręssiones recipiendo. Tum quia, vt arguit Ponc. materia prima sublunaris potest coniungi, & facere vnum per se cum anima rationali, quæ est perfectior quacumq. Cęlesti; potest etiam coniungi cum formis imperfectioribus, quàm sint formæ Cęlestes, ergo videtur etiam coniungi posse ex se cum forma Cęlesti. Quod autẽ materia sit vna specie, non numero, inde patet, quia species est illa quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, sed materia est huiusmodi respectu talis, & talis portionis materiæ, quælibet .n. est materia, & definitionem materiæ includit, quod verificari non potest de vno numero indiuiduo, nam Petrus non est Paulus, ergo &c.

Verùm tamen est, quod licèt materia sit vna specie in omnibus corporibus, est tamen numero multiplicata sub diuersis formis ex Scoto loc. cit. in 4. extrinsecè vtiq. per formas à quibus recipit vnitatem numeralẽ prædicamentalem; intrinsece autem per proprias hæcceitates, à quibus hæc, & illa portio materiæ accipit vnitatem indiuidualem entitatiuam, & hoc Arist. inuit 12. Meth. tex. 27. (ait Scot.) illis verbis: *Singulariũ aliud est tua materia, & mea materia, vniuersali verò ratione, eadem*. patet etiam ratione, quia si esset eadẽ numero materia simul, & semel in diuersis corporibus, tunc non esset necessaria transmutatio, vt de vna forma transiret ad aliam; & generans generare posset nihil corrumpendo; posset etiam eadem materia sub diuersis, & oppositis dispositionibus reperiri; & in diuersis locis simul, & semel, quæ omnia absurda, & naturalitèr impossibilia videntur; benè tamen verum est, quod eadem numero materia, quæ modò est sub forma aquæ, potest successiuè transire ad alias formas, qua ratione motus ait Philosophus, sæpè remanere in genito eamdem materiam, quæ fuit in corrupto; .s. eamdem numero, quod vtiq. omninò necessarium est, ne productio geniti dicatur creatio. Vndẽ si omnes materiæ portiones in mundo existẽtes singulis formis exuerẽtur, & adinuicem continuerentur, vnam numero materiam conficerent, vnitate scil. continuitatis, & integritatis, eo modo, quo si aquæ omnium marium, fluminum, & fontium in vno loco vnirentur, illa tota aquarũ colluuies vna numerò aqua rectè diceretur, sed vnitate continuatis, quæ vnitatem specificam nõ destruit, sicuti igitur modò aqua non est vna numerò, sed specie, sic asserendum est de vnitate materiæ.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. si materia in substantijs spiritualibus admitteretur, non esset vna specie athoma cum materia corporea-

porearum, sed potiùs vna vnitate generica. conclusio patet ex dictis, si.n. vnitas specifica corporearum in vniuersum ex eo capite deducitur, quod possunt easdem formas recipere, ità ex opposito, quia materia corporalium, & spiritualium (si in istis concederetur) non esset capax earumdem formarum, idcircò specie distinctæ statui deberent. Et quod nō sint capaces earumdem formarū, probatur; quamuis .n. forma spiritualis, vt est anima, recipi posset in materia corporea, quia ab ea in esse non dependet, non tamen è contra forma corporea recipi posse videtur in subiecto indiuisibili, & incorporeo, quia ab ea dependeret in esse, quod fieri non potest, nisi per eductionem, quod implicat, non .n. potest forma diuisibilis, & corporea educi ex subiecto indiuisibili. Resp. Cauellus, quod materia de se nec corporea est, nec spiritualis, sed ad vtrumq. gradum indifferens, & vtrūq; ab extrinseco sibi accidit; quia per formam corporalem redditur corporalis, & per spiritualem spiritualis, sicut superficies, quæ de se non est alba, nec nigra, sed ad vtrumq. indifferens, & fit alba, vel nigra ab extrinseco per aduentum albedinis, vel nigredinis. non placet, quia iam de facto anima rationalis recipitur in materia, quæ tamen per eam non euadit spiritualis. Tum quia forma extensa, & materialis præsupponit subiectum materiale, & extensum, vt partes formæ educantur de partibus subiecti, vt infra de continuo apparebit. Tum deniq. quia nec exemplū de superficie est ad propositum, quia albedo, & nigredo non spectant ad superficiem, vt illarum causatiuam. at diuisibilitas, & extensio supponitur in subiecto ad causalitatem formę extensæ, & corporeæ, quia vt verè dicatur forma educi de subiecto, tota forma de toto subiecto præexistente educi debet, & partes formæ, ex partibus subiecti.

Obiectiones.

Contra primam arguitur: quod est terminus creationis est vnum numero, at materia est verè terminus creationis, fuit .n. à Deo creata, ergo &c. ℞. argum. vrgere etiam contra speciem humanam, equinam, &c. quia etiam homo, & equus termini esse possunt creationis; admittimus igitur naturam communem materiæ nō existere in vniuerso, nisi in suis singularibus, seu contractam per suas hęcceitates, vt est de quacumq. alia natura, sed inde inferre non valet, esse vnam numero intrinsecè, quia natura materiæ in se considerata potest essentialitèr prædicari de hac, & illa materia per modum speciei, sicuti homo de hoc, & illo homine &c.

Ob. Philosophus 1. Phys. tex. 60. ait materiam esse vnum numero subiectum transmutationis, quod manet sub vtroq. termino, ergo &c. ℞. Philosophum intelligendum esse successiuè, non simul, & semel.

Ob. Si materiæ omni forma expoliarentur, fierent vnum numero materia, ergo ex se non habent distinctionem numericam. ℞. vt supra ex Doct. in 2. sent. d. 3. q. 4. quod si singulæ materiæ singulis formis expoliarentur, amitterent vtiq. vnitatem numeralem prædicamentalem, & cōpletam, non autem intrinsecam, & substantialem, & ideò per proprias hæc-

hæcceitates ad hùc distinctæ manerent, neq. continuarentur, nisi per agens extrinsecum; qua etiam continuatione facta, amitterent vtiq. illæ portiones materiæ vnitatem illam numericam, quam importat totalitas, & constituit numerum quantitatiuum, & prædicamentalem; non tamen vnitatem intrinsecam indiuidualem, quam adhùc singulæ partes integrales retinent in toto, quæ vnitas constituit numerum transcendẽtalem, vt patet de partibus aquæ separatis &c.

Ob. species est, de qua genus prædicatur in quid; at de materia nullũ genus prædicatur, ergo non erit vna specie. ℞. definitionem illam datam esse de specie subijcibili, materia autem dicitur species prædicabilis, & athoma. Tum quia definitio illa tradita fuit de specie completa, species autem materiæ incompleta est.

Arguitur ex alio capite, quod materia sit diuersa specie: Materia concurrit etiam, & spectat ad constitutionem compositi, ergo si composita distinguntur specificè, etiam & illarũ materiæ. Prob. consequentia, quia quod est de essentia vnius rei, non potest transferri ad aliam essentialitèr ab ea differentem. ℞. neg. consequentiam cum sua probatione; & ratio est, quia materia concurrit per modum partis communis, & potentialis, in qua res constituta cum reliquis speciebus materialibus conuenit, forma autem concurrit per modum partis actualis, & distinguentis; quod clarè explicatur exemplo generis, & differentiæ in composito Methaphysico, vbi animalitas, quæ est pars essentialis hominis, est etiam pars essentialis bruti, &c.

Sed Contra, Arist. 12. Meth. tex. 27. docet, quod sicut principiata sũt alia, ità, & eorum per se principia, & hoc sm̃ genus, speciem, & numerum, ergo. ℞. hanc Auctoritatem intelligendam esse iuxta sensum alterius 2. Phys. tex. 26. vbi ait Philosophus, ad aliam formam, aliam esse materiam in quibus locis non loquitur de materia prima, sed secunda, idest affecta certis dispositionibus, in quo sensu materia ignis est alia à materia aquæ, & materia leonis est alia à materia lapidis; vel locutus fuit Philosophus de alietate numerica, non specifica.

Ob. Forma est, quæ specificat rem, cui aduenit, ergo diuersæ specie formæ, diuersum esse specificum materijs tribuunt. ℞. formam dare speciẽ intrinsecam rei, quam constituit, non rei, cui aduenit, qualis est materia, cui dat esse specificum solùm extrinsecum, & aduentitium, non intrinsecum, & essentiale, vt facit in composito.

Quantum verò ad intellectum D. Bonauen. nõ desunt Bonauenturistę, qui asserunt S. Doctorem affirmare, vnam numerò esse materiam in omnibus, tàm spiritualibus, quàm corporalibus, quod ex multis rationibus colligunt, quas affert in 2. d. 3. q. 3. fol. mihi 81. vbi præsertim hoc efficit argum. *omne quod est vnum, vel genere, vel specie, vel numero; sed materia non est eadem in spiritualibus, & corporalibus vnitate generis, vel speciei, cum illa sit solùm à forma, ergo à diuisione, materia est vna numero*. At bona pace horum Doctorum per hanc rationem S. Doctoris non potest

test in materia vnitatem numericam inferre, quia ibi manifestè loquitur de vnitate extrinseca, quam habet à forma, vt in determinato prædicamento, & specie ponitur; hoc autem non solùm cōpetit generibus, & speciebus, sed etiam indiuiduis, ideò. n. in hoc sensu sunt plura, & diuersa indiuidua, quia diuersas, & plures formas habent; cum igitur materia sit positiuè sub diuersis formis contrarijs, & disparatis, & loco dissitis, potiùs multiplex, & indiuidualitèr multiplicata dici debet, quàm vna numero. Tum quia implicat dari aliquod numero indiuiduum, quod non sit alicuius determinatæ speciei. Quare Sanctus Doctor solùm ibi loquitur de vnitate homogeneitatis vbi manifestè ait: *Materia spiritualium, & corporalium est vna numero, non vnitate formali, aut actuali, sed vnitate homogeneitatis, quæ latiorem in ea ponit capacitatem*. & hoc est verum, quia licèt materia sit sub formis diuersis, & numeralitèr in omnibus multiplicata, non tū per hoc sūā essentiam suam illam homogeneitatem amittit, sed semper illam secum retinet; cum etherogeneitas, & diuersitas specifica à formis diuersis extrinsecè oriatur. Nec aliud Cardinalis Seraphicus prætendere potuit.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An in Viuentibus præter animam detur etiam forma corporeitatis?

SCot. in 4. sent. d. 11. q. 3. & sæpè alibi Resp. affirmatiuè. Hęc est solemnis illa, ac famigerata de pluralitate formarum controuersia, quæ alijs verbis de forma corporeitatis in Scholis titulum, ac nomen obtinuit; in qua tota difficultatis vis consistit esta, an scil. plures formæ substantiales subordinatæ in corpore reperiantur: vna, quæ corpus constituat, altera verò, quæ corpus ipsum actuādo viuificet. In quo sanè literario certamine plurimum laboris, ac temporis tum Veteres, tum Recentiores Philos. certantes insumpserunt, & tamen adhuc irreconciliabilis inter Thomistas, & Scotistas pugna viget, vtrinq; pro sua sent. Doctores famosos, & Classicos afferentes. Quantum igitur ad Conceptum de forma Corporeitatis, Quidā statuerunt in omnibus, & singulis corporibus tàm simplicibus, quàm mixtis, tàm animatis, quàm inanimatis formam quamdam Physicam, specie ab alijs distinctam, cuius munus sit tribuere cuilibet composito substantiali esse corporeum, quam formam corporeitatis dixerunt coęuam omnibus corporibus; His præiuit Auicen. lib. 1. suæ sufficientiæ c. 2. & sequitur Suessanus 1. de generatione com. 78. qui etiam refert pro eadem sententia Albert. Magnum. Alij ex opposito hanc formam corporeitati negant in omnibus prorsùs corporibus, etiam viuētibus, & est opinio Thomistarum, & sequuntur Suar. disp. 13. Meth. sec. 3. Auersa q. 20. sec. 3. Arriaga, & omnes, qui negant pluralitatem formarum substantialium in eodem composito, mediam sententiā traponit Scot. statuens formam hanc corporeitatis in omnibus viuentibus, vt ab anima distinctam, eamdemq. in quocumq. alio composito negans; quam formā corporeitatis vult de nouo generari in materia antecedentèr ad animam, & post eius desitionem, vel separationem,

tionem, aliquo temporis interuallo corrumpi, Auicenna autem volebat illam formam coæuam esse ingenerabilem, & incorruptibilem.

Conclusio.

Dicimus, solùm animatis, formam corporeitatis esse necessariam, præter animam, in cæteris verò minimè. est Scoti loc.cit.in 4.& sæpè alibi, & sequuntur Scotistæ omnes, Tromb.8. Meth.Ant.Andr q.x.de tribus principijs. Zerbius q. 18. Bassol. in 2.d. 17.q.1.art.2.Fabertheor.73.Cauell. lib.de anima disp. 1.sec.4. Sghem. 1. Phys.digres.7.q.x. Mastr. & Bell. 1. Phys.d.2.q.4.art.2. Vulp.& Alij Itē Bonauenturistæ dignioris nominis, vt videre est apud Carpenedolū. Item Medici ferè omnes, ac Philosophi Sęculares, infra citandi. Item & Nominales.& multi Patres Societatis Iesu, vt Dandinus, Coninch. & in solo homine Henricus. & Alij. Vnde Bannes.1.de gener. q.8.dixit: *Quotquot Theologi, & Physici, & Methaphysici sunt, contra D. Thomam conjurasse videntur.* & tamen Arriaga disp. 6. Phys.sec.6.ausus est dicere, quod hæc quæstio, quæ à pluribus iactatur celeberrima,& decisionem pro parte Scoti inualuisse, nullos vidisse, nec in Hyspania, nec in Italia, nec in Germania (extra Scotistas) huius doctrinæ sectatores. sed reuera Auctoriste nimis fallitur, quod inde procedit, quia putat extra societatem, nullam aliam extare scholam, quod euidentèr patet ex toto eius opere, in quo non citat,nisi Auctores suos,nec nisi cum ipsis disputationem init,quamuis etiam typis scripta non dederint. Legat vtiq.vir iste Auerroistas, & Medicos omnes. legat Nominales, ex quorū protuarijs ipsi Patres celebriores disputationes assumunt. legat professores subtilissimæ scholæ, & velit, nolit, confiteri tenebitur, inter ōnes scholas (excepta Thomistica) sententiā Scoti satis inualuisse, & tamen dicere audet, nostram sententiam nullum habere defensorem, cum tamen tot habeat sectatores.

Fundamentum igitur præcipuum, quo Doctor ductus est ad ponendam in animatis distinctam formam corporeitatis ab anima, est ad euitandū contradictionē (vt ipse testatur loc. cit.in 4.lit.G.) quæ est immediata ratio distinguendi plura sub ente, q̄a igitur anima abeunte, corpus remanet idem, vt patet de animali nuper interfecto, ergo animal non est corpus per animam, aliter corpus esset idem per animam, & non esset idem per animam, & ideò per formam ab anima distinctam erit corpus. Vnde sic potest formari ratio: Recedente anima, remanet idem corpus, ergo non erat corpus per animam; consequentia patet, alitèr corpus esset idem per animam, & non esset idem per animam. Anteced. probatur, remanent eadem accidentia, ergō idem corpus, quod est eorum subiectum inhæsionis, sequela est clara, non.n. possunt accidentia de subiecto in subiectum migrare. Anteced.patet sensui, nam manent eadem vulnera, & cicatrices, ijdem caracteres in stipite viridi, & sicco, eadem viriditas in ramo abscisso, eadem virtus in herba virenti,& arida,ergo &c. Resp. Thomistæ neg. antecedens cum sua probatione, illa .n. accidentia non sunt eadem, sed similia de nouo producta ad pro-

ad productionem cadaueris, vnde accidentia illa non sunt eadem, nisi sm̃ apparentiam.

Sed benè dixit Arist. 8 Phys. quod quærere rationem, & sensum dimittere infirmitas intellectus est; & ideò optimè Ragusens instat, Et Doctissimus Aresius lib. de gen. responsionē eludens: si in planta, vel stipite non manent litteræ eędem prius impressæ, postquàm aruit, sed similes; si non manet idem carmen, sed nouum illi simile, quis est iste nouus caracterum impressor? quis carminis consimilis auctor? & si in corpore de nouo genito infligerentur à natura vulnera illis similia, quæ erant in corpore viuo, dicant Aduersarij, quid mali corpus illud perpetrauit, ob quod tot, & similia vulnera sustinere debeat? si quis immediatè post capitis tunsionem moreretur, quis fuisset hic nouus, & tam diligens tonsor, qui tàm citò eū totondisset? certè si hæc inter credibilia ponerētur, inter difficiliora creditu locum haberent, ait Pater Canellus.

Aduersantur etiam rationes; nam si nō sunt eadem numero accidentia, à quo causantur hæc accidentia consimilia? & vndè procedit talis similitudinis necessitas? oriri non potest ab essentia materiæ primæ, quia de se indifferens est ad quamlibet formam; non à forma cadaueris de nouo producta, quia formæ diuersæ speciei, non habent accidentia per omnia similia, at anima recedens, & forma cadaueris adueniens sunt omninò diuersæ speciei, ergo &c. Resp. Aliqui necessitatem huius similitudinis oriri ex parte materiæ, non quidem nudæ, sed signatæ, & dispositæ per præcedentes dispositiones, quæ necessariò petit accidentia similia.

At Contra, vel per dispositiones in materia præcedentes intelligunt illas, quæ inseruiebant pro conseruatione animæ in materia, vt certa temperies primarum qualitatum; vel quæ inseruiebant pro inductione formæ cadaueris, quales sunt illæ, quæ fiunt per interimētium alterationes, vt excessus caloris, frigiditatis &c. dispositiones primi generis inducere non possunt talem similitudinem accidentium, cum potius accidentia prorsùs dissimilia exigant, propter repugnantiam, quam adinuicem habent forma viuentis, cum forma cadaueris; Nec paritèr dispositiones secundi generis hanc accidentium similitudinem exigere possunt, quandoq. n. animalis interitus illicò euenit, absq. præuijs dispositionibus, & quando etiam interueniunt, non semper sunt eędem, sed alię, & diuersæ iuxta interimentium necessitatem; aliquando n. animal moritur igne, aliquando niue, morbo &c. Vnde igitur tàm diuersæ dispositiones eadē penitùs accidentia exigere possunt?

Hinc Alij alitèr respondent, scil. quod necessitas talis similitudinis oriatur ex forma cadaueris, propter affinitatem, quam habet cum forma viuentis, cui immediatè succedit. sed neq. hæc responsio valet, hæc n. affinitas non sufficit ad similia accidentia producenda, alioquin acetum, quod affinitatem habet cum vino, similia accidentia haberet, quia se habet ad illud sicut mortuum ad viuum, & eodem modo ex eo fit ex Philosopho 8. Meth. tex. 14.

Alij tandem negare non audentes acciden-

accidentium identitatem; & vnitatẽ in corpore viuo, & mortuo, in aliũ extremum errorem inciderunt, asserentes, subiectum inhæsionis accidẽtium, non esse corpus, sed materiam primam, quæ cum sit eadem in genito, & corrupto, eadem quoq. retinet accidentia, ideò non migrant; ità Suar. loc. cit. cum multis ex Recentioribus.

Sed contra, tum quia falsum est, materiam esse subiectum inhæsionis accidentium, vt infra patebit; Tum quia, & si accidentia in materia subiectarentur, non tamen sunt ei coęua, saltem omnia; & cum noua forma, noua accidentia adueniunt, vt patet in transmutatione elementorũ, & mixtorum, ergo sic etiam in proposito asserendum esset, quod scil. ad nouam formã cadaueris, noua quoq. accidentia resultare deberent, & tamen nos propria, & eadem experimur.

Suar. resp. loc. cit. num. 21. accidẽtia cadaueris esse eadem, quia non adest causa, à qua fiant noua. Sed eadem ratione potius dicere debebat, formam substantialem corporis esse eamdem, quia non potest assignari causa, à qua cum similibus accidentibus producatur.

Probatur adhùc; quia vel talis formæ corporeitatis assignatur per se causa particularis, vel vniuersalis cum Suarez, Ruuio, & Alijs, causa particularis difficiliter assignari potest in repentina morte, ictu fulminis causata, vel alio modo, quia hæc præuijs agit dispositionibus, quæ in his casibus desunt. Tum quia causæ particulares interitus animalis sunt diuersæ, & contrariæ, nam animal aliquando interit aqua, igne, niue, gladio, ictu fulminis, morbo &c. à quibus impossibile est idem effectus, & idem corpus prodire. Neq. recursus ad causam vniuersalem sufficit, quia etiam hæc cum in generatione rerum supplet defectum particularium causarum, agit præuijs dispositionibus, vt videmus in generatione animaliũ ex putri materia, quæ dispositiones non semper præcedunt in repentina morte, vt patet de casibus allatis. Tũ q̃a nulla vrget necessitas (ait Doctor in 2. d. 2. q. x.) vt ad vniuersalm causam recurratur, quod si respondeat, vrgere necessitatem, ne materia nuda remaneat, Dicimus connaturaliùs esse remanere materiam cum antiqua forma, quàm formam substantialem cadaueris ab vniuersali agente prouenire illicò, sine præuijs dispositionibus, vel cum illis, tam contrarijs, & diuersis. Tum tandem quia forma carnis, neruis, ossis &c. non fiunt nisi per multas alterationes præuias, & concoctiones, quæ non nisi dierum multorum spatio peraguntur, vt Medici docent, quæ in repentinis casibus interuenire non possunt.

Probatur 2. principalitèr Theologicè: Si noua cadaueris forma generaretur in animalis interitu, sequeretur Corpus Christi Iesu non fuisse idem viuum, & mortuum, sed hoc est falsum, & manifestè contra Auctoritates Patrum, & Sanctorum Ambrosij, Augustini, Gregorij, Damasceni, Hieron. & Leonis, quos sequitur Scotus, & citat in 4. cit. lit. Q. ergo &c. Sequeretur etiam corpus Christi fuisse corruptum contra sensum scripturarum: *Non dabis Sanctũ tuũ videre corruptionem.* in Psalmo 15. &

15.& Actorum 2. Caro eius corruptionem non vidit &c. prima sequela probatur, ad vnitatem.n numeralem effectus, requiritur vnitas formæ, & materiæ ex 12. Meth.tex.27.& præcipuè formæ, quod est principalius compositi constitutiuum, ergo si in morte Christi variata est forma corporis,non remanet amplius idem numero corpus. Tum quia,sicut quādo ex corpore hominis generatur vermis; non potest dici corpus vermis esse idem corpus cum corpore hominis, ità à fortiori corpus cadauericū de nouo genitum, non potest dici idē numero cum corpore Christi, magis .n. differunt inter se mortuum, & viuum in ratione substantiæ,quàm corpus hominis viuentis,& corpus vermis. Altera sequela probatur, nam illud dicitur proriè,& cū omni prioritate corrumpi, quod in aliam formam substantialem mutatur, siue genere, siue specie,& ideò dixit Arist. generatio vnius, est corruptio alterius, sed ex hypotesi, talis mutatio facta fuisset in corpore Christi,transisset.n.in aliam substantialem formā, nedum specie, sed genere diuersam, ergo &c.

Resp. Caiet. quem cæteri Thomistæ sequuntur, fuisse idem Corpus Christi viuum, & mortuum materialitèr,quatenus eadem est prorsus materia, quæ fuit incorpore viuo, & mortuo. Afferunt etiam corpus viuū, & mortuum magis inter se conueniin accidentibus, quàm homo,& vermis, & hac de causa corpus cadauericum dici posse aliquo modo corpus hominis, non ità corpus vermis; sicut etiam quia corpus cadauericum immediatè succedit corpori viuo,nō ità corpus vermis.

At contra, cum ex igne generatur aer, eadem materia reperitur in aere genito,quę præcessit in igne corrupto,& tñ non conceditur,quod ignis, & aer sint idem numero;atq. ideò nō maiorem identitatem haberet Corpus Christi viuum, & mortuū,quàm ignis corruptus, & aer genitus. Tum quia illa, quæ solùm sm materiā sūt idem, dicuntur idem sm quid,& diuersa simpliciter,vt patet de aere,ex igne genitò,ergo Corpus Christi viuum, & mortuum esset idem sm q. d, & diuersum simplicitèr, & ità propositiones Patrum asserentiū idem Corpus Christi, quod fuerat in cruce,iacuisse in sepulchro, & quod fuit in sepulchro, resurrexisse, & modo in Trono gloriæ residet, esse veras tātū sm quid, sed simplicitèr falsas;& eodem modo de articulo Resurrectionis disserendum erit. Nec secunda resp.satisfacit, quia conuenientia in accidentibus est extrinseca,& accidentalis; conuenientia autem in gen. proximo est essentialis, ergo si hæc non sufficit, vt corpus hominis, & vermis dicantur idem numero corpus, tanto minus illa, vt corpus cadauericum dicatur idem cum corpore viuo propter conuenientiam in accidentibus, consequentia patet,qa vbi est maior conuenientia, ibi est maior identitas, & vnitas. Nec tandem tertia resp.de affinitate valet, si .n. immediata successio cadaueris ad corpus viuum sufficeret, vt idem numero cū eo diceretur, acetum quoq. dici posset vinum, quia generatio illius corruptioni istis immediatè succedit. Ad illud de corruptione respondent, ideo Corpus Christi remansisse incorruptum, licèt fuerit

nouum cadauer, quia non abijt in vermes, & cineres, vt regulariter de alijs cadaueribus euenit.

Sed Contra, quãuis corpus Christi viuum in vermes non abierit, abijt tamen in formam cadaueris, quæ est specie diuersa ab anima, ergo verè, & propriè fuit substantialiter corruptum, si in sensu veræ Philosophiç loqui velimus, in qualibet .n. generatione substantiali semper alterius substantiæ corruptio interuenit; sed per Aduersarios fuit de nouo genitũ corpus cadaueriticum, ergo corpus præcedens fuit corruptum. Tu quia sensus Patrum est, vt saluetur eadem identitas, & vnitas corporis Christi; & eçdem cicatrices in viuo, & resuscitato, hæc autem incorruptio in vermes talem identitatem, numeralẽ non saluat. licèt hæc exposito etiam rectè Christo applicari possit.

Respondét ad huc Thomistæ, manere idem corpus suppositaliter, quatenus nunc sicut antea, manet idem suppositum Diuinum hypostaticè vnitum materiç primæ. Non soluit, nam permanentia illa suppositi vniti, nil facit ad permanentiam eiusdem corporis, quia non suppositum Diuinũ debet esse corporum, sed alia forma distincta. Tũ quia si Verbũ vniretur ligno, & lignũ cõuerteretur in ignẽ, permanente adhuc vnione materiæ ad Verbum, non ideò idem corpus Physicum manere diceretur; non .n. sunt idem numero corpus ligni, & ignis. Tum quia SS. PP. non dicunt remanere idem suppositum, vel eandem materiam, sed idem numero corpus, ergo frustra ad identitatem suppositi, & materiæ recurrunt.

Resp. Suar. cum Alijs, esse idẽ numero corpus sensibiliter, propter identitatem materiæ, & sensibilium accidentium, quatenus corpus organicum, quod est subiectum animæ, non est, nisi materia prima talibus accidentibus induta.

At Contra, quia etiam hoc est cõtra ipsum Suar. qui licèt concedat in genito, & corrupto eadem remanere accidentia, non tamen admittit dici posse genitum esse corruptum, & idem numero compositum cum illo, quia ad hoc requiritur necessariò identitas formæ substantialis. Tum etiam quia falsum est, corpus organicum importare solam materiam cũ illis accidentibus, quia esse carneũ, esse ossium, esse nerueum, importat esse substantiale, non accidentale, vt in libris de anima fusius demõstrabitur.

Tertiò probatur ex Misterio S. Eucharistiæ, vbi terminus conuersionis ex vi verborum est Corpus Christi, etiam vt ab anima distinguitur, quia si in triduo Hostia consecrata in pixide fuisset seruata, permansisset ibi eadem res primò contenta, non tamen anima, quia iam erat à corpore separata, & modò solùm per concomitantiam sub talibus speciebus ponitur ex Sacro Concil. Trid. sess. 13. c. 3. subsumit Scot. At Corpus Christi ab anima separatum, & seiunctum non dicit solam materiam primam, quia hæc perse non est corpus, sed pars corporis, & si esset corpus, non tamen dissimilare, & etherogeneum, quale esse debet corpus humanum ab anima perfectibile, ergo erit materia cum forma corporeitatis in viuentibus, ex diuersis partialibus integrata, in quo sensu Doctor admittit formam

mam corporeitatis, vt in 3. sent. se explicat d. 4. q. vn. & in hoc sensu à Scotistis defenditur, vt patet apud Maironum in 2.d.16.q.vn.Tromb.8. Meth.quest.2. Ant. Andr. Zerb. Fab. Mastr.& Bellut.& alios, non autem quasi sit vnica forma mixtionis pro omnibus,& singulis partibus corporis,vt ei Arriaga impingere videtur.

Respondet Arriaga, terminum conuersionis esse materiam cum diuersitate, & varietate accidentium, quæ sufficit ad organizationem. Non habet iste vir pro inconuenienti, quod hæc accidentia ponantur sub speciebus exui verborum formaliter,& nō per solam concomitantiam.

Sed contra hanc responsionem vrget ratio Scoti, quia scilicet nō sūt efficaciora verba super sanguinem, quàm super corpus, sed dicendo: hic est calix sanguinis, &c. fingi nō potest terminus conuersionis sola materia cum accidentibus, quia illud nō est sanguis, qui verè importat aliquam substantiam, quæ generatur ex nutrimento, & proximè conuertendus in carnem, at non generaretur, nec conuerteretur, nisi propriā formam substantialem haberet; Tum quia si aliquod accidens in perse termino conuersionis includeretur, tūc illa non esset mera conuersio substantialis, sed composita, ex substantiali,& accidentali. Resp. Arriaga non sequi hoc, nam conuersio hæc habet pro termino ad quem primariò solam substantiam: sed hoc est contra ipsum, nam sequitur nullum accidēs poni exui verborum formaliter, vt ipse affirmabat, sed tantū concomitanter, cum ponatur secundariò. Tū quia dicendo hoc est corpus meum, includere intendimus id, quod primù est animabile, ac si diceretur, hoc est caro mea, hoc est os meum, hic est sanguis meus, at si diceretur, hoc est caro mea, hoc est os meum &c. nō poneretur tantùm materia cum aliquibus accidentibus, ergo, &c. minor patet, nam caro, sanguis, os, nerui,&c. non differunt tantùm accidētaliter, sed essentialiter, & specificè, quia proprietates, & dispositiones diuersas,& varias formas substantiales arguunt, quo principio negato, via præcluderetur probandi aliqua entia naturalia differre specie essentiali, & possemus dicere aurum, lignum, lapidem &c. non nisi accidentaliter differre.

Addit Angelus lib. 2. de formæ proprietatibus, maiorem diuersitatē dispositionum deprehendi inter quædam membra animalis, quàm reperiatur inter plumbum, & argentum; quædam .n. membra temperamentū calidum exigunt, vt cor; quædam frigidum, vt cerebrum; alia humidum, vt medulla; alia siccum, vt ossa, &c. ergo si ex quadam varietate accidētium, & dispositionum inferimus inter plumbum, & argentum differentiam essentialem specificam, eā magis concludere debemus inter carnē, ossa, medullam &c. Tum tandem, quia vt aliquod corpus dicatur dissimilare, & ætherogeneum non sufficit, vt eius partes solis accidentibus differant, aliter ferrum, cuius vna pars esset calida, altera frigida, ætherogeneum esset, quod falsum est.

Non habet etiam pro inconueniēti Arriaga, quod in aliquo casu remaneat materia prima naturaliter sine forma substantiali, & ideo non

oportet antiquam remanere; sicut etiam nos admittimus ens incompletam in rerum natura per se existens, scil. corpus sine anima. ponderate quęsò quātum Auctor iste audeat, vt suam mordicus sententiam tueatur; concedit posse materiam primam si forma naturaliter existeret, quod omnis Philosophus hactenus abhorruit. Nec benè ansam assumere debet, quòd nos etiam admittimus, corpus aliquantulum sine anima remanere, nam hoc corpus est ens per se existens compositum ex materia, & forma mixtionis, incompleta, & Animæ subordinata, & ideo est dispar ratio de materia nuda, sine vlla forma substantiali, ac de tali corpore. Nec desunt Phylosophi nostram sententiam sequentes, qui asserunt corpus anima destitutum, esse directè in prædicamento sub genere corporis mixti, quatenus tunc non habet rationem partis, sed totius, vndè euadit ens completum, & proportionatum prędicamento; ita Zabarel. Merc, & Aresius sentire videntur, quamuis hoc nos respuamus, licèt .n. corpus in tali casu actu non habeat rationem partis, adhuc tamen est ens incompletū, & essentialiter animæ subordinatum per modum materiæ; Vndè sicut anima rationalis à corpore separata non ponitur directè in prædicamento, ità nec corpus pro altera parte, sed est indiuiduum incompletum in specie incompleta mixti, & sub genere, cōstituendo corpus mixtum in communi admixtum completum, & incompletum.

Instat adhuc Arriaga, quia eadem ratione deberemus in igne ponere aliam formam corporeitatis, nam carbo accensus, in quo introducta esset forma ignis, siuè extinguatur aqua, siue cineribus, siue oleo calido, siue aqua frigida, siue hoc, siue illo modo, manet semper idem numero carbo, quis ergo ibi introduxit nouam carbonis formam? nec dici potest (ait) in carbone non fuisse formam ignis, sed adhuc durare formā ligni, nam hoc ex ipso sensu apparet improbabile, quæ .n. in carbone extinto cum ligno similitudo, vt dicas habere eamdem formam substantialē? Adducit etiam aliam de vino, quod proculdubio specie ab aceto differt, & tamen eadem forma aceti subsequitur, siue vinum calore nimio, siue alia causa diuersa, vel contraria acescat; Sic ait inproposito, sūt qdā formę, q petunt dispositiones valde similes dispositionibus aliarum formarū, ideoq. qñ illæ dispositiones corrūpūtur, vndecūq. id proueniat, succedunt aliæ similes, & tales sunt forma cadaueris, forma carbonis, forma aceti, forma ferri igniti &c.

Sed reuera instantiæ istę, quas ipse tanti facit, nullius sunt roboris; & ad illud de ligno, dicimus, quod forma ignis, non ità perfectè in toto ligno introducitur, vt nihil formæ ligni remaneat, sed ob pugnam, & resistentiam cōtrariæ qualitatis semper in aliquibus partibus adhuc forma ligni perseuerat, in quibus forma ignis non se insinuauit, sed tantum extrinsecus adhæsit; hinc postea in carbone extinto poros remanere videmus, & foramina quædam, in quibus ignis ardebat, vt benè aduertunt Mast. & Bellut. disp. 4. de Cælo q. 2. art. 3. Nec verum est, quod addit Arriaga, nullā habere carbonem cum ligno similitu-

milita-

militudinem, imò magis differre à ligno, quàm canis à lupo. Addiscere cupio, vnde ipse tantam differentiā colligit, non ex nigredine; quia & alia in igne nigrescunt, vt Arist. docet lib. de coloribus c. 1. sine amissione propriarum formarum; imò ex quantitate, odore, leuitate, qua aquis supernatat, potius inferre debemus, carbonem esse illud idem lignū, quod ignis comburere cępit, sed non perfectè combussit, & idcircò adhuc deinceps pro igne pabulum est aptū. Nec instantia de aceto vrget, cum potius sit ad oppositum, falsum .n. est ad quamcumq. alterationem in vino factā, sequi formam aceti, nam cùm vinum corrumpitur, non semper acescit, & alijs multis modis marcescit, & putrefit iuxta diuersitatem agentium, & alterationum; ad corruptionem autem animalis à quocumq. agēte fiat, & quomodocūq. semper eadē forma cadaueris videtur.

Quartò principaliter demōstratur à forma corporeitatis in homine, q. anima rationalis, cum in se sit Spiritualis, & inextensa, dare non potest esse corporeum, & extensum.

Respondent Thomistæ ex Caet. q. licèt anima rationalis sit formaliter spiritualis, est tamen virtualiter extensa, & corporea.

At contra, anima tale esse dare non posset, nisi per informationem, & ideò in se ipsa deberet esse formaliter talis, vt quo, sicut est de alijs formis, comparatis ad suos effectus formales, ità albedo est alba, vt qua formaliter, non virtualiter tantum, quia hoc spectat ad genus causæ efficientis. Tum quia nulla forma continet virtualiter effectum sibi repugnantem, aut formam talis effectus productiuam, vt benè arguit Tromb. nam albedo V.g. non continet virtualiter esse nigrum, vel nigredinem ipsam, ergo nec anima rationalis cōtinebit virtualiter esse corporeum, & diuisibile, seu formam ipsam corporeitatis, quia non minus ad inuicem repugnat esse corporeum, & spirituale, quam esse album, & nigrum.

Respondent Alij, esse corporeum à sola materia prouenire.

Sed contra, ergo genitum, & corruptum semper essent idem numero corpus, cum in vtroq; remaneat eadem numero materia. Tum quia limitatio quātitatis non est à materia, nam hæc ad omnes de se indifferens est, sed à forma, quæ requirit tantā, vel tantam materiam, ergo absolutè materia non dat composito tantam, vel tantam extensionem absq. forma. Tum tandem, quia esto materia prima daret composito esse corporeum, & extensum, non tamen constitueret corpus organicum ex tot partibus ætherogeneis, cum materia sit homogenea, & partes habeat vniformes, & similares.

Quintò præcisè contra Thomistas, qui ponunt resolutionem vsq. ad materiam primam. facta resolutione cōpositi, vsq. ad materiam primā, omnia, quæ prius erant coniuncta, statim resoluuntur, ergo si in vno composito viuo est tantum vna forma substantialis, in recessu animæ fieret resolutio vsq. ad materiam primam, & ideo tunc statim omnia ossa caderent de iuncturis, & ferramenta de pedibus equorū, & vngues de digitis hominū, & digiti de manibus, &c. quæ omnia falsa sunt, & contra sensum.

Tandem

nu. proo: 2.a de studij ...

Tandem probatur eadem necessitas etiam in cæteris animantibus, quia licèt animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ sint formæ materiales, & extensæ, nequeunt tamen tribuere viuenti illud esse corporeum, quod est de eius essentia, vt sic, esse .n. corporeum quod viuens pro sui conseruatione petit, est dissimilare, & organicum; huiusmodi autem animæ estò sint materiales, & extensæ, sunt tamen homogeneę, & similares, ergo exigitur forma corporeitatis, quæ inportat congeriem quamdam omnium formarum partialium ætherogenearum vt carnis, ossis, nerui, &c. in animali; & corticis medullæ, radicis in ligno, in planta, &c. quæ diuersitas à sensitiua, & vegetatiua oriri nō poterit, cum sint eiusdem rationis quo ad omnes suas partes. Nec iuuat recursus ad continentiam virtualem, quia illæ formæ communicare debēt in genere causæ formalis, & ideo formaliter tales esse debent, vt quo, sicut quia formaliter vegetatiuæ, & sensitiuæ sunt, ideo formaliter esse vegetatiuum, & sensitiuum tribuunt.

Ex dictis probata remanet altera pars conclusionis, scilicet, quod in alijs corporibus non viuentibus non sit necessaria forma corporeitatis, distincta à forma specifica, & ratio est, quia esse corporeum requisitum ad eorum constitutionem est homogeneum, & similare, & non ætheorogeneum, vt in viuentibus, ergo sufficit sola forma specifica cum materia ad tribuendum hoc esse corporeum composito, probatur consequentia, nam ad tale esse corporeum sufficit sola extensio, & materialitas partiū componentium, sed materia iam in omnibus est extensa, similiter & ōnes formæ materiales, ergo præter illas in compositis inanimatis non requiritur alia forma corporeitatis ab eis distincta.

Quod etiam hęc fuerit sententia D. Bonauenturę colligunt Bonauenturistæ ex 2. sent. dist. 18. art. 1. q. 3. in corpore; & Pater noster Carpenedol. in sua Philosophia lib. 5. tract. 6. q. 4. fol. 200. in solutione argumentorum ad primum in contrarium, vtitur responsione Scot. de formis vltimatis, & non vltimatis, &c. dicens, *hæc est bona responsio, quam crediderim mutuatus est Scot. à S. Bonauen. qui eam disertè tradidit in 2. cit.*

Item ex parte Scoti sunt Alensis 2. par. q. 77. Riccard. in 2. d. 17. art. 1. q. 5. Gandauēsis quol. 4. q. 14. ad 2. princip. Aureol. in 4. d. 11. q. 4. art. 1. Bacon in 2. d. 19. q. vn. art. 1. Zabarell. de communi rerum generat. cap. 2. Piccolom. in quoddam libello, cuius titulus est, consideratio multitudinis formarum cap. 2. Arefius 1. de generatione disp. 2. q. 10. & 12. Raguseus, & multi Alij ex Exteris.

Obiectiones.

Obijcitur primo ex 7. Meth. 35. vbi ait Philosophus *oculum, & carnem mortuam esse æquiuocè carnem, & oculum*; hoc autem non esset, si forma carnis, & oculi maneret eadem post animalis interitum. idem habetur 2. de generatione animalium cap. 1. Vbi Arist. *ait non est .n. facies, nisi animam habeat, neq. caro, sed corrupta æquiuocè dicitur facies, aut caro, proinde quasi lapidea, aut lignea facta sit*. hanc comparationem valde extollit Vasquez in 3. p. d. 108 c. 2. si .n. prædicatum carnis æqualiter

ter conuenit carni mortuæ; lapideç, & ligneç, nonnisi æquiuocè illi conueniet. ℞. quod partes animaliũ dupliciter considerari possunt, vno modo in se, vt quædam entia mixta sũt, & hoc modo vtique eadem sunt, siue in corpore viuo, siue in corpore mortuo; Altero modo, vt sunt instrumenta quædã animæ, & hoc modo oculus, & caro mortua sunt æquiuocè oculus, & caro, quia oculus in cadauere non est instrumentũ animæ ad videndum, caro ad nutriendum. Hæc expositio est Ragusei disp. 17. quam ipse deducit ex 4. Metheor. cap. vlt. vbi Arist. ait, carnem mortuam esse equiuocè carnem, quia illa propriè dicitur caro, quæ potest facere opus carnis. Ecce quomodo Phil. loquitur de carne, vt est instrumentũ animæ nutritioni deseruiens.

Comparatio autem illa de carne mortua, & lapidea, non est accipienda de carne mortua in se, sed ad hominem comparata, & ad eius operationem deseruiens, quia non minus caret propria de nominatione, & operatione, caro hominis mortua, quàm caro lapidea, licèt illa in se vniuocè dicatur caro, hęc equocè; & q̃dem si caro mortua non esset vniuocè caro, sed tantum æquiuocè, posset quisq. diebus ieiunij comedere carnes absq. præiudicio præcepti, sicut posset carnem lapideam, vel ligneã absq. transgressione comedere.

Secundò obijcitur ex 2. de Anima c. 1. tex. 6. vbi indefinitione animæ ait Arist. *Anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis: tale autem quod vtique sit instrumentale.* Vbi videtur animam facere corpus organicum, non illud supponere. ℞. pro modo corpus organicum posse spectari dupliciter, primo modo in se, & absolutè cum illa varietate partium diuersæ rationis; secundò, vt hæc sunt instrumenta ad exercenda opera vitæ; primo modo falsum est, quod constituatur organicum per animam, quia hæc homogenea est, & vniformis, & ideo non potest tot, ac tanta diuersa esse dare, carnis, scil. ossis, nerui, &c. & tale esse organicum, & ætherogeneum potius præcedit animam. Secundo modo constituitur organicum per animam, quia non sunt idonea instrumenta ad proximè opera vitæ exercenda, nisi per animam, & itá potest admitti, sed non est cõtra nos.

Tertiò, forma hæc corporeitatis in se considerata, non potest essentias specie diuersas tribuere, scil. carnis, ossis, nerui &c. cum secundum se sit vna forma specie, ergo non potest illud munus exercere, ad quod inuenta est; ℞. negando formam corporeitatis esse in se vnicam formam secundum speciem, quomodo vrgeret argumentum, sed dicimus, formã corporeitatis esse congeriem illam formarum substantialium partialiũ, carnis, ossis, nerui, vt Scotus habet in 3. d. 4. q. vn. & sequuntur Antonius Andr. 7. Mech. q. 6. Tatar. 2. de anima q. 1. dub. 2 & Bellut. & Mastr. Raguſ. Zabarel. & alij: quod patet sensui, nã videmus partes integrales separatas ab animali, scil. os, pedem, manus, &c. eamdem formam retinere, quam prius habebant. quia igitur sectio nõ est productiua formæ substantialis, & talis, quæ multum tempus, & plures alterationes, & concotiones expostulat, præstat asserere, singulas partes

tes organicas habere suam formam partialem; & formam totius corporis, non nisi congeriem illarum partium importare.

Quartò ex 2. Phys. omnis forma naturalis est principium motus, & quietis, at hæc forma non est talis, cum quilibet motus in animali ab anima ortum ducat, tamquam à principio. R. quod anima in animali est principium tantū motus progressiui, forma verò mixti est principium illius motus, qui fit secundum elementum prædominans; hinc animal cadens de monte, non mouetur deorsū ab anima, sed à forma mixti affecta grauitate.

Quintò, forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem, vt tetragonum trigonium ex 2. de anima 31. ergo anima, quæ est forma nobilissima continebit virtualiter hanc formam corporeitatis, eiusq. munera poterit exercere. R. antecedens esse verum de continentia inferioris in superiori per excessum perfectionis, quo sensu argentum continetur in auro, homo in Angelo &c. non tamen semper est vera per continentiā effectuum inferiorum, vt in proposito de esse organico, & dissimilari, quod exigit animal.

Sextò, in genere accidentis, per eamdem formam res constituitur in specie, & in quocunq. genere superiori, V.g. albedo dat esse album, coloratū, & quale, ergo pariformiter forma substantialis, quæ est accidentali perfectior, veluti est anima, tribuet constituto esse specificum, & genericum, vt esse hominem, animal, corpus &c. R. concedendo à forma indiuidua sumi omnes gradus prædicamentales, quando nulla est implicantia, sed quia recedente anima, idem omnino corpus remanere videtur, rationabiliter inferimus, non ab anima, sed ab anteriori forma illud esse corporeum deriuari; quod in casu de albedine asserendum esset, si recedente albedine adhuc superficies colorata remaneret.

Septimò, non implicat immediatè animam vniri cum quantitate materię primæ, quo casu hoc constitutum esset animal, & consequenter corpus, quia ab inferiori ad superius tenet consequentia affirmatiuè. R. cū Scoto loc. cit. in 4. lit. F. negando assumptum, per nullam .n. potentiam potest anima informare, quod corpus non est, cū ipsa sit essentialiter actus corporis, & si per impossibile materiam informaret, nulla præcedente forma corporis, animal non esset, quia nullam animalis functionem obire valeret, cum organis careret.

Octauò, Anima dat composito esse essētiale, p̄cisa quacūq. alia forma, vel ergo corporeū, vel incorporeū, non hoc, ergo illud, ꝙ eo pręsertim dicēdum est, quia esse corporeum de genere substantiæ, aliud non est, quàm esse compositum ex materia, & forma; hoc autem habetur per quamcumq. formam specificam, quod si esse corporeum accipiatur pro extenso, habetur per quantitatem. ità Auersa q. 20. sec. 3. R. quod anima composito substātiali nō tribuit neq. esse corporeū, neq. incorporeū, sed solùm esse viuēs, & animatū, ità vt per solā animam dicatur animal viuēs, & per formam corporeitatis, & materiam primam dicatur corporeum. Nec verum est vniuersaliter, formam inferiorem,

riorem, dare gradum infimum, & superiores, sed vel illos dat, vel præsupponit datos à forma anteriori, sicut diximus in logica de differentijs, quod scil. differentia inferior non includit superiorem, nec dat gradum illius, sed datum supponit, ità in casu, anima non facit corpus, sed iam factum animat, & est forma, qua corpus est viuens, non qua corpus est; falsum est etiam esse corpus de genere substantiæ tantùm importare compositionem ex materia, & forma, qã quidam faciunt Cęlum corporeum, & non compositum; quod si corpus importat materiam, & formam, hæc esse debet forma corporeitatis in uiuentibus, non anima. nec esse extensum sufficit in rebus animatis, sed requiritur æthero geneitas.

Nonò, saltem hoc de Vegetatiua, & sensitiua negari non potest, cum sint formæ extēsæ, & corporeæ. Respondent aliqui, quod etiam istæ animæ tribuere non possunt tale esse materiale, cum etiam de istis verificetur illud commune dictum, quod anima est tota in toto, & tota in qualibet parte totius. sed reuera axioma illud de sola anima rationali communiter à Philosophis intelligitur, formæ autem sensitiuæ, & vegetatiuæ sunt materiales, & diuisibiles, eductæ de potentia materiæ, vt aliæ formæ materiales; ideò melius præstat dicere, quod estò tales animæ propter suam materialitatem tribuere possent esse corporeum, vt aliæ formæ materiales, dare tamen non possunt esse corporeum organicè, quale animantibus conuenit, & ideo diximus, animam non facere corpus, sed illud iam factum viuificare.

Decimò, Anima rationalis continet virtualiter sensitiuam, & vegetatiuam, quæ sunt formæ materiales, & extensæ, ergo etiam formam corporeitatis continere virtualiter valebit. ℞. negando paritatem, & ratio est, quia gradus vegetatiuus, & sensitiuus abstrahunt à materiali, & immateriali, & fundant conceptũ communem hominibus, brutis, & plantis, qui deindè ad bruta, & plantas contractus redditur materialis, ad homines immaterialis; & indè est, quod anima sensitina, & vegetatiua includuntur eminenter in anima rationali, non autem forma corporeitatis. Nec anima rationalis continet sensitiuam, & vegetatiuam materialem virtualiter, sed tantùm sensitiuam, & vegetatiuam immateriales.

Vndecimò, si hæc forma daret esse extensum, & corporeum animali, sequeretur, quod in quolibet animali essent duo corpora, corpus scil. pro altera parte compositi, & tertia entitas corporea ex illo, & anima resultans, & consequenter etiam geminari debebunt accidentia, scil. quantitas, qualitas, cicatrices in vtroq; corpore, vel vnam sine accidentibus assignari deberet. ℞. ex Tatar. 1. Phys. q. 2. dub. 2. non haberi pro incōueniēnti, in quolibet animali reperiri duo corpora adinuicem compenetrata, vt pars cum toto, neq. ex hoc sequitur geminanda esse accidentia, vel alterum illorum corporum sine accidentibus remanere, sed distinguenda sunt accidentia, nam quędã sequuntur corpus pro altera parte compositi, vt esse quantum, esse extensum, esse graue &c. ratione formæ corporeitatis; quædam verò se-

quuntur corpus totū ratione animæ, vel totius, vt sunt auditio, visus, motus progressiuus animalis &c. vel negari potest sequela, & dicere, quod in quolibet animali non sit nisi vnum corpus, quod resultat ex materia prima, & forma corporeitatis, nec esse viuens est aliud corpus, sed idē modò iam animatum; & licèt illa tertia entitas sit aliud compositum, propter animam aduenientem, non tamen est aliud corpus, sed idem, quod tamen corporeum denominatur, vel corpus ratione formæ corporeitatis, sicut lignum, quia compositum est ex materia prima, & forma ligni substantiali, dicitur vnum corpus, at adueniente deindè albedine dicitur aliud compositum, scilicet accidentale, non tamen aliud corpus, sed idem, dealbatum tamen.

Duodecimò, ex hac doctrina sequeretur, quod remanendo forma hæc in materia prima sine anima, remaneret genus sine specie; sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, tum quia corpus est genus, tum quia forma hæc non dat esse specificum, sed genericum. ℞. negando sequelam, corpus .n. quod remanet post animæ interitum, non est illud, quod ponitur in prædicamento, & habet rationem generis, sed est indiuiduum incompletum in specie mixti incompleta; & ideò non sequitur, quod hoc indiuiduum remaneat in esse generico, absque specifico, quia est in specie incompleta corporis mixti, & etiam sub genere, constituendo corpus mixtū in communi genus ad mixtum completum, & incompletum; & quando assumitur, quod hæc forma corporeitatis dat esse genericum, sine specifico intelligi debet in ordine ad viuens, non in ordine ad corpus mixtum, quod constituit, nam re vera hoc constituit, & in genere, & in specie imperfecta mixti; & appellari solet forma generica, vt distinguatur à cæteris formis mistionis specificis, quæ dant esse completum compositi, & quia viuenti dat esse genericum, & potentiale.

Tertiodecimò, ex Arriaga formę illæ in viuentibus nihil operantur, & dum materia prima complectur per animam rationalem, ad nullum prorsus finem necessariæ sunt, nisi tantùm vt dormiant, quousq. absente anima, ipsæ iam incipiant ibi dominari, & domus curam habere. ℞. negando assumptum, huiusmodi .n. formæ partiales immediatè informant materiā primam, constituunt membra animalis specie distincta, & faciunt corpus illud æthcorogeneum, quod sola accidentium varietas efficere non potest; famulantur etiam ad varias operationes exercendas, & ideò falsum est, eas dormire, & nihil operari; & verum quidem est, anima præsente, eas non dominari, sed famulari; sed obid non sequitur, non operari, non .n. solus dominus operatur in domo, sed etiam famulus. Ità Mastr. & Bellut. multa alia cōgerit hic Arriaga contra nostram decisionem, sed ex dictis facilè diluuntur.

ARTI-

ARTICVLVS NONVS.

An potentia materiæ ad formas sit naturalis vel neutra.

Scot.q.5. Prologi in I. docet potentiam passiuam materiæ comparatam ad agens distingui in naturalem, & supernaturalem; naturalem in ordine ad agens naturaliter formę inductiuū, supernaturalem in ordine ad agens inductiuum supernaturaliter. Si autem ad formam comparetur, distingui in naturalem, violentam, & neutram; naturalis est, si passum naturaliter inclinat ad formam; violēta, si sit contra eius inclinationem; neutra, si neq. inclinat in formam, neq. ad oppositum. Item in 1, d. 1. q. 1. in fine docet, quod inclinatio naturalis duplex est, vna determinata, qua passum determinatè inclinatur ad vnum tantum; vt graue ad deorsum; altera indeterminata, qua passum indeterminatè in plura inclinatur, inde oritur duplex potentia naturalis, alia determinata, alia indeterminata. Similiter etiam duplex est potentia neutra, altera, quæ cuicunq. inclinationi opponitur tā determinatæ, quàm indeterminatæ, in quo sensu potentia propriè, & rigorosè dicitur neutra, & duplicem dicit negationem, inclinationis, scil. & repugnantiæ, meram capacitatem in subiecto connotando; altera, quæ opponitur inclinationi determinatæ tantùm, quo sensu potentia neutra coincidit cum potentia naturali indeterminata.

Controuersia præcipuè est inter Scotistas, nam Illustrissimus Rada, Episcopus Pattensis prima par. Controu. prima, art. 1. & Cauellus disp. 4. de anima separata sec. 1. cum aliquibus priscis Scotistis, & præsertim Parisiensibus 1. Phys. q. 3. quæstiuncula vnic. coll. 2. asserunt, materiam nudam respicere naturaliter ne dum formam in communi, sed etiam in particulari, tām secundum gradum genericum, quàm specificum, & indiuidualem. Ex opposito Faber. 1. sent. disp. 2. affirmat, potentiam materiæ ad formam in cōmuni esse vtiq. naturalem, ad formas autem in particulari, esse solummodo neutram, quam sententiam mordicus sustinet Iordanus Muscatellus in suis considerationibus ad Controuersias Xantes Mariales cōsiderat. 4. & sequitur ex nostris P. Sghemam 1. Phys. digress. 5. q. 6. At Mastr. & Bell. disp. 2. q. 5. art. 2. stant pro Rada.

Aduertimus hic, nos non loqui de appetitu pro actu elicito, quo tendimus in obiectum, supposita cognitione; qui vel est rationalis, & voluntatis, & versatur circa bona intelligibilia; vel sensitiuus, qui sequitur notitiam sensitiuam: sed loquimur de appetitu naturali, quæ est inclinatio, & relatio quædam ad propriam perfectionem, vt V.g. inclinatio lapidis ad centrum ex propria forma progrediens dicitur naturalis; si igitur res ordinatur ad formam, ad quam naturaliter inclinatur, & naturaliter respicit, dicitur inclinatio, & appetitus naturalis; si verò res non inclinatur naturaliter ad formam, sed potius ad eam contrariam habet propensionem, vt lapis ad motum sursum, est potentia violenta; si tandē, nec naturaliter, nec violenter inclinatur, ità vt non magis inclinetur ad hanc, quàm ad illam formam, est potentia neutra, vt superficies indiffe-

differens est ad albedinem, & nigredinem. his habitis.

Conclusio.

Dicimus, Potentiam materiæ ad omnes, & singulas formas etiam secundum gradum genericum, specificum, & indiuidualem esse naturalem indeterminatam, quæ indeterminatio coincidit cũ neutra secundo modo, in quo sensu relati Scotistæ reconciliari possunt; & est ad mentem Scoti. qui in 2.d.18.q.vn.D. docet, materiã inclinari naturaliter ad quãcumq. formam inducendam in ea, & fuit etiam sent. D. Thomæ 1.p.q.59. art.2. quod verò sit indeterminata, colligitur ex eodem Scoto in 1. d.12 q. 1.cit.in fine, vbi habet: *Materia prima ad nullam formam determinatè inclinatur, & ideo sub quacumq. quiescit, non violenter, sed naturaliter propter indeterminatam inclinationem ad quamcumq.* idem habet in 4.d.43.q.4.C. vbi vult, ideò violentiam non reperiri in primo passo, q. ad nullam formam inclinatur determinatè. Probatur ratione: Omnis potentia receptiua in ordine ad formã, vel est naturalis, vel violenta, vel neutra; at Materia non est violenta, vt manifestè apparet; nec propriè neutra. quia formã est perfectio materię, & quodlibet in suam perfectionem naturaliter inclinatur, ergo remanet, quod sit naturalis. Sed non est determinata ad hanc, vel illam formam, quia tunc violenter sub opposita quiesceret, ergo est naturalis indeterminata ad omnes, & singulas, quæ indeterminatio cum neutralitate secundo modo coincidit. Tum quia sicut materia recipit hanc formam, non vt actum in vniuersali, sed vt talem actum in specie, & indiuiduo, & cum ea indiuiduum in tali specie constituit, ità forma perficit materiam non tm rationem, non tm genericam, sed etiam specificam, & indiuiduam. Tum quia differentia addit perfectionem generi, ergo si subiectum inclinatur in perfectionem genericam, tantò magis in perfectionem specificam; hinc Arist.1.Meth. probat Methaphys. maximè in scientijs appeti, quia est perfectior cæteris.

Resp. Faber cum Muscatel: quod estò materia inclinetur naturaliter etiam ad formas in particulari, non tamen sm gradus specificos, aut indiuiduales earum, sed tantùm sm gradum genericum, quatenus formæ sunt.

Sed Contra. Si aliquod receptiuũ naturaliter respicit aliquod commune, naturaliter etiam respicit omne contentum sub eo; hinc Scot. ex eo, quod concedit naturalem inclinationem intellectus ad ens in communi, concludit etiam ipsum naturaliter inclinari ad cognitionem claram Dei, & grauiter in Varronem inuehitur, quod concedens ens in communi esse obiectum naturale intellectus, id ipsũ postea de suis inferioribus negabat; hoc .n. repugnantiam inuoluit ait Doct. quia in omnibus potentijs respicientibus naturaliter aliquod commune experimur, quod etiam naturaliter omnia sub eo contenta respiciant; Vnde visus, qui colorem in communi habet pro obiecto, habet etiam pro naturalibus obiectis albedinem, nigredinem &c. licet sint obiecta partialia, ergo pariter dicendũ erit in proposito de potentia materię

ad for-

ad formam in communi, & ad formas in particulari. Et oppositum asserere prorsus alienum est à vera, & recta Philosophiæ intelligentia; esto .n. vniuersale abstrahi possit à singularibus per intellectum, reuera tamen à parte rei semper est in singularibus inclusum. Neq. hic loquimur de appetitu rationali, sed naturali, qui fertur in res sicuti sunt à parte rei.

Tum quia etiam ex Doct. in 2. d. 3. q. 11. lit. E. habemus, quod albedo, & nigredo non solùm sm̃ rationem genericam coloris, sed etiam sm̃ rationes specificas sunt obiecta visus; & ità vniuersaliter docet constitui debere obiecta prima, & adæquata potentiarum, non prout genus supponit simpliciter, quia sic potentia non posset in particularia obiecta tendere sm̃ rationes specificas, quod falsũ est, quia nos in albedine non tm̃ attingimus rationem genericam coloris, sed etiam specificam, per quam à nigredine distinguimus. Neq. constitui debet, vt supponit personaliter scil. pro illo, & illo colore, quia si supponeret pro albedine tm̃, non posset visus ferri in nigredinem quia esset contra latitudinem obiecti adæquati; sed obiecta adæquata accipi debeat prout supponunt absolutè, nẽpe pro gradu generico, specifico, & indiuiduali, quod etiã Philosophandum est in proposito de appetitu materiæ erga formas &c. & fuit etiam manifesta doctrina Scoti in 1. d. 1. q. 1. vbi contra Auicennam disserens, ait, quod potentia intellectiua non quietatur, nisi vbi est obiectum suũ perfectissimum, & in summo scil. in Deo, vbi est ens cũ omni perfectione, ergo etiam entia particularia sm̃ suas proprias rationes particulares spectant ad obiectum naturale intellectus, quæ doctrina est contra Muscatel. qui asserebat visum naturaliter respicere pro obiecto albedinem, & nigredinem, in quantum colores, & visibiles sunt, non in quantũ sunt species. falsa doctrina, potius .n. ex singularibus inferimus vniuersalia, quàm è contra, benè .n. arguimus est albedo, ergo est color, ergo est qualitas, & non è contra.

Obiectiones.

Muscat. acriter contra nos pro Fabro pugnat, & primò sic: Si potentia materiæ est naturalis ad formam in particulari sm̃ gradum specificum V. g. ad formam ignis, sequeretur, quod violenter detineretur sub forma aquæ, sed hoc est falsum, ergo &c. Nec resp. valet (ait ipse) hoc securturum quando determinatè inclinaretur ad formam ignis, at inclinatur solùm indetermitatè, & ideò non sequi violentiam in materia. non valet (inquit) quia semper est vera illa propositio, quod nulla potentia inclinatur ad opposita, & desumitur ex Philos. 5. Phys. tex. 10. & 11. Meth. sum. 4. cap. 1. vbi docet potentias ad contraria esse diuersæ rationis, vt potentia ad ægrotari, & sanari, nam aliter idem esset ægrotari, & sanari. & ex Scot. in 1. cit. in fine. Materiam naturaliter quiescere sub quacumq. forma, ob indeterminatam inclinationẽ ad opposita disiũctim, q̃ cõmuniter DD. admittit in volũtate ad oppositos actus, velle, & nolle. Ad Arist. Quamplures explicant locutum fuisse de sola distinctione rationis. Canonicus exponit de potẽtijs proximis, & in vltima dispositione

tione ad actum, non de remota, quæ vna esse potest. Alij volunt Arist. ibi solùm asserere, quod posse valere, & ægrotare differunt tm ex parte terminorum, non ex parte potentiæ; vel quod locutus fuerit coniunctim, non diuisim; quælibet expositio soluit.

Ob. 2. Si materia inclinetur naturaliter inadæquatè ad formam ignis, & aquæ sequitur, q naturaliter possit simul sub vtraq. quiescere, quia omnis potentia potest actu, & simul esse sub adæquato termino, & sub adæquata forma. Nec resp. valet (aic) quod eas respiciat disiunctim, & non coniunctim, quia ex hoc, quod singulas respiciat, vt terminos adæquatos, sequitur, quod possit simul esse sub vtraq; imò, & sub omnibus formis, quia omnes iam conficiunt terminum adæquatum; & non repugnat, potentiam esse simul cum suo termino adæquato. ℞. negando sequelam, & instantia est euidens de voluntate, nam etiam voluntas respicit velle, & nolle, vt actus inadæquatos, & tamen non potest esse sub vtroq. simul. Ideoq. falsum est vniuersaliter, quod potentia possit esse simul, & semel sub actibus inadæquatis, cum aliquando isti sint ad inuicem incompossibiles. imò argum. vrget etiam ipsum Mustcat. vt benè Mastr. & Bell. aduertũt, quia ipse ponit, materiam respicere singulas formas neutraliter, vt terminos in adæquatos, & ideò rationé assignare tenetur, cur non possint simul illam actuare, cum singulæ sint inadæquati illius potentiæ neutræ.

Ob. 3. Asserere potentiam materiæ esse naturaliter indeterminatam, aut idem est, quod etiam affirmare neutram, aut certè implicat in adiecto; nam ex vna parte indifferentia; indeterminatio, & naturalitas idem significant, & ideò si materia respicit formas indeterminatè, iam respicit eas neutraliter. Ex alia parte naturalitas, inclinatio, & determinatio ad vnum, idem significant, natura .n. ex 2. Phys. dicitur determinata ad vnum. ℞. negando assumptum, si de neutralitate rigorosa loquatur, nam hæc importat negationem cuiuscumq; inclinationis, tàm determinatæ, quàm indeterminatæ; Si autem de neutralitate loquatur in secundo sensu, prout tm dicit negationem inclinationis determinatæ, conceditur, & nil contra nos. falsum est etiam, quod naturalitas, & inclinatio idem sint, quod determinatio ad vnum; & Auctoritas ex 2. Phys. quod natura est determinata ad vnum, explicatur à Doct. quol. 2. lit. F. de agente naturali, vt distinguitur à libero, quatenus hoc, positis etiam omnibus prærequisitis ad agendum, indifferens est ad vtrumque, quia potest agere, & non agere; agens verò naturale est determinatum ad alteram partem. falsum tandem assumit, quod ponere inclinationem indeterminatam sic implicantia in adiecto, cum Scot. in 1. cit. manefestè doceat *materiam naturaliter quiescere sub quacumq. forma, propter indeterminatam inclinationem ad quãcumq.* quæ authoritas apud Scotist. est demonstratio.

Ob. 4. Sicut ex hoc, quod terra naturaliter inclinatur adesse in loco in communi, non sequitur, quòd naturaliter inclinetur ad hanc, vel illam speciem loci; ità ex hoc; quod materia naturaliter inclinatur ad formam

mam in communi, non rectè deducitur, quod inclinetur quoq; naturaliter in hanc, & illam formam. ℞. negando paritatem. & ratio est, quia terra inclinatur ad locum in communi, sed non vt supponit absolutè, scil. descendendo ad quemcum locū particularem, materia autem inclinatur in cōmuni prout supponit absolutè, est. n. à forma perfectibilis sm̄ omnes gradus ipsius formæ. & argum. vrget etiam Aduersarios, quia sicuti ex hoc, quod terra inclinatur ad locum in communi, non rectè infertur, quod sit in potentia neutra ad loca particularia, cum ad locum sursum patiatur violentiam; ità ex eo, quod materia prima habet inclinationem naturalem ad formam in communi, non rectè deducitur, quod sit in potentia neutra ad formas in particulari. Ratio deinde disparitatis est, quia potentia materiæ est magis ampla, & in fundamento naturæ omnia sunt cōmunia, quod non verificatur de terra, & de alijs rebus, nam materia ità perficitur à forma sursum, sicut à forma deorsum &c.

Ob. 5. Ex Scot. in 4.d.48.q.2.lit. O. vbi docet, quod qn̄ subiectum ad neutrum contrariorum determinatè inclinatur, neutrum respicit naturaliter, vel violenter, ex quo principio probat ibidem, motum Cęli esse neutrum, ergo in sentētia Doctoris simplex indeterminatio constituit neutralitatem. ℞. Scot. intelligendū esse iuxta doctrinam habitam in primo sent. sæpè cit. quod scil. qn̄ subiectum ad neutrum contrariorum inclinatur determinatè, neutrum respicit naturaliter, loquendo de naturalitate in rigore, prout dicit rem determinatā ad vnum; sed respicit neutraliter, loquendo de neutralitate sm̄ quid, & secundo modo explicata, ad quam sufficit sola indeterminatio. quæ stat cū naturalitate. in quo sensu etiam motus Cęli potest dici neuter, vt in lib. de Cęlo patebit.

Ob. tandem, quod naturaliter inclinatur ad aliquam formam, ab ea violenter recedit; & ad oppositum violenter accedit, ergo si materia naturaliter inclinatur ad formam aquæ V.g. ab ea violenter recederet, & ad ignem violenter accederet, & ità omnis generatio, vel corruptio esset violenta. ℞. argum. solùm cōcludere de naturalitate determinata, quomodo graue descendit deorsum, non de naturalitate indeterminata, quam possidet materia prima, & per hæc benè satisfit Sghem. loc. cit. & Arriag. disp. 2. Phys. nu. 42. qui volūt appetitum materię tendere tm̄ ad formam in communi, & ferri in formas in speciali, & in indiuiduo, non quatenus tales, sed quatenus formæ sūt ea ratione, quia si hanc in particulari appeteret naturaliter, sub alia staret violenter.

ARTICVLVS DECIMVS.

An Potentia naturalis materiæ se extendat ad omnes formas etiam corruptas.

Scot. de hoc art. eruditè differit in 4. sent. d. 43. q. 3. lit. H. Pro cuius decisione aduertimus, hic nos non quęrere, an idem numero effectus possit naturaliter reproduci, quia de hoc, si Domino placuerit, agemus in lib. de gen. Item supponimus, quod naturalis potentia materię tribus modis potest formam respicere, nempè

proxi-

proximè, remotè, & remotissimè: Potentia proxima in materia est capacitas cum debitis dispositionibus ad talem formam recipiendã; sic V.g. materia ligni quando per calorem, & siccitatem est disposita ad recipiendã formam ignis, dicitur habere potentiam proximam ad illam: Potentia remota est, eadem materiæ capacitas nuda absq. dispositionibus ad formã, quas tñ habere potest naturaliter, seu ab agente naturali, quomodo eadem materia ligni antequam calefacta sit, & exiccata, dicitur habere potentiam remotam ad formam ignis recipiendam: Potentia remotissima est nuda materiæ capacitas ad formã, sine tamen dispositionibus, quas nec naturaliter posset habere, quomodo esset materia Cæli penes formas sublunares; & in hoc sensu, materia habere dicitur potẽtiam naturalem ad formas corruptas, ad quas tamen virtute agentis naturalis disponi non posset. duæ sunt sententiæ, Prima asserit, materiam non esse capacem formæ corruptæ per potentiam sibi innatam, & naturalem, sed tñ per potentiam obedientialem, ità Soncin. q. 18. art. 1. ad 2. Argent. in 4. d. 43. q. 1. art. 1. Complut. q. 8. disp. 3. Arriag. disp. 2. Phys. sec. 4. & Alij. Secunda defendit, materiam habere potentiam naturalẽ ad formas quoq. corruptas; vnde, quod non possit naturaliter idem effectus redire, non procedit ex defectu potentiæ in materia, sed ex alijs Capitibus; ità Scot. loc. cit. cum Scotist. communiter, & sequũtur Recentiores ferè omnes, & nouissimè cum Aliquib. Cleric. Regular. P. Sersale, & Auersa q. 20. sec. 6. Ruu. 1. Phys. tract. 1. q. 7. dub. 4. Amic. 1. Phys. tract. 5. q. 2. dub. 2. Hurt. in Phys. disp. 2. sec. 3. & Alij.

Quib. etiam fauet Doct. Seraph. in 4. d. 43. art. 1. q. 5. ad vlt. vbi ait: corpus in cineres redactum sic esse in potentia ad susceptionem animæ, vt simul sibi eam vniri appetat. addens, corpus plus appetere animam, quam semel habuit; & animam corpus, à quo semel recessit, quam aliam quam cumq. Dices, quomodo hoc est possibile, cum appetitus sit rei possibilis? Rx. S. Doct. ibidem, non omnia esse in potestate naturę quę sunt in eius appetitu, vt patet de Beatitudine. hęc Doct. Seraph. quem sequitur Carpenedol. tract. 4. q. 4. *Conclusio.*

Dicimus, materiam habere potentiam naturalem ad omnes formas, etiã corruptas, naturalem vtiq. si potentia materiæ comparetur ad formam, & eam etiam remotissimè respiciat; si verò comparetur ad agens, non habet ad formas corruptas potentiam naturalem, sed supernaturalem, & obedientialem. Est Scoti loc. cit. & quo ad primam partem ità facilè probatur: Potentia materiæ est capacitas recipiendi formas, ergo extenditur etiam ad formas corruptas, probatur consequentia, quia talis capacitas, seu potentia vel est de eius essẽtia in sent. Thomist. vel saltem ei realiter identificata, vt eius proprietas in sent. Scotist. si ergo eas non recipit; nec naturaliter recipere potest, non oritur ex defectu capacitatis materiæ, sed ex parte formæ, quę cum semel destruitur, non potest iterum redire, cum à priuatione ad habitum non detur naturaliter regressio. Exemplum, vas aliquod semper capacitatem habet recipiendi vinum, etiã ipsum-

ipsummet corruptum, sed non recipit, nec recipere potest naturaliter, non ob defectum suæ capacitatis, sed quia vinum corruptum non potest idem numero iterum naturaliter redire. Tum quia si Deus reduceret eamdem formam in materia, illa faceret vnum per se cũ materia naturaliter, sicut prius, ergo in materia esset respectu eius eadem potentia, quæ prius; & hac eadem ratione dicitur, quod si Cæco supernaturaliter restitueretur potentia visiua, videbit deinceps naturaliter, sicut prius, quia ad eam habet potentiam eamdem passiuam naturalem, quam prius habebat. Tum quia anima separata adhuc in tali statu retinet potentiam informatiuam corporis ex D. Aug. lib. 12. super Genesim ad lit. cap. 35. & Scot. docet quol. 13. Mm. ergo etiam materia retinebit potentiam informabilem. Tum tandem quia potentia actiua nõ desinit ad desitionem actus, quem producit, nec vllo modo imminuitur, ergo neq. potentia passiua desinit, & minuitur ad desitionem actus, quem recipit, saltem loquendo de potentia remotissima.

Respondet Arriaga loco citato numero 54. quod appetitus materiæ non est sola materia, sed ipsa simul cum negatione reali primæ productionis formæ, quare appetitus ille nõ est denominatio omnino intrinseca materiæ. Sed quid inde? etiam appetitus seu aptitudo hominis ad ridendum, non est sola rationalitas, sed ipsa simul cum negatione reali hinnibilitatis, & tamen non sequitur, quod talis aptitudo non sit intrinseca ipsi homini. Tum quia, vt infra patebit, appetitus materiæ, formaliter, & in recto importat formalitatem positiuam, ergo non rectè ponitur includere essentialiter in suo conceptu aliquam negationem. Tum quia si aliqualiter negationem primæ productionis formæ includeret, hoc non eueniret potentiæ, quatenus absolutè potentia naturalis est, sed quatenus proxima, vel remota, non quatenus remotissima, de qua currit q̃stio; vnde solùm amitteret denominationem potentiæ proximæ, vel remotæ, quæ sunt denominationes accidentales. Sed de his iterum redibit sermo integer in lib. de gen. vbi agitabimus quæsitum, an aliquid semel corruptum possit denuò naturaliter reparari, vbi argumentis Arriag. & Aliorũ occurremus.

Probatur Concl. quo ad 2. partẽ: Non potest Agens naturale eumdem numero effectum reproducere, vel eamdem numero formam in materia reparare, potest tamen id fieri virtute agentis supernaturalis, vt suo loco patebit, ergo materia in ordine ad formas corruptas in comparatione ad agens non est naturalis, sed supernaturalis, & obedientialis.

Obiectiones.

Ob. primò: Non datur potentia naturalis actiua ad formam corruptã reproducendam, ergo nec passiua in materia ad eam recipiendam. probatur consequentia, nam omni potentiæ passiuæ naturali correspondet actiua naturalis, qua de causa Arist. 5. Meth. 17. definiuit potentiam passiuã per ordinem ad actiuam. & in 3. de Anima tex. 17. ex hoc, quod in anima rationali est intellectus possibilis, infert quoq. in ea dari intellectum agentem, ipsum posibilem deducentẽ ad a-

ad actum. ℞. argum. vrgere Thomist. habentes pro axiomate irrefragabili propositionem illam, quod omni potentiæ passiuæ naturali, correspondeat actiua naturalis; at nobis nihil facessit, quia cum nostro Doct. q. 1. Prol. lit. Q. & in 4. d 43. q. 3. ad 1. negamus illam propositionem esse vniuersaliter veram; & patet euidenter, nam anima separata inclinatur naturaliter ad corpus, & in corpore est potentia naturalis passiua ad animam intellectiuã, & tamen nõ est potentia naturalis huiusmodi potentiam passiuam potens ad actum deducere; Vnde propositio est vera, non tamen in natura creata, sed sufficit, quod in natura, idest in toto ordine entiũ cuilibet potentię naturali passiuę, correspondeat actiua. & hoc etiam secundum Philosophum, quia absolutè definiuit passiuam in ordine ad actiuã loc. cit. in Meth. sic etiam ad aliã probationem ex 3. de anima, solùm .n. ibi Arist. probat, quod intellectui possibili correspõdeat facultas agẽs, non tamen quod esse debeat in eadẽ numero natura radicata, sed sufficit, quod assignari debeat in toto ordine entium, vt bene etiam Mercenarius aduertit tom. primo dilucidationum; hinc nonnulli affirmant, intellectum agentem esse Deum.

Ob. ergo talis potentia in materia esset frustatoria, si non potest reduci ad actum per agens creatum. ℞. neg. sequelam, nam satis est, si per agens supernaturale reducatur ad actum.

Ob. ex hac sent. sequeretur, quod inclinatio naturalis esset ad impossibile; & quod resurrectio mortuorum non esset supernaturalis, si in materia remaneret inclinatio naturalis ad animam. ℞. negando vtramq. sequelam, licèt .n. inclinatio naturalis sit ad impossibile sm̃ vires naturæ creatæ, non tñ est ad inpossibile simpliciter, vt patet de inclinatione oculi cęci ad visũ &c. Et estò Resurrectio sit naturalis comparando materiam ad animam, non tamen in ordine ad agens. & Hurt. addidit, quod agens naturale nõ possit effectum corruptũ denuo reparare, non prouenit ab intrinseco defectu, & impotentia eius, sed per accidens ex lege ordinaria, qua Deus decreuit agentibus naturalibus nolle concursuum pręstare ad reparandos effectus iam corruptos.

DVBIVM.

An Potentia Materiæ sit vna ad omnes formas, vel multiplex.

Scot. dubium hoc resoluit in 1. d. 1. q. 1. & in 4. d. 43. q. 3. & alibi, pro cuius intelligentia iterum supponimus, duplicem esse materiæ potentiam, vnam proximam, & particularem, alteram remotã, & vniuersalem: Particularis illa dicitur, qua materia per aliquas dispositiones accidentales, determinatur ad recipiendam specialem formam: Remota, & vniuersalis est illa, qua materia nullis dispositionibus ad huc affecta, omnes formas vniuersaliter respicit; tunc dicimus, potentiã proximam, & particularem esse multiplicem in materia, iuxta multiplicitatem formarum recipiendarum; Vniuersalem verò, & remotam esse vnã ad omnes. Est Scoti loc. cit. & Scotistæ vt videre est apud Cononic. Parisienses, Bell. & Mastr. & Alios. & ex Exteris Zabarel. lib. 1. de materia c. 15. Auersa q. 20. sec. 6. Perer. lib. 5. cap. 2.

cap.2.& quamplures Alij. & quo ad primam partem, ità facilè suadetur: variæ, & multæ sunt dispositiones in materia pro varietate formarum, ergo sic etiam & potentia variari dicitur, & multiplicari iuxta huiusmodi varias dispositiones, quibus determinata & affecta reperitur. quo ad secundam partē, probatur quia cum potentia vniuersalis materiæ sit illi essentialis, vel saltem innata proprietas, melius ponitur vna, quàm multiplex, & hæc semper inuariabilis, & immutabilis; sicut in homine vna sufficit inclinatio ad multos actus ridendi.

Dices, ex 2.q. Meth. actus, & potentia sunt eiusdem generis, & speciei, ergo quia formæ sunt specie diuersæ, sic etiam erunt potentiæ in materia. Resp. Scot. in 2. d. 16.q.1. lit.A. Authorit. illam intelligendam esse de potentia obiectiua, & actu, quomodo sunt differentiæ entis, non de potentia actiua, & passiua: vel cōcedi potest de potentia materiæ proxima, & particulari, non de remota, & vniuersali.

Ob. ex Scoto in 3. d.8. q. vn. vbi vult relationes multiplicari ad multiplicationem terminorum, ergo potentia materiæ multiplicari debet ad multiplicationem formarum, quas, vt terminos respicit. ℞. Doctrinam Scoti esse veram quo ad terminos totales, & adæquatos, & de his ibi loquitur, vt est respectus paternitatis ad plures filios, quorum quilibet distributiuè est terminus adęquatus, & sufficiens, vt in patre resultet paternitas; at respectu terminorum inadęquatorum est falsa, cum singuli sint insufficientes adponendam relationē in fundamento, sed requiritur, vt omnes vnum terminum adæquatum constituant. & se exemplificat Doct. de tractu nauis à pluribus, quos simul respicit, & collectiuè in ratione termini adequati; ità potentia vniuersalis materiæ respicit singulas formas, vt terminos inadęquatos, & omnes simul, vt terminum adæquatum, & totalem. & hic etiam exploditur illa obiectio, quod in materia tot sint potentiæ, quod priuationes, ergo cum priuationes multiplicentur ad multiplicationem formarum, similiter & potentiæ. non valet, falsum est .n. antecedens, quia potentia non dicit formaliter priuationē formæ, sed tantùm illam connotat; ideoq. talis potentia multiplicabitur solum pro connotato, non pro formali. Aliqui in materia ponunt vnam priuationem vniuersalem omnium formarum correspondentium potentiæ vniuersali, sed non videtur necessaria.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An potentia receptiua formarum distinguatur à sustentatiua earumdem.

SCot. in 4. sent. d. 13. q. 1. lit. H. loquens de vnione, & receptione, quę est actus correspondens potentiæ receptiuæ, eam ponit respectum extrinsecus aduenientem; educ tionem verò, quæ est actus correspō dens potentiæ sustentatiuæ ponit intrinsecus aduenientem; ex qua diuersitate actuum, deinde potentiarum diuersitatem astruit. Supponimus tā quam certum apud omnes Materiam formas omnes corruptibiles non solùm in se recipere, sed etiam sustentare, per quod explicari solet eius

causalitas materialis erga formas, q munus non exercet circa animam rationalem, quam licèt re vera recipiat, non tamen sustentat; hinc rationabiliter queritur, an actus recipiendi formam, & actus eumdem sustentandi exerceantur à materia per vnam, & eamdem potentiam, an potius per distinctas, quarum vna dicatur receptiua, & altera verò sustentatiua formarum. Suar.disp.13.Meth.sec.9 nu.10. innuit esse vnam, & eamdem potentiam; & quod modus vnionis,non distinguatur à modo sustentationis. sequitur Auersa q. 12. sec.3.Amic.distinguit actus,non potentias. Fonseca,& Conimb. distinguunt ex natura rei actus, & potentias.

Conclusio.

Dicimus,Potentiam sustentatiuam in materia esse ex natura rei formaliter distinctam à potentia receptiua. est Scoti loc. cit. & in 3.d.1.q.1.quā sequuntur Scotistæ, & ità probatur: Modus sustentationis est ex natura rei distinctus à modo receptionis, ergo etiam, & potentia sustentatiua à receptiua. patet consequentia, quia distinctio potentiarum infertur ex distinctione specifica actuum, potentiæ .n. distinguntur per actus; & Multi etiam ex Aduersarijs eodē modo de actibus, & potentijs Philosophantur. Anteced.probatur, quia hi modi inueniuntur aliquando separati, nam materia recipit animam rationalem, sed eam non sustentat; ergo &c. tum quia receptio, & vnio est respectus extrinsecus adueniens; sustentatio,& eductio intrinsecus adueniens. Tum quia receptio materię in ordine ad formā non potest à Deo suppleri in nullo genere causæ,benè tamen sustentatio,vt de accidentibus Eucharistiæ patet. & malè Suar. negat esse hoc Deo possibile, nam causalitas materiæ erga formam etiam sm̄ ipsum non consistit in simplici receptione, ergo ex vi receptionis in materia non causatur forma, sed requiritur vlterior influxus materiæ in formam, quē Deus supplere potest, licèt .n. sit influxus materialis,vt tamen præcisè sustentatiuus est, non dicit imperfectionem,& in ordine ad formam est extrinsecus. Tum quia ex Scoto loc.cit.in 3 potentia receptiua necessariò dicit imperfectionē, ideirco .n. vnum recipit aliud, quia ab eo perfectionem expectat,potentia autē sustentatiuā potius dicit perfectionem,quatenus sustentando perficit aliud, vel saltem non dicit necessariò imperfectionem in ratione sustentantis, ergo &c. Tum quia vna potentia reducitur ad actum, non altera, vt patet penès animam rationalem, circa quam exercetur potentia receptiua,non autem sustentatiua, ergo non sunt vna, & eadem ex natura rei formaliter, quia implicat vnam, & eamdem potentiam simul reduci, & non reduci ad actum. Tum tandem, quia circa eamdem formam separari possunt informatio, & sustentatio, & vna sine alia existere, ergo non se habent informatio, & sustentatio, vt ratio generica,& specifica, quarum vna sine alia existere nequit,vt Suar. & Auersa autumant. probatur hoc anteced. quia si Verbū sibi immediatè accidens vniret,accidens non informaret Verbum, & tamen à Verbo sustentaretur; Et Verbum sustentaret accid. non tamen illud re-

lud reciperet, ergo tàm ex parte subiecti, quàm ex parte formæ rationes illę recipiendi, & sustentandi disparatè se habent, & non subordinatè, vt ratio generica, & specifica.

Dices, ex rationibus allatis potius infertur distinctio realis, quàm formalis; si.n. distinctio potentiarum infertur ex distinct. specifica actuum; & actus receptionis, & sustentationis distinguuntur realiter, cum possint ad inuicem separari, ergo non satis est distinctio ex natura rei formalis, sed intercedit distinctio realis, quod est contra conclusionem. ℞. negando consequentiam; non .n. oportet tantam distinctionem esse in principijs, quantam in principiatis ex regula Scoti. sic Filius, & Spiritus Sanctus distinguuntur realiter in Diuinis, non tamen principia ex quibus procedunt. actus ridendi, & actus plangendi distinguuntur realiter in homine, non tamen potentia ridendi, & potentia plangendi, cum sint passiones, & aptitudines in essentia hominis radicatæ. sic in proposito de huiusmodi potentijs respectu materiæ; ad tollendam autem contradictionem sufficit distinctio ex natura rei formalis, vt pluries dictam est.

Obiectiones.

Ob. pro Suar. In accidente non ponuntur duo modi ex natura rei distincti, vnus informationis, & alius inherentiæ, quæ est dependentia à subiecto, sed per vnum, & eumdem modum informat, & dependet, ergo pariter ex parte materiæ distingui non debent modus receptionis, & sustentationis, nec consequenter potentia receptiua, & sustentatiua. ℞. negando assumptum; nam alius est modus quo accidens informat subiectum, & est extrinsecus adueniens; & alius, quo dependet ab eo, & est intrinsecus adueniens, vt patet ex dictis.

Ob. Si Verbum assumeret naturā irrationalem, quod Scot. concedit, non ideò talis natura diceretur personari, sed tantùm supposítari, quia hæc vnio denominat naturam iuxta modum illius, & quia irrationalis natura non est personabilis, ideo non dicitur per talē vnionem personari. sic etiam in casu, vnio materiæ cum forma semper est eadem in se, sed variam accipit denominationem iuxta varietatem formarum; si est ad formam corruptibilem, dicitur sustentatio; si ad formam subsistentem, dicitur simplex receptio; ità dependentia dici debet semper eadem, sed relata ad formas corruptibiles dicitur sustentatiua, relata ad animam dicitur solùm receptiua. ℞. negando paritatem, & ratio est, quia persona vltra suppositum, nihil dicit formaliter, sed tantum connotat naturam rationalem; at in proposito, sustentatio vltra vnionem, dicit etiam dependentiam, & causalitatem materiæ erga formam.

Ob. Pro Auersa: Materia circa omnem formam exercet potentiam receptiuam, quæ receptio respectu quarumdam formarum dicit dependentiam earumdem; respectu animæ rationalis dicit independentiam, ergo circa formam corruptibilē, non distinguitur receptio à sustentatione, nec per consequens potentia receptiua à sustentatiua. ℞. negando absolutè consequentiam, sicut absolutè proponitur; & solùm ex antecedenti

cedenti

cedenti inferri potest, quod receptio formæ corruptibilis coexigat etiam dependentiam à materia, non autem, quod illa receptio sit formaliter ipsa sustentatio, vt benè aduertunt Mastr. & Bell. ex qua doctrina potest etiam negari antecedens.

Ex his deducitur, quod licèt sustentari à materia, inferat etiam recipi in materia, non ità tamen, quod materialis sustentatio includat formaliter vnionem, & receptionem, vt putat Auersa, sed solùm, quod illam necessariò præsupponat, vel exigat; absolutè autem loquendo dari potest sustentatio sine receptione, vt si accidens assumeretur à Verbo, vel saltem dari potest receptio formæ corruptibilis in materia sine sustentatione, vt etiam ipsemet Auersa fatetur, quod sufficit ad inferendum, esse modos realiter distinctos. Non negamus tamen à principijs Scoti præscindendo, oppositam sententiam sua probabilitate gaudere.

DVBIVM.
De Potentia receptiua formarum substantialium, & accidentalium.

Solet etiam hic dubitari, an potentia receptiua formarum substantialiũ distinguatur à receptiua accidentalium, &c. R. affirmatiuè. ratio est, quia quando plura attributa conueniunt rei, sed vnum mediantè alio, tunc illa attributa censentur inter se distincta ex natura rei, sed huiusmodi potentiæ ità se habent in materia, quod scil. receptiua accidentium cõueniat materiæ mediante receptiua substantialium, ergo &c. maior patet, nam ità vniuersaliter euenit qñ subiectum plures habet passiones, & vna demonstratur per aliam; vnde quia de quantitate demonstratur diuisibilitas per impenetrabilitatem, ideò huiusmodi proprietates censentur ex natura rei ab inuicem distinctæ. minor probatur, nam ideò materia est receptiua formarum accidẽtalium disponentium, in sententia eorum, qui volunt dispositiones recipi in materia immediatè, quia receptiua est substantialium; quare sicut dispositio ordinata est ad introductionem formæ substantialis, ità potentia receptiua formæ accidentalis ordinata est à natura, vt per eius exercitium reducatur ad actum potẽtia receptiua formæ substantialis. Tũ quia potentia materię respectu formarum substantialium talis est, vt cũ ipsa faciat vnum per se, quod potẽtia receptiua formæ accidentalis efficere non potest, ergo huiusmodi potentiæ sunt inter se ex natura rei distinctæ. & huius sententiæ sunt Auersa q. 11. sec. 6. Hieronimus Plà 1. Phys. disp. de principijs q. 3. dub. 2. cum Bell. & Mastr. disp. 1. q. 5. art. 4.

Amic. verò tract. 5. q. 4. art. 3. negat huiusmodi potentias ex natura rei distingui, & ad rationes allatas ait, tantùm per eas deduci inter has potentias distinctionem rationis ratiocinatæ per diuersos cõceptus inadęquatos, quatenus cum fundamento in re concipere possumus potentiam receptiuam materiæ in ordine ad formas substantiales, non concipiendo in ordine ad formas accidentales, sicut eadẽ ratione solet etiã distingui potẽtia materię in ordine ad formas substan-

substãtiales in receptiuam, & sustentiuam per diuersos conceptos &c.

Non valet nam huiusmodi potentiæ maiorem vtiq. inferũt distinctionem inter eas, quàm per solos conceptus inadæquatos; quòd inde patet, quia contradictio seper infert distinctionem inter ea, de quibus enũciatur, & vtiq. talem, qualis ipsa est; sed allatæ rationes ostendunt de talibus potentijs contradictionem verificari à parte rei actualiter, nullo intellectu considerante, ergo talem etiam distinctionem inter eas infert, scil. formalem ex natura rei actualẽ, non virtualem tantum. maior patet, minor probatur, singulas allatas rationes ponderando; nam certum est, Deum cognoscere materiam receptiuam esse formæ accidentalis, quia est receptiua substantialis, & non è contra. cognoscit etiam ex hac potentia simul cũ forma substantiali fieri vnum per se, non autem cum forma accidentali; & quod potest vnam reducere ad actum sine alia, quia potest introducere formam substantialẽ in materia absq. præuijs dispositionibus. Cognoscit materiam recipere animam, & non sustentare, alias verò formas non solùm recipere, sed etiam sustentare, ergo huiusmodi potentiæ in materia non distinguuntur conceptibus tantùm inadæquatis, cũ Deus omnia, & singula perfectè, & adæquatè concipiat.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

An Potentia sit de essentia materiæ, an potius eius proprietas.

Scot. in 4. sent. d. 11. q. 3. & in 2. d. 12. q. 1. & alibi, docet potentiam non esse de essentia materiæ, sed potius connaturalem eius proprietatem illi realiter identificatam, & in secundo modo dicendi per se. de qua Controuersia tres extant opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema asserit, potentiam esse de essẽtia materiæ, ità vt potentia cõstituat materiã in esse materiæ, ità D. Tho. in p. p. q. 115. art. 1. ad 2. vbi ait: *actus, ad quem est in potẽtia materia prima, est substantialis forma. & ideo potẽtia materiæ non est aliud, quàm eius essentia.* & idem habet hic lec. 15. & 1. p. q. 77. art. 1. ad 4. quem sequuntur cõmuniter Recent. Suar. disp. 3. sec. 8. Ruu. tract. 1. q. 6. Conimb. cap. 9. q. 8. Auersa q. 20. sec. 6. Morif. Amic. & Alij: Altera extrema est Auerr. 1. Phys. cõ. 60. Iandun. q. 25. Zabarel. lib. 1. de materia c. 9. Tolet. 1. Phys. q. 14. Perer. & Aliorum, tenentium potentiam materiæ esse accidens prædicamentale, aut de genere qualitatis, aut de genere relationis. Media sententia est Scoti, & Suorum, defendentium esse proprietatem, & passionem materiæ in 4. modo.

Præmittimus ex Doct. Subtili in 4. d. 43. q. 3. lit. H. potentiam materię tripliciter considerari posse scil. fundamentaliter, formaliter, & concomitanter. Primo modo vocatur ibi à Scoto principium potentiale, quòd semper manet, & est ipsamet essentia materiæ, in quo sensu non est quæstio. Neque loquimur de potẽtia tertio modo accepta, quia sic dicit prioritatem durationis ad actum, seu connotat negationem formæ in materia præcedentem, in quo sensu, potentia destruitur, adueniente forma, & dicitur accidens per accidẽs, ideò quæstio remanet de potentia mate-

materiæ in secunda acceptione pro eo, scil. quod dicit formaliter, quo sensu addit entitati absolutæ materię ordinem receptiui ad receptum, qui semper in materia permanet, & non est nisi naturalis aptitudo ad formam suscipiendam, & loquimur de potentia vniuersali, & remota materiæ, nō de proxima, & particulari, disposita per proportionata accidentia ad speciales formas.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. Potentiam non esse de essentia materiæ in primo modo dicendi per se. est Scot. loc. cit. & sequacium. & probatur primo ex his, quę habet Themistius digres. 1. Phys. vbi docet, materiam primam posse considerari dupliciter, seu in duplici notione: in prima consideratur, vt substantia quædam, & entitas absoluta sm̄ se, quatenus perfecta est in genere suo, & nihil ei deest in ratione materiæ: In secunda notione consideratur in ordine ad generationem, cuius est principium; ad formam, cuius est subiectum; & ad compositum, cuius est pars; hinc licèt in hac secūda consideratione relationem, & habitudinem quamdam trascendentalē includat ad formam, vt subiectum, nil tamen in primario conceptu includit, & ratio est, quia sicut relatio in suo conceptu quidditatiuo non continet absolutum, ità nec ens absolutum, & substantia cuiusmodi est materia, relationem in se continebit. Tum quia quælibet res prius est in se constituta per sua essentialia prædicata quàm aliud respiciat, sed vt potentia respicit aliud, nempe actum, ergo &c. Tum quia vniuersaliter aptitudo supponit rem, à qua fluere, & emanare dicitur, ergo similiter dè materiæ aptitudine ad formas recipiendas dicendum erit.

Respondent Recentiores communiter, reperiri quædam entia absoluta ità perfecta, & completa, vt benè concipi possint in se sine ordine ad aliud, vt homo, animal, calor &c. quæ vtiq. in suo conceptu quidditatiuo relationem non includunt; alia verò sunt entia absoluta, ità tamen imperfecta, & ad aliud à natura ordinata, vt explicari non possint, nec quidditatiuè concipi sine ordine ad aliud, & dicuntur entia relatiua transcendentalia, & ità se habent scientia, quæ dicit ordinem trascendentalem ad obiectum; habitus ad actum; & partes essentiales, quarum quælibet includit in suo conceptu quidditatiuo ordinem trascendentalem ad aliam cōpartem; Vnde volunt, quod estò relatio prædicamentalis esse nequeat de essentia absoluti, potest tamen esse relatio trascendentalis; asserentes etiam falsum esse aptitudinem sēper rem sequi, cum etiam aptitudo, & relatio trascendentalis sit principium constitutiuum rei.

Sed hæ responsiones in log. disp. de relatione benè erutæ sunt; & nostra assentio vera est de quacumq. relatione tàm prædicamentali, quàm trascendentali, vt disertè Bassol. ostendit in 2. d. 12. q. 1. art. 2. §. *Contra tertium modum &c.* vbi hanc responsionem eruditè refellit, ideò .n. dicimus relationem non esse de essentia absoluti, neq. è contrà, quia entitas absoluta, vt præscindit à relatione est formaliter ad se, & relatio, vt abstrahit ab entitate absoluta est formaliter ad aliud; at idem simplicissimè

simè non potest formaliter esse ad se, & ad aliud, est .n. manifesta contradictio, quia esset simul ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud. Nec iuuat ad tollendam contradictionē, distinctio quod sit ad aliud prædicamentaliter, vel trascendentaliter, cū vtraq. relatio sit essentialiter habitudo ad aliud.

Respōdent Aliqui, non sequi contradictionem, quia huiusmodi rationes essendi ad se, & ad aliud, distinguuntur virtualiter, & solùm correspōdent cōceptibus inadæquatis mētis nostræ, quæ distinctio sufficit ad tollendam contradictionem, sicut eadem humanitate inadęquatè cōcepta homo conuenit cum equo, & adęquatè concepta differt ab eo. Ita P. Aiossa, P. Lanfrancus, P. Moranda, Cl. Reg. cū Alijs Nō placet, nā quādo hoc etiam valeret de homine, & equo ob solā similitudinem eorum in sensatione, ratione cuius abstrahi potest conceptus inadæquatus communis vtriq. in casu tamen non potest abstrahi conceptus communis ab absoluto, & relatiuo, nam entitas absoluta est formaliter ad se, non ad aliud; relatio est formaliter entitas ad aliud, non ad se, ergo à parte rei, & formaliter est contradictio, non tm̄ per nostrum concipiendi modum. ità Bell. & Mastr. Et quando etiam abstrahi posset conceptus inadæquatus ab absoluto, & respectiuo, vt puto esse possibile in conceptu inadęquato entis, non tamen habent intentum, nam nos hic loquimur in conceptibus formalibus, & de ipsis entitatibus, vt sunt à parte rei; Vnde sicut contradictio est à parte rei, quod idem sit formaliter rationale, & irrationale, estò conueniant in conceptu animalis, ità contradictio est, quod idem sit ad se, & non ad se, seu ad aliud, licèt conueniant in conceptu entis.

Falsum est etiam esse quædam entia absoluta, natura sua ità imperfecta, & ad aliud ità intrinsecè dependentia, vt sine ordine ad aliud quidditatiuè cōcipi nequeant, nam aliud est loqui de conceptu quidditatiuo, aliud de quietatiuo intellectus; hinc Scot. in 4. d. 2. q. 1. lit. l. docuit, quod nulla pars potest habere conceptum quietatiuum, nisi intelligatur aliud, cuius est pars, & aliud cuius est compars, definitio enim exprimit conceptum perfectum definiti, atq. ideò quantumcunq. essentialia formæ, vel alterius partis exprimantur sine ordine ad aliud, licèt quidditatiuè exprimerentur, non tamen esset cōceptus perfectus quietans intellectum. ex quibus colligitur, ordinem trascendentalem ad summum ingredi conceptum quietatiuum horum absolutorum incomplexorum, purè quidditatiuum.

Illud tandem principium, quod aptitudo semper posterior est natura eo, cuius est aptitudo, quia ab eo dimanat, est doctrina vniuersaliter recepta in schola Peripatetica; vnde etiam Aduersarij constituere solent rerum quidditates, non in aptitudinibus, sed in principijs exigitiuis illarum; sic dicere solent hominis essentiam, non esse risibilitatem, sed principium exigitiuum eius; essentiam quantitatis non constitui per impenetrabilitatem, sed potius per principium exigitiuum eius, & sic de alijs.

Eiusdem sententiæ est Ægid. cum Augustiniensibus, vt videre est apud M. Bonherbam in Phys. dubit.8.fol. mihi 82.vbi citat Ægid.lib.sex Princip.pag.41. qui quærens, an potentia sit de essentia materiæ, sic ait: *Ad hoc dicendum, quod Potentia dicitur dupliciter, nam potentia dicit quamdam habitudinem, seu relationem materiæ ad formam, & sic accipiendo potentiam, non est hæc de essentia materiæ; sed si dicatur impropriè, quod materia, in qua fundatur talis habitudo ad formam sit potentia, potest dici, quod talis potentia sit de essentia materiæ; sed primo modo potentia accipitur propriè; & talis non est de essentia materiæ*.hæc Ægid.qui non poterat clarius loqui, nam disserens de potentia materię in acceptione propria, ait, quod non dicit essentiam materiæ, sed habitudinem, & relationem ad formam; loquendo verò de fundamento, in quo fundatur talis habitudo, sic potest dici potentia, sed impropriè; & rationabiliter, quia tunc nō quærimus amplius de potentia in suo conceptu formali, sed de radice, & fundamento talis potentiæ, quæ est quidditas, & essentia materiæ. hinc frustra M. Iacob. Brun. in Phys. q. 3. art. 3. Ægidiū per sent. Thomist. citat, nisi intelligat de fundamento, & principio exigitiuo talis potentiæ, de quo non est quæstio, cum sit locutio impropria, & extra verò.

Quòd etiam hæc sit opinio D. Bonau. videri poterit Carpenedolus noster in sua Phys. lib. 1. tract. 2. q. 10. vbi plura dicit in sent. Seraphici Doctoris. tandem in assertione secunda ait: *Potentiam remotam non esse totam materiæ essentiam*, & hoc dicit ex sent. Sacti Doct. & millies in hoc libro repetit, & probat; Tum quia materia non est pura potentia, sed essentialiter actus, cui supponitur potentia. Tum quia non est sui, sed alterius, quia est quodammodo relatiua; Vnde S. Bonau. inquit: *non est materia sua potentia*. hæc præfatus Doctor. Inde apparet quàm Patronos sententia hæc pro confirmatione naturæ sententiæ habeat; & error Aduersariorum procedit, quia confundunt fundamentum, & principium talis potentiæ cum ipsa potentia, quæ cum sit aptitudo, necessariò essentiam materiæ præsupponit.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Potentiam materiæ nō esse accidens aliquod prædicamentale ei realiter superadditum, sed accid. proprium ei realiter identificatum, & tantum ex natura rei formaliter distinctum. est Scot. loc. cit. & Contra Auct. secundæ sententiæ. & quo ad primam partem, ità facilè probatur: Vel hoc accidens, quod dicitur potētia materiæ recipitur immediatè in ipsa entitate materiæ, vel media alia potentia; si primum, ergo rectè inferri potest, quod etiam forma substantialis immediatè recipitur in materia, quia maiorem affinitatem habet materia cum forma substantiali, quàm cum accidentali; si secundum, scil. media alia potentia, cum hæc sit accidens erit processus in infinitum.

Probatur hoc etiam de potentia receptiua formarum accidentalium, si.n. hæc potentia est accidens realiter materiæ superadditum, vel materia recipit hoc accidens immediatè, vel

tè, vel mediante alia potentia: si primum, ergo poterit etiam æquè benè alia accidentia immediatè recipere, cum quantum ad recipi, & inhærere omnia accidentia sint eiusdem rationis: si secundum, ergo processus in infinitum. Nec resp. valet, hanc potentiam esse ità quo, vt non possit esse quod, atq. ità standum esse ad hoc accidens, quod non recipiatur, & inhæreat, sed sit medium, quo alia recipiantur. non valet, quia cũ hoc accidens sit verè eductum de potentia materiæ, & ab ea in fieri, & conseruari dependeat, & sit ab ea realiter distinctum, debebit ipsum quoq. inhærere, & recipi in subiecto. Tum quia assignare debent rationem, cur materia possit nullo accidente medio hanc potentiam recipere, & non alia accidentia; imò hoc accid. potius quantitas esse deberet, quàm potentia aliqua, quæ est de genere qualitatis.

Probatur tandem quoad aliam partem; si .n. potentia materiæ non est de eius essentia in primo modo, vt probatum est, neq. accidens prædicamentale ab ea realiter distinctũ, remanet, vt sit accidens proprium ei realiter identificatum, & ab ea ex natura rei formaliter distinctum. Tum quia posse perficere, & informare est per se proprietas formæ, ergo posse perfici, & informari erit proprietas materiæ. Tum deniq. quia vniuersaliter eiusmodi potentiæ, & aptitudines ad actus sunt passiones rerum, ergo idem asserendum in proposito de aptitudine materiæ.

Obiectiones contra primam.

Arguunt Aduersarij authorit. Philosophi, qui plurib. in locis materiã vocat potentiam, & per se potentiã; sicut è contra formam vocat actum, & per se actum qua ratione infert ex eis fieri per se vnum, qui vtiq. loquendi modus indicat materiam esse essentialiter potentiam, & formam essentialiter actum. ℞. breuiter, idcirco Arist materiam vocasse potentiam, & formam actum, vt manifestaret aptitudinem materiæ ad perfici, & formæ ad perficere esse connaturales earum proprietates, non autem prædicata essentialia.

Sed Contra, prædicationes in recto sunt essentiales in primo modo, & maximè qñ fiunt in abstracto, vt cum dicimus, albedo est color, color est qualitas &c. ergo pariter cum dicimus, Materia est potentia, forma est actus.

℞. quod si Arist. sæpè materiam vocauit potentiam, & formam actũ in recto, sæpius etiam vsus fuit modò loquendi in obliquo, vocans materiam ens in potentia, & formam ens in actu; & quod ex potentia, & actu fit vnũ p se: sic etiã dicere solemus, q̃ ignis est causa caloris in recto, & tñ hæc non est prædicatio essentialis in primo modo, causalitas .n. non constituit ignem essentialiter; sic etiam in 4. Phys. dicitur, quod locus est superficies, & tamen hæc prædicatio non est quidditatiua ex Doct. in 2.d. 2.q.6.lit. D. Vnde sicut sensus harum propositionum in recto, est obliquus scil. ignis est subiectũ fundans relationem causæ &c. ità sensus harum propositionum, Materia est potentia, forma est actus, sensus erit, quod materia est subiectum natũ fundare relationẽ potẽtię, forma relationẽ actus;

Contra, Arist. 2. de anima definit ani-

uit animam in recto, vocans eam actum, scil. anima est actus corporis &c. ergo in sent. eiusdem materia è contrà erit essentialiter potentia, & signum huius est, quia loquendo de potentia, & actu sæpè addidit particulam, per se. ℞. negando assumptũ, forma .n. est essentialiter actus in 2. modo, & secunda notione, & solùm radicaliter, & exigitiuè in primo modo; & hac ratione definiuit animã per actum, & materiam per potentiam, prius .n. res absoluta constituitur per sua absoluta essentialia, deinde fundat respectus, cuiusmodi sunt actus, & potentia. Addit verò illam particulam per se, vt ostenderet huiusmodi prædicata non esse accidentalia materiæ, & formæ, sed essentialia, & per se saltem secundo modo.

Ob. Arist. 2. Phis. 26. ait: materiã, & formam esse de genere illorũ, quę sunt ad aliquid, quatenus scil. essentialiter includunt relationem trascédentalem ad se inuicem per modum compartium, ergo potentia, & actus sunt de essentia materiæ, & formæ. ℞. negando consequentia, & Arist. appellat materiam, & formam ad aliquid, quatenus sibi identificant relationes trascendentales.

Ob. Materia est essentialiter ens incompletum, ergo essentialiter petit compleri, sed non petit compleri, nisi per modum potentiæ passiuæ, ergo est essentialiter potentia passiua. ℞. negando antecedens, nam in suo genere materia prima est optimè completa per sua prædicata essentialia, & quidditatiua, & solùm dicitur essentialiter incompleta quietatiuè, & in secunda notione, quatenus dicit ordinem essentialem ad formam, & est essentialiter pars compositi, in quo statu reduplicatiuè potest dici essentialiter potentia, tunc .n. dicit habitudinem, & relationem.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quod potentia materiæ non esset actui proportionata, quia act 1s est substantialis, & potentia esset accidentalis. Tum quia ex materia, & forma non fieret vnum per se, nam materia vniretur cum forma mediante aliquo accidente, & non immediatè, & proximè per suam essentiam partialem. ℞. negando huiusmodi sequelas, & & ratio est, quia nos statuimus hanc potentiam non accidens prædicamẽtale à materia realiter distinctum, sed accidens proprium ei realiter identificatum, ac proinde realiter substãtiam, in quo sensu potentia est substantialis, ideoq. optimè proportionata quantum sufficit actui substantiali. Nec sequitur secundum absurdum, nam vt ex eis fiat vnum per se, sufficit, vt sint actus, & potentia per se formaliter in secundo modo.

Ob. tandem ex D. Tho. 1. p. q. 77. art. 1. ad 4. sic se habent materia prima ad potentiam passiuam, sicut Deus ad potentiam actiuam, nam sicut materia est primum recipiens, & ens infimum, ità Deus est primum agens, & ens supremum, sed Deus est sua omnipotentia actiua, ergo materia prima est sua potentia passiua. ℞. ex hoc arg. nil contra nos deducis, quicquid sit de maiori, admittimus .n. q̃ Deus sit sua potentia actiua, sicut materia sua potentia passiua, sed non in primo modo dicendi per se, nec omnipotentia est prædicatũ quidditatiuũ Dei, Vnde D. Aug. 15. de Trinit. ait: si di-

si dicimus, sapiens, speciosus, potens, spiritus, horum quod nouissimum posui videtur substantiam significare, cetera verò huius substantiæ qualitates. en quomodo spiritum vocat substantiam Dei, & prædicatum eius essentiale, potentiam verò cum alijs, quasi qualitates, quia attributa Dei, non prædicata eius quidditatiua censentur.

Contra Secundam Conclusionem ità Aduersarij Obijciunt: Adueniēte forma in materia, destruitur potentia ad eam, nam actus, & potentia opponuntur ex 9. Meth. ergo potentia materiæ erit accidens prædicamentale. ℞. negando antecedens, de potentia remota, & vniuersali, in quo sensu loquimur, tunc .n. actus potius perficit potentiam, quod patet de actu ridendi respectu potentiæ ad risum, Vnde argum. solùm concludit de potentia proxima respectu talis formæ in particulari, & Arist. 9. Meth. locutus fuit de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, non de potentia subiectiua, & actu formali.

Ob. Philosophus in prima specie qualitatis assignauit potētias naturales agendi, & patiendi, ergo potentia materiæ est accidens de prædicamento qualitatis, vt sunt mollities ceræ ad recipiendā impressionem sigilli, & durities columnæ ad domum sustinendam. ℞. Scot. in 2. d. 16. q. 1. lit. P. quod rigorosè loquendo non est potentia actiua naturalis, vel passiua, quæ ponitur in 2. specie qualitatis, sed facilitas ad vtendum illis agendo, vel patiendo, ideò mollities in cera, vt est in secunda specie qualitatis, non est propriè potentia passiua recipiendi impressionem sigilli, sed facilitas illa, quam habet, vt in ea cuiuscumq. sigilli exemplar imprimatur, & idem de columnæ duritie asseritur.

Ob. in causis agentibus assignatur potentia actiua de genere qualitatis, à causæ substantia realiter distincta, vt calor igni, grauitas lapidi ad motum deorsum, &c. ergo etiam in potentijs passiuis vti est materia, similis potentia assignari debebit. ℞. pro modo negando paritatem, & ratio est, quia plus requiritur ad agendū, quā ad patiendum, atq. ideò si necessaria est potentia actiua distincta realiter in ipsis agentibus, non inde passiua necessaria erit patientibus. Tum etiā quia potentia actiua instituta est ad exercendas operationes quasdam accidentales, & consequenter potentia accidentalis erit illis proportionata, potentia autem passiua materię instituta est ad constituendum per se vnum cū actibus substantialibus, quibus vtiq. proportionata non erit, si accidentalis poneretur.

Ob. quod saltem potentia receptiua formarum accidentalium esse debet accidens, nam inter actum, & potentiam debet esse proportio, & ideò si receptiua, & sustentatiua substantialium ponitur substantialis, quia actus recipiendus est substantialis, eadem ratione in casu potentia receptiua, & sustentatiua accidentalium esse debebit accidentalis. ℞. inter actum, & potentiam non esse necessariam proportionem sm̄ entitatem, sed sufficere proportionem receptiui, & receptibilis, perfectiui, & perfectibilis, quæ proportio benè reperitur inter potentiam substantialem, & actum accidentalem, quia accidēs

per-

perficere potest substantiam, & in ipsa recipi, quomodo proportionari non possunt potentia accidentalis, & actus substantialis, quia forma substantialis nec recipi, nec sustentari potest in accidente; nec illud perficere, & hæc est ratio disparitatis.

ARTICVLVS TERTIVS DECIMVS.

An materia æqualiter appetat omnes formas in particulari, & an magis nobiliores.

SCot. art. hunc resoluit in 4. d. 49. q. 10. lit. B. & in 1. d. 1. q. 1. in respons. ad 4. & 5. vbi innuit, formam esse materiæ perfectionem sm omnes suos gradus, & materiam esse inclinatam ad omnes, & singulas, vt in propriam perfectionem, licèt indeterminatè, & quamuis in respons. ad 4. dixerit tot esse appetitus in materia, quot sunt formes receptibiles in ea, ibi tamen non loquitur de appetitu vniuersali, & aptitudinali, ac indeterminato, sed de actuali, particulari, & determinato ad singulas formas, vt benè Barg. & Viger. aduertant; hinc in respons. ad 5. loqués postea de vniuersali appetitu, & aptitudinali, expresiè significauit esse vnum, & indeterminatum ad omnes, & singulas formas.

Aduertimus, nos hic loqui de appetitu naturali, & innato, qui etiam naturis non cognoscentibus tribuitur, qui ex Doct. in 2. d. 1. q. 5. §. *Ad Argumenta &c.* est habitualis inclinatio naturæ in bonum sibi connaturale, quo sensu dicimus, graue appetere deorsum, leue sursum: quod etiam apertis verbis docuit Arist. 1. Phys. tex. 81. vbi ait: *Materiam appetere formam, sicut turpe pulcrum, & fœmina marē* dubium tamen est, quo sensu dicatur materia appetere formam, an scil. habeat huiusmodi appetitum erga formam in communi tantùm, an potius etiam erga formas in particulari, & rursus, si materia omnes, & singulas formas appetit in speciali, an æqualiter omnes, & singulas, an potius nobiliores magis. Et quidem quo ad primum dubium, iam resolutum est supra in articulo de potentia neutra, ideò solùm remanet determinandum de secundo.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, Materiam non æqualiter omnes appetere formas in particulari, sed magis appetere nobiliores. est Scot. loc. cit. in 4. vbi docet naturalem appetitum ad maiorē perfectionem esse maiorem, & ad maximam, qualis est Beatitudo, esse maximam, quod probat ex Arist. 1. Meth. sic arguente: si omnes homines natura scire desiderant, ergo maximam scientiam, qualis est Methaphysica, maximè desiderant ergo etiam in sent. Philosophi appetitus naturalis non est æqualis ad omnes perfectiones sibi conuenientes. Conclusio est contra Auersam q. 20. sec. 11. Ruu. tract. 1. q. 7. dub. 2. Amicū tract. 5. q. 7. dub. 3. & sequitur etiam Mastr. cum Bell. in Phys. disp. 2. q. 6. art. 2. contra aliquos etiam ex nostris, & contra plures PP. Cleric. Regul. citatos.

Probatur primò ex illo loco 2. Topic. quo vsus est Arist. 1. Meth. scil. in causis præcisis, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità magis ad magis, & maximum ad maximum, sed materia simpliciter appetit formam,

mam, quia forma est eius perfectio simpliciter, ergo magis appetit formam, quæ magis eam perficit, & maximè quæ est eius perfectio maxima. Tum quia hac eadem ratione Aduersarij ipsi asserunt, materiam appetetere formas, tàm substantiales, quàm accidentales, sed illas magis, & primariò, quia has appetit propter illas, iuxta illud axioma, Propter q̃ vnumquodq. tale, & illud magis, ergo etiam circa formas ipsas substantiales concedere debent in materia inæqualitatem appetitus, sicut inæqualitas perfectionis in ipsis formis reperitur. Eandem probari potest ex proportione ad appetitum elicitum, quo magis appetitur, quod maius est bonum, ergo seruata proportione idem dicendum erit de appetitu innato, quod scil. per modum pōderis ab Authore naturę inditi magis incliner naturam ad perfectionē maiorem.

Respondent Aduersarij negando paritatem. Et ratio est, quia appetitus rationalis sequitur cognitionem, & inter bonum, & malum discutit, atq. ideò appetitu ordinato semper appetit maius bonum; appetitus autem naturalis, quia non sequitur cognitionem, idcircò non habet discretionem perfectioris, & imperfectioris formæ. Non valet, quia etiam experimur in non cognoscentibus inditum appetitum erga propriam perfectionem, & auersionem erga contrariam, vnde videmus aquam refugere calorem, & appetere frigus. Tū quia naturalis inclinatio esse debet cum maxima rectitudine, cum ab Athore naturę immediatè indita sit, sed naturalis rectitudo postulat, vt bonum maius præferatur minori, ergo per modum ponderis natura magis propensa esse debet in maius bonum, quàm in minus; & quod gerit cognitio in naturis cognoscentibus, hoc natura suppleat in non cognoscentibus. Huius sent. sunt etiam Aliqui Augustinenses, vt videre est apud M. Bonherbam in Phys. 1. Dub. 12. fol. 96. ex Ægid. 2. sent. d. 12. q. 3. art. 4. vbi docet, quod materia magis appetit formas nobiliores, eo quia quo forma est nobilior minus habet contrarium, & magis satiat appetitum, seu sitim materiæ; Quod etiam hæc fuerit sent. D. Tho. habetur expresse 3. Contra gent. cap. 22. vbi ait: *quanto igitur aliquis actus est posterior, & magis perfectus, tanto principalius in idipsum appetitus materiæ fertur*. & licèt Thomistę variè intentum S. Doctoris interpretentur, vanum tamen est verba clara, & euidentia relinquere, & intentionem mentis remotissimam venari.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Materiam existentem sub nobiliori forma, ad huc appetere minus nobilem. est Scoti loc. cit. in 1. d. 1. q. 1. ad 4. vbi docet, nullam vnquam formam quantumq. perfectam satiare totaliter, & extēsiuè appetitū materiæ, nisi in illa omnes formæ inferiores includantur; & quia nulla de facto datur talis forma, quæ sic adæquatè continet perfectiones omnium formarum, hinc nunquam desinet appetere imperfectiorem quantumcumq. sub perfectiori existat. probatur ratione: Si materia non appeteret formam ignobiliorem dum est sub nobiliori, non poterit naturaliter nobiliorem amittere, & consequenter

quenter compositum ex illa resultās, homo V.g. compositus ex anima, quę est omnium nobilissima forma, erit incorruptibilis; probatur consequentia, quia corruptio formæ ex appetitu formæ non habitæ in materia deriuatur. Tum quia experientia videmus corruptionem compositi etiam si compositum imperfectius fiat, ergo ex appetitu formæ imperfectioris sequitur de facto corruptio perfectioris.

Obiectiones Contra Primam.

Ob. Potentia materiæ est indeterminata ad omnes formas, ità vt non magis vnam, quàm aliam recipere nata sit, ergo æqualiter etiam omnes appetit. probatur sequela, quia appetitus non differt à potentia naturali. ℞. distinguendo antecedens, potentia materiæ est indifferens, & indeterminata ad omnes formas, quatenus indifferentia excludit determinationem, concedo; quatenus excludit inclinationem maiorem vnam, dū modo adhuc inclinetur ad alteram, nego; & consequentia est nulla. appetit materia æqualiter omnes formas, vt ly æqualiter inclinationem determinatam excludit, non autem vt excludit inclinationem maiorem ad nobiliorem formam.

Ob. Quamuis figulus ex creta intendat efficere vas pulcherrimum, creta tamen ex se indifferens est ad pulchrum, vel turpe; ità in proposito, etiam si agens naturale perfectiorem formam intenderet, materia tamen indifferenter se habet. ℞. paritatem valere in hoc, quod sicut materia artificialium determinatur ab agente ad recipiendam hanc potius, quam illam formam, ità materia naturalium; cæterum non tenet, quia materia naturalium est in potentia naturali ad formas naturales, materia verò artificialium est in potentia neutra ad formas artificiales, ideo nihil. ità Doct. in 2.d.18.q.vn.B.

Ob. Si Materia magis ad vnam, quā ad aliam formam inclinetur, ergo transeundo à forma perfectiori ad imperfectiorem, aliquam violentiam sub ista pateretur, & ità non æquè naturaliter sub omni quiesceret, at hoc est falsum, ergo &c. ℞. negando sequelam, & ratio assignatur à Scotō in 1.d.2.q.1.in fine, vbi docet, quod quies violenta nunquam est, nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositum; hinc quia materia non habet inclinationem determinatam ad formam perfectiorem, estô maiorem ad eam habeat inclinationem, idcircò simpliciter, & absolutè loquendo, violentiam non patitur sub imperfectiori, & se declarat Doct. in 4.d.5. q.5. A. exemplo de graui, vbi ait: *graue appetit esse summè deorsum .s. in centro, & tamen non omne graue potest esse in centro, & si tolleretur impedimentum, esset summè deorsum, attamen non potest esse, sed facit se deorsum quantum potest & ibi naturaliter quiescit.* Ex his infertur, quod sicut lapis non quiescit violenter in superficie terræ, sed naturaliter, cum non sit extra sferā naturalis suæ perfectionis, quæ est vbi deorsum, ità materia non quiescit violenter sub forma imperfectiori, sed naturaliter, quia sic existens ad huc est intra latitudinem naturalis suæ perfectionis, veluti est qualibet forma; & ità naturaliter quiescit sub perfectiori, & imperfectiori forma, vt naturalitas exclu-

excludit violentiam, at non æquè naturaliter, vt naturalitas dicit maiorem, vel minorem inclinationem.

Ob. Materia respicit formas, vt faciat vnum per se cum illis, sed hoc æqualiter per omnem formam præstatur, ergo æqualiter omnes formas respicit. ℞. negando minorem, nam clarum est cū forma perfectiori, perfectius compositum constitui, & qñ etiam minor esset vera, ad huc cum illa a qualitate compositi, vt est vnum per se, stare posset in materia appetitus inæqualis respectu cōpositi nobilioris, ideò consequentia nulla.

Ob. Si materia formam nobiliorē appeteret, vnam tantum appeteret, quæ est omnium nobilissima, nempe anima rationalis, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. negando sequelam, cuius ratio est, quia cum appetitu maiori nobilioris formæ, stat quoq. appetitus ignobilioris, vt iam dictum est, & patet experientia, quia inclino naturaliter ad Episcopatum, & Papatum, & tamen vnus appetitus non destruit alium, quia adhuc benè quiescerem sub Episcopatu.

Ob. Ex hac sententia sequeretur, quod materia appeteret per se interitum formarum ignobilium. patet sequela, quia hæ sunt incompossibiles cum nobilioribus. ℞. negando sequelam, nam ità incompossibilis est forma ignobilior cum nobiliori, sicut duæ æquè nobiles, vel æquè ignobiles, vnde solùm sequitur, quod appetendo materia formam, quam non habet, sequatur interitus illius, quam habet per accidens, & indirectè.

Ob. In re indiuisibili non datur prius, & posterius, nec magis, & minus, nam hæc dicunt comparationē, quæ est inter plura; sed appetitus materiæ est vnicus, & indiuisibilis ad omnes formas, ideoq. incapax intēsionis, & remissionis, ac consequenter non potest suscipere magis, & minus. ℞. ad hoc argum. teneri etiam Aduersarios asserentes vno, eodēq. appetitu materiam appetere formam substantialem, & accidentalem, illam tamen magis, & primariò, hanc verò minus, & secundariò; dicimus igitur cum Mastr. & Bell. disp. 2. cir. ꝙ materia indiuisibiliter vno, & eodem respectu aptitudinali omnes formas respiciat tanquam terminum adęquatum, ille tamen respectus prius ex natura rei refert materiam ad formam perfectiorem, quàm ad imperfectiorem, & cum hac subordinatione asserimus magis materiam appetere formam perfectiorem, quàm imperfectiorem.

Contra Secundam ità obijcitur: Forma minus nobilis non est bonum, sed malum comparatione nobilioris, ergo non potest à materia appeti sub ista comparatione, quia malum non est appetibile. ℞. negando antecedēs, nam minus bonum comparatione maioris boni potius est simpliciter bonum, & solùm sñ quid malum, scil. comparatione maioris boni, ideòq. potest simpliciter appeti, bonum.n. habet suam latitudinem; vnde dignitas Episcopalis, quam simpliciter appeto, non est mala, licèt Papalis, quā magis appeto, sit melior.

Ob. Voluntas licèt sit libera, non eligit tamen minus bonum in comparatione maioris boni, ergo neq. materia appetet naturaliter formā imperfectiorem comparatione formæ perfectioris. ℞. negando assumptum,

S proba-

probabilius .n. est posse voluntatem eligere minus bonum, relicto maiori, ob suam libertatem iuxta illud Ouidij: video meliora, proboq. deteriora sequor. ità quoq. de materia asserendum erit, & tantò magis quia talis inclinatio naturalis in materia est absolutè ad omnes formas, licèt comparatione maioris perfectionis in vna, magis inclinetur ad hanc, quàm ad aliam; & quando etiã antecedens esset verum, ad huc neganda esset consequentia, cum magis lateat indifferentia materiæ primæ circa omnes formas, quàm volũtas circa proprium obiectum.

Ob. Supponamus, quod materia maneat perfecta, vt octo per aduentum formæ nobilioris, iam eius appetitus expletus censeretur quo ad omnes gradus inferiores. ergo non potest appetere formam ignobiliorẽ perficientem, vt quatuor, quia iam talis appetitus expletus supponitur per formam perficientem, vt octo. ℞. assumptum posse concedi de gradibus inferioribus eiusdem rationis, non alterius, atq. ideo negatur consequentia, nam gradus perfectionis, quos alia forma tribuit, licèt ignobilior, sunt alterius rationis, & consequenter non possunt virtualiter cõtineri in forma superiori ad explendum materiæ appetitum in ordine ad illos.

Ob. potentia intellectiua satiatur prorsus perfectissimo intelligibili .s. essentia Diuina, ergo et am potentia materiæ satiabitur perfectissima forma. ℞. negando paritatem, nam intellectus ideò satiatur in Diuina essentia, quia in ea reperitur in ordine ad alia obiecta non solùm primitas perfectionis, sed etiam virtualitatis, cum omnia obiecta contineat, forma verò perfectissima solùm habet primitatem perfectionis in ordine ad alias, quæ sine primitate virtutis non sufficit ad satiandum materiæ appetitum.

Ob. Quod materia nõ appetat formas in particulari. Vel materia appetit formam, quam habet, vel quã non habet, sed neutrum dici potest, ergo non appetit formas in particulari. patet mi. quo ad primam partem, quia nullus appetit, quod possidet, quia priuatio est causa appetitus ex Arist. in hoc primo tex. 8 1. patet etiam quo ad secundam, quia cum illam habere non possit, nisi per expulsionem illius, quam habet, appeteret corruptionem compositi, & etiã aliquo modo sui, quo ad illud esse specificum, quod à forma habita recepit. Tum quia causa appetitus formæ, quam non habet, esset præsertim eius priuatio, at hoc esse nequit, q̃ vnum contrarium non est causa appetitus alterius; nec simplex negatio, vel priuatio potest esse causa entitatis positiuæ, qualis est appetitus.

Præmittimus pro solutione, quòd appetitus materię solet accipi tripliciter scil. vel cum priuatione boni, idest formæ, & dicitur desiderium, nam desiderium est appetitus formæ non habitæ; vel cum eius possessione, & dicitur complacentia; vel sine, prout abstrahit, à priuatione, & possessione, & dicit tm̃ inclinationem in bonum sibi connaturale, siuè fuerit præsens, siuè absens. hoc præhabito.

℞. negando minorem, & ad probationem primæ partis, dicimus, quod

mate-

materia appetit appetitu complacentiæ formam, quam habet, quatenus naturaliter, & iuxta eius inclinationem sub ea quiescit, & priuatio non est causa complacentiæ sed desiderij. quo ad probationem alterius partis, dicimus, quod materia appetit formam, quam non habet, appetitu desiderij, quia nos appetimus tm̃ quæ non habemus, & in hoc sensu locutus fuit Arist. cum ait materiam non appetere formam, quam habet. Nec sequitur ex hoc appetere corruptionem sui, vel compositi, nam eius appetitus tendit in formam, vt perfectionem sibi connaturalem, præscindendo ab hoc, quod sit præsens, vel absens, & corruptio sequitur solùm per accid. quatenus ad formam habendam, consequitur priuatio formæ habitæ. Ad aliam probationem dicimus, quòd priuatio est vtiq causa appetitus, non tamen secundum se, prout dicit positiuam inclinationem materiæ in formam, sed in ratione desiderij præcisè, in quo sensu non dicit quid positiuum. Et licèt vnum contrarium positiuum non possit esse ratio appetendi aliud, id tamen esse potest in priuatiuis. Et tandem verũ est, materiam per accid. scil. ratione priuationis connotatę appetere formam appetitu desiderij, per se autem, & sm̃ propriam naturam appetit illam, vt appetitus dicit absolutã inclinationẽ in ꝓpriam formã. Hinc notamus, ꝙ cũ dicimus materiã sibi complacere, & quiescere in forma præsenti, & appetere absentem, aliud in re non est, quàm habere de se potentiam, & aptitudinem ad omnes, & vnam habere actu, alia non habere actu, quod nullam inuoluit repugnantiam; nec ratio cur absentem appetit, est quia fastidit præsentem, sed quia non tm̃ ad istam, quam possidet, sed etiam ad alias aptitudinem dicit, vt benè Auersa cum Alijs aduertit.

Quæres, An sicut Materia dicitur appetere formam, ità dici possit formam appetere materiam. ℞. affirmatiuè, & ratio est, quia sicut formæ tribuitur potentia informatiua idest aptitudo ad informandum, ità etiam suo modo tribuere ei debemus appetitum. Tum quia appetitus, vt hic accipitur, nil aliud est, quàm inclinatio, forma autem etiam inclinatur naturaliter ad materiam, vt in suum Subiectũ perfectibile ex Scot. quol. 13. in fine; & quod etiam in vnione ad materiam aliqualem acquirit perfectionem, docuit Scot. in 2. d. 14. q. 1. versus finem. tribuitur tamen absolutè potius materiæ, quàm formę, quia hæc est actus perficiens, & determinans materiam, non sic materia erga formam, & ità Philosophus intelligendus est 1. Phys.

D V B I V M.

De Vnitate specifica materiæ an sit positiua, vel negatiua.

Thomistæ, quia materiæ omnem actum etiam entitatiuum denegant, asserunt non esse sm̃ se vnam specie positiuè, sed tm̃ negatiuè per negationem omnium formarum distinguentium, ex D. Tho. 1. p. q. 16. art. 7. Differunt tamen Thomistæ in modo explicandi hanc doctrinam. Eorum fundamentum est, quia materia non includit in se principium aliquod proportionatum, vnde talis vnitas, vel pluralitas sumatur, quia

hoc principium esse debet aliquis actus, & materia caret omni actu; & quia suum esse specificum à forma sumit, ex ordine ad diuersas formas specificè multiplicatur. Sic etiã loquuntur de vnitate numerica, nam singulæ materiæ, quæ varijs formis substant, sunt vna numero materia negatiuè, quatenus nullum habent in se principium indiuiduationis intra secum, per quod distinguntur; quare materiæ non concedunt vnitatem positiuam, nisi trascendentalem, & analogam, prout præcisè importat entitatem non diuisam. ità Masius 1. Phys. cap. 9. sec. 2. q. 13. Complut. & Ioan. de S. Tho.

Sed iudicio meo melius ad hoc dubium Scotistæ Resp. ponentes materiam vnam specie positiuè. Et ratio est, quia Materia est ens positiuum, ergo etiam vnitatem positiuam habere debet, estò incompletam, quia passio proportionari debet suo subiecto, & vnitas est passio entis. Tum quia sicut concedunt materiæ vnitatẽ trascendentalem positiuam, quia est ens positiuum, ita etiam concedere debeat vnitatem specificam positiuã; licèt .n. de se nullum habeat esse specificum prædicamentale, & completum, tñ sub genere entis, & substantiæ, trascendenter acceptæ est quædam entitas positiua substantialis potentialis, & per hoc essentialiter à forma distinguitur, ergo de se vnitatem habet specificam positiuam, probatur consequentia, nam ratio potẽtialitatis ita est formalitas positiua in materia, sicut ratio actualitatis in forma, ergo &c. & idem asserendum erit de hac, & illa numero materia, quod singulæ, habeant vnitatem suam numeralem positiuã per prorias hęcceitates, & non à forma, quia etiam secundum Thomistas subiectum non indiuiduatur per formam, sed potius è contra; nam forma hæc numero, supponit hanc materiam numero. Et opinio Complut. asserentium, materiam ratione suæ naturæ potentialis posse esse successiuè in diuersis speciebus sibi intrinsecis, & essentialibus, est ità insulsa, & improbabilis, vt etiã ipsi Thomistæ respuant, vt videre est apud Ioan. de S. Tho. q. 3. art. 4. & Manea q. 4. qui fatentur, materiam semper habere, & retinere eamdem speciem intrinsecam in quocumq. cõposito inueniatur, & rationem illius speciei completæ solùm participare denominatiuè per denominationem formæ informatis, non participatione intrinseca, quæ est doctrina Scotistarum.

Sed vrgent Complut. Materia tñ se non includit intrinsecè tale principium vnde sumatur vnitas specifica, sed tantùm, vt actuata per formã, ergo non potest esse vna vnitate specifica positiua. conseq. est clara. assumptum probatur, nam principium talis vnitatis proximum est differentia, quæ cum habeat rationem actus Methaphysici, sumitur ab actu Physico, quæ est forma. ℞. negando anteced. cum sua probatione, quæ tñ valet de vnitate specifica completa, non incompleta, qualis est species materiæ, quæ vt a cæteris distinguatur, non oportet, vt constet ex genere, & differentia, quia non distinguitur a ceteris, vt species completa, sed vt pars speciei incompletæ.

Potest etiam constare ex genere, & differentia, si prædicamentum substantiæ

stantiæ ampliatur, ità vt apex eius sit substantia finita comprehendens completas, & incompletas, vt supra dictum est quo casu non opus esset differentiam sumi ab entitate Physica, quæ habet rationem actus informantis, sed sufficeret, quod haberet rationem actus entitatiui. ità Bell. & Mastr. disp. 2. Phys. q. 4. art. 1. nu. 65. posset etiam dici cum M. Bonherba in Phys. de Principijs Physicis in particulari Dub. 4. quod materia potest dici species, & natura completa saltem sm̃ modum, quatenus vna, & eadem res habens suum modum essendi realem, est composita ex duplici gradu scil. ex essentia, & modo essendi, nam Materia, quæ essentialiter est quædam res, habet etiam suum realem modum essendi, qui est esse in potentia, & non distinguitur essentialiter ab ipsa materia, & quocunq; modo accipiatur semper dicit conceptum positiuum.

ARTICVLVS QVARTODECIMVS.

De Modo quo formæ substantiales fiant ex Materia.

SCot. de hoc quæsito differit in 2. d. 18. q. vn. & alibi de quo tres extant opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema asserit, formam ante eius generationẽ, præxistere in materia actu, vt tamen latentem, sed postea actione agentis naturalis quasi in lucem extrahi, & à materia depromi; non tamen omnes huius sentent. Tutores eodem modo loquuntur, nam aliqui voluerunt, formam totaliter præxistere cum Anaxagora. Alij non totaliter, sed sm̃ aliquam sui partem, quæ sit veluti inchoatio eiusdem formæ, ità Soncin. 7. Meth. Alij, quod forma in materia præcedat sm̃ esse essentiæ, & fiat de nouo sm̃ esse existentiæ, vt Albert. tract. 3. Phys. c. 3. Alij affirmarunt, q̃ forma non præcedit in materia quo ad aliquod esse actuale, sed quo ad purum esse possibile, quod deinde in gẽn. conuertitur in esse actuale eiusdem, ità Bacconus in 2. d. 18. q. vn. art. 2 sed per hoc esse possibile intelligunt potius obiectiuum, quàm subiectiuum, & in hoc, sententia hæc à prima recedit. Alij dicunt formas esse in materia per aliquam quietẽ Ita Insinuat P. Aresius Cler. Regul. ex Arriaga. Secunda sententia extrema affirmat, formas ante generationem nullo modo præxistere in materia nec actu, nec potentia, sed solùm contineri in potentia, & virtute superioris agentis actiua, à quo producentur, & à quo etiam deinde immediatè vniantur materiæ V. g. dum generatur ignis ex ligno, forma ignis non præxistebat in materia nec actu, nec potentia, sed ipsa materia disponitur ab alio igne per calorem, & siccitatem, in qua sic disposita producitur forma ignis à quadam intelligentia, & fit generatio nouis ignis; eodem modo, quo nos asserimus euenire in gen. hominis, in quo homo generans per virtutem seminalem disponit materiam, qua sic disposita, producitur anima rationalis à solo Deo, ità vt anima nec actu, nec potentia in materia præcesserit, sed solùm in virtute, & potentia Dei eam producentis, quæ opinio tribuitur Platoni in Phædone, & amplexus fuit Auic. lib. 1. suff. c. 2. vbi voluit, nullo modo formas præcedere in materia

teria, sed solùm in virtute, & potentia illius intelligentiæ, à qua in materia producuntur. Tertia media, quæ in Peripat. schola comunis est, duo contra has opiniones extremas asserit; Vnum, quod forma ante generationem rei naturalis non præcedit actu in materia, & est contra primam; alterum, quod præcedit in potentia passiua materiæ, & non tm̃ in virtute agentis, & est contra secundum.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, formas ante generationem non præexistere actu in materia sm̃ aliquod sui esse. est Scot. loc. cit. in 2. & contra primam sent. quæ ità primò probatur: Materia prima in generatione transit de non esse formæ, seu de priuat. ad formam, ergo forma ante generat. nec sm̃ se totam, nec secundum aliquid sui in materia præcedit, neq. quo ad esse essentiæ, neq. quo ad esse existentiæ, priuatio.n. & forma se totis opponuntur tàm sm̃ essentiam, quàm sm̃ existentiam, & incompossibiles sunt in materia quo ad quemlibet gradũ. Nec respondere valet, quod forma, & priuatio sunt incompossibiles tm̃ sm̃ esse perfectum, & completum, non autem sm̃ esse imperfectum, & incompletum; nam forma substantialis est simplex, & non habet partes intensionis sm̃ quas modo dicatur incompleta, modo completa. Tum qa priuatio prorsus impossibilis est cum forma etiam in gradu remisso. Tum quia fundamentum oppositę sent. nullius est roboris, quod tale erat: Si forma non pręcedit in materia secũdum vllam prorsus inchoationem, ergo forma creatur, & fit ex nihilo; quod argum. ità Scot. retorquet: Illa pars formæ, quæ de nouo producitur non præcessit in materia, quia de nouo generatur, ergo fit ex nihilo, qa pars, seu inchoatio præcedens distinguitur ab illa, ergo illa pars ad huc crearetur. Quod si dicas ad hoc ne tota forma dicatur ex nihilo facta, sufficere, vt aliqua eius pars in materia præcesserit; præstabit etiam dicere ad hoc ne compositum dicatur ex nihilo fieri, sufficere, vt aliqua eius pars scil. materia præcedat, licèt tota forma de nouo fiat.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. formas materiales non fieri sola virtute agentis separati, & solùm ab agente immediato vniri materiæ. est etiam Scoti, & contra alteram extremam sententiam, quæ ità probatur; si hæc doctrina esset vera, omnes formæ materiales dicerentur etiam creari, non minus quàm anima rationalis, quod est falsum patet, nam quod formæ sint in potentia actiua superioris agentis, non tollit creationem earum, licèt fiant in materia actione immediati agentis iam disponentis, quia vtrumq. euenit in productione animæ rationalis, quæ ante generationem est vtiq. in potentia actiua Dei, à quo non fit in corpore, nisi postquam ab agente naturali proximo dispositum fuerit; quibus omnibus non obstantibus, ad huc verè creari dicitur, ergo hoc idem de formis materialibus asserendum erit, si nullo modo in materia præcesserint, sed solùm in virtute actiua agentis. Tum quia quando eiusmodi formæ dicuntur fieri per veram eductionem de potentia materiæ, adhuc neq. ad Celum, neq. ad aliquam Intelligentiam

tiam

tiam etiam ad primam recurrere cogimur; nam licèt talis recursus admitti possit ad Deum, vt naturæ Authorem in eductione animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ; ad eductionem tamen aliarum formarum inferiorum sufficit agens immediatum V.g. ignis, introducto prius calore, & siccitate in ligno, sufficientissimus est ad educendam ex eius materia formam ignis, quia virtus huius agentis est vniuoca, & æquè perfecta. ac forma in materia introducenda, ergo agens naturale, quod immediatè copulat, & vnit formam materiæ ipsum etiã immediatè eam de potentia materiæ educit. Et Opinio Auicennæ de Colchodea datrice formarum olim damnata fuit per articulum Parisiensem, vt refert. Tromb. loc. cit.

Ex his probata remanet tertia sententia Peripatetica, quod scil. forma præcedat in potentia passiua materię virtute agentis per eductioné. Quid autem sit formam educi de potentia materiæ art. sequenti patebit.

Obiectiones.

Ob. Contra primam Conclusioné authorit. Arist. 7. Meth. 29. vbi docet. in materia esse aliquam partem rei faciendæ. & D. Aug. 3. de Trinit. ait. *omnium quæ nascuntur occulta quædam semina in mundi elementis latere.* ergo &c.

℞. Arist. ibi nec loqui de materia, nec de formarum inchoationibus, sed loquitur de semine; & per partem coagentem generationi formæ, intelligit virtutem quamdam accidétalem, quo sensu ait ibi Arist. quod calor naturalis in ægroto est vis inchoata productiua sanitatis. quæ est doctrina Scoti in Meth. super eumdé tex. & sequuntur Tromb. 12. Meth. q. 6. Suar. in Meth. disp. 15. sec. 2. Bell. & Mastr. hic, & Alij. Ad D. Aug. ℞. per rationes seminales occultas, intelligere facultates, & virtutes naturales causarum agentium. & patientium, ex quarum applicatione adinuicem varij oriuntur effectus.

Ob. si nulla admettatur inchoatio formæ in materia, ergo forma fieret ex nihilo, quod est falsum. ℞. cum Scot. loc. cit. negando sequelam, & ratio est, quia propriè produci ex nihilo, non solùm negat præxistentiam partis formalis intrinsecæ componẽtis, sed etiam præexistentiam subiecti per se concurrentis ad productionem formæ, quæ fit; cum igitur formæ omnes materiales supponant subiectum, à quo dependenter fiunt, non dicitur fieri ex nihilo, sed educi de potentia materiæ, & generari.

Ob. Ex quolibet non fit quodlibet, sed ex determinato determinatum ex 1. Phys. ergo ex materia indeterminata, fit hæc forma, vel illa per determinationé factam ab hac, vel illa inchoatione. ℞. negando cõsequẽtiam, nam materia determinatur ab agente per præuias dispositiones, ratione quarum potius vna forma introducitur, quã alia in materia, absq. necessitate taliũ inchoationum.

Ob. Si ad hoc, vt forma dicatur educi de potentia materiæ non requiritur, vt actu præxistat in ea, sed tantum merè in eius potentia passiua, sic anima rationalis dici posset educi de potentia materiæ, cum in ea præxistat non actu, sed potentiæ: imò nec posset reddi ratio, cur potius forma dicatur educi de potentia passiua materiæ, quàm de actiua agentis. ℞. negando

gando sequelam, & ratio est, quia sunt quædam formæ, quæ in suo esse iuxta earum exigentiam, ità à materia pendent, quod nisi ab ea recipiantur, & in ea sustententur, non possunt naturaliter fieri, & conseruari; & hac de causa dicuntur non solùm esse in virtute agentis, sed ad eorum generationem, & conseruationem requiri quoq. materiam, & tales sunt formæ omnes naturales; at anima rationalis non pendet à materia in fieri, nec conseruari, & ideò dicitur tota esse in potestate agentis. Tum quia anima rationalis est in potentia materiæ receptiua tantùm, cæteræ autem formæ sunt in potentia receptiua eius, ac etiam eiusdem sustentatiua, idcirco illę dicuntur educi de potentia materiæ, non verò anima rationalis. Dicitur autem forma educi de potentia materiæ potius, quàm de potentia actiua agentis, quia eductio significat habitudinem causę materialis, ità quod illud, ex quo forma educitur sit subiectum sustētatiuū eiusdem formæ, non autem causæ efficientis.

Arguitur Contra Secundam: forma ante generationem, vel erat actu in materia, vel solum in potentia; vel nullo modo. non primum, vt iam probatum est; neq. secundum, nam esse in potentia materię ante generationem nihil aliud est, quàm esse potentiam materiæ ante generationem; at hoc nō est præexistere aliquo modo formam, sed solùm materiam capacem formæ, ergo tertium concedendum erit, quod scil. ante generationem non præxistat vllo modo forma, sed solùm materia, potens eam recipere, quòd etiam de anima rationali fatendum est, ante cuius productionem datur materia, potens eam recipere. &. concedendo, quod forma præfuit in potentia materiæ, at ꝙ formam præcedere in potentia materiæ, sit solùm ipsam potentiam præcedere, negatur, sed requiritur, vt potentia materiæ ità præcedat, à qua nata sit dependere formā in esse, fieri & conseruari, sicut actu dependet quādo actu educitur de potētia eius; & in hoc sensu falsum est, animam ante eius productionem in potentia contineri. Sed quia hodie hęc sent.ē scholis eliminata est, hæc pauca pro Tyronibus sufficiant. De origine autem animæ vegetantis, & sentientis agetur in lib. de anima.

ARTICVLVS QVINTODECIMVS.

Quod sit forma educi de potentia materiæ.

Scot. dubium hoc resoluit in 4.d. 1.q.1.ante lit. Hh. & Ii. & sępè alibi. pro cuius intelligentia supponimus tamquam certum apud omnes (quicquid dicat Ferchius) formas materiales educi de potentia materiæ, significare in suo esse fieri necessariò, & conseruari dependenter à materia. Sed quia hæc explicatio ad hue obscura remanet, quia eadem ratione aliquis dicere posset, compositum quoq. educi de potentia materiæ, cum etiam ipsum in suo esse, fieri, & cōseruari à materia dependeat, hinc varij Authores, varios explicandi modos excogitarunt.

Ragusęus disp. 16. Cap. 15. asseruit, formam educi de potentia materiæ aliud non esse, quàm educi de eius potentia proxima, quam ibi explicat esse

esse, qualitatem vltimò disponentem materiam ad receptionẽ formæ. Non placet, nam vel per hoc intelligit, quòd ipsa forma introducatur in materia, vltimatè disposita à Cælo, quod ipse putauit esse genitorem omnium formarum inferiorum, & in hoc sensu decipitur; nam anima rationalis inducitur in materia vltimatè disposita per agens naturale, cuius dispositiones introductæ exigunt ab Authore naturæ talem formam, & tamen adhuc anima rationalis creari dicitur: Vel intelligit, quod illa qualitas vltimò materiam disponens concurrat verè materialiter ad productionem substantialis formæ, & fallitur, nam accidens vniuersaliter substantiam non attingit, vt suo loco videbimus. Tum quia si forma substantialis à tali qualitate educeretur, in tali quoq. qualitate immediatè reciperetur, & sustentaretur, cum forma materialis immediatè recipiatur, & sustentetur in eo, ex quo educitur. Sed hoc est falsum, quia forma cum illo ex quo educitur facit vnum, ergo si forma substantialis recipitur in accidente, faciet vnum per accidens, non vnum per se.

Gerardus de Odonis putauit, formas educi de potentia materiæ aliud non esse, quam educi de potentia materialium agentium, quæ semper agunt dependenter à materia, & ideò anima rationalis nõ dicitur educi de potentia materiæ, quia non continetur in virtute agentis materiali, & in actione à materia dependentis. non valet, quia iuxta hunc dicendi modum, eductio attenditur penes agens in agendo necessariò à materia depẽdens; at hoc nõ est verum, nam Deus immediatè educere potest formã de potentia materiæ, sicut de facto educit sensitiuã, & vegetatiuã, ergo &c.

Suar. in Meth. disp. 15. sec. 2. affirmat, formam educi de potentia materiæ, aliud non esse, quàm formam, fieri eadem actione, qua fit compositum ex præiacente materia, quod probat inductione in omnibus formis, quæ educuntur de potentia materiæ, omnes .n. huiusmodi formæ fiunt eadem prorsus actione, qua fit compositum, vnde ex 7. Meth. tex. 26. earum fieri est propriè confieri. Probat ratione, nam eductio in hoc consistit, quod sit actio à materia essentialiter dependens, per hanc verò actionem productiuam compositi simul forma fit, & vnitur materiæ, ergo eductio formæ de potentia materiæ benè per illam actionem declaratur. Non satisfacit, & ratio est, quia qualibet forma per se fit, & propria productione producitur, vt benè Lych. aduertit in 2. d. 17. q. 1. cum .n. forma sit causa compositi, vtiq. necessarium est, vt prius ipsa habeat esse in rerum natura, quam compositum; & quia per se est terminus generationis, debet propria acquisitione acquiri, & non solùm per accid. ad productionem compositi. Et quã Arist. ait, formam non fieri, sed confieri, & non per se produci, sed ad productionẽ compositi, Resp. Tròb. 12. Meth. q. 5. duplicem esse productionem, alteram, qua res accipit esse simpliciter, & primò recedit à non esse, siuè illa res accipiat esse simpliciter in se existens, siue in alio; alteram, qua accipit esse simpliciter, & per se subsistens, in quo sensu productio dicitur esse solius compositi in se

in se existentis, vel subsistentis; loquendo igitur de productione secundi generis, forma non per se producitur, sed per accidens ad productionem compositi, sicuti etiam in hoc sensu non per se existit, sed per accidens ad productionem compositi; loquendo autem de productione primi generis per se producitur, & prius terminat productionem, quàm compositum, quod etiam Scot. docuit in 4.d.13 q.1.§. *Ex dictis &c* vbi actionem compositi vocat productionem; illam verò, qua forma accipit esse, appellat eductionem. Anima verò rationalis speciali quodam modo dicitur prius natura produci composito, quàm cæteræ formæ, vt benè hic Mastr. & Bell. aduertunt, nam vbi aliæ formę dicuntur prius natura produci composito, loquendo de productione primi generis, anima tñ quantum de se est, potest etiam terminare prius productionē secundi generis, sicut etiam suapte natura nata est in se existere extra corpus, quod alijs formis non competit.

Tum quia non ex hoc, quod forma fiat in materia, inferre debemus, quod educatur de potentia materiæ, quia non quodlibet fieri in materia est educi de potentia materiæ, sed fieri necessariò dependenter ab ea; hinc licèt anima immediatè à Deo in corpore producatur, ità vt in nullo signo prius in se productionem terminet, non obid de materia educta dici debebit, quia non ità petit necessariò produci. Et licèt verum sit, omnes formas materiales eadem actione produci, qua compositum, loquendo de productione secundi generis, non propterea dici debent educi, quia anima rationalis sic produci potest, ità vt in nullo priori terminet illam actionem in se, & tñ non diceretur educi.

Conimb. 1. Phys. cap. 9. q. 13. art. 5. volunt ad rationem eductionis requiri, vt materia ordine durationis formam præcedat, in quo priori, forma contineri dicatur in potentia materiæ, vnde consequenter asserunt eductionem fieri per mutationem subiecti transeuntis de priuatione ad formam; & si forma fiat in eodem téporis instanti cum materia, talem formæ productionem, vocant concreationem, ad differentiam creationis propriæ, quæ terminatur ad rem in se existentem; & ad differentiam eductionis, quæ subiectum supponit duratione præcedens. probari potest, quia ad formæ productionem requiritur præuia alteratio, quæ non fit in instanti, sed successiuè. Tum quia eductio petit, formam contineri in potentia materiæ, sed eadem forma non potest simul esse in potentia materiæ, & in actu, ergo prius tempore erit in potentia, postea in actu.

Non quadrat, nam formam educi de potentia materiæ, est dependere ab ea in esse, & fieri in genere causæ materialis, sed prioritas causalitatis, vt sic dicit prioritatem naturæ tm, non temporis ex Doct. in 1. d. 39. lit. E. ergo, vt dicatur formam educi de potentia materiæ sufficit in materia prioritas naturæ. Tum quia, vt Auersa aduertit q. 20. sec. 7. fieri potest, vt in eodem instanti subiectum creetur à Deo, & forma fiat ab alia causa creata; creetur V.g. aer à Deo, & in eodem instanti illuminetur à Sole, tunc lumen dicetur educi à sole ex po-

ex potentia materiæ, seu subiecti, nõ à sole concreari, quia nulla causa secunda concreare potest. Tum quia licèt de facto ità sit, quod forma non introducitur in materia, nisi prævia alteratione, id tñ non procedit ex natura eductionis, sed formarum ipsarum, quæ contrarias dispositiones in materia expostulant, absolutè tñ si materia à Deo in instanti disponeretur, posset & Deus, & agens naturale in eodem instanti, formam illis dispositionibus proportionatam de potentia materię educere. Tum quia multa sunt accidẽtia quæ substãtias comitantur, & ab eis dimanant in eodem primo instanti, in quo res illæ in lucem prodeunt, & certũ est talia accidentia non creari, cum illis substantijs, vt subiecto inhæreant, ergo verè educuntur in eodem instãti absq. vlla subiecti mutatione de priuatione ad formam, & tandem cum dicitur formam contineri in potentia materiæ, non intelligitur, quod potentia necessariò dicat ordinem prioritatis ad actum, & negationem formæ, hoc .n. accidit materiæ, quòd coniunctum habeat actum, vel non; sed sicut per hoc, quod effectus continetur in potentia causæ, significatur tñ virtus causæ ponendi effectum, sic in proposito, cum dicimus formã cõtineri in potentia materiæ.

Alij ad rationem eductionis exigunt, quod fiat ex potentia naturali subiecti ad illam formam. ità Auersa q.20.sec.7.& Ioann. de S. Tho. Non placet, nam etiam materia est in potentia naturali ad animam, cum dicat ad illam naturalem inclinationem, & tñ non educitur ex eius potentia; & Multi etiam ex Recentioribus affirmant, gratiã & alia dona supernaturalia educi ex potentia animæ, & tñ negant in anima potentiam natura ē ad illam, admittentes tñ potentiam obedientialem. Tum tandem, quia etiam calor educitur de potentia aquæ, sicut etiam aliæ formæ violentæ de subiectis, in quibus contra eorum inclinationem recipiuntur, cum ad huc sint in eis per veram inhæsionẽ, & verè ab eis sustententur, ergo parum refert, quod eductio formæ fiat ex potentia naturali subiecti ad illã. & per idem resp. ad Fuent. qui requirit, vt saltem subiectum sit in potentia neutra.

Conclusio.

Dicimus igitur, formam educi de potentia materiæ, nihil aliud esse formaliter, quàm eius esse necessariò fieri, & esse in materia, in qua recipiatur, & à qua sustentetur. est Scoti in 4. cit. vbi præsertim lit. LI. prosequens discrimen inter formam materialem, & immaterialem, sic arguit: forma materialis dependet in essendo à materia, ergo, & in agendo. quibus verbis innuere voluit, non sufficere ad rationem eductionis solam receptionẽ formæ in materia, sed requiri adhuc, vt à materia dependeat, & sustentetur, ità vt si esset aliqua forma, quæ vtriq. fieret, & esset in materia, tñ ab ea non dependeret, nec sustentaretur, talis forma non diceretur educi de potentia materię, requiritur .n. ex parte materię vterq. concursus, receptiuus scil. & sustentatiuus, & vnus sine altero non sufficit; Vnde quia Corpus respectu animæ rationalis exercet tñ concursum receptiuum, & non sustentatiuũ, idcircò non dicitur educta de poten-

tia materiæ. Et Si Verbum immediatè accidens assumeret, illud vtiq. sustentaret, sed quia non reciperet, hac ratione tale accid. non diceretur educi de potentia Verbi.

Sequuntur Scotistæ, vt de mente Doct. Canon. 2. Phys. 9. 1. Bassol. in 2. d. 18. q. vn. art. 2. §. *& ità dico &c.* Tromb. q. de immortalit. animæ art. 2. Bell. & Mastr. disp. 2. Phys. q. 7. art. 2. & fuit aperta sententia Tatar. lib. 1. Phys. fol. 30. Quarto Sciendũ, Ioã. Ponc. in Phys. lib. 1. disp. 4. nu. 26. & 27. ꝙ saltẽ quo ad substantiam est nobiscum. quomodo ergo dicit Furchius, quod hæc doctrina de formarum eductione sit potius ex Thomistis, quàm ex Scoto, & Scotistis, desũpta? Sequitur Auersa q. 20. de materia, & forma sec. 7. item Arriag. d. 3. Phys. sec. 5. & est communissima apud Recentiores; & opinio Ferchij est singularis, & contra communem, vnde saltem extrinsecè est spernenda. Vult iste Doctor, quod nulla forma materialis substantialis sit educta de potentia materiæ, sed sola anima rationalis, & multa contra Mastr. insumit. sed quia illa potius ad conuitia spectant, quàm ad veritatẽ indagandam, parum facimus. Debent Alumni Tanti Doctoris ea modestia vti, qua semper eius Preceptor inter alios Doctores vsus fuit, qui in euellendis eorũ placitis, nũq. ex eius ore verbum prolatum est, ꝙ liuoris, aut contumeliæ, vel supercilij redoleret; sed tanta modestia, venustate, ac religiositate Aliorum sententias confutat, & vt plurimum suppræsso nomine Aduersariorum, vt ex hoc solum (qñ alia non essent) rectè ostendatur inter Authores, esse Authorum Magistrũ, & Exemplar: rationum pondus Eruditi ponderãt, non conuitia, & clamores. Virtutum non est honesta contentio.

Obiectiones.

Ob. Si dependentia formæ à materia per solam naturæ prioritatem impedit, ne forma dicatur creari, cõpositum ipsum nõ poterit à Deo per creationẽ produci, nã licèt eius partes simul in eodem instanti cum ipso producantur, semper tñ censentur priores natura ipso toto. ℞. cũ Mastr. & Bell. locis cit. concedendo compositum sm̃ suam entitatem, quam dicit à partibus distinctam, non posse propriè creari, sed tm̃ creari dicitur per ipsam creationem partium, & præcipuè materiæ, quæ tunc primò facta est; & fuit doctrina Scoti in 2. d. 1. q. 5. T. qua ratione compositum dicitur creatum, & forma concreata, quatenus est simul facta cum creatione materiæ, estò reuera forma in se considerata, sit educta de potentia materiæ, & compositum ex partibus generatum.

Est etiam hic valde aduertendum id, quod Scot. docuit in 4. d. 43. q. 2. vbi ait, quod alia actione producitur anima, alia actione vnitur, in quo differt à cæteris formis, quæ eadem actione producuntur, & vniuntur; per quæ verba noluit significare ex parte animæ, quod sit in aliquo signo etiam naturæ existens, & non in corpore, quia hoc falsum est, cum existentia rei, & productio non mensurentur per instans naturæ; neq. ex parte aliarum formarum, quod eductio, & vnio sit vnus, & idem respectus; & pariter actio actiua, & eductiua sit eadem actio, nam ipse manifestè

festè oppositum docuit in 4. d. 13. q. 1. §. *ex dictis &c.* & ratiò est sæpius assignata, quia eductio est respectus intrinsecus adueniens, vnio verò extrinsecus; sed in tantum dixit, Animam alia actione produci, alia vniri, quia prior actio non necessariò simpliciter pendet à secunda ex intrinseca ratione animæ, quia potest in se produci, & non vniri; è contra verò cæteræ formæ licèt diuersa actione producantur, & vniantur, prior tñ actio prorsus à secunda dependet, si iuxta earum exigentiam producãtur, nam ità produci postulant, vt ipsum agens producendo vniat, & vniendo producat, & hac ratione dicitur, eadem ratione produci, & vniri: ità explicant Bell. & Mastr.

Ob. Aliqui: Anima rationalis naturaliter habet fieri in materia, ità vt si extra materiam fieret, miraculum censeretur, non secus ac si extra materiam forma materialis fieret, ergo vel nulla, vel vtraq. forma tàm materialis, quàm anima dici debet educi de potentia materiæ. ℞. Animam rationalem dici fieri naturaliter in materia, quatenus illam exigit, vt conditionem concomitantem eius naturalem statum, quod inde patet, quia post corporis solutionem, ad huc anima conseruatur absq. miraculo, q' non euenit de forma materiali, quia hæc materiam exigit, vt causam suæ existentiæ, à qua pendet quo ad sustentari, ideò maius miraculum esset si extra materiam fieret, in qua petit non solùm recipi, sed etiam ab ea sustentari, quod non asserimus de anima rationali.

ARTICVLVS DECIMO-SEXSTVS.

An omnes formæ materiales eductæ sint dè potentia materiæ etiam formæ Cœlorum, & elementorum.

SCot. in 2. d. 17. q. 1. de omnibus iã relatis resp. affirmatiuè, quẽ cõmuniter sequuntur Scotistæ, & complures, ex Neuthericis, & quidem de formis materialibus in his inferioribus, nullum est dubium, sed cõtrouersia excitatur à Recentioribus de formis Cœlorum, & elementorũ, an scil. in prima mundi constitutione huiusmodi formæ fuerint de potentia materiæ eductæ, an potius productæ ex nihilo, per partiales creationes, vel saltem ad creationem cõpositorum concreatæ. Affirmant Aliqui, tàm formas Cœlorum, quàm Elementorum, de potentia materiæ eductas fuisse; ità Vasq. 1. p. q. 45. art. 5. Auersa q. 20. sec. 7. Ruu. 1. Phys. tract. 2. q. 2. Hurt. disp. 4. sec. 2. Molina, Fasolus, Tellez, & Alij. ex opposito Alij negãt, Conibr. 1. Phys. c. 9. q. 12. art. 5. Fons. 5. Meth. cap. 2. q. 4. Bernardinus Mazziocta, & Alij. Suar. disp. 15. Meth. sec. 2. mediat, asserens, formas elementorum fuisse vtiq. eductas, non autem formas Cœlorum. Thomistæ sunt Diuisi, Aliqui .n. sunt cum Scoto, vt Magistr. Tamariz, & Ortiz, ex quadam D. Thomæ authorit. opusc. 42. cap. 15. vbi manifestè ait: *Corpus Celeste consequutum est esse per eductionem suæ formæ de propria potentia materiæ essentialiter, ergo natura corporis est, quod forma, qua constituitur educatur de potentia materiæ.* Aliqui Thomistæ, cum Caiet. negant illud opus esse

esse D. Tho. sed potius ab aliquo Docto Thomista compositum; ac proinde pro opposita sent. aiunt stare D. Thom. ex 1. p. q. 65. art. 3. & 5. sed quicquid sit de opinione D. Tho. decisio nostra sit.

Conclusio.

Dicimus, formas omnes substantiales (anima rationali tm̃ excepta) etiam Cœlorum, & Elementorum esse de potentia materiæ eductas. est Scoti, & Scotis. & Doct. primo loco cit. Probatur quo ad primam partẽ: omnis huiusmodi forma est intrinsecè dependens à materia, ergo omnis forma materialis educitur de potentia materiæ. consequentia est clara, antecedens probatur: nam si aliqua illarum esset à materia independens, non esset amplius materialis, sed incorruptibilis, qua ratione præsertim ostenditur spiritualitas, & immortalitas de anima rationali, quia scil. est actus per se subsistens, & à materia independens.

Probatur etiam de formis Cęlorũ, & Elementorum, de quibus præsertim vrget Controuersia: Ratio formalis eductionis, qua propriè à creatione distinguitur est, quod sit actio productiua formæ dependenter à subiecto, ità vt per talem actionem nõ habeat esse ipsum subiectum, sed supponatur; At talis fuit actio, qua Deus ab initio formas Cęlorum, & Elementorum produxit, & etiam modò conseruat, ergo sunt verè eductæ de potentia materiæ. maior patet ex dictis, minor probatur: eadẽ actione, et eiusdem rationis Deus modò formas Cęlorum, & elementorum conseruat, quo eas ab initio produxit, sed modo eas conseruat dependenter à materia, ità vt si materia subtraheretur, statim ex natura sua tales formæ euanescerent, cùm nõ sint formæ substantiales veluti anima rationalis, ergo verè eas de potentia materiæ, & modo eductiuo produxit.

Resp. Conimb. ad rationem eductionis vltra dependentiam à subiecto, requiri etiam, quod materia præcedat duratione formam, in quo priori dicatur priuata forma; eductio .n. & generatio formæ necessariò includit mutationem subiecti pręiacentis, & in hoc à creatione distinguitur; cum igitur nulla ibi interuenerit prioritas durationis materiæ ad formam, & nulla in materia duratio, sed in eodem instanti materia, & forma productæ fuerint, idcirco forma Cęli non potest verè dici educta de potentia materiæ, sed potius cum ea concreata. Eodem modo Resp. Mag. Iacob. Brun. in Phys. q. 4. art. 4. ex D. Tho. loc. cit. & hoc est Achille Thomist. quod si est verũ, cessat ratio litis, ex diuerso .n. principio, & differente acceptione eductionis, vtraq. sẽtia saluatur. hinc M. Boncherba dubit. 3. in suo iudicio ex Ægidio pro defensione vtriusq. opinionis sic ait: Sumpta generatione in rigore, vt simpliciter dicit transmutationem materiæ à priuatione ad formam, sic formæ Cęlorũ non fuerant eductæ, sed potius concreatæ, quia ibi nulla fuit transmutatio materiæ, & in hoc assẽtimur Thomistis; Similiter sumpta creatione in rigore, quatenus dicit productionem ex nullo præsupposito subiecto, sic formæ Cælorum nõ fuerunt creatæ, sed eductæ, quia ibi fuit præsup-

posita

posita materia, & sine materia fieri non poterunt; in hoc sumus cũ Scotistis. hæc præfatus Doct. sed sic cessat quæstio, & solùm videtur contesta de nomine.

At Scotistæ pacem non conciliãt, tùm propter vim rationum, quas habent, tùm propter Turmam Recentiorum sequacium. Ad rationem Conimb. iam responsum est supra, non requiri ad rationem eductionis prioritaté tẽporis, sed sufficere prioritaté naturæ, vt in alijs causis. Ad id, quod ad eductionem formæ, & generationem compositi requiritur necessariò mutatio, & per hoc à creatione distinguuntur, est verum de generationibus, & eductionibus, quæ regulariter fiunt; absolutè tñ loquendo, eductio, & generatio præscindunt à mutatione propriè dicta, & sine priuatione ad formam contingere possunt ex Doct. in 4.d.43.q.5.lit.H. ac proinde distinguuntur formaliter à creatione per dependentiam à subiecto, vel à parte, non autem per mutationem subiecti, potest namq. interuenire dependentia actionis à subiecto sine subiecti mutatione, quod tunc euenit qñ forma producitur in eodem instanti simul cum materia, ratione cuius simultatis admittimus tunc formam dici concreatam quatenus eductio formæ comitatur creationem materiæ, quæ tñ concomitantia non excludit à forma propriam rationem eductionis.

Suar. resp. ad rationem eductionis requiri, vt per distinctam actionem fiant forma, & materia, quod si per eamdem fiat totum compositum, verè totum creatur; & iuxta hunc sensum admittit formas elementorum fuisse distincta actione productas, & consequenter ex materia eductas; at de formis Cælorum asserit fuisse eadem actione productas cum materia, ac propterea esse concreatas. Resp. patet ex dictis art. præcedenti, sunt .n. in compositione Cælorum etiam duę actiones, nam vt actio terminatur ad materiam, tendit in rem per se subsistentem, independenter à subiecto; vt terminatur ad formam, tendit in rem in alio existentem, & ab alio dependentem, ergo sunt duæ actiones, non vna. Tum quia materia præcedit formam, vt causa receptiua, & eius fulcimentum, ideoq. actio productiua materiæ præsupponitur necessariò actionis productiuæ formæ, ergo non est vnica actio.

Resp. Fonse. quod licèt ad rationem eductionis nõ requiratur, quod materia præcedat tempore formam, requiritur tñ. vt saltem præcedat ordine naturæ; at formæ Cęlorum, & Elementorum fuerunt productæ simul ordine naturæ cum materia prima, ergo non fuerunt propriè eductæ, sed Deus sua actione primariò creauit totum compositum, & non vnam partem prius natura, quam aliam. ℞. ex dictis negando minorem cum Scot. in 2.d.12.q.1.A. vbi citat. D.Aug.13.Confess. asserentem, materiam, quamuis simul tempore fuerit creata cum forma, prius tam origine fuisse creatam. Tũ quia ex Doct. ibidem materia est causa formæ receptiua, & fundamentum eius, ergo saltem ordine naturæ semper formã præcedit; nec prioritas rationis sufficit, quia causa realiter præcedit effectum, & fundamentum fundatum. Tum quia quantumcumq; effectus sit

coæuus

coæuus causæ, semper tamen causa dicitur natura præcedere effectum ob dependentiam effectus ab ea, quæ dependentia vnius ab alio semper arguit hunc ordinem naturæ prioris, & posterioris, ergo pariter in proposito &c.

Confirmatur conclusio: forma Cæli est essentialiter materialis, ergo ad differentiam formæ spiritualis sub sistentis, à materia pendet in esse, fieri, & conseruari, ergo de potentia materiæ educitur. Resp. M. Brun. cũ Aliquib. Thomis. negãdo cõseq. & ratio est, quia ad veram eductionem vltra dependentiam formæ à materia, requiritur transmutatio materiæ ad formam, alioquin si sola dependentia sufficeret ad eductionem strictè sumptam, Deus non posset simpliciter creare composita, nec calorem in ligno creare.

Sed Contra, præter dicta superius, Deus de potentia absoluta potest creare materiam, & in eodem instanti educere ex illa formam; sed tunc materia non mutaretur de vna ad aliam formam, vt de se patet, ergo saluatur essentia eductionis absq. mutatione. maior est D. Th. 3. p. q. 77. art. 3. ad. 1. vbi ait, probabile esse asserere, quod quando ex speciebus panis generantur vermes, in instanti generationis materia creatur, & forma educitur ex illa materia, quod etiam docent Complut. disp. 4. q. 4. & fusius Lerma lib. 1. q. 14. Respondet Aliqui Thomistæ dist. conseq. ergo saluatur essentia eductionis absq. mutatione actuali conc. absq. aptitudinali, & exigitiua, nego. non valet, quia iam concedunt quantum sufficit ad saluandam essentiam eductionis absq. mutatione actuali, & q Deus potest creare materiam, educendo ex illa formam in eodem instanti, ergo dicendo, quod Deus creauit materiam Cæli educendo ex illa formam, nulla est repugnantia. Cæterum, accidit materiæ, vt diximus, quod recipiat formam cum sui mutatione, nec ne, estò regulariter ità in his inferioribus contingat. Resp. Thomis. ex hac doctrina solùm colligi, nostram opinionem esse tantùm probabilem. sed qualem pro sua sententia ipsi demonstrationem ostendunt, forsitan illam, quod materiæ existentia sit effectus formalis formæ?

Ad illud, quod Deus non posset creare compositum, neq. creare calorem in subiecto. Resp. concedendo de toto composito, & ratio est, qa illud dicit dependentiam essentialem ad partes, ex quibus componitur, ideoq. necessariò ab illis dependet, quæ dependentia excludit rigorosã creationem, quæ tñ respicit potentiam actiuam agentis, vt patet de creatione Angelorum, materiæ primæ, & animæ rationalis, & solùm posset dici creatam largo modo, seu concreatum, propter creationem materiæ tunc simul productæ. Quantum verò ad calorem, non est eadem ratio, nam hic pendet à materia, vt à sustentante, non tanquam à compar te; & ideo potest à Deo hæc causalitas in genere causæ efficientis suppleri; ità vt sicut de facto conseruat accidens separatum sine subiecto, ità potest sine dependentia actuali ad subiectum producere.

Obiectiones.

Ob. primò ex Sacra Scrip. nam in principio Genes. Cælum, & elemẽta crea-

creata dicuntur, non genita, ergo &c. ℞. idcircò dici creata, quia eorum materia tempore non præcessit, sed cum eisdẽ formis simul facta fuisse, ratione cuius concomitantiæ illa corpora creata dicuntur, & formæ concreatę; sicut etiam homo in script. dicitur creatus, estò de limo terræ formatus fuerit. Vnde Scripturæ nõ accipi debent cum tanto rigore Philosophico, vbi non obuiat fides &c.

Ob. huiusmodi composita in eodẽ instanti temporis creata fuerunt cum suis partibus, ità vt primò creatio terminata fuerit ad totum, & secundariò, & consequenter ad suas partes, ergo nullo pacto formæ illæ eductę sunt, sed ad summum concreatæ ad creationem compositorum. ℞. vt supra negando antecedens, totum .n. non potest vnica, & eadem actione cum partibus produci, cum ab ipsis in esse dependeat; vnde totum solùm dicitur terminus primus primitate dignitatis, & adæquationis, non primitate originis, ideòq. falsum est, quod hæc composita creata fuerint.

Ob. Corpora Cælestia dicuntur ingenerabilia, & incorruptibilia, ergo non sunt educta de potentia materię, quæ, est radix corruptionis. ℞. Cęlestia corpora dici ingenerabilia, & incorruptibilia in ordine ad agentia naturalia, non absolutè.

DVBIVM.

De identitate Vnionis, cum Eductionis.

Hic dubitari solet, an in formis materialibus, & corruptibilibus Eductio sit formaliter earum vnio cum materia, & actio eductiua eadem cũ vnitiua, an potius sint formalitates ex natura rei ab inuicem distinctæ. Respondent Mast. & Bell. disput. 2. Phys. q. 7. art. 3. nu. 154. esse formalitates ex natura rei distinctas, & actiones diuersas, important .n. vnio, & eductio diuersos respectus, quia vt Scot. docet in 4. d. 13. q. 1. H. vnio est respectus extrinsecus adueniens; sunt etiam diuersæ actiones, quia sunt ad diuersos terminos, nàm terminus eductionis est forma sm̃ suã entitatem, terminus vnionis, est ipsa relatio vnionis. Sed bona pace tantorum Magistrorum, ego sine vllo scrupulo assererem huiusmodi respectus, & actiones esse distinctos realiter, & non alio fundamento, & doctrina, præter eam, quam ipsi ibidẽ afferunt; dicunt .n. quod licèt in formis corruptibilibꝰ isti duo respectꝰ, & istæ actiones necessariò coniugantur, non proterea dici debent formaliter identificari, quia absolutè loquendo, in anima rationali separatæ videntur, ibi .n. est vnio sine eductione; addunt per potentiam Dei absolutam etiam in forma corruptibili separari possunt, si Deus produceret formam talem in subiecto, se solo supplendo concursum sustentatiuum subiecti in genere causæ efficientis, quod nullam inuoluit repugnantiam. benè; sed ex hac doctrina non rectè colligitur distinctio formalis ex natura rei tm̃, sed etiam distinctio realis, non .n. habemus euidentius signũ realis distinctionis, quàm separationẽ; si ergo istæ duæ actiones, & respectus etiam in formis corruptibilibus, separari possunt per Dei potentiam, quomodo tm̃ formaliter distinguuntur, cum illa, quæ sic distinguũtur

tur, nec etiam per potentiam Dei separari possint? quod deinde in formis corruptibilibus isti duo respectus, & istæ actiones necessariò coniungantur, non propterea dici possunt realiter identificari, multa sunt .n. accidentia emanatiua, quæ etiam necessariò cum substantijs coniungũtur, quę tamẽ non inde benè deducitur esse cum substantijs realiter identificata, & ab eis tm̃ formaliter distincta, quamuis .n. separatio semper necessariò inferat distinctionem realẽ inter separabilia, non tñ inseparabilitas semper infert identitatem realem inter illa, quæ separari non possunt, vt citati Authores sepissimè in suis libris docent. Tum quia, vt etiã ipsi addunt, vnio supponit ex natura rei eductionem, nam vnio supponit res vniendas, & ex vi vnionis nec forma, nec subiectum recipiunt esse, quia relatio consurgit ex positione extremorum, sed ex vi eductionis forma recipit esse in materia, & producitur in materia, ergo non sũt vnica, & eadem actio, nec formaliter, nec realiter, cùm sint ad distinctos terminos, & separari possint, saltem per Dei potentiam. Quando etiam dicunt relati Authores, quod terminus vnionis est relatio ipsa vnionis, melius diceremus, quod terminus vnionis est vnitum, sicut .n. eductio terminatur ad formam, & dicitur forma educta; sicut vnio, quia terminatur ad materiam, & formam vnibiles, dicuntur per ipsam vnionem vnitæ.

Sed Contra hanc Doctrinam insurgit Suar. disp. 13 Meth. sec. 9. nu. 10. si istę essent distinctæ actiones, tunc productiua, seu eductiua præcederet vnitiuam, vnio .n. supponit, quæ vniri debent, & consequenter forma corruptibilis prius existeret, quàm materiæ vniretur, & ità non educeretur de illa, qua ratione dicimus, animam rationalem non educi de potentia materiæ, quia in vno signo naturæ supponitur producta in se, in alio vnita materiæ. Rx. admittendo esse diuersas actiones, terminatas ad diuersos terminos, videlicet eductiuã ad existentiam formæ, vnitiuam ad vnionem eius cum subiecto; hinc quia termini harum actionum ità se habent, vt existentia formæ præsupponatur vnioni, e non è contra; inde asserendum est etiam actionem eductiuam præcedere vnitiuam, non tamẽ admittimus in illo priori formã in se produci, & independenter à materia in illa .n. productione etiã materia cum agente concurrit eam sustentando, quæ dependentia estò non includat formaliter vnionem, includit tamen concomitanter, & exigitiuè, quatenus talis productio formę essentialiter à materia dependens, coexigit necessariò in eodem instanti vnionem eius ad materiam; & in hoc forma materialis adhuc distinguitur ab anima rationali, quæ cum non sit à materia dependens, non coexigit necessariò simpliciter vnionem eiusdem animæ cum materia; Vnde ratione huius independentiæ dicitur anima prius in se produci, quàm vniri, non quia in aliquo signo prius in se existat, sed quia independenter à subiecto producitur, qua solutione soluuntur alia argumenta, quæ Suar. congerit contra nos; quę doctrina valdè adnotanda est in hac materia, quam Aduersarij capere nolẽtes, seu

potius

potius respnentes, satis deficiunt.

Instat adhuc Suar. vt forma subsistens, non prius natura sit existens, quàm subsistens, ità forma inhęrens, non prius natura sit existens, quam inhęrens. ℞. negando assumptum, & ratio est, quia tàm substantia, quã n inhærentia sunt modi super additi existentiæ substantiæ, & accidentis, atq. ideo prius natura supponitur substantia, & accidens, quàm illa subsistens, & hoc inhærens, & consequenter etiam actio prius natura attinget existentiam rei, quàm subsistentiam, vel inhærentiam, quamuis in eodem omnino instanti temporis.

Ob. 3. sustentatio formæ in genere causæ efficientis, quomodo nũc accidentia Altaris sustentantur à Deo, & sustentatio eiusdem in genere efficientis est influxus attingens existentiam termini, ex vi cuius terminus ipse non vnitur causæ, ergo eductio, quæ est sustentatio formæ in genere causæ materialis, includit essentialem vnionem. ℞. vt supra, negando consequentiam, hoc.n. intelligi non debet formaliter, quasi eductio essentialiter vnionem includat, sed solùm concomitanter, & coexigitiuè, quatenus ad eam necessariò concomitatur vnio in eodem instanti temporis &c. ità Mastrius, & Bell. cit. Vide P. Moranda Cler. Regularem in Physica.

ARTICVLVS DECIMOSEPTIMVS.

An Materia sit ex se cognoscibilis, an tantùm ex forma.

SCot. de hoc dubio disertè agit in 2. sent. d. 12. q. 1. in fine lit. R. Vbi Scotistæ, & lis pendet ex diuersitate principiorum, nam Thomistæ illi, qui in materia prima nullum agnoscunt actum entitatiuum, absolutè negant materiam cognoscibilem esse sine vllo ordine ad formam, vel actualem, vel aptitudinalem. Scotistæ verò ex opposito, quia tenent materiã habere suum actum entitatiuum independenter, à forma, & potentia non esse de essentia materiæ in primo modo, defendunt esse de se cognoscibilem etiam distinctè sine vllo ordine ad formam, at in 2. notione, & vt subiectum transmutationum cognosci debere per ordinem, & habitudinem ad formam.

Conclusio.

Dicimus, quod estò pro statu isto materia sit solùm cognoscibilis per ordinem ad formam, absolutè tamen loquendo, & ex natura potentiæ, est per se sine tali ordine cognoscibilis. est Scoti loc. cit. & Scotist. vt videre est apud fabrum theor. 25. Sghem. d greß. 1. q. 13. Mastrium, & Bell. d. 2. Phys. q. 8. art. 1. & alios, & quo ad primam partem ità à Scoto probatur: magis à nobis cognoscibilis est forma, quàm materia, sed forma non cognoscitur, nisi ex operationibus, ergo nec materia cognosci potest, nisi per ordinem ad formam, scilicet per transmutationem de vna ad aliã formam, vt Auerroes docuit, videmus .n. vnam formam post aliam, qa videmus nouam operationem, quæ arguit nouam formam, ergo permanet subiectum transmutationis commune, quod est materia.

Probatur quoad aliam partem à Doct. ibidem: materia est entitas absoluta, est natura prior forma, habet distinctum esse ab illa, ergo potest

per se intelligi sine forma; licèt .n. sit entitas absoluta incompleta, id tamen non impedit, quin ab Angelo, & intellectu nostro ex natura potentiæ habeatur de materia conceptus quietatiuus, quod etiam formæ commune est ratione suæ in completionis. Tum quia materia habet de se actum entitatiuum, & non à forma, ergo etiam de se habet propriam cognoscibilitatem sine ordine ad formam, intelligibilitas .n. cum sit passio entis, sequitur entitatem, & sicut res se habet ad esse, ità ad cognosci. Tum tandem quia estò materia dicatur essentialiter potentia receptiua formæ, hoc tamen non obstat, diximus .n. esse essentialem potentiam tantùm in secundo modo, & in secunda notione, non in prima.

Obiectiones.

Arguunt contra primam partem conclusionis Mercennarius tomo 2. delucidationum, & Suar. in Meth.d. 15.sec.3. probando, quod Methodus cognoscendi materiam, non est analogia ad formam, vt Scotus deducere videtur ex 1.Phys.tex.69.neq. quo ad an sit, neq. quo ad quid sit, nam ibi Arist. non loquitur de analogia ad formam, sed ad materiam artefactorum, ait .n. sicut se habet æs ad statuam, ita materia ad formam, & ad res naturales, qui discursus præsupponit materiam esse, & hac analogia vtitur ad inueniendum quid est materiæ naturalium, quia ex hac postea deducit definitionē materiæ primæ, quod sit subiectum potens ad omnes formas naturales, non autem ad inueniendum si est, vt Scot. innuit; nam Methodus ad inueniēdum si est, est contrarietas existens in transmutatione, Vnde tex.51. via transmutationis ostendit dari materiam primā, sic arguens: omnis transmutatio fit ex contrario, sed vnum contrarium non recipit aliud, neq. alterum trāsmutat, quia mutuò se perdunt, ergo sola contraria in generatione non sufficiunt, sed opus est dari aliquod subiectum, quod recipiat contraria, & ex eo simul cum altero contrario, alterum generetur. Methodus autem inuestigandi materiam quo ad quid est, est Analogia, non quidem ad formam, vt D. Thom. & Scotus asserunt, sed analogia ad artefacta. & si dicatur, materiam in hoc sensu cognosci per analogiam ad formam, idest per transmutationem de vna in aliam formam, vt Scot. loc. cit. ex Comment. insinuare videtur, neq. satisfacit, nā mutatio substantialis est occulta, sicuti forma, & ideò non per ordinem ad mutationem substantialem, sed ad accidentalem cognosci debet, & per ordinem ad subiectum eiusdem, qualis est materia artefactorum.

℞. materiā cognosci pro statu isto ex comparatione, & habitudine ad formam, quia est subiectum eius, & potentia receptiua illius sicut æs, & lignum ad formas artificiales, in quo sensu Auerroes explicat textum 69. est igitur sciendum, quod materia prima tàm quo ad si est, quàm quo ad quid est, cognoscitur via transmutationis, & corruptionis, & hac Methodo adinuenit Arist. materiam primam dari in 1. Phys. tex.51. & eadē Methodo venauit materiæ definitionem; ex eo namq. quod videmus cōtinuè aliquid corrumpi, & in illa corruptione aliquid deperdi, scilicet formam, & aliquid remanere, argui-

arguimus dari subiectum illorũ contrariorum, & eadem via, & Methodo inuenimus assentiam materiæ; ex eo .n. quod ipsa remanet in corruptione, & modo hanc formam recipit, modo aliam, inferimus, quod materia est ens ex se informe, sed in potentia ad omnes formas recipiendas; atq. ideo hac Methodo à posteriori, & ab effectu satisfacimus quæsito an sit, & quid sit materię primę. Quę doctrina patet ex dictis in logica de Methodo inuestigandi definitionem substantiæ à posteriori, & quomodo opinio Scoti sit verissima, eadem .n. Methodus inseruit ad venandum de materia prima quid est, & quia est, nō autem vt Mercennarius, & Suar. asserebant, quod an sit inseruit Methodus, & demonstratio ex contrarietate, & ad quid est analogia ad artefacta; similitudo .n. ex se non facit fidem, sed præsupponit Methodum ex transmutatione substantiali, ergo per se non est sufficiens; patet antecedens, si quis .n. argueret, sicut se habet materia respectu artificialium, ità materia respectu formarum naturalium, statim quis posset negare hac maioré, nisi.n. probatur, nihil ex se valet; in tantū ergo valet, in quātū hæc similitudo, & proportio apparet ex transmutatione substantiali, quia .n. in corruptione naturali destruitur forma, & remanet materia, & illa materia est de se informis, & potentialis ad omnes formas, hinc cognoscimus materiam rerum naturalium esse similem materiæ artificialium; non est ergo similitudo hæc vera, & propria Methodus inuestigandi quid est de materia prima, sed est trāsmutatio substantialis.

Ad illud de mutatione substantiali, quod fit occulta ratione formarũ substantialium, admittimus, ratione tamen operationis earum arguimus nouas formas, & nouas transmutationes substantiales circa idem commune subiectum; Vnde Scot. non loquitur de transmutatione substantiali nudè accepta, sed quatenus ratione quorundam euidentium cadit sub sensu.

Contra secundam partem conclusionis arguunt Recentiores Thomistæ, probando, quod materia absolutè loquendo, non sit cognoscibilis, nisi per ordinem ad formam, aut actualem, aut saltem aptitudinalem; primò, quia actus est causa cognitionis, & manifestationis, potentia causa ignorantiæ, & occultationis, sed materia est per se potentia, forma per se actus, ergo &c. Hinc Arist. 7. Meth. 35. materiā dixit de se ignotā. R. actum entis tantū esse causam intelligibilitatis, non præcisè actum formalem, sicut è contrà, potentia obiectiua est causa ignorantiæ, non subiectiua, & Arist. 7. Meth. asseruit materiam de se ignotam, quia de se est minimæ entitatis, ac propterea minimæ intelligibilitatis, & ità locutus fuit comparatiuè; Tum quia pro statu isto eam cognoscimus per ordinem ad formam.

Secundò, Arist. 7. Meth. tex. 8. docuit, quod materia non est quid, nec quale, nec quantum, ergo secundum se nullum habet conceptum positiuū; hinc D. Aug. libro de natura boni c. 18. ait: materiam per nullam speciē, sed per priuationem omnis speciei vix cogitari posse. R. ex Doct. in 2. d. 12. q. 1. lit. H. quod Philosophus non

non solùm asseruit materiam non esse, nec quid, nec quale, nec quantum, sed subdit, esse id, dequo singula horum prædicantur; quibus verbis significare voluit, materiam habere suum conceptum positiuũ,quãuis pro statu isto nobis ignotum. D. Aug. ostendere voluit, quod per priuationem omnis speciei, idest formæ, vix potest cognosci, ad significandã difficultatem, qua materia intelligi potest sine forma, non verò impossibilitatem, vel locutus fuit pro statu isto.

ARTICVLVS DECIMO OCTAVVS.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, & causa intrinseca corruptionis.

SCot. in 4. sent. d. 12. q. 5. & d. 49. q. 6. & colligitur etiam ex primo sent. d. 2. q. 7. & alibi sæpè. Respondet affirmatiuè. procuius intelligentia premittimus primò generationem, & corruptionem posse dupliciter accipi, vno modo fusè pro quacunq. receptione, vel desitione, quomodocumq. id eueniat, & in hoc sensu comprehendit etiam creationem, & annihilationem; altero modo præsè, & ità sumitur pro inceptione rei ex præsupposito subiecto, vel per se ex desitione rei, remanente adhuc aliqua ipsius parte, vel subiecto; in sensu etiã adhuc dupliciter sumi potest, vel in ratione mutationis, vel in ratione productionis ex Arist. 1. Phys. 64. & Doct. in 1. d. 2. q. 7. lit. R.

Adnotamus 2. nos hic non quærere nec causam totalem, nec præcipuam corruptionis compositi, sed radicalem, & originariam, nam si de totali, quia corruptio fit per separationem materiæ à forma necessariò ambas includit, vt causam totalem corruptionis compositi; si loquamur de partiali, vtraq. in suo genere est iam partialis causa corruptionis, quatenus materia non satiatur forma ob eius appetitum interminatum, nec forma satiat materiam ob eius perfectionem limitatam, nam si satiaret, compositum in corruptibile foret; ideo loquimur de causa partiali, radicali, & originaria quibus prahabitis, sit

Conclusio Prima.

Dicimus primò, materia esse generabilem, & corruptibilem, fusè sumpto vocabulo generationis, & corruptionis; & etiã strictè sumpto, si in ratione mutationis sumatur; si autem accipiatur in ratione productionis ex præsupposito subiecto, vel desitionis est omnino ingenerabilis, & incorruptibilis. Conclusio tres habet partes; & quod sit generabilis, & corruptibilis latè sumpto nomine generationis, inde patet, quia omne ens creatum est indifferens ad esse, & non esse, in hoc .n. ens creatum distinguitur à Deo, quod est ens sũmè necessarium, ergo materia prima est annichilabilis, quod cuicũq. creaturæ commune est. Sunt inter entia creata, quædam talis naturæ, & cõditionis, quod cum solo concursu Dei generali non sunt in perpetuum duratura, vt V. g. homo semel productus, sine speciali miraculo non potest in æternum viuere &c. Quædam verò talis sunt conditionis, vt semel producta possunt deinceps cũ solo Dei generali concursu in æternum permanere, vt Theologi communiter asserunt de Angelo, & ani-

ma

ma rationali, inter hos, est materia prima, quæ licèt possit à Deo annihilari, est tamen talis conditionis, vt continuante Deo exibitionem solius concursus generalis in æternum maneret.

Quoad secundam partem, scilicet si generatio, & corruptio strictè sumatur, sed in ratione mutationis, materiam esse ad huc generabilem, & corruptibilem, facilè probatur; materia .n. est subiectum cuiuscũq. mutationis substantialis, tàm acquisitiuæ, quàm de perditiuæ, ergo generabilis, & corruptibilis in hoc sensu denominari debebit; forma .n. denominat subiectum, in quo est iuxta naturam suam, in quo sensu Arist. 8. Meth. 4. materiam generabilem, & corruptibilem appellauit. qui modus loquendi proprijssimus est, vt benè aduertit Bargius in 1. d. 1. q. 7. quia mutationes propriè subiectum denominant, non terminum.

Probatur tandem quo ad alteram partem, nimirum si generatio, & corruptio præssè sumantur, & in ratione productionis, vel desitionis oppositæ, materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem: si .n. materia prima in hoc sensu generari posset, vel corrumpi, fieri posset ex præsupposito subiecto, & in illud idem desinere, & ità non esset materia prima, quia non esset primum subiectum cuiuscumq. corruptionis, sed potius materia prima esset illud primum subiectum, ex quo fieret, & in quo desineret; & illud tunc deberet esse ingenerabile, & incorruptibile, ne detur processus in infinitum. Et in hoc sensu ait Arist. 1. Phys. tex. 82. materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. materiam esse primam radicem, & originem corruptionis compositi, est Scoti loc. cit. & in 2. d. 12. q. 1. A. & in 3. d. 22 q. vn. §. *Rationes quas faciunt &c.* & D. Thom. p. 1. q 66. art. 2. & 2. contra gentes c. 11. cum eorum discipulis, & docuit Philosophus 1. cœli 20. & 136. & 1. de gen. 54. & 7. Meth. 4. & 53. & de longitudine, & breuitate vitæ c. 2. vbi cum causam corruptionis assignasset contraria, hæc tamen in materiam reducit, & ità probatur: duplex assignari solet communiter causa corruptionis, vna extrinseca, & prouenit à contrarietate; altera intrinseca, & prouenit ad issolubili connexione partium intrinsecarum cõpositi; sed extrinseca reducitur ad intrinsecã, intrinseca verò reducitur ad materiam, vt originem, ergo prima radix corruptionis compositi est materia, non contrarietas, aut forma. patet minor, quod ad primam partem, quod scilicet causa extrinseca pendet ab intrinseca, tum ex Scoto in 2. d. 12. q. 1. vbi docet, non posse, nec debere assignari contrarietatem pro prima radice corruptionis, quia res non habet contrarium, ratione cuius fit corruptibilis, nisi quia habet aliquod intrinsecum, ratione cuius potest recipere contrarium, & formam oppositam illi, quam habet. idem habet Doct. in 3. cit. Tum ex Philosopho de longitudine, & breuitate vitæ, vbi cum dixisset: *Cui non est contrarium, impossibile vtiq. erit corrumpi*; ne quis existimaret contrarietatem esse primam radicem corruptionis, statim subdit: *impossibile esse materiam habenti*

benti non existere aliqualiter contrarium, quibus verbis ostendit, causã extrinsecam corruptionis, videlicet contrarietatem pendere ab intrinseca. Probatur etiam minor quoad aliam partem, quod scilicet intrinseca pendeat etiam à materia, vt ab origine, ex Doct. in 2.d.14.q.1.sub A. vbi docet, quod radix dissolubilitatis partium est materia, quando .n. ex parte formæ esset necessaria connexio, semper tamen ex parte materiæ contingens est, quæ est potentia contradictionis, & hoc non solũ quatenus in potentia est ad aliam formam, incompossibilem illi, quam habet, sed præsertim in quantum est in potentia ad priuationem formæ, quã habet, & hac ratione præcipuè dicitur potentia contradictionis.

Obiectiones.

Obijcitur primò ad probandum, quod materia iam producta non posset cum solo concursu Dei generali in æternum durare, sicut Angelus, & Anima rationalis durarent: Materia, vt existat, eget consortio formæ, saltem vt conditionis necessariæ requisitæ ad connaturaliter existendum, ergo si ab omni forma separetur, per naturalem sequelam corrũpi debebit, nec vlterius conseruari sine speciali miraculo. ℞. ex dictis, materiam ad naturaliter existendum nõ indigere forma, vt conditione concomitanti simpliciter necessaria, & sine qua ab intrinseco existere non posset, talis .n. indigentia potius oritur ex extrinseco Dei decreto, quàm ex natura intrinseca materiæ, & talis exigentia formæ in materia, vt existat, potius est naturæ vniuersalis, quàm particularis ipsius materiæ, quæ ab Auctore naturæ producta est ad constituenda composita, & non ad solitariè existendum; & ideò suæ naturæ relicta, etiam si ab omni forma separetur, ad huc in suo esse perseueraret cum solo concursu generali, quo prius conseruabatur cum forma, nec aliud miraculum interueniret præter illam separationem, atq; ideò negatur, quod ad separationem omnis formæ, materia statim peritura foret, ità vt indigeret adhuc speciali miraculo pro sui conseruatione, ità Mastr. & Belluc. disp.2.q.8.art.2.

Ob.2. si materia non generatur, nec corrumpitur, ergo generatio non est mutatio totius in totum, sed hoc est contra Philosophum 1. de gener. 24. ergo &c. ℞. generationem esse mutationem totius in totum Cathegorematicè, scilicet pro ipsa tertia entitate, vel pro ipsa totalitate, quæ includit vnionem, non autem Sincathegorematicè, idest pro singulis partibus, ità Scot. in 4.d.11.sub.A.

Ob.3. materia est causa corruptionis compositi, ergo etiam ipsa corruptibilis erit, quia ex 1.post 2. propter quod vnum quodq. tale, & illud magis. ℞. negando sequelam, & ad Auctoritatem Arist. Respondet Canonicus illam valere in causis vniuocis, quando scilicet denominatio cõuenit vtriq. causæ nempè, & effectui, V.g. si manus est calida propter ignẽ, ignis est magis calidus, at dici non potest, manus est calida propter solem, ergo sol est magis calidus, sol .n. non est formaliter calidus, sed tãtùm virtualiter, ità in proposito.

Ob.4. Agens naturale potest generare, & corrumpere perfectius, scili-

scilicet compositum, ergo tantò magis imperfectius, sicut est materia. ℞. sequelam esse veram, quando passum continetur intra sphæram actiuitatis agentis, materia est extra sphęram actiuitatis agentis creati &c. sicut etiam non valet, potest homo hominem generare, ergo muscam, quia musca est extra sphæram actiuitatis hominis.

Ob.5. Philosophus primo de Cęlo 61. ait, quod corruptibilium corruptibilia sunt principia, ergo quia materia est principium mortalium, & corruptibilium, etiam ipsa corruptibilis erit. ℞. Arist. ibi loqui indefinitè, ad quod sufficit, vt aliqua sint corruptibilia scilicet forma, & priuatio.

Ob.6. ex hac opinione sequeretur, materiam nobiliorem esse forma, & composito, quæ corruptibilia sunt? ℞. negando consequentiam, & ratio est, quia nobilitas attendi debet ex perfectiori gradu naturæ, nō ex quacumq. conditione. Tum quia maior, vel minor duratio non infert vniuersaliter maiorem, vel minorem perfectionem in his inferioribus, vt ex Arist. 1. Ethic c.2. deducit Doctor in 2.d.1.q.3. non .n. perfectius est quod durat per annum, quam quod durat per mensem. Tum tandem, quia quando aliqua duo habent duas perfectiones alterius rationis, illud simpliciter nobilius censetur, quod habet perfectionem superioris ordinis secundum regulam Scoti in 1. d.8.q. 1. ad primum. in causa materia habet incorruptibilitatem, compositum, & forma actualitatē, & hęc est perfectio superioris ordinis illa ergo &c.

Obiectiones contra Secundam. R.P. Illuminati à Collisano Capuc.

Auicenna primò suæ suff. cap. 3. docet corruptionem à contrario prouenire, ità vt in eius sententia res dicatur corruptibilis, quia habet contrarium. Canonicus 1. Phys. q.9. art. 2. dub. 2. asserit primam, & peculiarem radicem corruptionis esse formam, non materiam, cuius sententiam sequuntur illi, qui dicunt causam radicalem, & primariam corruptionis non esse materiam, sed formam habentem contrarium, per quod possit expelli, ex quo principio affirmāt Cęlum esse incorruptibile; Vnde pro Auicenna, ità

Arguitur primò: Philosophus 1. de Cęlo tex.20. probat Cęlum esse incorruptibile ea solùm ratione, quia non habet contrarium, ergo sola contrarietas est causa corruptibilitatis, probat assumptum Arist. omne quod generatur, vel corrumpitur ex contrario, & subiecto generatur, & corrumpitur, sed Cęlo nihil est contrarium, ergo &c. en quomodo in minori ex sola carentia contrarij, & non ex carentia subiecti, vel materię infert Cęli incorruptibilitatem. ℞. quod etiam ex modo arguendi, quo Philosophus vtitur deducitur clarè, contrarietatem non esse primam radicem corruptionis, sed hanc ex materia, & subiecto pendere, vt ipsemet docuit de longit. & breuitate vitæ cap. 2. & contrarietatem non reperiri, nisi vbi est materia; hinc dum in minori assignat in Cælo carentiam contrarietatis, consequenter etiam ibi sub intelligit carentiam subiecti, sicut .n. subiectum infert contrarietatem, ità carentiam contrarietatis, & ideo dixit, ex contrario, & subiecto generatur, & corrumpitur;

aliter sibi contradiceret in loco cit. de longitudine, & breuitate vitæ.

Arguitur 2. pro Canonico, necessarium non est causa contingentium ex 1 priorum, sed materia est ens necessarium, cum sit incorruptibilis, ergo non est causa contingentiæ, & corruptibilitatis compositi. ℞. Arist. ibi loqui de propositionibus in bona consequentia, quomodo ex necessarijs non sequitur conclusio contingens, alioquin simpliciter falsum est, nam Deus ens necessarium est, à quo tamen entia omnia contingentia pédent.

Arguitur 3. materia est ex se incorruptibilis, ergo non potest esse causa corruptionis, quia tunc vnum oppositorum esset causa alterius. ℞. negando sequelam cum sua probatione, & ratio est, quia materia non est causa corruptionis compositi, vt incorruptibilis est, sed quatenus contingenter vnibilis est formæ ratione suæ potentialitatis, & appetitus; sic etiam sol incorruptibilis est; & tamē generationis, & corruptionis rerum est causa.

Arguitur 4. ex primo priorum, in causis præcisis, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, sed causa præcisa, qua compositum est ens in actu, est forma, ergo causa præcisa non essendi in actu eidem, erit forma. ℞. negando minorem, estò namq. forma sit causa, qua compositum sit ens in actu completo, & specifico, non est causa tamen præcisa, cur sit ens actu absolutè, & simpliciter, cùm etiam materia sit pars entitatis compositi.

Arguitur 5. materia non est actiua, ergo non potest esse causa corruptionis; & qualibet forma delectatur, ergo nō appetit illam abijcere, & ideò non erit causa corruptionis. ℞. argumentum solùm probare, quod materia non sit causa efficiens corruptionis, hoc .n. spectat ad agens inducēs contrarium, neq. materia est causa per se corruptionis, sed tantùm per accidens, quia .n. non satiatur forma, quam habet, appet quam non habet, incompossibilem cum præhabita, quod propriè oritur ex potentia, quam habet ad priuationem formæ, quam possidet.

Arguitur 6. Arist. 1. Phys. tex. 68. ait, formam solam sua præsentia, & absentia sufficere ad generationem, & corruptionem, sicut solus nauta est causa salutis nauis, & naufragij per suam præsentiam, vel absentiam, ergo &c.

℞. Arist. ibi solùm ostendere formam esse quoq. causam corruptionis, sed non præcisam, & radicalem.

ARTICVLVS DECIMVS NONVS.

An materia habeat Quantitatem seu dimensiones interminatas sibi coæuas.

SCot. hanc controuersiam dirimit in 2. d. 3. q. 4. lit. C. & d. 15. q. vn. lit. A. & in 4. d. 11. q. 2. & pluribus alijs in locis. Duæ sunt in hac re extremæ opiniones, vna est Auerroistarum, asserentium quantitatem esse materiæ coæuam, & veluti proprietatem ab ea inseparabilem; dicunt tamen, talem quantitatem ante formam substantialem esse interminatā, & determinari ab agentibus naturalibus iuxta exigentiam formarum, quas inducunt. Volunt igitur, quod in ma-

in materia ante aduentum formæ pręcedant dimensiones interminatæ, scilicet longitudo, latitudo, & profunditas, absque tamen terminis, ac limitibus, quos deindè præfigit, & limitat forma. explicant exemplo materiæ artefactorum, præcedit V.g. lignum cum sua quantitate omnes formas artificiales, sed ante aduentum illarum indeterminata est, quæ postea ab artifice determinatur, & figuratur iuxta exigentiam formæ, quam inducere intendit; ità Auerroistæ omnes, Achillinus lib. 1. de elementis dub. 17. Zabarell. lib. 2. de materia c. 9. Zimar. theorem. 46. Niphus 8. Meth. disp. 4. & alij, & quod quantitas in materia præcedant formas substantiales, sequuntur etiam ex Recentioribus Suar. disp. 14. Meth. sec. 3. Auersa q. 21. sec. 7. Hortod. in Phys. disp. 6. sec. 6. & alij cum Nominalibus. Alia opinio est Scoti loc. cit. & D. Thom. 1. p. q. 76. art. 6. & præsertim q. 11. de spiritualibus creaturis art. 3. & opusc. 32. & vtriusq. scholæ discipulorum, asserentium subiectum quantitatis esse corpus, non materiam. *Conclusio*.

Dicimus, neque quantitatem interminatam, neque terminatam esse materiæ primæ coæuam, neq. illi immediatè inhærere, sed corpori, & composito: est Thomistarum, & Scotistarum, contra plures Neutericos PP. Cleric. Regul. & probatur primò pluribus Arist. Auctoritatibus, in prædicamentis cap. de substantia dixit, accidentia primæ substantiæ inesse, & destructis primis substantijs, nil illorum remanere, & primò de generatione 25. asserit, accidentia aduenire enti in actu, & 7. Meth. tex. 4. ait, substantiam à toto genere præcedere accidens, scilicet natura, tēpore, & definitione; sed quia testimonia hæc probant vniuersaliter de omnibus accidentibus, desumimus vnam specialem de quantitate, allatā à Doctore in 4. sent. dist. 11. q 3. lit. Ff. ex Arist. 5. vbi Philosoph. ait, subiectum generationis, quod est materia prima, non est in loco, at si materia prima, vt subiacet generationi, haberet quantitatem, iam esset in loco, nam ratio essendi in loco est, quantitas ergo &c.

Probatur 2. destruendo eorū fundamentum; ideò aduersarij ponunt quantitatem coæuam materiæ, quia putant ipsam quantitatem esse ingenerabilē, & incorruptibilē, & eamdē pmanere in genito, & corrupto; sed falsū est quātitatē nō generari, & corrūpi, ergo &c. pbatur mi. q. a ad quātitatē verè, & pprie datur motus augmentationis, & diminutionis, in quibus noua quantitas producitur, & destruitur, vt Scot. docet in 4. d. 12. q. 4. Tum quia Arist. primo de gen. 41. loquendo de nutritione, & augmentatione viuentis ait, *quantum oportet generari, & carnem*; ergo sicuti noua caro generatur ratione nutritionis, ità & noua quantitas ratione augmentationis; Tum quia propria, & vera augmentatio, quæ secundum Philosophos fit in solis viuentibus fit per actionem vitalem, quæ productiua est maioris quantitatis in viuente, & non vnitiua tantū, vel continuatiua vnius quantitatis cum priori, quia hoc fieri potest per solam iuxta positionem, non vitalem. Tum quia vt benè arguit Sghemma digress. 5. q. 9. si quantitas hæc esset

coçua, & identificata cum materia prima, nec quantitas esse posset sine materia, nec materia sine quantitate, vt euenit de risibilitate, & alijs proprietatibus innatis, quæ omnia falsa sunt. Tum quia nulla apparet necessitas ponendi hanc quantitatem coçuam materiæ; Non .n. poni potest, quia ipsa est ingenerabilis, & incorruptibilis, sicut materia prima, vt supra dictum est. neque vt extēdat materiam, vt secundum diuersas sui partes, diuersas quoque partes formæ subiectet, nam materia seclusa quantitate, habet extensionem partium entitatiuam, & substantialem, quantum sufficit ad subiectandas diuersas partes formæ ex Doct. in 2. d. 12. q. 2. D. & patebit infra in disp. de continuo. Neq. vt sit subiectum idoneum actionis agentis naturalis, quod non agit, nisi in quantum, & attingere non potest nudam essentiam materiæ, nam licèt agens naturale per actionē alteratiuam agat in quantum, scilicet in compositum corrumpendum, per actionem tamen substantialem, & generatiuam attingit nudam materiæ essentiā, vt benè Lychet. explicat Doctorem in 2. d. 12. q. 2. lit. F. sicut .n. materia prima est immediatè formæ substantialis receptiua, itè quoque est immediatè receptiua actionis substantialis eiusdem, nulla ergo vrgens ratio afferri videtur ad huiusmodi quantitatem coçuam in materia ponendam.

Obiectiones.

Obicitur primò, si materia non esset per se quanta, compositum constans ex materia, & forma non esset quantum, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela maioris; ex nō quantis non potest fieri quantum ex 6. Phys. sed forma non est per se quanta, ergo si neq. materia esset quā ta, constans ex materia, & forma non esset quantum.

℞. negando sequelam maioris, & ratio est, quia sicut quantitas per se non corrumpitur, sed ad corruptionem subiecti, ità quoque nec per se generatur, sed ad generationem subiecti, scilicet compositi, vel corporis, à quo dimanat, & pullulat, sicut alia accidentia connaturalia composito; & hoc ratione corporeitatis de genere substantiæ imbibitæ in ipsa materia, & forma, ratione cuius totum constituitur capax trinæ dimensionis. Ad illum 6. Phys. quod ex nō quantis non fit quantum, intelligitur de partibus integralibus, non ex partibus, & principijs essentialibus corporeis, quæ extensæ sunt entitatiuè, & substantialiter, ex quibus quantitas nata est prouenire, per resultantiam totius.

Secundò, commune axioma est, quantitatem se tenere ex parte materiæ, qualitatem verò ex parte formæ, ergo &c. ℞. illud axioma intelligendum esse appropriatè, non propriè (alioquin in Cœlo esset etiam materia, quod Auerroistæ negant) & hoc propter similitudinem, quam habet quantitas cum materia, qualitas cum formis; nam sicut materia est immediatum subiectum formarum substantialium, sic quantitas est subiectum accidentalium; & sicut materia non est de genere actiuorum, sed merè passiua, sic & quantitas; & è contra, sicut formæ est agere, sic & qualitates ponuntur actiuæ; & sicut formæ est perficere, ità & qualitatis; & hic est sensus Arist. Ter-

Tertiò, quantitas eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo ineſt ſubiecto ingenerabili, & incorruptibili, vt eſt materia. probatur antecedens, quicquid corrumpitur à ſuo contrario corrumpitur, ſed quantitas non habet contrarium ergo &c. ℞. vt ſupra negando antecedens, & ad probationem dicimus, quod corruptibile per ſe eſt à contrario, ſed corruptibile per accidens, & concomitanter, vt eſt quantitas, corrumpitur à corrumpente ſubiectum .i. compoſitum.

Quartò, vt aliquod ſit idoneum ſubiectum actionis materialis agentis, debet eſſe extenſum impenetrabiliter, ergo vt materia conſtituatur idoneum ſubiectum actionis agentis materialis, etiam ſubſtantialis, qua introducitur forma ſubſtantialis, debet eſſe antecedenter extenſa per quantitatem. ℞. vt ſupra, antecedẽs eſſe verum ſolùm quo ad actionem alteratiuam, non in ordine ad ſubſtãtialem; & ratio eſt, quia cum forma materialis debeat ab agente naturali introduci in materia, vt cum ea compenetretur, ſufficit in materia ſola extenſio entitatiua ad ſuſtinendam actionem agentis, & ſubſtantialem formam ſuſcipiendam.

Quintò tandem, Ariſt. 3. Phyſ. ait infinitatem quantitatis prouenire ex materia, eius determinationem à forma, ergo quantitas indeterminata in materia immediatè ſubicitur, & eſt ei coæua. ℞. negando ſequelam, & per illum modum loquendi Ariſt. ſolùm inſinuare voluit, quod ſicut forma eſt ratio determinata compoſito recipiendi hoc, vel illud accidens, materia autem eſt ratio omnia indifferenter recipiendi, ità etiam materia eſt ratio recipiendi cõpoſito quãtitatem indeterminatam, forma verò ratio recipiendi tantam, vel tantam quantitatem, determinatio .n. eſt à forma, ſed deciſio huius melius infra patebit.

ARTICVLVS VIGESIMVS.

An Materiæ ſit ità proprium pati, vt nullo modo ſit actiua; Et formę ità agere, vt nullo modo ſit paſſiua.

Scot. dubium hoc reſoluit in 2. d. 12. q. 1. & 2. & alibi Vbi Lych. cũ Scotiſtis communiter. Quamplures Doctores ex Ariſt. dictu 2. de gener. 53. ſcil. materiæ eſt pati, & moueri, mouere autem, & facere alterius potentiæ, abſolutè ità materiam prorſus paſſiuam poſuerunt, vt omnem actiuitatẽ ab ea excluderent, & formam ità actiuam, vt nullo modo paſſiuam dicerent; ità Vaſq. 1. p. diſp. 196. num. 13. & ſequitur Hurt. diſp. 2. Phyſ. ſec. 10. loquendo de materia è contra Suar. diſp. 13. Meth. ſec. 4. num. 57. Auerſa q. 20. ſec. 1. Moriſan. & Alij quamuis materiæ denegent actionem tranſeuntem, & omnem illam, quæ cum vera efficientia contingit, & cum mutatione Phyſica, concedunt tamen actionem, quæ fit per ſimplicem emanationem, & reſultantiam penes proprias paſſiones, & modos, quos Authores primæ ſẽtentiæ ponunt materiæ concreatos.

Concluſio.

Dicimus, Nec materiæ eſſe ità proprium pati, vt nulla omnino actiuitas ei correſpondeat; Nec formæ ità proprium agere, vt omnis paſſiuitas ſit ei deneganda. eſt Scot. loc. cit. vbi

cit. vbi materiæ talem tribuit actiuitatem, qualem habet quodcumq. subiectum, vel quæcumq. essentia in ordine ad suas proprietates, & ad relationes, quas fundare potest; habet etiam actiuitatem, vel habere potest in ordine ad propriam cognitioné, causando, & imprimendo sui specié, vt aduertit ibi Lych. Quando igitur (ait Lych.) dicitur materia non esse de numero actiuorum intelligi debet de actiuis, quæ mutuò corrumpuntur, & generantur, & de qualitatibus huiusmodi actiua, & passiua consequentibus, nam certum est, quod materia prima non potest aliquam formam substantialem producere, neq. accidentalem per verum motũ Physicum, & realem. Dicitur etiam Materia passiua, quia ordinata est ad recipiendas formas omnes substantiales. De forma autem, estò verum sit, & præsertim de substantiali, quod quælibet sit principium alicuius operationis, cum omne ens in rerum natura productum, & maximè completum, videtur ad aliquam operationem à natura ordinatum, ne otiosum per propriam formã in hoc vniuerso quiescat, vt colligitur ex 1. Cœli 32. & 2. Cœli 50. & 59. & 3. de an. tex. 60. qua ratione Scot. in 2. d. 12. q. 1. in fine, & Comment. ait, quod operatio semper arguit formã, hoc tamen non ità intelligendum, vt omnis forma habeat virtutem actiuã suæ speciei communicatiuam, nam vt Doct. aduertit in 1. d. 7. q. vn. lit. V. sunt aliquæ formæ mixtorum perfectorum sui communicatiuæ, aliquæ verò illis perfectiores non communicatiuæ sui, sicut patet de formis Cœlorum, & Angelorum, cuius rei reddere rationem facile non est ait Scot. Neq. in eo sensu intelligendum est, vt forma ità præcisè sit ratio agendi, quod nullo modo sit ratio patiendi, & recipiendi, quia non solum materia, sed etiam forma est cõposito ratio recipiendi accidentia ei consentanea, cæterasq. aff. ctiones cõnaturales ex Doct. in 2. d. 10. q. vn. lit. F. vbi docet, quod per eamdem formam, per quam res est hæc, per eamdem quoq. susceptiua est passionis quæ consequitur ad illius rei naturam.

Obiectiones.

Ob. quod materia nullo modo sit actiua: Materia dicitur pura potentia passiua, ergo nulla omnino ei tribuenda est actiuitas. Tũ quia 2. Phys. materia, & efficiens non coincidunt, & sola forma dici solet ratio agendi, & operatio arguit formam, ergo &c. ℞. vt supra, materiam dici puram potentiam per exclusionem solùm actus formalis, & specifici, non verò per exclusionem actus entis; ex quo sequitur, quod excludat solùm omnẽ operationem, cuius principium est forma Physica, nempè actionem generatiuam, & corruptiuam, ac Physicam, & realem; sed non omnem operationem, quæ esse potest ab essentia rei, quomodo est dimanatio Metaphysica suarum proprietatum, & actio intentionalis per impressionem speciei in potentia; quæ actiones etiã quantitati cõceduntur communiter, licèt à numero actiuorum remoueatur, & ad Arist. asserentem materiã, & efficiens non coincidere, ℞. Scot. in 2. d. 25. q. vn. K. id intelligi debere de actione propria Physica, vt distinguitur ab emanatione, vt iam explicatum

eatum est.cui Mastr.& Bell. addunt, quod cum communiter dicitur, formam esse rationem agendi, id non tàm intelligitur de forma partis, & Physica, quàm de forma totius, & Methaphysica, sumpta pro quidditate, & natura rei.

Ob. Si materia esset actiua, non esset necessarium agens extrinsecum ad productionem formæ, sed hoc est falsum, ergo &c. Tum quia materia producta fuit in rerum natura, vt esset subiectum omnis mutationis, ergo ex sua conditione tm̃ conuenit ei potentia passiua, non actiua. ℞. negando sequelam, quæ tunc vera esset, quando materia poneretur talem habere actiuitatem, qualem habet generans, & efficiens, quam ei non tribuimus, & ideò estò subiectum sit omnis mutationis, requiritur tamen extrinsecum agens, quod ex ea formam educat.

Ob. Omne agens est determinatũ ad talem, vel talem operationem, at materia est ex se indeterminata, ergo. ℞. Materiam in genere principij passiui esse ad omnes formas indeterminatam, in genere autem principij actiui est in ordine suæ actiuitatis determinata, quia ab ea non dimanant, nisi tales passiones suæ naturæ conuenientes; nec impressiua est nisi specierum ipsam repræsentantium.

Arguitur, quod forma non potest esse passiua, nam formæ est agere, materiæ est pati; forma est actus, materia est potentia, aliter si materia ponatur quomodocumq. ratio agendi, & forma patiendi, eo ipso confunderentur munera materiæ, & formæ. ℞. vt supra, nec pati esse ità propriũ materiæ, vt agere ei repugnet, nec formæ proprium agere, vt ei repugnet pati, nam materia est suarum proprietatum effectiua, & anima suorum actuum receptiua; Quare dicuntur absolutè forma actus, materia potentia, quia, considerantur, vt partes concurrentes ad constitutionem compositi Physici, in quo concursu materia se habet passiuè, forma actiuè, seu perfectiuè. Neq. ob id confunduntur munera Physica materiæ, & formæ, nam in constitutione Physici compositi materia semper se habet, vt potentia, forma vt actus. Tum quia munus materiæ primæ est esse primum subiectũ omnium formarũ, & munus formæ est, ità esse actum, vt non possit esse primum subiectum: & in hoc sensu intelligi debet Scot. in 2.d.12.q.1.E. dum in ratione act⁹, & potentiæ vocat materiam, & formam primo diuersa.

DISPVTATIO IV.

DE PRIVATIONE.

Potest discussionem materiæ, & & formæ, sequitur, vt aliqua de priuatione indagemus, quæ etiam inter principia in fieri rerum naturalium computatur. Priuatio igitur sumitur dupliciter, propriè scil. & cómuni-

muniter; propriè dicit negationem formę, quam res aliqua nata est habere secundum se, sic homo Cęcus dicitur priuatus visu, quia secundum quod homo, aptus est videre, in quo sensu Catulus ante nouem diem, non dicitur Cęcus, vel visu priuatus, quia ante tale tempus non competit ei visio secundum se: Communiter verò sumpta priuatio, dicit negationem formæ, quam res nata est habere, non secundum se, & propriam rationem specificam, sed secundum rationem genericam proximam, vel remotam, in quo sensu talpa potest dici Cęca, quia vt animal, capax est visus: Hæc ordine principij est terminus à quo, & prius inest materiæ, quàm forma, nam in materia est per se, forma verò ab agente, & si materia nunquam est sine forma, priuatio tamen prius inesset, nisi causa extrinsica impediret, vt Scot. docet in 3.d.2.q.1.lit.F. differt Priuatio à negatione, nam negatio absolutè dicit carentiam omnis entis; priuatio autē, & si sit carentia, cōnotat tamen subiectum potens, & dicit aptitudinem ad id, cuius est priuatio. Priuatio igitur, vt Scot. monuit in primo d.28.q.1.lit.B.ex Aristol.5.Metaph. c.22.vel importat carentiam formæ, & aptitudinem ad illam sub ratione tantum entis, vt Cęcitas in lapide, qui caret visu vt ens: vel est carentia formæ cum aptitudine in ratione generis proximi, vt talpa dicitur Cęca, vel est carentia cum aptitudine in ratione speciei, vt surditas in aspide, qui astutè fit surdus, ne incantationem audiat, vel est carentia cum aptitudine ad aliquam formam indiuiduam, quam subiectum secundum se natum est habere, & de ista loquimur in præsenti disputatione.

ARTICVLVS PRIMVS.
An detur priuatio verè à Parte rei.

Scotus, hunc articulum resoluit in primò sent.dis.23.q.vni. vbi duplex genus negationū distinguit, quædam .n. negationes sunt reales, quędam rationis; negationes rationis competunt rebus per Intellectū tantùm, vt negatio subiecti in homine posito à parte prædicati, cum dicimus Paulus est homo, competit ei tantum per intellectum, idest, quod homo in hac propositione non fuerit positus loco subiecti, sed loco prædicati, fuit per opus intellectus. negationes verò reales, nullo Intellectu considerante adhuc in rebus reperiuntur, vt negatio hinnibilitatis in homine quia homo non est equus à parte rei, & non quia ità cogitat Intellectus. Soncin. 10. Methap.q.15. docet priuationem secundum id, quod dicit in recto, & vt negatio est, esse formaliter ens rationis, & solùm fundamentaliter ens reale; quam opinionem sequuntur multi in tractatu de ente rationis; communior tamen opinio admittit priuationem à parte rei; Alij tamen distingunt ens reale in positiuum, & priuatiuum, & asserunt quod estò non detur priuatio à parte rei, vt ens reale positiuum est, dicitur tamen ens reale priuatiuum; quem dicendi modum sequuntur passim Recentiores, & ex nostris Fuentes 1.Phys.q.3.diffic.vn.

Conclusio.

Dicimus, Priuationem pro vt dicit negationem formæ, non esse ens ratio-

rationis, sed dari à parte rei, nullo Intellectu cogitante, non tamen ex hoc, ens reale priuatiuum dici debet. est Scoti loc. cit. initio articuli, & probatur quoad primam partem; seclusa .n. omni Intellectus operatione, verè à parte rei homo non asinus, verè talis homo est Cęcus, aer verè est tenebros⁹, ergo priuatio Indepēdenter omninò ab Intellectu est in rebus. quæ doctrina colligitur ex Arist. 4. Meth. vbi ait: *ipsum non ens, esse non ens dicimus*. quibus verbis significare voluit, quod priuatio, quatenus negatio est, & non ens, datur à parte rei, non quidem accipiendo esse propriè, vt significat positiuam existentiam rei, sed tantùm abusiuè; quatenus estò realiter positiuè non existat, nullo tamen cogitante Intellectu, nata est propositiones verificare; vndè cum dicimus aerem esse tenebrosum, hominem non esse asinū, ꝓpositiones istæ veræ sūt à parte rei, & non, quia Intellectus ità fingit.

Respondent Aduersarij, huiusmodi propositiones verificari à parte rei tantùm fundamentaliter, non formaliter, vt de alijs enunciationibus entis rationis dici solet.

Sed contra est, nam, quòd cęcus sit visu priuatus, & quod homo non sit Asinus formaliter, & actualiter ità est à parte rei, & non fundamentaliter tantum. Tum, quia dicere aerem esse tenebrosum, non est aliud, quam dicere aerem nom habere lucem, sed hoc verum est à parte rei formaliter, ergo, & illud.

Datur igitur Priuatio à parte rei, non quod ponat aliquid in subiecto, sed potius, quia remouetur, & tollitur aliquid à subiecto scil. forma; quòd explicari potest, tàm modo negatiuo, dicendo, subiectum non habere formam, vel formam non esse in subiecto; quàm modo affirmatiuo, dicendo, subiectum esse forma priuatum, habere priuationem formæ &c. hæc autem non est ens rationis, nam termini mutationis realis sūt reales; priuatio autē est terminus à quo mutationis Physicę. Tum, quia oppositio priuatiua est realis, & extra animam, ergo habere debet extrema realia.

Probatur quoad aliam partē, quòd scil. priuatio dici non debet ens reale negatiuum, sed priuatiuum, implicat .n. in adiecto; nam ens reale dicit entitatem positiuam in suo conceptu formali, per quem primò distinguitur, à non ente, & ab ente rationis. Tum, quia eadem ratione peccatum dici posset iustitia priuatiua, vt benè auertit Hurt. disp. 3. sec. 1. Tum, quia si priuatio esset ens reale, iam aliquod reale poneret in subiecto, quòd tamen falsum est, quia priuatio solùm tollit, & negat. Tum tandem, quia Arist. semper appellauit priuationem non ens, non autem ens reale priuatiuum, vt patet ex 1. Phys. tex. 7.

Respondere solent, negando, ꝙ ens reale, vt sic dicat entitatem positiuam, nam hoc spectat ad ens reale positiuum, & concedendo, quod priuatio ponat aliquid reale in subiecto, sed reale priuatiuum, & quod Arist. appellauit priuationem nō ens, idest non ens positiuum.

Sed Cōtra, nam cum diuiditur ens reale in positiuum, & priuatiuum, vel talis diuisio est vniuoci in sua vniuocata, vel æquiuoci in ęquiuocata; non primum, quia positiuo, & pri-

 natiuo

natiuo non est aliquod commune vni uocum, vt omnes rationabiliter affirment, ergo secundum, & ità priuatio non est verè ens, sed tantum Metaphoricè, & abusiuè, sicut homo pictus dicitur homo: vndè reuera non est ens, nec quid reale, sed priuatio entis realis, & cum dicimus, priuatio est, homo est Cęcus, nihil reale affirmatur, sed potius negatur modo compositiuo, & ly *est* adiunctum priuationi, vel Cęcitati, nullam existentiam significat, sed formæ realis absentiam, eo modo, quo dicere solemus, nihil esse extra mundum, cuius sensus est, quod extra mundum, non existit aliquid. & videtur esse opinionem communem etiam Thomist. nam Caiet. reddens huius doctrinæ rationem aiebat: *quia remotio vitæ non est* vita, *nec remotio entis realis potest dici ens reale*. & D. Aug. super Genes. ad lit. c. 4. ait: *dictum est tenebrę erant super faciem abyssi, ac si dictum esset non erat lux super abyssum*.

Obiectiones.

Obijcitur primò, quòd priuatio sit formaliter ens rationis: inter ens reale, & rationis non datur medium, ergo cum priuatio non sit ens reale, erit ens rationis. ℞. concedendo nō dari mediū inter ēs reale, & rationis, mediare tamen negationem realem, quę formaliter, nec sit ens reale, nec rationis.

Obijcies 2. iam experimur nos priuationem non exprimere nisi per modum entis positiui V. g. tenebrām ad modum tenebricosę cuiusdam qualitatis extensę per aerem, ergo formaliter est ens rationis. ℞. concedendo, cum huiusmodi priuationes, & negationes concipimus per modum alicuius positiui, hoc positiuum, quod ab intellectu illis tribuitur esse ens rationis formaliter, sumendo tamen priuationem præcisè, quatenus scil. subiectum non habet talem formam, aer V. g. non habet lucem, oculus nō habet visum &c. hoc euenit citra quodcunq. opus intellectus, nam verè à parte rei aer nō habet lucem, oculus caret visu &c. vnde priuatio in se considerata tantùm ens rationis materialiter dici potest, quatenus per opus intellectus acquirere potest esse rationis formale, cum scil. ad modum formæ realis concipitur, vt in logica disputatione de ente rationis declaratum est.

Secundò, Arguitur ad probandū, quod priuatio sit ens reale priuatiuum: Priuatio est à parte rei ante opus intellectus, & de ipsa prædicatur verbum est secundum adiacens, vt patet ex Sacra Genesi, quod tenebræ erant super faciem abyssi, ergo est ens reale, saltem priuatiuum. ℞. negando consequentiam, nam solū n sequitur esse priuationem realem, & negationem non fictam; & cum verbum est tribuitur priuationibus, id fit abusiuè, eo modo quo dicimus extra mundum nihil esse, vel esse vacuum, cuius sensus est, non esse ibi aliquid, & Tatare. 1. Phys. q. de priuatione notan. 1. & Trombetta 12. Meth. q. 6. addunt terminos priuatiuos semper esse connotatiuos, siue in concreto, siue in abstracto sumantur, hinc cum illis tribuitur verbum est secundum adiacens, supponunt pro subiecto priuato, vt cum dicimus, cæcitas est, cæcitas supponit pro oculis visum nō habentibus &c.

Ob.

Ob. Cęcitas, & quælibet alia priuatio concipiuntur ab intellectu, & explicantur per definitiones, & aliquę percipiuntur sensu, hinc Arist. 2. de an. 138. docet visum discernere lumen, & tenebras, sed quod sensu percipitur, habet aliquod esse à parte rei ergo &c. ℞. quod sicut priuationes proprias essentias non habent, ità nec propriè definitiones essentiales, sed solùm aliquos conceptus, quibus manifestantur. & cum Arist. ait visum discernere lumen, & tenebras, non intelligendus est positiuè, & per se, quasi quod actus videndi feratur in tenebras ipsas, sed negatiuè, & per accidens, scilicet non videndo lucem in aere; hinc cum ibi dixisset, visu discerni lumen à tenebris, subdit, *sed non similiter*. quod rationabiliter dixit, nam lumen discernimus positiuè, tenebras autem negatiuè.

Ob. hæc est bona consequentia, paries est realiter albus, ergo albedo, seu esse album dicit aliquod esse reale in eo, sic pariter à simili, paries est realiter albedine priuatus, ergo priuatio albedinis ponit aliquod reale in ipso, nam realiter vtrumq. disiunctim parieti conuenit. ℞. ex Doct. in 1. d. 30. q. 2. ad vltimum principale, quod realitas aliquando determinat prædicatum, seu inhærens; aliquando inhærentiam tantùm, seu compositionem prædicati cum subiecto; in primo sensu significat, prædicatum importare esse reale in subiecto; in secundo verò sensu nihil aliud denotat, quam quod illud verè est, sicut cum dicimus; hæc propositio, homo est lapis, est realiter falsa, id est, verè est falsa. quando igitur dicimus, quod paries est realiter albus, ly realiter determinat vtrumq. & inhærens, & inhærentiam, sed cum dicimus, paries est realiter albedine priuatus, ly realiter determinat inhærentiam tantùm, & significat, quod verè in pariete non reperitur albedo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid sit formaliter priuatio.

SCot. in 2. sent. d. 37. & quol. 18. statuit, peccatum esse priuationem rectitudinis debitæ actui secundo, atq. ideo nihil positiuum in sua formalitate includere. qua doctrina ostendere voluit, priuationem formaliter importare negationem; & eum sequuntur Scotistæ cōmuniter, Canonicus 1. Phys. q. 10. art. 2. Tatar. Tromb. Bassol. & alij cum Recentioribus ferè omnibus, à qua sententia ex nostris recedunt Thomas Anglicus, & Shēma 1. Phys. digress. 6. q. 2.

Conclusio.

Dicimus, Priuationem in recto, & pro formali significato importare negationem, pro Connotato autem, & in obliquo aptitudinem in subiecto. est Scoti loc. cit. & Scotistarum, & patet primò ex Arist. 5. Meth. tex. 27. vbi inquit, idem esse negationem contradictoriam, & priuatiuam, & solùm differre subiecto, & 1. Phys. ait, priuationem esse per se non ens. probatur etiam ratione, ex definitione eius tradita ab Arist. 5. Meth. 27. vbi negatio ponitur in recto, & subiectum aptum in obliquo, eam n. definiuit, quod sit negatio formæ in subiecto apto. Tum quia benedicimus, quod cæcitas est negatio potentiæ visiuæ, & non rectè dicimus, quod sit capacitas potentiæ visiuæ in

subiecto habente capacitatem illius potentiæ, ergo in recto dicit negationem formæ,& in obliquo capacitatem eius in subiecto. Tum quia priuatio formaliter accepta est incompossibilis cum forma,& per eam à subiecto expellitur, sed aptitudo non est incompossibilis cum forma, nec expellitur à subiecto, ergo priuatio formaliter, & in recto non est aptitudo. Tum quia cuilibet entitati positiuæ, quæ in aliquo subiecto recipi potest, est priuatio opposita, sed priuationi non est priuatio opposita, ergo &c. Tum quia omnis entitas positiua nouiter acquisita est terminus alicuius actionis positiuæ, sed priuatio est terminus solius corruptionis, ergo &c. Nec respondere valet, priuationem non includere in sua formalitate solum positiuum, sed ipsam quoq. negationem formæ, non valet, nulla.n. entitas simul constitui potest ex duobus extremis contradictorijs, vt Canonicus benè aduertit, ergo priuatio constitui non potest talis entitas ex positione, & negatione conflata. Et tandem ex opposita doctrina sequeretur, peccatum includere in sua formalitate aliquod positiuũ, quod falsum est, & contra Scotum. ℞. Sghéma loc. cit. in fine, quod peccatum est carentia moralis, non Physica. 2. quod peccatum etiam includit positiuum pro substrato, & materiali: sed parcat mihi tantus Doctor, nam in ratione priuationis non differunt carentia Physica, & moralis, & verum est, quod peccatum includit positiuum pro substrato, sed idcirco excluditur à formali, & principali significato. Eiusdem sententiæ sunt Perer. Et Octauius Farnesius in suis conclusionib. ad Paulum Quintũ lib. 2. c. 3. nu. 439. & Tostatus ad 17. Matth. q. 13. ad 2. vbi ait: *Asserere priuationem esse ens reale priuatiuũ inconueniens est, quia illud additum est destruens.*

Obiectiones.

Ob. primo, Ratio formalis distinctiua rei, est etiam constitutiua eiusdem, sed priuatio distinguitur essentialiter à simplici negatione per aptitudinem subiecti, ergo hæc aptitudo erit ei intrinseca, constitutiua, & essentialis. ℞. ex Trombetta, & Canon. priuationem, non distingui per intrinseca à negatione simplici, sed solùm penes connotata, & quod illa maior valet in positiuis, non in priuatiuis; vel dicimus cum Mastrio, & Belluto, maiorem illam valere tantũ in absolutis, non autem in connotatiuis, quæ non differunt essentialiter, & in principali significato, sed tantũ penes connotata, hinc dicimus generationem formæ, & eius creationem non differre in principali significato, quia vtraq. est productio formæ, sed tantũ penes subiectum cõnotatũ à generat. quod nõ cõnotat creatio.

Ob. 2. ex Anglico: Quod nihil est, nihil sibi determinat, ergo cum priuatio sibi determinet subiectum, formaliter erit aliquid. ℞. Antecedens valere de nihilo omninò, tàm in recto, quàm in obliquo, sicuti est negatio extra genus, priuatio verò est aliquid in obliquo, & ideò non est contra nos.

Ob. 3. ex Sghéma: Priuatio est terminus mutationis realis, scilicet corruptionis, & est principium generationis, ergo est quid positiuum.

℞. negando consequentiam, & ratio est,

tio est, quia priuatio est terminus corruptionis, quæ est mutatio deperditiua, non acquisitiua; & est principium generationis per modum termini à quo, ad quem modum principiandi non exigitur vera entitas realis, & positiua, nec realis influxus, sed sufficit, quod sit vera negatio realis.

Ob. 4. priuatio generat appetitum in materia, qui est aliquod positiuum in ea, ergo &c. ℞. generare appetitum in materia solùm per accidens, indirectè, & occasionaliter, non per se, & directè, nec in ratione appetitus, & aptitudinis ipsum generat, in quo sensu importat positiuum, sed tantum in ratione desiderij, in quo sensu non dicit quid positiuum, sed tantùm absentiam formæ connotat.

Ob. 5. Priuationis esse, essentialiter est subiecto in esse, nam implicat, priuationem esse, & in subiecto non esse, ergo coexigentia subiecti erit de intrinseca ratione priuationis. ℞. negando consequentiam, quia etiam relatio essentialiter coexigit extrema, & tamen non benè indè deducitur, extrema esse de essentia relationis; quare potius deduci debet, quod intrinsecus ordo ad subiectum aptũ sit de essentia priuationis, qui ordo est negatiuus, & explicatur per hoc, quod priuatio est talis negatio, quæ nata est terminare ordinem subiecti ad ipsam priuationem. ità Mastrius, & Bellut. disp. 4. Phys. q. 1. art. 2.

Hic dubitari solet, an priuatio distinguatur realiter à subiecto, & ℞. communiter affirmatiuè, quòd dignè, & efficaciter probat Canonicus 1. Phys. q. 10. art. 4. quæcumq. n. ità se habent, quòd vno manente, reliquũ nõ manet, illa realiter distinguuntur, sed subiectum manet, priuatio recedit, ergo subiectum, & priuatio realiter distinguntur, non vtique distinctione reali positiua, quæ versatur inter extrema positiua, sed negatiua, qualis reperitur inter ens, & non ens; patet maior; nam quæ ità se habent, vt vnum existat sine alio, censentur realiter distincta, quia si essent idem realiter, vnũ non posset à parte rei esse sine alio; nec ad distinctionem realem requiritur, vt extrema mutuò possint separata existere, alioquin creatura non distingueretur realiter à Deo; &c.

Dices, priuatio conuenit materię ex se, forma verò per agens extrinsecum ex Scoto in 3. d. 3. q. 1. ergo secundum se, & necessariò est materia priuata forma, & consequenter priuatio est ei realiter identificata. ℞. negando consequentiam, & solùm infertur prioritas naturæ in priuatione ad formam penes commune subiectum, non autem identitas, & prioritas naturæ positiua; quia potuisset Deus ab æterno materiam creare cũ forma, in quo casu priuatio nõ præcessisset formam; sed est prioritas priuatiua, quatenus priuatio quantum est ex se, semper materiæ in esset, nisi esset extrinsecum agens, formam oppositam introducens, & ità intelligẽdus est Doctor, non in sensu, quem argumentum intendit.

Vrges adhuc, ex Arist. 1. Phys. tex. 79. vbi ait priuationem esse vnum numero cum materia. ℞. quod aliqua dici possunt vnum numero dupliciter, scilicet intrinsecè, & subiectiuè: primo modo dicuntur vnum numero quæ vna hæcceitate indiuiduãtur;

tur; secundo modo dicuntur vnum numero, quæ sunt in eodem subiecto, quo sensu albedo, & dulcedo in in lacte dicuntur vnum numero ex 6. Topic.c.1.quia sunt in eodem subiecto; Priuatio, & materia dicuntur ab Arist. vnum numero secundo modo, vt ibi eius expositores explicāt, vel dicuntur vnum numero negatiuè, quatenus priuatio non addit materiæ positiuam entitatem.

Obijcies tandem, non potest materia etiam per absolutam Dei potētiam priuatione spoliari, nam materia ligni V. g. priuata est infinitis formis, quæ simul, & semel in materiam induci non possunt, cum sint incompossibiles, ergo eam sibi realiter identificat. ℞. negando consequentiam, & ratio est, quia licèt materia non possit omnibus priuationibus simul denudari collectiuè, potest tamē omnibus spoliari distributiuè, modo hac, modo illa; repugnantia verò, ob quam non possunt omnes priuationes à materia simul auferri, non est petenda ex incompossibilitate formarum, vt infra patebit, quia Deus potest plures formas disparatas in materia producere, sed petenda est, quia multitudo formarum possibilis est tantùm Syncathegorematicè, & indeterminatè, non simul producibilis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo Priuatio, & forma opponantur.

SCot. hunc articulum resoluit in 2.sent.d.2.q.1.§. *Hic dicitur*, & q.9.supra M, & sæpè alibi. supponimus, vt communiter receptum, priuationem opponi formæ, & tolli per formam, sed dubium est de modo, an mediatè, vel immediatè formæ opponatur. Multi Theologi etiam de nostratibus, ex sententia Scoti, qui statuit essentiam peccati in priuatione, admittunt priuationem priuationis, & consequenter asserunt, priuationem non opponi immediatè formæ, sed suæ priuationi, vt cæcitas non immediatè opponitur visui, sed priuationi cæcitatis, Cęcus.n. opponitur non Cęco. Dubitatur etiam, an priuatio ita formę immediatè opponatur, vt tantùm per positionem illius in subiecto tolli possit, & non aliter. Aliqui affirmant, priuationē non solùm tolli posse per formam positiuè oppositam, sed etiam per negationem ipsius priuationis, & est cū subiectum redditur ineptum ad formam suscipiendam, ita Hurtad. in Phys. disput. 3. sec. 1. cum aliquibus paucis, inter quos est Arriag. disp. 2. Phys. num. 176.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, priuationem immediatè opponi formæ, non autem suæ priuationi, vt cęcitas immediatè opponitur visui, non autem priuationi cęcitatis. est Scoti loc. cit. in 2. quem multi Theologi sequuntur in materia de peccatis. Tum ex Philosopho cap. de oppositis, vbi clarè docuit inter priuatiuè opposita, sicut est forma, & priuatio, non dari medium, ergo priuatio immediatè opponitur formæ, non suæ priuationi. Tum quia vniuersaliter loquendo, vt Scot. docet, negatio negationis est affirmatio positionis, vt negatio negationis humanitatis est ipsamet humanitas. Tum quia priuatio cęcitatis est visus, priuatio tenebræ est lux. Tum quia experientia ipsa docet, priua-

priuationem non tolli immediatè à subiecto, nisi per formã oppositam, cęcitas immediatè excluditur ab oculo, p visum; tenebrę ab aere, p lucẽ. Tum quia esse, & non esse immediatè opponuntur, ergo sic etiã cęcitas visui, & tenebra luci; probatur consequentia, nam visus est esse visus, & cęcitas non esse visus, & lux est esse lucis, & tenebra non esse lucis. Tum tandem quia priuatio cęcitatis V. g. erit non esse cęcum, sed in subiecto visus capaci, esse non cęcum, est formalissimè esse videntem, ergo nullus cõceptus mediat inter priuationem, & formam.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. priuationem, tantùm per formam illi oppositam positiuè, vel per aliam superiorem virtualiter illam continentem à subiecto tolli. est Scoti in 2. d. 14. q. 1. lit. B. & d. 32. q. vn. lit. F. probatur, priuatio priuationis, vt diximus, non est nisi forma positiuè opposita, vel formaliter, vel virtualiter, ergo non tollitur à subiecto, nisi per positionem illius in eodem subiecto. Tum quia priuatio definitur, quod sit carentia formæ in subiecto apto, ergo quando ponitur forma, tollitur priuatio, nec alio modo videtur tolli posse.

Obiectiones.

Obijcitur contra primam: si non daretur priuatio priuationis, peccatum commissionis in positiuo consisteret, sed hoc est falsum, & contra Scotum ergo &c. probatur sequela, nam peccatum commissionis solùm opponitur pręcepto negatiuo, rectitudo. n. debita, in cuius carentia consistit malitia commissionis, est carentia V. g. furti, vel homicidij &c. per est quid positiuum, peccatum commissionis in positiuo consistet, scilicet præceptum non furandi, & non occidendi, ergo si priuatio priuationis in actu ipso furandi, vel occidendi, quia per ipsum furtum, & homicidiũ aufertur carentia illius rectitudinis, quam habet, qui non furatur, vel occidit, & ità doctrina Scoti corruit. ℞. negando sequelam, & ad probationem negatur assumptum, & ratio est, quia in violatione præcepti negatiui, rectitudo debita non est carẽtia furti, homicidij &c. sed conformitas ad præceptum negatiuum, sicut è contra rectitudo debita in violatione pręcepti affirmatiui V. g. audiendi missam, non est auditio missæ, nisi materialiter, sed formaliter est conformitas ad præceptum affirmatiuum, nata super talem actum fundari: hinc admittimus, quod carentia negationis furti, & homicidij, sit quid positiuum, ipsa nimirum positiua entitas furti &c. sed indè non sequitur, quod malitia horũ actuũ consistat pro formali in positiuo, quia sicut illæ negationes furti, homicidij &c. non sunt bonitates, & rectitudines formales, sed tantùm materiales, ità quæ illis opponuntur sunt malitiæ morales tãtum materialiter, & idcirco adhuc benè saluatur, quod peccatum commissionis in priuatione consistat ità Mastrius, & Bell. disp. 4. Phys. q. 2.

Ob. 2. Cęcus immediatè opponitur non cęco, nam cęcus, & videns non dicunt formaliter eumdẽ conceptũ, ergo cęcum non opponitur immediatè videnti, sed non cęco, & ità datur priuatio priuationis; antecedens probatur, nam lapis non est videns, & tamen est non cęcus. ℞. quod in su-

in subiecto capaci visus, & cęcitatis, videns, & non cęcum dicunt eumdẽ omnino conceptum; & ratio est, quia priuatio, & forma sunt circa idem subiectum; in subiecto autem incapaci, vt est lapis, non sunt idem, quia ibi non est priuatio visus, sed negatio, visus autem, & eius carentia, nõ opponuntur priuatiuè in subiecto incapaci, quia cęcitas non est sola negatio visus, sed priuatio, at nos hic loquimur de oppositione priuatiua.

Contra Secundam, Arguit Hurtad. contendens probare, quod priuatio posset tolli à subiecto, non tãtum per formam positiuè oppositam, verùm etiam per negationem, & est quando subiectum redditur ineptum, & hoc probat ex definitione priuationis, quæ est carentia formæ in subiecto apto, ergo quando ponitur forma positiua in subiecto, vel subiectum redditur ineptum ad eam formam, tollitur priuatio; sed aliquando subiectum recipit formam oppositam, aliquando redditur ineptum ad eam recipiendam, ergo priuatio tollitur, vel per formam positiuam, vel per negationem, probat minorẽ quoad secundam partem, afferens exemplũ de catello: Catulus canis ante nonum diem habet negationem visus, quia ante talem diẽ est incapax videndi, si verò postea illi eruantur oculi, erit vtique priuatus visu, sed redditur etiam ineptus ad videndum ex natura sua post nonũ diẽ q̃ ı pote rat illum habere, ergo idem subiectum potest effici de incapaci capax, aut incapax de capaci alicuius formę; R. negando subillatam minorem quo ad secundam partem, quod scil. subiectum reddi possit ineptum in naturalibus ad formam recipiendam; & ratio est, quia aptitudo suscipiendi formam, non potest tolli à subiecto manente natura susceptiui, quia talis aptitudo est ei realiter identificata. ad exemplum dicimus, quod Catellus etiam ante nonũ diem est absolutè capax visus, quia intrinseca capacitas ei non deficit, sed solùm conditio quædam, vt proximè reducatur ad actum, quæ est determinatum tẽpus à natura, atque ideo post nonum diem non dicitur fieri de incapaci capacem, sed de incapaci remotè, fieri capacem proximè; sic etiam si postea in oculo oriatur humor noxius, qui visum tolleret, non redderet absolutè oculum incapacẽ visus, sed tantùm in sensu composito, stante scilicet humore illo in oculo, sicuti materia, per hoc, quod habet vnam formam, non ideò redditur incapax aliarum formarum.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Priuationes multiplicentur ad pluralitatem formarum.

SCot. hoc dubium decisit quol. 18. §. *ex isto sequuntur &c.* vbi docet priuationes distingui, & multiplicari sicut formæ, quibus opponuntur, siuè specie, siuè numero. Multi sunt Doctores, qui absolutè affirmãt, in materia esse vnam priuationem omnium formarum, sicuti est vna potentia, & quod adueniente forma, non corrumpitur priuatio secundum se, sed solùm secundum denominationem respectu illius. Alij distinguunt priuationem, sicut distingui solet potentia, quod scilicet sicut potentia materiæ duplex est, vna remota, & vniuersalis, alia proxima, & par-

& particularis, quæ connotat proximam dispositionem ad hanc, vel illã formam, ità duplex est priuatio, vna remota, & vniuersalis omnium formarum, alia proxima, & particularis huius, & illius; prima est vna respectu omnium; altera multiplicatur ad multiplicationem formarum; & asserunt, quod sicut in materia non dantur duæ potentię proximę particulares ad duas formas, sed tantùm successiuè vna post aliam, quia dispositiones ad formas specie diuersæ sũt incompossibiles, ità in materia non dantur simul plures proximæ priuationes, sed tantùm successiuè vna post aliam, iuxta successionem variarum dispositionum. Alij verò è contra negant priuationem vniuersalem ad omnes formas, & affirmant, priuationes non solùm multiplicari debere ad multitudinem formarum, verũ etiã respectu eiusdẽ formę plures dari posse priuationes; ita multi Theologi in materia de peccatis, vt malitiam vitiorum extremorum declarent. Alij tandem priuationes adęquatè multiplicant, & distingunt specie, & numero iuxta multitudinem, & distinctionem numericam, & specificam habituum, seu formarum oppositarum, & hæc est sententia communior.

Conclusio.

Dicimus, in eodem subiecto, nec esse plures priuationes eiusdem formæ, nec vnam priuationem omnium formarum, sed tot priuationes præcisè, quot formas possibiles haberi de illo subiecto. Est Scoti loc. cit. & sequuntur Hurtad. Amic. & Recentiores cõmuniter; & probatur quoad primam partem, scilicet, quod non possint in eodẽ subiecto plures priuationes vnius formæ reperiri, nam dum forma aduenit, eius priuatio recedit, & nulla alia eiusdem formæ numero, vna priuatio numero. Tum quia si essent plures, vna recedente per aduentum formæ, non apparet cur aliæ debeant necessariò recedere, & ità ad præsentiam formæ, adhuc subiectum censeretur priuatum, quod si aliæ necessariò recedunt, tunc eiusdem mutationis specie, & numero, plura erunt principia specie, & numero, per modum termini à quo.

Probatur deinde quoad secundam partem, scilicet, quod in materia non sit vna priuatio omnium formarum, si .n. distinctio, & multiplicitas priuationum solùm attendi debet penes distinctionem, & multiplicitatem formarum, quibus priuant, cum non detur vna forma vniuersalis apta nata pro omnibus informare, sed multæ sint specie, & numero, consequenter statui non poterit vna priuatio in materia pro omnibus formis. Tum quia ex hoc sequeretur, quod priuatio maneret simul cum forma, sicut manet potentia, quod falsum est. Tũ tandem, quia ideò priuatio in materia admittitur, vt sit principium per modum termini à quo, & per modum abiectionis, sed priuatio, q̃ ità ad generationem concurrit, est priuatio particularis, quia hæc adueniente forma recedit, & recedente accedit, ergo solùm priuationes particulares ponendæ sunt in materia, nulla vniuersalis.

Obiectiones.

Ob. primò probando, quod in subiecto possit esse vna priuatio omniũ forma-

formarum: vna tantùm potentia est in materia ad omnes formas, ergo & vna tantùm priuatio est in materia ad omnes formas, ℞. negando paritatem, & ratio est, quia potentia materiæ dicit formaliter aptitudinem, quæ vna esse potest ad omnes formas, priuatio autem dicit formaliter non esse formæ, & ideò necessariò multiplicari debet ad multiplicationem formarum. Tum quia ad aduentum formæ, non tollitur potentia vniuersalis materiæ respectu illius, sed cum illa remanet, at priuatio perit, nunquam .n. priuatio simul consistere potest cum forma, cuius est priuatio.

Ob. 2. eadem relatio esse potest ad plures terminos, si sint inadęquati, ergo, & eadem priuatio plurium formarum. ℞. negando paritatem de priuatione, & relatione ad plures terminos inadęquatos, nam relatio non tollitur per terminum inadęquatum, quando definit, nisi secundum denominationem, sicut relatio paternitatis (secundum Thomistas) manet secundum se, currupto vno filio, & alijs remanentibus, & solùm corrumpitur secundum denominationē respectu filij mortui, quo exemplo Aduersarij declarare solent hāc priuationem vniuersalem in materia respectu omnium formarum; at priuatio verè tollitur à parte rei, adueniente forma.

Arguitur deindè quòd eiusdē formæ plures priuationes esse possunt; nam in naturalibus tenebra est vna priuatio, & tamen priuat multiplici lumine, quo tolli potest, quia tenebrę quauis luce pelluntur, siue solis, siue ignis, siue candelæ &c. ℞. negando assumptum cum Hurtad. loc. cit. S. 9. & ratio est, quia tenebræ non sunt vnica sola priuatio huius, & illius lucis, sed aggregatum priuationum cuiuscumq. lucis, solis, ignis &c. hinc sublata vna sola priuatione, per vnā lucem, statim pelluntur tenebræ omnes, cum consistant in illo aggregato omnium priuationum simul cuiuscumq. lucis. vel quia priuatio immediatè opponitur luci à quocumq. agente proueniat.

Ob. tandem, quod non sint actu tot priuationes in materia, quot formæ possibiles in ea; Tum quia iam in materia creata reperiuntur omnes formę substantiales in vniuerso productæ, ergo saltem priuationes harum omnium formarum nō sunt in materia. Tum quia si sermo est de priuationibus formarum possibilium, nec ipsæ actu admittendæ sunt in materia, quia essent infinitæ actu, & cathegorematicè, si formæ possibiles infinitæ sunt in potentia, & Syncathegorematicè.

℞. ad primum, quod estò in tota materia non sint priuationes genere, & specie distinctæ, sunt tamen in vna portione materiæ, V. g. in materia, quæ substat formæ ligni, vnitæ sunt priuationes omnium aliarum formarum substantialium existentium in alijs materiæ portionibus. Ad secundum, negatur sequela, nam sicut formę possibiles essent infinitæ in infinitum, & Syncathegorematicè, sic etiā & priuationes.

Hic dubitari solet, an priuatio suscipiat magis, & minus, & ℞. ex Scoto in 2. d. 37. q. vn. quod priuatio formæ substantialis non suscipit magis, & minus, cum nec ipsa forma magis,

& mi-

& minus suscipiat intensiuè; atque ideò sicut substantialis forma in indiuisibili consistit, similiter, & priuatio tota, vel ponitur, vel tollitur. At priuatio formæ accidentalis suscipit magis, & minus, sicut ipsa forma, & idcirco sicut introducto V. g. in aqua vno caloris gradu, non habetur tota forma intensiuè, ità per illum gradum non est ablata ab aqua omnis priuatio caloris; sed sicut tot gradus caloris efficiunt vnum integrum calorem, & quilibet gradus est partialis calor, ità priuationes omnium graduum constituunt integram priuationem totius caloris, & priuatio particularis singulorum graduum priuationem partialem constituit.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quomodo Priuatio dicatur principium Generationis.

SCot. hunc articulum resoluit in 2.d.5.q.2. lit. I, & in 3.d.2.q.3. E, & in 4.d.43.q.5.lit.H, & pluribus alijs in locis. Supponimus ex dictis, alia esse principia per se rei genitæ, alia principia perse generationis; rei genitæ principia ea sunt, ex quibus tamquam principijs res cõstat, vt cõposita naturalia intrinsecè ex sola materia, & forma; principia perse in fieri, & generationis ea sunt, quæ primò cadunt in intellectu cuiuscũq. generationis, & sunt termini à quo, ad quem, & subiectum, non .n. possumus intelligere rem aliquam fieri, nisi intelligamus commune subiectũ transire à non tali, ad tale esse.

Auersa in Physica q.10.sec.3. ait, quòd estò ante formam in aliquibus casibus, non præcesserit priuatio in subiecto, vt cum V. g. sol producit in se lucem eodem instanti, quod fuit ipse productus, & eo modo, quo fuerunt ab initio mundi producta à Deo corpora Cęlestia, & elementa tàm quoad materiam, quàm quoad formam, tamen absolutè verum erat, quod antea non dabatur forma, itaq. præcessit etiam in his casibus non esse formæ, seu priuatio, & non esse totius compositi, & ab hoc non esse, siue ab hac negatione formæ, tamquã à termino à quo, factæ sunt generationes illæ. Sed quia vlterius dubitari potest de generatione facta ab æterno, quia tunc non esset verum dicere, quod antea præcessisset non esse formæ, seu priuatio, & non esse totius compositi, subdit præfatus Auctor, non esse per se de ratione generationis, vt ante ipsam præcedat priuatio, aut non esse rei ordine naturæ positiuo, sed sufficere prioritatem naturæ negatiuam, quatenus scilicet priuatio præcessisset formam in materia quantum est de se, si ab agente extrinseco impedita non fuisset, introducente formam in materia in eo instanti, quo debebat in esse priuatio; & eodem modo verũ esset dicere de creatura ab æterno producta de non esse, ad esse transisse, & in hoc sensu, ait Auersa, priuationẽ esse principium necessarium per modum termini à quo in omni prorsus generatione, & adducit pro sua sententia, Scot. in 2.d.1.q.2.§. *Respondeo &c.* & q.3.§. *Tenentes autem*, & in 3.d.3.q.1.lit.G. in quibus locis talem prioritatem admittit inter non esse, & esse creaturæ ab æterno productæ, & inter priuationem, & formam productam cum materia in eodem instanti.

Conclusio.

Dicimus tamen, quòd vt priuatio dicatur principium generationis per modum termini à quo, vt Arist. locutus fuit 1. Phys. non sufficit prioritas naturæ negatiua priuationis ad formam, imò neq. positiua per modum negationis extra subiectum, neq. sufficit prioritas naturalis materiæ ad ipsam formam. est ad mentem Scoti loc. cit. & præcipuè contra Auersam. & quo ad primam partem, patet ex 1. Phys. vbi Peripatetici cū suo Magistro assignant principia generationis, prout à creatione distinguitur, sed principium per modum termini à quo, vt loquitur Auersa, quod scil. non esse rei præcedat esse rei extra subiectum ordine naturæ, priuatiuo, vel positiuo reperitur etiam in creatione, per quam res totaliter transit de non esse ad esse, tamquam ex termino à quo, ad quem; ergo priuatio non potest assignari principium generationis rerum naturalium per modum termini à quo in hoc sensu. Nec Respondere valet, Creationem, & generationē differre solùm ex principio concurrente per modum subiecti, non per modum termini à quo, vel ad quem, nam creatio, & generatio differunt etiam ex termino à quo ex Doct. in 4. d. 11. q. 4. & quol. 10. quia terminus à quo generationis est negatio in genere, & in subiecto, terminus verò à quo creationis est extra genus, ergo non eodem modo assignari debet terminus à quo in vtraq. productione. Tum quia in illis casious secundum hunc modum dicendi Auersæ, non saluatur, priuationem concurrere per modum termini à quo, sed tantum esse merā negationem, estò .n. negatio formæ præcedat, non tamen præcedit in subiecto ergo non saluatur, qrod cōcurrat vt priuatio. Resp. Auersa, quod priuatio in generatione concurrit in ratione negationis, non aptitudinis, & consequenter sufficit, vt concurrere dicatur per modum termini à quo.

Sed contra est, licèt .n. priuatio concurrat ad generationem ratione negationis, necessariò tamen quatenus principium est generationis à creatione distinctæ, petit subiectum, in quo fit, ità quod isto deficiente, non dicatur amplius priuatio, neq. principium generationis, sed potius creationis.

Probatur quoad secundam partē, quòd scilicet prioritas naturæ in materia ad formam non sufficiat ad rationem priuationis, Scot. n. in 3. d. 3. q. 1. lit. B. docet, quod opposita comparantur ad idem secundum ordinē naturæ, non simul ambo insunt, quia tunc contradictoria simul inessent, in stantia .n. naturæ includuntur in eodem temporis instanti, sed dicitur prius natura, quia tunc inesset, quātum est ex parte subiecti, nisi aliquod extrinsecum impediret; & affert exēplū de materia cōparata ad formā, & priuationē, nā prius est naturaliter materia non habens formam, quā habēs, non quòd in illo instanti, in quo habet formam, realiter non habeat eam, quia tunc contradictoria essent simul, sed quia tunc materia quantum est ex se dimissa sibi, non haberet formam, si agens extrinsecum non daret. Quare materia in illis casibus dicetur vtiq. natura præcedere formā, non tamen ob hoc dici deberet ha-

bere

bere formã, vel esse forma priuatam, quia cõtradictoria referuntur ad idé omnino instans, cum igitur in illo primo signo forma non sit nata illi cõpetere, sic etiam neq. priuatio competere potest: in illo .n. primo instanti naturæ, subiectũ itá naturaliter præcedit ipsam priuationem, sicut formã ipsam. ex quo tantùm inferri potest, quod in ratione subiecti non includitur nec priuatio, nec forma.

Est ergo cum communi asserendũ, quod hic agitur de principijs generationis Physicè, quæ fit interueniéte mutatione, quia sic principia inuestigauit Philosophus primò Phys. supponens priuationem præcessisse formam in materia, vt tex. 43. & 44. colligitur; quod si in materia priuatio formam non præcederet, generatio vtiq. fieret, sed non cum mutatione, sed tantùm in ratione productionis, non .n. interuenit generatio in ratione mutationis, nisi priuatio præcedat in susceptiuo formam duratione, vt pluries Scot. docet in locis cit. præcipuè in 2. d. 5. q. 2. lit. I, & in 3. d. 2. q. 3. E, & in 4. d. 43. q. 5. H, & itá gratis concedimus, in illis casibus priuationem nõ esse principium generationis, quia ibi non adest generatio in ratione mutationis. Quod si priuationẽ assignare voluerimus principium generanti pro quacũq. productione formæ de subiecto, sic admitti potest in sensu, quem docet Auersa ex Scoto relato, licèt talis sensus nõ fuerit à Philosopho intentus, dum statuit priuationem principium rerum naturalium. Confirmatur Cõclusio: Principium est id, vnde aliud; sed priuatio est id, vnde est mutatio, ergo.

Obiectiones.

Ob. primò ex Auersa: eiusdem prorsus speciei est illuminatio, qua aer illuminatus fuit in primo instanti suæ existentiæ, ac quando postea illuminatur; & similiter generatio, qua ignis induceret formam in materia de nouo creatam, ac quando materia præfuit; sed generationis, ad quam materia non præcessit, priuatio non est principium, ergo neq. cuiuspiam generationis, ideo sufficit, quod absolutè præcesserit non esse formæ. ℞. ex dictis, quòd generatio rei naturalis potest considerari dupliciter, in ratione nimirũ mutationis, & productionis; & quãdo Philosophus assignauit principia generationis, locutus fuit de illa in ratione mutationis, & ideò argumẽta Auersæ ex falso fundamẽto procedunt, quia putat Arist. assignasse principia generationis, vt sic, non autem in ratione mutationis tantùm. Vnde ad argumentum concedimus, eiusdem rationis esse illas duas illuminationes in ratione productionis, sed in hoc sensu nõ ponimus priuationem principium eius, sed in ratione mutationis tantum, quo sensu duæ illæ illuminationes, & generationes ignis, alterius sunt rationis.

Ob. 2. quod nec etiam in generatione per modum mutationis, priuatio concurrere potest, vt principium per modum termini à quo, nam priuatio principiat generationem per suum non esse, ergo principiat per modum termini ad quem, non à quo; patet consequentia, quia non esse priuationis acquiritur per generationem, quod est ipsum esse formæ; Pro-

Probatur antecedens, quia priuatio per suum esse potius impedit generationem ne fiat, quando .n. priuatio est in materia, forma non fit in ea, nec in eam introducitur; alioquin contradictoria verificarentur de eodem, quod fit, & non fit; sed dum forma non est in materia, non fit generatio, quia generationem fieri, est formam fieri in materia, ergo &c. ℞. negando antecedens, priuatio .n. principiat generationem per suum esse, nam per illud priuatio habet modum principiandi, per modum termini à quo, per quod opponitur formæ, & excludit terminum ad quem, quod facit per suum esse; ad probationem dicimus, quod priuatio principiat generationem per suum esse, sed non quomodocumque, sed per suum esse recedens, & quatenus aufertur, impedit autem generationem per suum esse permanēs; & hinc dicimus principiare generationem quando nō est.

Ob. 3. quod priuatio nullo modo esse potest principium generationis, priuatio .n. intrinsecè est non ens, & generatio est ens, sed ens non potest à non ente dependere, ergo &c. Nec respondere valet, ens dependere posse tamquam à principio in fieri, & per modum termini à quo, quia principium, vt principium est nobilius principiato, & dicit ad illud relationem, sed relatio, quæ est ens, non potest fundari in non ente, ergo &c. ℞. negando minorem, benè .n. generatio pendere potest à priuatione, & non ente, tamquam à termino à quo formaliter extrinseco, ad quem tamen dicit ordinem essentialem, quomodo etiam cognitio, quæ habetur de negationibus terminatiuè dependet à non ente; cum igitur dicitur à ens non posse à non ente dependere, intelligi debet, quòd non potest intrinsecè ex non ente conponi, neq. ab illo recipere esse per verum, & positiuum influxum. Admittimus etiam principiū, quatenus principiū, dicere relationē ad principiatū, sed negatur, hanc semper entitatem aliquam realem importare, sed satis est, vt ad ipsum principium habeat principiatū necessariam habitudinem, & talem quidem habet generatio ad priuationem, quia intrinsecè respicit illam, vt terminum, à quo necessariò procedit; nullus igitur ordo principij fundatur in priuatione, sed tantū mera terminatio ordinis, quem fundat generatio ad ipsam, quæ terminatio sufficit, vt verè dicatur principium generationis à parte rei, quomodo in simili dicimus de relatione dependentiæ creaturæ ad Deum &c. Concedimus etiam, principium esse nobilius principiato, reduplicatiuè, vt principium est, quia sic terminat habitudinem principiati, sed non semper verum specificatiuè, aliter materia, quæ est principium compositi, esset nobilior composito, & quęlibet pars suo toto, quæ omnia falsa sunt.

Vrges, terminus à quo non potest esse intrinsecus mutationi, quia mutationes non specificantur ex termino à quo, diuersi .n. motus, & mutationes secundum speciem possunt habere eumdem terminum à quo, vt ab eodem loco potest incipere motus deorsum terræ, & motus sursū ignis ergo &c. ℞. negando assumptum, nam terminus à quo est intrinsecus mutationi, sicut terminus ad quem, & subiectum;

biectum; non quidem, vt aliquid illam componens, vel pars intrinseca constituens per modum generis, vel differentiæ, sed vt id, ad quod ipsa mutatio dicit ordinem essentialem, sicut vniuersaliter de extremis relationis euenit, quæ extrema non sunt relationi formaliter intrinseca, nec de eius conceptu quidditatiuo per modum generis, vel differentiæ, sed sũt sibi tantùm intrinseca, quatenus relatio est per se ordo inter illa; & falsum est, duas mutationes habere posse eumdem terminum à quo priuatiuum, licèt positiuum habere possint, vt exemplum illud de motu ignis sursum, & terræ deorsum ab eodem loco probat: vel dicendum cũ Shemma, quod materialiter est idẽ à quo, non formaliter; nam respectu motus terræ est sursum, respectu ignis est deorsum.

Obicies tandem ex Arist. qui 1. Phys. duo de priuatione docet, per quæ eam excludere videtur à numero principiorum generationis, scil. quod priuatio machinetur rei naturalis interitum, & quod non sit principium, nisi per accidens ℞. Arist. intelligendum esse de forma actu existente in materia, cuius vtiq. destructionem ipsa priuatio molitur, generando nimirum appetitum in materia alterius formæ illi incompossibilis, sed non negat esse principium rei naturalis generandæ, respectu cuius non operatur interitum, vnde Arist. Auctoritas solùm probat priuationẽ non esse principium rei naturalis in facto esse; in quo etiam sensu intelligitur, cum ait, esse principium per accidens, hoc .n. intelligi debet respectu compositi, & rei genitæ ex Doctore in 2.d.12.q.1.lit.I. ad generationem autem dicitur principium per se, & necessarium, & per hæc satisfit Petro Peramato lib. de Elem. c. 1. Thomæ Campanella in sua Physiologia, & Bernardino Telesio lib. 3. de rerũ natura c. 4 qui contra Arist. tenent, quod Priuatio non sit principium entis naturalis intrinsecum, sed potius occasio, quare fiat ẽs naturale.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Priuatio principiare dicatur quando est, vel quando non est.

SCot. in 4. sent. d. 11. q. 1. lit. E. loquendo de mutatione ait, esse respectum informationis ad non informationem immediatè præcedentem, seu successionem termini ad quẽ posterioris post terminũ à quo priorem. ꝑ quod ostendit, tunc mutationem habere priuationem pro principio, quando non est, quatenus scilicet in materia præcessit immediatè antea. Duæ sunt sententiæ in hac cõtrouersia, prima asserit, priuationẽ esse principium, seu actum principiãdi exercere, quando ipsa est; ità Bacconus in 3. d. 3. q. 2. art. 3. & quia contradictio videtur esse simul, & semel formam cum priuatione, hinc ad tollendam contradictionem, aliqui affirmant, ità principiare mutationem, vt ipsa priuatio simul coexistat cum ipsa mutatione, & sit simul in eodem temporis instanti cum ipsa forma in subiecto, quamuis pro diuersis naturæ signis. ità Tromb. trac. formal. p. 4. art. 4. loquens de prioritate naturæ. Secunda defendit, priuationem mutationem principiare, cum mutatio est,

tio est, & priuatio ipsa non est, seu est sm esse recedens.

Conclusio.

Dicimus, priuationem principiare mutationem, quando ipsa priuatio non est: est Scoti loc. cit. & in 2. d. 1. q. 5. lit. T. & sequuntur Scotistæ, & Thomistæ omnes cum Auersa q. 10. sec. 6. & Hurt. & probabiliorem putat Amic. & est apud Recentiores communior. Probatur faciliter: Tunc priuatio principiat mutationẽ, quãdo actu est ipsa mutatio; sed quãdo est mutatio, non est priuatio, ergo priuatio principiat, quando non est. probatur maior, nam actu principiare, & actu principiari sunt correlatiua, nec vnum esse potest sine alio, minor patet, nam quando est mutatio, est etiam forma, quæ acquiritur, subiectum .n. mutati est aliter se habere nunc, quàm prius se habebat per nouam formam, sed quando est forma non est eius priuatio, aliter eadem res simul esset, & non esset, ergo &c.

Respondent aliqui, priuationem, & formam non posse esse simul in eodem subiecto permanenter, & in esse quieto, posse tamen simul esse trãseunter, id est, formam in fieri posse esse simul cum priuatione in corrumpi. Non valet, & ratio est, quia esse in fieri dicit esse, & esse in corrumpi dicit esse, ergo forma in fieri, & eius priuatio in destrui non possunt esse simul, quia ad huc verificaretur contradictio de eodem, contra illud vniuersale, & irrefragabile principium, de quolibet verum est affirmare, vel negare, de nullo vtrũq. simul.

Alij ad euitandam contradictionẽ recurrunt cum Tromb. ad diuersa signa naturæ in eodẽ tẽporis instanti inclusa, & priuationem dari in primo signo naturæ, & in posteriori formam. sed neq. hic recursus saluat, (& Tromb. in hoc manifestè à Scoto recessit) nam hæc diuersa signa naturæ nõ tollunt contradictionem, sed semper sequitur, quod in eodem instanti temporis eadem forma simul sit, & non sit; hinc rationabiliter in logica articulo de priori diximus, nullius rei existentiã mensurari per istans naturæ, ità quòd pro aliquo instanti existat id, quòd dicitur natura prius, in quo non existat id, q dicitur natura posterius; quare licèt homo sit prior natura risibilitate, & vniuersaliter quodcũq. subiectũ sua passione, nõ tamẽ est in aliquo instãti, in quo V.g. existat homo, & non existat risibilitas, existat subiectum, & non existat sua passio.

Obiectiones.

Ob. primò, si priuatio principiare potest mutationem, quando ipsa priuatio non est, sequeretur etiam mutationem posse principiari à priuatione, quando ipsa mutatio non est, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de altero; sed quando mutatio non est, non potest à priuatione principiari, ergo nec priuatio principiare, quando ipsa priuatio non est. R. negando sequelam, & ratio disparitatis est, quia priuatio principiat mutationẽ, vt terminus à quo, de cuius ratione est, vt pexistat immediatè ãte mutationem, mutatio autem principiatur, non vt terminus à quo, sed vt realis transitus à termino à quo, ad terminum ad quem, principiari autem transitum, nihil aliud est, quàm transitum incipere esse, & consequẽter

tur nisi sit mutatio, principiari non potest ità Mast.& Bell.

Ob.2.ex Tromb.mutatio instantanea non est sine suis terminis, cum sit habitudo inter terminum à quo, & terminum ad quem, relatio .n. non est sine extremis, ergo in eodem instanti temporis erit terminus à quo ipsius mutationis, & terminus ad quē, esto non pro eodem signo naturæ. R. Argumentum vrgere etiam ipsum Tromb.quia probat terminum à quo, & terminum ad quem debere esse simul etiam in eodem signo naturæ; relatiua .n. sunt simul natura, tēpore, & cognitione, & ità argumētum plus probat, quàm ipse intendit. Dicimus igitur, quòd mutatio respicit priuationem vt terminum à quo, non vt actu existentem, sed vt immediatè ante præcedentem, eodem modo, quo dicimus, ipsum non esse rei, vt immediatè præcedens, esse terminum à quo creationis.

Ob.3. nullum principium principiare potest, quandò non est, sicut nec vlla principiatio esse potest, si principium non adest, ergo &c. R. assumptum esse verum de principio, quod positiuè influit in principiatū, & non de illo, quod concurrit tantùm negatiuè, & est terminus à quo, & idiò non oportet, vt principiat coexistendo cum re principiata, sed immediatè antea præcedendo.

Ob. 4.effectus in actu, & præsertim illius, cuius esse in fieri consistit, supponit causam, & principium in actu, sed generatio est effectus, cuius esse consistit in fieri, ergo suum principium supponit esse in actu. R.cum Mastr.& Belluto, aliud esse loqui de priuatione secundum esse priuationis, aliud verò secundum esse principij, & quidem verum est, quando generatio est, priuatio non est secundum esse priuationis, nam immediatè ante instans generationis euanuit, benè tamen est priuatio in ratione principij. Sed dices, priuatio tunc non est, ergo non potest esse principium; negatur sequela, & instantia valeret, si priuatio principiaret per suum esse, quatenus permanet, & super illud quatenus tale fundaretur relatio principij, at non ità est, quia non principiat per suum esse permanens, sed per suum esse immediatè recedens, principiat .n. per modum termini à quo, scilicet à quo destructo, quæ ratio principiandi nō concipitur actu fundari super priuationem, nisi quando primo non est, & ante immediatè recessit.

Ob. 5. priuatio principiat per suū esse, non vero per suum non esse, ergo principiat quando est, non quando non est, R. negando sequelam, nā aliud est quærere, per quid priuatio principiat, & aliud quando principiat, principiat quidem per suum esse, sed quia principiat per illud, quatenus tollitur, idcirco principiare dicitur, vt immediatè præcedens, & quando primo non est.

Ob. tandem, tunc priuatio principiat, quando à forma expellitur, sed expellens, & expulsum debent existere simul in pugna, & expulsum debet esse quando expellitur, ergo non potest principiare quando non est, R. quod forma non expellit priuationem, per aliquam actionē, quā in illam exerceat, vel per aliquem contactum, sicut cum clauus clauum trudit, in quo sensu vtiq. oporteret

 esse

esse simul, sed forma priuationem expellit, per formalem sui positionem in subiecto, itaut cum primò ponitur forma, tunc primò tollitur priuatio, quod benè intelligitur, si dicatur, quod post priuationem, sequitur immediatè forma in subiecto.

DISPVTATIO V.

DE PRINCIPIO MATERIALI,

& formali mutationis accidentalis.

EXarata iam notitia principiorũ, tum materialium, tum formalium mutationis substantialis, ratio suadet, vt similia principia de mutatione accidentali enucleamus; Cum .n. motus sit præcipua passio corporis naturalis, & in hoc sensu fuerit ab Arist. 2. Phys. definita, doctrinæ ordo postulat, vt præcedentibus disputationibus, hæc etiam disputatio connectatur, vt inde subiecto adequato motus, seu mutationis accidentalis declarato, clarius adhuc Philosophiæ adequatum subiectum innotescat.

ARTICVLVS PRIMVS.

An subiectum primum adæquatum, & immediatũ accidentium sit Materia prima, vel potius compositum, & consequenter, an forma substãtialis vniatur immediatè materiæ primæ vbi etiam tangitur, an detur resolutio vsq. ad materiam primam.

SCotus hanc Controuersiam dirimit in 2. d. 3. q. 4. lit. M. & in 4. d. 12. q. 3. in 1. loco docet, non esse Materiam primam subiectum inhęsionis quantitatis, sed compositum, ac proinde inter materiam, & formam substantialem, non mediare quantitatẽ; in secundo loco defendit, qualitatẽ corrumpentis nunquam producere qualitatem in forma generanda, sed quando peruenitur ad vltimum gradum qualitatis incompossibilis cum forma corrumpenda, tunc generans introducendo suam formam substantialem, corrumpit aliam substantialem, cuius corruptione perit qualitas, quæ eousque remanserat in gradu necessario ad conseruationem illius formæ; vnde dispositiones necessariæ pro conseruatione formæ in materia, non præcedunt ipsam formam; sed comitantur eam iam immediatè materiæ vnitam.

Supponimus pro intelligẽtia, quæstionem non esse, an forma substantialis subiectiuetur immediatè in materia, an verò in aliquo alio immediatius, omnes .n. fatentur formam substantialem recipi, & subiectari in materia, etiam i h, qui volunt quantitatem, & qualitates disponentes præcedere in materia formam substantialem; sed tota lis est in ratione dispo-

dispositionis, aliqui .n. volunt, quòd licèt forma substantialis immediatè in materia recipiatur tanquàm in subiecto inhæsionis, requiritur tñ, vt præcedat duplex dispositio in materia, quæ ipsam formam præparet .s. quantitas, & qualitas, quantitas ad extendendam materiam, vt fiat subiectum idoneum, tam respectu formæ materialis, quam agentis naturalis, quod non agit nisi in quantum; qualitatem verò, vt materiam de se indifferentem ad omnes formas recipiendas, disponat, ac determinet ad hanc, & illam in particulari; ità Auerroistæ omnes, cum Nominalibus, quos sequuntur Suar. in Meth. disp. 14. sec. 3 Hurt. Arriag. & Recentiores ferè omnes. Thomistæ verò cum Scotistis negant vtrumque, sed volunt quantitatem immediatè inhęrere composito, sicut & dispositiones necessarias pro introductione formę venturæ recipi in toto cōposito præcedente, & nullo modo permanere in instanti in quo introducitur forma; sed ad interitum præcedentis compositi perire, & fundamentū est, quia non iudicant tales dispositiones necessarias esse pro introductione nouæ formæ, sed tm̃ pro expulsione veteris. Verum inter Thomistas, & Scotistas remanet adhuc aliquod discrimen, nam Thomistæ volunt omnes formas substantiales immediatè vniri materiæ primæ, etiam formas viuentes, & animatas; Scotistæ verò in formis animatis, defendunt formā mixti, seu Corporeitatis præcedere animam in ratione dispositionis materialis.

Aduertimus 2. non eodem modo Auerr. & Nominales suam sententiā explicare; nam quiddam absolutè defendunt, materiam nudam se sola esse sufficiens subiectum accid. absque consortio formæ substantialis, sed merè concomitanter formam in materia se habere ad receptionem accidentium, vnde consequenter asserūt, quòd forma veteri abeunte, eadem accidentia, quæ fuerunt in corrupto remanent in genito; & hic est frequentior modus, & congruus hanc sententiam explicandi; Alij verò ad euitandas difficultates, & manifestas Arist. Auctoritates, qui docuit subiectum motus, & accidentium esse ens completum, & in actu, dixerunt materiam esse vtique subiectum inhæsionis accidentium, non tū nudam, sed vt prius formæ vnitam, ità quòd in recipiendo, & sustinendo accid. dependeat à forma substantiali, vel tāquam à causa formali extrinseca, quasi fulciente illius existentiam ad accidentia sustinenda, vt Conimb. 1. de gen. c. 4. q 4. art. 1. vel saltem secundum Zabarell. de communi rerū generat. & interitu cap. 9. & alios tā quam conditione, sine qua forma accidentalis non reciperetur in materia, talis est .n. ordo ex natura rei inter formam substantialem, & accidentalem, vt in eodem proximo, & immediato fundamento veluti in subiecto inhæsionis omnes recipiātur, sed prius substantialis, deinde accidentalis, ità vt forma substantialis mediet veluti cōditio disponens materiam ad formam accid. recipiendā.

Supponimus 3. hic non disputari de accidentibus quibusdam imperfectis, & incompletis, quæ sunt quædam via ad terminum, vt generatio substantialis, vnio &c. quæ sunt acciden-

cidentia relatiua, hæc.n.in materia recipi nulli dubiũ est, sed lis est de accidẽtibus cõpletis, & perfectis, vt sunt quãtitas, calor, albedo, & cætera accidẽtia materialia, & præserti absoluta.

Item, quia duplex est subiectum, vnum inhæsionis, cui scil. non formã in se immediatè recipit, sed tñ illius denominationem; in quo sensu totũ denominatur ab accid. inhærente parti, vel essentiali, vel integrali, vt homo V.g. dicitur formaliter intelligẽs per intellectionem animæ inhærentem, & Crispus, vel simus ob crispitudinem Capillorum, & nasi; hic non est controuersia de subiecto denominationis, nam omnes fatentur hoc esse compositum, sed controuersia est de subiecto inhæsionis.

Item totum dupliciter considerari potest, vt benè Raguſ. aduertit, vno modo syncathegorematicè, quo sẽsu singulæ partes totius, partes accid. in se recipiunt; alio modo categorematicè; pro tertia scil. entitate ex materia, & forma constituta; & quia quicquid totum habet, id originaliter à ratione partium habet, consequenter etiam partes erunt ei rationes recipiendi accid. materia quidẽ erit ratio recipiendi vniuersalis respectu accid. omnium, forma verò erit ratio dicitur determinata recipiendi hæc accidentia, i. ô illa, quo sensu dicuntur subiecta quibus, inadæquata, & remota, modo quæstio est de subiecto proximo, & adæquato.

Conclusio Prima.

Dicimus, 1. subiectũ accidentium materialium, absolutorũ Quod, proximum, & adæquatum esse corpus substatiale, siuè simplex, vt multi probabiliter defendunt esse Cælum in sent. Arist. siuè ex materia, & forma compositum. est Communis Thomist. & Scotist. & quidem has duas scholas in hac controuersia concordes reperiri, in alijs vt plurimum tenaciter dissentientes, non minimum inditium est veritatis; & ex Exteris sequuntur Ruu. 1. de generat. cap. 4. tract. 3. q. 8. Raguseus disp. peripat. 18. & alij Cl. Regulares. quæ conclusio pluribus probari solet Arist. testimonijs 1. de generat. tex. 23. distinguit generationem ab alteratione, quia subiectum alterationis est compositũ, generationis materia prima, & 7. Meth. tex. 4. substantia à toto genere est prior accidente. Tum quia totum per se præsupponitur toti per accid. Tum quia maiorem proportionem, & affinitatem habet forma substantialis cum materia prima, quàm accidentalis, & consequenter immediatiùs materiæ vniri debet. Sed quia huiusmodi Authoritates faciliter ab Aduersarijs euaduntur, relinquuntur, & rationibus urgentioribus cõtra ipsos arguimus, quarũ prima sit.

Subiectum proximum, & adæquatum motus, est subiectum proximum, & adæquatum accidentium, sed compositum, & corpus est subiectum proximum, & adæquatum motus, ergo corpus, & compositum est subiectũ accid. non materia prima. maior patet, nam idem est subiectum motus, & termini motus, idem est V. g. subiectum calefactionis, & caloris, nã subiectum mouetur propter terminũ acquirendum, terminus autem motus vt à mutatione substantiali distinguitur, est forma accidẽtalis ex 5. Phys. 8. ergo &c. minor probatur ex 5. Phys. 3. vbi explicans Philos. subiectum

ctum adæquatum motus cum suis terminis, ait: *alterum est, quod primū mouetur, & in quod mouetur. & ex quo, vt lignum calidum, & frigidū.* & explicare volens, quod nam ex dictis sit motus subiectum, subdit: *motus manifestum est, quòd in ligno.* Nec respo. suffragatur, quod subiectum motus sit compositum tm̄ ratione partis, scil. materiæ primæ, non ratione totius, non valet, quia totū ratione partis est subiectum solùm denominationis, non inhæsionis, Arist. autem ibi loquitur de subiecto inhæsionis, nam loquitur de subiecto, quod transit à termino à quo, ad terminum ad quem, quod est subiectum inhæsionis, & verba Arist. sunt clara, ait .n. *motus manifestum est, quòd in ligno est.* at accidens dicitur in esse subiecto inhæsionis, non subiecto denominationis.

Rñt Auctores oppositam sententiam defendentes in secundo sensu, vt Zabarell. & Alij, quod ideò compositum, & non materia prima dicitur subiectum motus, ideò visio dicitur recipi in oculo, & non in materia prima, quia hæc non recipit formas accidentales, nisi prius informata forma substantiali, at hinc inferre non licèt, ideò accid. recipi in toto composito, vt in subiecto inhæsionis, quia forma substantialis non præcedit, vt subiectum recipiens, sed potius vt conditio recipientis. sed hæc responsio nulla est, nam allata ratio non solùm probat, formas substantiales in materia præcedere debere accidentales, sed compositūm esse subiectum inhæsionis. Tum quia conditio præcedens in subiecto receptionem alicuius formæ, non impedit denominationem eius circa tale subiectum, patet de approximatione, & alijs conditionis prærequisitis ad productionem alicuius formæ, licèt .n. talis approximatio sit necessaria, vt ignis comburat, non tñ impedit, quin illa cōbustio in igne subiectetur, & illum comburentem denominet; si ergo materia prima est subiectum adæquatum accid. & forma substantialis est tm̄ conditio recipientis formas accidentales, tales formæ accidentales denominare deberent materiam primam, non formam substantialem, vel compositum, at hoc est falsum, vt de actibus sensitiuis patet, qui non possunt materiam primam denominare, repugnat .n. materiam dici sentientem, videntem &c. ergo signum est, compositum esse subiectum inhęsionis, nō materiam primam.

Probatur 2. ex Doct. quol. 9. lit. G. vbi affert Arist. in principio de sensu, & sensato, docente quamlibet operationem sensitiuam esse primò compositi ex materia, & forma, sicut proprij receptiui, non .n. ipsa anima est immediatè receptiua visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima, & determinata parte corporis, quod etiam ipse Philos. docuit 1. de anima tex. 66. Rñt has operationes esse totius coniuncti, vt principij operatiui, non verò subiecti receptiui, ità .n. sunt solius materiæ.

Contra, ipse oculus totus dicitur videns, non materia oculi, ergo visio non recipitur immediatè in materia oculi, sed in toto oculo, aliter etiam materia oculi diceretur videns, nam forma necessariò denominat subiectum,

biectum, in quo existit. Rñt oculũ solum denominari videntem, quia totum coniunctum est subiectum denominationis,& materia oculi est tñ subiectum inhæsionis. Sed Contra, nõ per hoc quod aliquid sit subiectũ inhæsionis alicuius formæ excluditur, quin etiam sit subiectum denominationis, quamuis alicui toto, cuius est pars, talis denominatio deriuetur, patet de anima, quæ est subiectum inhæsionis intellectionis, à qua non solum totus homo dicitur intelligens, sed etiam ipsa anima dicitur immediatè intelligens; nasus est subiectum simitatis, à qua non solũ totus homo dicitur sim⁹, sed etiã ipse nasus dicitur immediatè simus, ergo esse subiectũ inhæsionis alicui⁹ formæ nõ excludit ab ea esse subiectũ denominationis, impossibile.n.est, formã esse in aliquo subiecto, & illi suũ effectũ formalẽ non communicare.

Probatur 3. ex doctrina Scoti in 2. d. 18. q. vn. sub. D. si materia prima est proprium subiectum inhæsionis accid. ergo nullus datur motus violentus in rerum natura, sed hoc est cõtra totam Philosophiam, ergo &c. probatur sequela maioris, quia ex dictis, materia nullam formam recipit violenter, sed vel naturaliter, vel saltem neutraliter, ergo cum motus dicatur naturalis, vel violentus, iuxta inclinationem, vel repugnantiam subiecti ad formam recipiendã, & materia ad nullam formam habeat violentiam, sequitur manifestè, quòd quilibet motus sit naturalis, vel saltem neuter, & nullus violentus. Si dicant, quod motus ille V.g. caloris in aqua, in ordine ad materiam dicatur naturalis, dicitur tñ violentus in ordine ad aquam, quæ est subiectum denominationis. Contra est, nam tunc motus ille simpliciter, & per se erit naturalis, vel neuter, & solùm per accidens diceretur violentus, quod est falsum, nam violentia, & naturalitas in motibus attenditur simpliciter, & per se in ordine ad id, quòd mouetur per se, non in ordine ad id, quòd mouetur per accid. & ratione alterius; nam si mobile habet per se inclinationem ad illam formã, motus est simpliciter naturalis, si repugnantiam est violentus; Sed per Aduersarios mobile per se est in materia prima, non in aqua, & in materia caliditas immediatè recipitur velut in proprio, & adęquato subiecto inhæsionis, ergo talis motus per se, & simpliciter naturalis erit, nõ violẽt⁹.

Si respondeant, quòd motus ille est violentus etiam in ordine ad materiam, non vtiquè nudè consideratam, sed quatenus formæ aquæ subest, & eius qualitatibus; non valet, quia totum id est solùm per accidens, vt diximus, & Scot. docuit loc. cit. & naturalitas, & violentia simpliciter, & per se attendi debet in materia, non ex eo quod illi accidit, vt est esse sub hac, & illa forma, sub his, & alijs dispositionibus, alioquin sequeretur, quòd quandò ex aqua generatur ignis, materia violenter transiret ad formam ignis, quia hæc forma sibi repugnat, vt est sub forma aquæ, quod tñ nullus Philos. asserere auderet, cum forma aquæ accidat ei, in quantũ est susceptiua formę ignis, nec materia est subiectũ capax vnius formæ, quatenus est sub alia, sed absolutè, vt ab ea præscindit, ergo si est subiectum inhæsionis capax omnium

nium accid. dici non debet violenter calorem recipere, quia prius erat sub frigore, cum calor, vel frigus accidat materiæ in ratione receptiui.

Probatur 4. directè contra Conimb. Zabarel. & Doct. oppositam sententiam tuentes in secundo sensu, asserentes materiam non recipere formam accidentalem, nisi prius informatā forma substantiali. Sed Contra, statim hac quod forma substantialis est in materia, iam componitur ex eis compositum substantiale, quod est subiectum capax accid. ergo recipitur immediatè in ipso, tamquam in proprio, & adęquato subiecto, nō in materia, nisi concomitanter, & mediatè; maior patet, minor probatur, nam totum quod ex partibus cōponitur, vel est capax perfectionis accidentalis, vel incapax; si primū, ergo accidentalis in eo immediatè recipitur; si secundum assignare deberent rationem talis incapacitatis, nam omne compositum est adhuc accidentaliter perfectibile.

Et tandem probatur contra Auerroistas, qui in sententia Arist. negant materiam in Cęlo, & tn̄ in Cęlo reperitur quantitas, densitas, lux, motus, & alia accid. corporea, ergo in corpore, & composito subiectantur. quòd si negant paritatem, est manifesta fuga sine ratione, cum talia accidentia sint eiusdem speciei cum accidentibus sublunarium.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. consequenter formam substantialem immediatè informare materiam, nulla mediante quantitate, & qualitate. Est Thomist. & Scotist. loc. cit. & itā primò probatur: Dispositiones inductę ab agente in materiam, vt forma contraria expellatur recipiuntur in toto composito præcedente, non immediatè in materia prima, ergo ad interitum compositi illius corrumpuntur, & non permanent in instanti generationis, assumptum patet auct. Philosophi 5. Phys. 3. vbi loquens de tali alteratione, ait: *motus manifestum est, quod in ligno est*. quod etiam sensu experimur, nam non solum materia, sed etiam forma, & totum lignum fit calidum; consequentia patet, nam si in eo instanti accidentia remanerent, migrarent de subiecto in subiectum, scil. de toto composito cui adequatè inhærebant, & de forma in solam materiam, quæ realiter à forma, & cōposito distinguitur. Confirmatur, quia dum tangimus lignum, vel aquā calidam, sentimus calorem, sed tunc non tangitur sola materia ligni, vel aquæ, sed materia, & forma, & totum compositum, ergo totus ille calor in toto composito, & non in sola materia prima reperitur.

Secundò, Materia de se est magis proportionata ad recipiendam formam substantialem, quàm accidentalem, cum sit eiusdem generis cum illa, & non cum ista, ergo immediatius vnitur illi, quàm isti, & hoc non solùm ordine intentionis, vt Aduersarij contendunt, sed etiam ordine executionis, consequentia est clara, quia eo ordine vniuntur actus potentijs, quo ab eis respiciuntur. assumptum patet, quia forma substantialis nō indiget forma accidentali, vt prēuia dispositione in ratione receptiui, cum de se sit immediatè capax formæ substantialis, sed in ratione effectiui auferentis impedimenta, quæ

quæ introductioni nouæ formæ obstabant, & ideò non oportet, vt in instanti generationis remaneant. Tũ quia, vt accidentia disponere dicantur ad receptionem formæ substantialis, sufficit, vt in composito præcedente recipiantur, non immediatè in materia prima ex Doct. in 4. d. 1. q. 5. E. vbi docet, quod esto forma disponens in genere causæ materialis, vel vt ratio recipiendi, vt est organizatio in corpore respectu animæ in eodem subiecto recipi debeat, in quo introducenda erit forma, ad quã disponit; non tñ oportet, quòd forma, quæ disponit tñ in genere causæ efficientis auferendo impedimenta, quę obstant introductioni nouæ formæ recipiatur in eodem subiecto cũ ea, sed satis est, vt in eodem composito, vel supposito recipiatur.

Tertiò, dispositiones quæ sunt necessariç pro informatione, & conseruatione formæ genitæ, non præcedunt illam in materia, sed potius comitantur, & ab ea dimanant, ergo aliç dispositiones illam pręcedentes, ruunt in instanti generationis, & cõsequenter forma substantialis nudam materiam informat; consequentia est clara, nam Aduersarij volunt dispositiones in materia subiectiuari, quia pro conseruatione formæ deseruiunt, & ideò in materia in generationis instanti permanere; antecedẽs patet ex illo cõmuni Philosophorũ axiomate, quòd in rei generatione, qui dat formam, dat consequentia ad formam, vt qui V.g. dat ignem, dat consequenter calorem, siccitatem, leuitatem & ergo huiusmodi qualitates connaturales comitantur; & consequuntur formam substantialem, non præcedunt.

Probatur tandem, quia præuiæ dispositiones, quæ ante formam substãtialem introducuntur, non ex necessitate materiæ, introducuntur, quia ipsa de se proportionata est ad actũ substantialem, eo ipso quod alia forma spoliatur, nam tunc censetur proximè disposita, tum per præuias alterationes manet expoliata formæ veteri, & subest tali agenti, quòd nõ potest in eam, nisi talem formam introducere; Neque ex necessitate formæ generandæ introducuntur, q a necessariæ qualitates pro eius conseruatione ipsam sequuntur in instanti generationis, non antecedunt, ergo tñ remanet, quod introducuntur sola necessitate formę corrumpendę, quæ à subiecto expelli non potest, nisi alterationibus præcedentibus.

Rñt Aduersarij, præuias dispositiones introduci ex necessitate materiæ, quæ cum de se indifferens sit ad omnes formas, determinari debet per præuias dispositiones potius ad hanc, quàm illam recipiendam. Nec sufficit, aiũt, quod ab agente determinetur, nam eius potentia vaga, non tantum extrinsecè, sed etiam intrinsecè determinari debet, quòd non fit, nisi à dispositionibus illi inhærentibus, etiam in ipso instanti generationis. Non valet, nam sufficientissimus est agens ad determinandam materiæ indifferentiam, ad hanc potius, quàm ad illam formam recipiẽdam, quòd in generatione accidentali experientia tangimus, nam lignũ de se indifferens est ad calorem, & frigus, si autem ignis applicetur, calorem recipiet, non frigus, & non ob aliquam dispositionem pręcedentem,

tem, sed propter determinationem agentis; sic etiam intellectus, licèt de se illimitatus sit ad multas intellectiones producendas, determinatur tñ ad hanc, vel illam ex concursu illius, vel istius determinati obiecti ex Doct. in 1. d. 3. q. 7. Bb. sic etiam in artificialibus lignum V. g. ab Artifice determinatur ad hanc potius, quàm ad illam formam, nam statuarius inducit formam statuæ &c. ergo ità etiã in naturalibus de materia prima asserendum erit, quæ cum de se sit illimitata ad omnes formas recipiendas, determinatur tũ ad hanc, vel illam ex concursu determinati agentis, vt dignè Scot. docuit in 2 d. 12. q. 2. F.

Ex his ostenditur quàm leue, & ruinosum sit fundamentum oppositæ sententiæ, quæ putat dispositiones præcedentes in materia concurrere ad introductionem nouæ formæ in genere causæ materialis, materiam scil. præparando, veluti rationes recipiendi, quasi sine his materia subiectum ineptum esset ad formam recipiendam, quo concesso, vtique tales dispositiones remanere deberent in instanti generationis, nec posset forma substantialis nudam materiam informare; nos vero negamus, quòd in genere causæ materialis concurrunt, sed solùm in genere causæ efficientis cum Doct. in 4. d. 1. q. 5. B. vt instrumenta, quibus vtitur agens ad expellendam formam veterem, & dispositiones contrarias formæ veteri, ad hoc autem munus non oportet, vt in instanti generationis permaneant, sed ad corruptionem veteris formæ corrumpuntur. Quod etiã Seraphic. Doct. nostræ faueat conclusioni, afferuntur multa loca à P. Nostro Car. R. P. *Illuminati à Collisano Capuc.* pened. in sua Philosophia l. 1. tract. 2. q. 7. & præsertim in 2. d. 13. p. 1. art. 1. q. 2. & d. 12. art. 2. q. 1. vbi Sãct. Doct. loquens de quantitate sic ait: *materia abstracta omni forma, simplex est nõ tamen habet actualem simplicitatem, vt punctum, sed simplex, quia caret actuali extensione, habet tamen possibilitatẽ ad illam, & cum natura formæ corporalis illi materiæ datur, tunc reducitur ad actum*. quib. verbis clarè ostendit quantitatem nec esse materiæ coæuam, nec in illa subiectari, sed expectare formam substantialem, vt ponatur in actu; sed quia posita forma substantiali in materia, statim resultat compositum, ergo in hoc subijcitur. quod si verificatur de quantitate, tantò magis de alijs accid. absolutis.

Obiectiones.

Obijciunt Primò: Si accidentia subiectarentur in toto composito, sequeretur, quòd ad quamcumque mutationẽ substantialem ex destructione subiecti, omnia accidentia mutarentur, & ità fieret resolutio vsque ad materiam primam, quia accid. migrare non possunt de subiecto in subiectum, sed hoc est falsum, & contra Arist. qui 1. de Gen. 24. & 27. ait: multoties remanere eadem accidentia in genito, quæ erant im corrupto, vt quandò ex aere fit aqua, permanet eadem diaphaneitas; & 2. de Gen. ait: in elementis simbolis esse faciliorem generationem, quã in dissimbolis, quia cum elementum simbolum generatur ex simbolo, vt aer ex aqua, non oportet, vt omnes qualitates corrumpantur, sed illa tñ, quæ dissimilis est, at vbi generatio fit ex dissimbolo omnes corrumpi necesse

est, ergo falsũ est ꝙ accidentia in toto cõposito subiectantur. Tum quia hoc est contra experientiam ipsam, quia in animali mortuo videmus eãdem quantitatem, figuram, cicatricem &c. ℞. Concessa maiori de compositis inanimatis, negando minoré, & ad primam probationem dicimus, Arist. ibi non se explicuisse de qua identitate loquebatur, scil. an remaneat eadem qualitas numero, vel specie, & quia magis rationabile est, & magis suæ doctrinæ conformius, si eadem specie remaneret, ideò de hac permanentia, & identitate specifica asserimus ipsum locutum fuisse, non de eadé qualitate numero. Ad secũdam probationem ex 2. de Gen. cum ait, faciliorem esse generationem simboli ex simbolo, quàm ex dissimbolo, quia in ea non omnes qualitates corrumpuntur, hoc intelligendum esse de corruptione per se quæ fit à contrario, non de corruptione per accid. quæ fit ad corruptionem subiecti; vndè quia facilitas, vel difficultas generationis attenditur ex qualitatibus per se corrumpendis, ratione quarum elementa inter se pugnãt, & non ex corrumpendis per accid. ratione quorum non pugnant, ideò facilius aqua ex aere generatur, quã ex igne, quia in prima generatione vna tantùm qualitas per se corrumpitur à suo contrario, scil. calor aeris à frigore aquæ, cùm in humiditate conueniant; in secunda verò generatione vtraquè qualitas ignis per se corrumpitur, quia ignis, & aqua in nulla qualitate conueniunt; simpliciter tũ & absolutè loquendo in vtraquè generatione õnes qualitates corrumpuntur. ità Scotistæ communiter cũ Trombet. 8. Meth. q. 2. art. vlt. Ad aliam probationem, qui negant in viuentibus pluritatem formarum latis laborant; at nobis nihil officit, libenter .n. admittimus eadem numero accid. remanere, quæ formam mixti sequebantur, ex quo non sequitur subiectum horum accidentium esse materiam primam, sed totum ex materia, & forma corporeitatis constitutum.

Ob. 2. Si accidentia in composito subiectarentur, sequeretur, idem sui ipsius destructionem moliri, quod est falsum, & contra naturæ institutum, ergo &c. probatur sequela exemplo caloris in aqua, si .n. aqua calorem in se reciperet, & sustineret, conseruaret id, quod ad sui destructionem tendit, & ità propriæ neci consentire videretur. Tum quia calor ipse sui ipsius destructionem procuraret, dum interitum sui subiecti procurat, scil. aquæ in qua recipitur, eo modo, quo si quis parietem demolitur, cui innititur, sibi quoque interitum parat. ℞. negando sequelam, & ad primam probationem concedimus, quòd aqua dum calefit, recipiat, & sustineat id, quod ad sui interitum tendit, & hac de causa dicitur calorem esse violenter in aqua; at hoc nullatenus absurdum est, imò prorsus necessarium, ne dicere cogamur, formam quamcunque in quocunque subiecto naturaliter quiescere, seu saltem neutraliter; negatur tũ, quòd aqua sicut calorem recipit, & sustinet, ità etiam conseruet, nam experientia videmus, quòd statim ac calor in aqua introducitur, statim aqua renititur, vt calorem expellat. Ad secundam probationem, negatur etiã seque-

sequela, nam vel calor consideratur in ordine ad alterationem, in quo sensu est agens principale, vel in ordine ad corruptionem aquę, in qua est tm̃ instrumentum ipsius ignis, & neutro modo sui interitum procurat; non primo modo, quia sic potius se conseruare intendit, se diffundendo per varias aquæ partes, per quam actionem non potest corruptionem sui subiecti attingere, cum accidens corruptionem substantiæ attingere nequeat ex Doct. in 4. d. 12. q. 3. vt in fra patebit; neque secundo modo calor est causa corruptionis aquæ, nam licèt cõcurrat vt instrumentum, actio tñ etiam ipsius instrumenti propriè attribuitur agenti principali, quod in casu est ignis, atque ideò ignis propriè, & non calor inhærens aquę, est causa corruptionis aquæ.

3. Si accid. composito inhæreret tanquam subiecto, vel esset in materia, & forma sm̃ eadem sui partem, vel sm̃ diuersas; si primum, ergo idẽ accid. secundum eamdem partem esset in duobus subiectis realiter diuersis, & distinctis; si secundum, iam illa pars accidentis, quæ est in materia, non sustentatur à forma, sed à sola materia, ergo etiam sufficiens erit se sola ad totum accidens sustinendum. ℞. Nos non accipere hic totum Syncategorematicè, scilicet pro qualibet eius parte, ità vt quęlibet pars totius recipiat in se partem accidentium, vel vtraq. eadem, sed accipimus categorematicè pro tertia scil. entitate ex materia, & forma conflata, & hoc est subiectum, cui primò, & adęquatè accidens inhæret; quare argumentum vrget non distinguẽtes totũ realiter à partibus.

4. vt aliquid sustineat aliud velut eius subiectum, sufficit, vt habeat entitatem realem extra suas causas cũ actuali existentia, & subsistentia, sed hæc omnia materia ex se habet, non à forma, vel composito, vt supra dictum est, ergo &c. Confirmatur ex formis substantialibus, quas materia sustinet tanquam proprium subiectũ earum, & hoc ratione propriæ existentiæ, & subsistentiæ quam habet, ergo hæc, eadem ratione sufficiens fulcimentum omnium accid. erit. ℞. Maiorem esse mancam, nam vt vnum recipiat aliud, velut eius subiectum, præter eius existentiam & subsistentiam, exigitur adhuc, vt tale existẽs, & subsistens sit idoneum receptiuum illius, quomodo non est materia respectu accid. vt iam probatum est, alioquin etiam dicere possemus, quòd anima sit subiectum caliditatis, vel doloris cum sit existens, & subsistẽs. Ad Confirmationem aliqui respondent, negando paritatem, & ratio est, quia vniuersaliter, quò forma plus habet inhærentię eò est minoris consistentiæ, & ideò plus subsistentiæ in subiecto requirit, ad sui fulcimentum, Vndè cum accidentia minorem habeant consistentiam, quàm formę substantiales, non bene sequitur, ꝙ si existentia, & subsistentia materiæ sufficiens est formalium substantiarum fulcimentum, etiam & accidentalium esse possit. Verùm, quia nos ponimus multa accidentia incompleta, & respectus in materia subiectiuari, qui magis dependentes sunt à subiecto, quàm alia accid. perfecta, & absoluta, de quibus in præsenti loquimur, ideò dicimus, materiam non posse esse subiectum accid. absolutũ,

non ob defectum existentiæ, & subsistentiæ, sed ob rationes allatas in probatione conclusionum.

5. In mortalibus quidquid est prius origine, est ignobilius, cum natura tendat ab imperfecto ad perfectum, ergo forma accidentalis præcedit in materia formam substantialem. hæc ratio coincidit cū Doctrina Arriag. disp. 5. Phys. de toto composito sec. 1. num. 13. fol. mihi 276. vbi contra nos retorquet argumentum, quia prius sunt dispositiones accidentales ad aliquam formam, quàm sit ipsa forma, cum natura semper incipiat ab imperfecto, at facilè R. à Scoto quol. 13. lit. R. assumptum esse verum de formis eiusdem generis, & ità in rebus animatis, forma mixti, quæ est ignobilior, præcedit animam; at in formis diuersi generis, quales sunt in proposito forma accidentalis, & substātialis pot.9 res opposito modo se habet, nā substātia secūdū totā suā coordinationē, accidens præcedit, vt Doctor docet in 2. d. 3. q. 4. ex Arist. 7. met. tex. 4.

Sextò, si V. g. caliditas in tota aqua resideret tanquam in subiecto, tunc idē esset agens, & patiens, quia eadem aqua in se reciperet calorem, & iterum à se repelleret, ad primam frigiditatem redeundo. R. Nullum esse inconueniens, idem esse agens, & patiens, non tū sm eamdem rationē, neque eodem modo, neque eodem tempore; sic est in proposito, quia aqua patitur recipiendo caliditatem ratione materiæ, agit verò ratione formæ, dū conatur à se eā repellere sic etiam idem homo aliquando onus sibi imponit, & recipit, & postea idē homo onus à se proijcit, & repellit.

7. Si Canis cadens ex turri, in medio itineris moreretur, motus ille vsque ad terram vnus est, & continuus, & consequenter vnum, & idem subiectum habet, à quo vnitatem numericam accipit, hoc autem esse non potest totum esse compositi, quia canis viuus est vnum compositum, & eiusdem cadauer est aliud, ergo subiectum talis motus, à quo dicitur vnus, erit materia prima, non compositum. In solutione huius argumēti laborent Thomistæ, qui negant pluralitatem formarum in composito animato; at nos faciliter Respondemus, motum illum esse vnum, & eundem numero, propter mobilis vnitatem, quòd equidem non est materia prima, vt ipsi imaginantur, sed corpus pro altera parte compositi, ex materia, & forma mixti conflatum; Corpus. n. mixtum mouetur motu elementi prædominantis ex 1. de Cęlo, motus verò progressiuus conuenit animali, vt animal est.

8. Vrget Zabarel. illud est subiectum inhærentium omnium accid. de cuius potentia aducuntur, cum educi aliud non sit, quàm fieri dependenter à subiecto, at accidentia omnia, quæ generantur de solius potestate materiæ educuntur, ergo illi soli inhærēt; maior est clara, minor probatur, ignis V. g. calefacit aquam, atque ideò calorem de potestate aquæ educit, vel igitur educit ipsum de potentia aquæ, vt aqua est, vel de potentia materiæ, quæ est in aqua; non primum, quia aqua, vt aqua non solùm non habet potentiam ad calorem, sed potius repugnantiam, ergo secundū. R. negando minorem, ad probationē dicimus, quòd si per potentia aquæ ad co-

ad calorem intelligitur mera eius capacitas, libenter admittimus, calorem educi de potentiâ aquæ, vt aqua est, & falsum assumit, aquam non habere potentiam in hoc sensu ad calorem, & talis potentia sufficit in subiecto ad formæ eductionem, vt alibi diximus.

Instabis, calorem educi posse de potentia aquæ, est aquam posse materialiter calorem causare, sed aqua, vt aqua non potest causare calorem, ergo calor educi non potest de potentia aquæ, vt aqua est. minor patet, quia quælibet causa continet virtualiter effectum, vt illum in genere suo causare possit, sed aqua, vt aqua non potest calorem virtualiter continere, cum potius oppositum contineat, scil. frigus, ergo non potest causare calorem. ℞. Negando minorem de causa materiali, in quo genere causæ aqua, vt aqua continet calorẽ: Vndè quia aqua ad frigus, non solù habet potentiam pro mera capacitate, sed etiam inclinationem, hinc non tm̃ illud continet in genere causæ materialis, sed etiam in genere causæ efficientis, ideò remoto calefaciente, aqua iam ad pristinam frigiditatem redit. Aduertimus tñ formam non dici virtualiter cõtineri in subiecto, ex quo educitur, vt effectus in causa, sed solùm potentialiter, cum propriè continentia virtualis ad causam efficientem pertineat.

9. Et est vnum ex præcipuis fundamentis Aduersariorum: Nisi in instanti generationis permaneãt præuiæ dispositiones in materia, ipsa tũc indifferens remaneret ad omnem formam, quia sine accidentib. non plus determinatur ad hanc, quàm ad illam formam. Nec dicere sufficit cum aliquibus Thomistis, materiam remanere determinatam, & quasi sigillatam ad hanc formam, ex eo quia tales, vel tales dispositiones immediatè in ipsa præcesserint; nam talis sigillatio, & tales dispositiones, quæ præcesserunt in materia, nihil reale in ipsa ponunt, sed solam extrinsecam denominationem, vel respectum rationis, per quæ nec esse potest realiter, & Physicè determinata ad talem formam, nec realiter pro ea disposita. Nec sufficit dicere cum Scotistis (aiunt Suar. & Mercenarius, cũ alijs) ꝙ determinetur ex determinatione agentis, nam licèt responsio admitti posset in generatione, quæ fit ab agente vniuoco, & particulari, non potest tñ admitti in generatione, quæ fit ab agente æquiuoco, & communi, nam si V.g. à sole ex putri materia debeat rana generari, & dispositiones pro tali generatione introductæ, corrumpantur in ipso generationis instanti, tunc materia remanebit indifferens ad formam ranę, & formã muris, & cum sol sit quoque generãs indifferens ad formam ranæ, & formam muris; tunc tàm ratione materiæ, quàm ratione agentis quod præsens est, non magis rana, quam mus, vel vespa generaretur, ergo præsentia agentis non sufficit ad determinandam materiam ad hanc formam, sed requiritur aliquid in materia ipsi inexistens, & intrinsecè determinãs. ℞. Argumentum vrgere Thomistas, qui ponunt illas præuias dispositiones concurrere ad disponendam materiam in genere causæ materialis; nobis autem nihil officit, etiam in generatione, quæ fit ab agente æqui-

uoco,

uoco, quòd licèt indifferens sit quãtum est ex se ad plures effectus, determinatur tñ ad hanc, vel illam formam introducendam, ex hac, vel illa alteratione præuia, hoc .n. modo alterando materiam, ordo naturæ postulat, vt post talem alterationem præcedentem, sequatur talis forma; & alio modo alterando, alia forma sequatur, etiam si materia ex se indifferens sit ad alias formas recipiẽdas, & virtus agentis ad agendum illimitata, quòd patet in artificialibus, vbi ex vsu diuersorum instrumentorum, idem agens efficit diuersos effectus, non alia ratione, nisi q̃a vnum instrumentum determinatè in seruit pro vno effectu, non pro alio, vt serra adsecandum; ascia ad scindendum, calamus adscribendum &c. ità suo modo in naturalibus asserendum erit, hæc .n. dispositio censetur instrumentum idoneum pro introductione talis formæ, non alterius.

Sed Contra, instat Suar. tota alteratio, quæ in nostra sententia præcedit, per accid. est ad tollenda, scil. impedimenta, quæ ex parte passi reperiuntur, ergo ordo, & successio inter illam alterationem, & sequentem generationem non potest esse per se, & consequenter non potest ex inde sumi sufficiens ratio determinationis. ℞. quòd talis alteratio potest dupliciter considerari, scil. vel in ordine ad agens, vel in ordine ad passum, seu subiectum; in ordine ad subiectum, per accid. vtique se habet alteratio ad generationem, quatenus tm̃ ad impedimenta tollenda inseruit, non ad materiam in ratione receptiui determinandam: at in ordine adagens, præuia alteratio per se ad subsequentem generationem ordinatur, quatenus agens hoc modo alterando, non potest generare, nisi hoc modo, vt V.g. in igne parere potest, qui non potest in ligno formam ignis introducere, nisi alterationes præuias siccitatis, & caloris introducendo, quibus positis necessariò formam ignis, & non aliam introducere valebit. Patet etiam de agente æquiuoco in artificialibus, nã potest vtique lignum varias figuras, & formas ab agente recipere, determinatur tñ potius ad hanc, vel illam formam recipiendam, quia agens circa illud agendo, vtitur hoc, vel illo instrumento; ità etiam in naturalibus fatendum erit, potest siquidem materia quantum ex se, multas, & varias formas recipere, & agens siuè vniuocum, siuè æquiuocum dare, sed agens hac præuia dispositione vtendo, & non alia, ad hanc potius, quã ad aliam formam substantialem inducendam determinatur.

10. Receptissima ab omnibus est distinctio illa materiæ in primam, & secundam, seu proximam, præparatam, & vltimò dispositam ad determinatam formam, iuxta illud ex 2. de anima tex. 24. actus, & formæ recipiuntur in patiẽte bene disposito, ergo qualitates, & dispositiones in materia recipi debent, quibus ipsa materia ad talem formam recipiendã benè disponatur. ℞. Negando consequentiam; & dictum Philosophi non est eo sensu intelligendum, quo Aduersarij prætendunt, scil. quòd per materiam proximam intelligatur materia accidentibus tecta, & induta, sed intelligitur materia spoliata qualitatibus contrarijs vsque ad vltimũ gra-

gradum, quem sibi forma vetus determinabat, iam citò receptura formam nouam consimilem dispositionibus proximè præcedentibus: quare materia, ex ordine, quem ad agens dicit, & ad dispositiones proximè præcedentes ad formam de nouo recipiendam, bene dicitur proxima, & vltimò disposita; & in hoc sensu, etiam patiēs dicitur bene dispositum, cum scil. remota sunt impedimenta, & qualitates contrariæ formæ generandæ, quæ dispositiones præuiæ sūt instrumenta naturalis agētis, per quę determinatur ad hanc formam inducendam, & non illam.

11. Ex nostra doctrina sequeretur, quòd agens semper efficeret ex quacunque materia effectū sibi perfectè similem in omnibus qualitatibus sibi connaturalibus, si .n. primò prorsus denudat materiam, & illam sine vlla repugnantia relinquit, & in illam suam formam perfectè sibi similem introducit in natura specifica, necesse est, vt ad illam formam omnes qualitates connaturales consequantur, cum nihil sit, quòd in ipsa materia formaliter resistat; at hoc est falsum, & contra experientiam, quia experimur multa substantialiter generari cum admixtione peregrinarum qualitatum, quòd ex alio capite prouenire non potest, nisi quia in materia superfuerint reliquiæ qualitatis contrariæ, ergo &c. ℞. Negando sequelam maioris cum sua probatione, falsum .n. est huiusmodi impuras generationes oriri, ex eo quia in materia reliquiæ qualitatis contrariæ remanserint, sed potius ex eo procedit, quia non semper expellitur à quacunque parte materiæ forma vetus, sed in aliquibus partibus adhuc remanent particulæ quædam formæ veteris cū contrarijs qualitatibus, quæ generationem impuram reddunt. patet exēplo de vino, in quo si parum aquæ admisceatur, vinum illam in seipsum conuertit totaliter, & perfectè, expellēdo à partibus materię aquæ, singulas particulas formæ aquæ cū suis qualitatibus; si autem in magna quātitate aqua misceatur, ità cum vino pugnat, vt non possit vinum perfectè illam in seipsum conuertere, sed adhuc in ipso remanent aliquæ particulæ aquę, quę reddunt vinum impurū, & ideò non sequitur in generationibus impuris reliquias contrariarum qualitatum in materia geniti remanere, sed permanere etiam aliquas formæ veteris particulas cum illis qualitatibus.

12. in Corporibus animatis, organizatio est dispositio ad animam, & tū manet cum ipsa anima, ergo non repugnat, dispositionem remanere cū forma, ad quam disponit. ℞. Duplicem esse dispositionem ad formā, vna quæ disponit in genere causæ materialis, velut ratio recipiendi, & ità est organizatio respectu animæ, nam anima est actus corporis Physici organici; alia est quæ disponit tantū in genere causæ efficientis, auferēdo nimirum impedimenta, quę introductioni nouæ formæ obstant, vt sunt præuię qualitates, & tales non oportet cum forma remanere.

Dices, dispositio esse debet in eodem subiecto, in quo recipitur forma, vt forma dicatur esse in subiecto bene disposito, ergo &c. ℞. ex Doct. in 4. d. 1. q. 5. E. assumptum esse verū de dispositione, quæ concurrit in genere

genere

genere causæ materialis non de illa quæ concurrit in genere causæ efficientis, quæ satis est, vt in eodem suppositio recipiatur.

13. Præuiæ qualitates, & dispositiones non solùm necessariæ censentur ad formam oppositam expellendam, sed etiam ad conseruationem nouæ, si.n. ad hoc necessariæ non essent, non esset ratio, cur destructis dispositionibus, destruatur etiam & forma. ℞. Dispositiones esse in duplici differentia, quædam faciunt pro introductione formæ, & hæ sunt præuiæ ad formam, & recedunt cum forma veteri; quædam verò faciunt pro illius conseruatione, & hæ sunt comitantes, & cum forma noua remanent.

Ais, non videtur rerum naturis consonum, quòd forma substantialis, quæ perfectissima censetur, enti imperfectissimo, veluti est materia prima, sine aliquo apparatu immediatè vniatur. ℞. Imò hoc esse necessarium, vt ex materia, & forma vnum per se resultet, ad quod accidens medium nil iuuat, sed potius vnum per accidens efficeret.

14. Experimur, quòd post instans generationis, forma noua cum suis qualitatibus connaturalibus reperitur, ergo asserendum erit ipsas permansisse cum forma in ipso generationis instanti, probatur consequentia, quia nequit assignari causa, à qua illæ præuiæ qualitates corrumpãtur, & à qua istæ nouæ qualitates generentur; probatur primum, quia dum ignis V.g. in lignum suam formam inducit, siccitas, & calor in lignum introductus, disponens ad formam ignis, non potest ab ipso igne corrumpi, cũ easdem qualitates habeat; neque à forma, quæ inducitur, quia illa huiusmodi dispositiones requirit: probatur secundum, nam dum V.g. homo interit frigore, remanet ad huc post mortem aliquis calor in cadauere, at ille calor non potest à generante produci, scil. à frigore, neque à forma cadaueris, quia potius hæc est productiua frigoris, quã caloris. ℞. Negando consequentiam cum sua probatione quo ad vtramque partem; & ad probationem primæ, dicimus, quòd calor à nullo per se corrumpitur, sed per accidens ad corruptionem subiecti, quod erat lignum; Ad probationem secundæ respondeant Thomistæ, non admittentes formarum pluralitatẽ in composito, asserentes, calorem illum de nouo produci, quo argumento satis vrgẽtur; at nobis nihil facessit, quia dicimus calorem illum non produci de nouo, sed esse eundem calorem, qui prius in animali subiectabatur.

15. Agens nullam formam generat de materia, nisi ad quam materia determinatur per aliquod intrinsecũ ex Coment. 12. Meth. com. 18. vbi docet, quòd agens nihil extrahat de materia, nisi in ipsa fiant proportiones, & habilitates ad formam extrahendam, ergo forma non vnitur materiæ nudæ. ℞. Negando assumptum, & Auctoritas Auerrois parum obest, cum ipse fuerit illius sententiæ.

16. Dum V.g. aqua est calida, totum non est immediatius subiectum caloris, quam vtraque partium, nam materia, & forma sunt etiam immediatè calefactæ, ergo corrupto toto, & forma, quamuis corrumpatur pars illa caloris, quæ in ipsis erat, remanet ad-

net adhuc tñ pars illa, quæ erat in materia. Tum quia irrationabile videtur ponere subiectum dispositionis illud, cui repugnat forma, ad quã disponit, sed forma V.g. ignis repugnat aquæ, ergo non in aqua recipitur calor immediatè, sed in materia prima: ℞. Ad primum, negando antecedens, nam calor, & cætera accidentia sunt immediatè in composito, tanquam in proximo, & adæquato subiecto, & solùm concomitantes, & secũdario in partibus ratione totius, vt supra dictum est. Ad secundum, valet assumptum de dispositione, quę habet rationem receptiui, & concurrit in genere causæ materialis, quomodo vrget Thomistas, qui ponunt dispositionem ad formam substantialem terminari ad aliquem gradum, ad quem necessariò sequitur corruptio formæ veteris, & generatio nouæ; vnde cum secundum ipsos vltima dispositio attingat productionem formæ substantialis, oportebit illam esse in eo instanti, quo forma producitur, non autem valet de illa dispositione, quæ tantùm concurrit in genere causæ efficientis ad contraria expellenda, vt sunt qualitates præuiæ, vt nos defendimus.

17. Accidentia formę substantialis introducendæ V.g. ignis, magis repugnant formæ substantiali aquæ, & toti composito, quàm materiæ, ergo magis conueniens est naturæ rerum, quòd in materia recipiantur, velut in subiecto, cum quo minorem habent repugnantiam. ℞. Negando cõsequentiam, & ratio est, quia cum materia nullam habeat repugnantiã cum hoc, vel illo accidente, nisi per accid. scil. ratione huius, vel illius formæ, cui subest, tunc omnis motus esset per se naturalis, nullus violentus, nisi per accidens; ponere autem omnem motum naturalem, non est rerum naturæ consonum. Decisũ ergo remanet iuxta mentem Doctoris in 4. d. 12. q. 3. quòd qualitates præuiæ, non habent causalitatem in formam, nisi instrumentalem, atque ideò non attingunt illam, sed totaliter consumuntur toto tempore antecedente illud instans, expellendo qualitates contrarias vsque ad gradũ incompossibilem exclusiuè, ac proinde diei debent concurrere in genere causæ efficientis instrumentalis ex Scot. in 4. d. 1. q. 5. E. nam calor in aqua est instrumentum separatum ignis, sicut calor inhærens igni est instrumentum coniunctum. Quantum ad dispositiones concomitantes possunt etiam dici concurrere in genere causæ efficientis ad informationẽ, & conseruationẽ formæ in subiecto, quatenus illam à contrarijs tuentur, eo modo, quo milites Regis dicuntur in Regno illum conseruare &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Potentia substantiæ corporeæ completæ ad formas accidentales sit de eius essentia, vel ab ea realiter distincta.

Scotus pluribus in locis hoc soluit quæsitum, sed præsertim in 2. d. 16. q. vn. vbi eius expositores, circa quod dubium tres extant opiniones, duæ extremæ, & vna media; prima asserit, nullum accidens in substantia recipi, nisi media potentia accidentali realiter distincta à substantia recipiente, & consequenter esse

accidens prędicamentale superadditum, itâ Thomistæ cômuniter Caet. 1. p. q. 77. art. 1. Suessanus 1. Phys. cap. 9. Soncin. 12. Meth. q. 26. Iauel. ibidem q. 8. Mas. 1. Phys. q 7. quibus adhæret Auersa q. 21. sec. 6. concl. 2. & Alij.

Secunda opinio extrema est Nominalium affirmatiuum, substantiam immediatè sm̃ suam absolutam entitatem esse accid. receptiuam, itâ vt nihil mediet, inter substantiam recipientem, & accidens receptũ, quos sequitur Suar in met. disp. 14. sec. 2. Ruu. 1. de gen. c. 4. tract. 13. q. 10. Moris. in Phys. disp. 1. q. 3. & Alij. Tertia Sententia, media est Scotist. qui Contra Thomistas negant, hanc potentiam esse accidens reale distinctum à substantia, & contra Nominales, negant substantiam immediatè per seipsam omnino accidentia recipere, sed constituunt hanc potẽtiam mediam realem cum substantia identificatam, formaliter tñ ex natura rei distinctam.

Rationabiliter quidem hæc controuersia hoc in loco mouetur, non .n. rectè inferri poteſt de potentia materiæ erga formas omnes; quia materia circa omnes formas tam substantiales, quàm accidentales inclinatur naturaliter; non sic substantia completa corporalis, non .n. omnes formas respicit naturaliter, sed quasdam etiam violenter, vt patet de aqua respectu caloris, quasdam verò respicit neutraliter; meritò igitur inquirimus, quid sit hæc potentia, & quomodo ab ipsa substantia distinguatur.

Conclusio.

Dicimus, Substantiam Corporeã completam media potentia recipere accidentia, quæ potentia non est accid. ei realiter superadditum, sed quædam naturalis aptitudo ad illa recipienda, si sunt eius naturæ consentanea; vel potentia neutra, aut violenta, si talia accidentia non sunt eius naturæ consentanea, ex natura rei ab ipsa substantia formaliter distincta, vt eius naturalis proprietas. est Scoti loco cit. quã sic probat sub lit. A. Si necessaria esset talis potentia distincta realiter ab ipsa substantia, ad alia accidentia recipienda, daretur processus infinitum; sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quia cùm hæc potentia sit accidens realiter distinctum ab ipsa substantia, secundum ipsos deberet per aliam potentiam recipi, & quia hęc potentia adhuc esset accidens realiter distinctum, deberet iam recipi media altera potentia, & itâ in infinitum.

Respondet Auersa negando dari processum in infinitum, quia ipsa potentia est secundum se proximè proportionata, vt insit substantiæ, & vt alia accidentia recipiat. debet talis potentia esse aliquod accidens immediatum substantiæ, sed non propterea eodem modo omnia alia accidentia. quæ responsio desumpta fuit à Caet. loc. cit. vbi assignans rationem differentię inter hanc potentiam, & cætera accidentia, ex eo assignat, quia talis potentia est ratio congenita, & essentialiter est potentia, ad hoc præsertim ordinata, vt actu recipiat; quòd autem sit actus substantiæ, solùm habet ex ratione communi accidentis, ac proinde nõ requirit aliam potentiam, qua substantiæ

ſtantiæ inhæreat, alia verò accidentia primò, & per ſe ſunt actus, ac propterea proprias requirunt potẽtias, quibus mediantibus inhæreant ſubſtantiæ. Sed quis non videt hanc reſponſionem manifeſtè principium petere, hoc .n. eſt quod in præſenti quæritur, ſcilicet an detur accidẽs à ſubſtantia realiter diſtinctum, ità per ſe primò à natura inſtitutum ad recipiendum, non ad inhærendum, ità vt ipſum immediatè inſit ſubſtantiæ, cætera verò ipſo mediante. Tum q̃a ſi ſubſtantia per ſe ſufficiens eſt receptiuum talis potentiæ, quæ eſſentialiter eſt accidens, abſque vllo prorſus medio, hoc etiam de alijs accidentibus inferri debet, & tantò magis de quantitate, quæ proximior eſt ſubſtantiæ, quàm hæc potentia, quę eſt de genere qualitatis ſm̃ Thomiſtas. Tum quia falſum eſt, quòd talis potentia ſit actus ſubſtantiæ tantùm ſecundum communem rationem accidentis, & ſecundum illam rationem generalem ſolùm inhæret, quia forma accidentalis ſm̃ totam ſuam rationem etiam ſpecificam, & indiuidualem petit ſubiecto inhærere, & conſequenter alia media potentia indigeret, ſicut cætera accidentia. hæc contra Thomiſtas.

Probatur Secundò Concluſio Cõtra Nominales, & etiam Thomiſtas. Hæc potentia ſuſceptiua accidentiũ, ſiue accipiatur pro naturali aptitudine ad accidentia rei naturæ conſentanea, ſiue pro mera ipſius capacitate, ſemper in ſua formalitate dicit relationem traſcendentalem ad id, cuius eſt capacitas, & conſequenter diſtinguitur ex natura rei formaliter à ſubſtantia, quæ eſt eſſentialiter entitas abſoluta, quæ concluſio etiam patere poteſt ex deciſione de potentia materiæ erga formas. & Tandem probatur quo ad vltimam partem, ſi .n. potentia ſubſtantiæ conſideretur in ordine ad accidentia ſibi connaturalia, erit potentia naturalis; ſed potentia naturalis paſſiua coincidit cũ inclinatione, & aptitudine rei ad propriam perfectionem, ergo &c. patet de aqua calida, quæ adhuc naturaliter ſuam priſtinam frigiditatẽ appetit, & in eam eſt ſemper naturaliter propenſa, etiam ſi nunquam eam acquireret, & manifeſtè Ariſt. docuit 5. Meth. dum ait: *omnis homo natura ſcire deſiderat*. Si verò ſubſtantia conſideretur in ordine ad accidentia, vel ſibi contraria, vel neutra, tunc eius potentia, vel capacitas, naturalis dici non poteſt, ſed erit potentia violenta, vel neutra, quę potẽtia adhuc dici poterit naturalis proprietas huius, vel illius ſubſtantiæ, non minus quam ipſa potentia naturalis, ſaltem ſecundariò, & concomitanter; cuius ratio eſt, quia ſicut V. g. potentia naturalis aquæ ad frigiditatẽ recipiendam, dicitur cõnaturalis eius proprietas, quatenus ratione proprię formæ talis ſubſtantia exigit, & petit talem qualitatem tanquã ſui conſeruatricem, ità quoq; ratione eiuſdem formæ, repugnantiam habet ad calorem, vt ſui deſtructiuum, idcirco potentia violenta, ſeu renitentia ad calorem poterit dici connaturalis proprietas eius; & idem dici debet de potentia neutra ad accidentia ſibi indifferentia, vt eſt ſuperficies reſpectu huius, vel illius coloris &c.

 Obie-

Obiectiones.

Obiicitur pro Thomistis, probando, quòd hæc potentia sit realiter à substantia distincta, & primò auct. Arist. 12. Meth. 25. vbi docet, eadem esse principia omnium generum, ac propterea sicut in generatione substantiæ est propria forma, & propria priuatio, & potentia eiusdem generis, scil. substantialis ad illas, sic quoque in alijs generibus, scil. accidentium, & 2. de anima inquit potentias specificari per actus, quatenus si actus est substantialis, potentia quoq. ad illum erit substantialis, & si actus erit accidentalis, potentia etiam erit accidentalis, & 9. Meth. tex. 7. ait, actum, & potentiam esse eiusdem generis, ergo si actus erit accidens, similiter, & potentia ad ipsum erit accidens.

Respondetur ad primum dictum Philosophi, ibi non intelligendum esse secundum entitatem, sed solùm secundum quamdam proportionem, & analogiam, quatenus in omnium generatione reperitur subiectū, priuatio, & forma, vt ex ipso contextu colligitur, imò exempla ibi allata sunt pro nobis, ait. n. in coloribus album esse principium, vt formam, nigrum vt priuationem, superficiem vt materiam; in illuminatione lumē esse formam, tenebras priuationem, aerem subiectum; in sanatione, sanitatem esse formam, morbum priuationem; Corpus subiectum. hæc autem omnia non ponuntur in eodem prædicamento, vt euidenter patet, nam album ponitur in genere qualitatis, superficies in genere quantitatis. lumen est in genere qualitatis, aer in genere substantiæ &c. Ad 2. R. ex Scoto quol. 13. & alibi, dictum illud Philosophi esse intelligendum non intrinsecè, sed extrinsecè, sicut vniuersaliter relationes per suos terminos extrinsecè distinguuntur, non tñ inde sequitur relationem semper poni debere in eodem prædicamēto, in quo terminus ponitur, vt vidimus in logica. Tum quia ibi Arist. loquitur de potentijs organicis in ordine ad actus vitales, quomodo non sumus in casu. Ad 3. Respondet Doctor Arist. ibi loqui de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, non de potentia subiectiua, & actu formali; qa neque substantia est quantitas, licèt sit eius susceptiua, nec quantitas est qualitas, licèt eam recipiat; & ad hominem, nec substantia est accidēs licèt sit huius potentiæ susceptiua, quæ potentia sm ipsos est accidens.

Objiciunt 2. ratione. Ad agendum requiritur potentia actiua ab agente realiter distincta, ergo etiam ad patiendum exigitur potentia passiua distincta realiter, vnde in cera videmus mollitiem, quæ est potentia ad impressionem sigilli recipiendam, & in columna duritiem, quæ est potentia ad sustinendam domum, quæ tñ ponūtur in specie qualitatis. R. Admisso etiam quòd potentia actiua sit realiter distincta à substantia (quòd Scotus non facilè concederet loc. cit. sub A. ex Arist. 7. Meth. 32.) negatur tū, quòd similiter admitti deberet potentia passiua realiter distincta; & ratio est, quia à toto genere plus requiritur ad agendum, quàm ad patiendū; Ad illud de mollitie ceræ, & duritie columnæ Respondet Scotus loc. cit. in 2. sub P. *quod potentia naturalis absolutè non est in secunda specie*

qualitatis

qualitatis, sed facilitas ad vtendum illa potentia; vnde posse leuare fesstucam, vel baculum non est in secunda specie, sed facilitas leuandi: vnde huiusmodi agilitas dicitur hic potentia naturalis, hæc Scot. & in hoc sensu mollities ceræ, & durities columnæ sunt de secunda specie qualitatis, quatenus illa est facilitas ceræ innata ad recipiendum exemplar sigilli, & hæc est facilitas ad resistendum, & ad columnam sustinendam, non autem potentiæ.

Tertiò, Quantitas (secundũ communem sententiam) est accidens intermedium à substantia realiter distinctum, quo cætera accidentia corporea in substantia recipiuntur, ergo etiam similiter admitti debet eiusmodi potentia de genere qualitatis ad eadem accidentia recipiendum. ℞. Negando paritatem, & ratio est, quia quantitas non ponitur per se primò potentia receptiua accidentium, sed naturaliter per se primò ordinata est ad extendendas partes substantiæ materialis impenetrabiliter, meritò cuius apta fit occupare locum, vnde etiam consequenter habet, vt sit medium ad recipiendum cætera accidẽtia; hoc autem de qualitate non militat, cum potius supponat quantitatem in substantia corporea, vt ipsa qualitas recipiatur.

Quartò, rationabile omnino videtur, vt accidentia mutabilia, & variabilia recipi debeant in substantia mediante aliquo accidente, quod sit inuariabile, & immutabile, quod accidens inuariabile aliud esse non poterit, quàm potentia hæc substantiæ cõgenitata, ergo &c. Respõdet Scot. loc. cit. B. argumentum nihil concludere, quia cum substantia sit ità inuariabilis, sicut ista potentia, poterit ipsa substantia immediatè actus variabiles recipere.

Quintò, potentia, qua formaliter substantia denominatur potens recipere accidentia, vel est potentia substantialis, vel accidentalis; non substantialis, quia hæc respicit actum substantialem, ergo erit accidentalis. ℞. Quòd potentia, qua substantia denominatur potens formaliter recipere accidentia, est realiter, & entitatiuè substantialis, quia non est aliquid realiter à substantia diuersũ; extrinsecè tũ, & terminatiuè denominatur accidentalis, quatenus per eam etiam substantia ad formam accidentalem ordinatur.

Dices, potentia substantialis exigit actum substantialem, ergo potentia substantiæ ad accidentia non erit substãtialis. ℞. Distinguendo, potentia substantialis incompleta in ordine ad formam, à qua postulat essentialiter compleri, & perfici substantialiter, verum est antecedens, potentia substantialis completa in ordine ad formam, à qua petit perfici tantùm secundariò, & secundum quid, negatur antecedens, & inde consequentia est falsa, aliter sequeretur, quod inclinatio rei ad propriam perfectionem accidentalem deberet esse accidens realiter distinctũm à substantia, quod falsum est.

Quintò, ideo ex D. Thoma 1. p. q. 67. art. 1. ad 2. potentia materiæ ponitur indistincta realiter ab ipsa; potentia verò compositi ad formas accidentales realiter distincta, quia potentia materiæ instituta est à natura ad faciendum per se vnum cum formis

nis substantialibus, non ità potentia compositi cum accidentalibus. ℞. Quòd ex materia, & forma fit vnum per se, non autem ex composito, & accidente, non quia potentia materiæ ad formam fit realiter ab ipsa indistincta, potentia verò compositi ad formas accidentales fit distincta realiter, vt D. Thomas putat, sed potius quia potentia materiæ primæ ad formam substantialem est per se potentia, quatenus per se respicit actum, qui natus est dare esse per se simpliciter, & primarium; potentia verò compositi ad formam accidentalem est per accidens potentia, quia respicit actum, qui natus est dare esse sm̃ quid, & secundariò, licèt etiam hæc potentia conueniat substãtiæ in secundo modo dicendi per se.

Sextò; Actus semper est nobilior potentia ipsum respiciente, ergo si actus est accidens, à fortiori, & potentia. ℞. Assumptum esse verum de potentia respiciente actum primarium, & essentialem, non de potentia respiciente actum secundarium, & secundum quid, nisi considerentur reduplicatiuè sm̃ quid, quatenus, .s. actus consideretur vt perfectio, potentia vt perfectibile, in quo sensu potest admitti, quòd accidens sit nobilius substantia, & nihil contra nos.

Obijcitur 7. Pro Nominalibus, probando quòd potentia substantię nullo pacto sit ex natura rei ab ea distincta: Præciso à substantiali corporea omni eo, quod est extra eius essentiam, adhuc in tali statu esset capax accidentiũ, ergo frustra ponitur hæc potentia à tali substantia distincta. ℞. Quòd tunc foret capax accidentium fundamentaliter tantùm, non formaliter, nec per nos hæc potentia est extra essentiam omnino, vt putant Thomistæ, sed est prædicatum essentiale saltem in secundo modo, vt sunt omnes proprietates, & aptitudines rerum.

Obijcitur tandem contra vltimam partem Conclusionis, ad probãdum; quòd licèt potentia substantię ad recipienda accidentia sibi connaturalia poni possit proprietas eius, non tũ hoc asseri videtur de accidentibus disconuenientibus, vel indifferentibus: Si potentia substantiæ ad recipienda accidentia disconuenientia, & indifferentia possit poni proprietas eius, tunc natura non solùm esset principium motus naturalis, sed etiã violenti, & neutrius, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, nam natura est principium omnium passionum rebus conuenientibus, ergo si capacitas omnium accidentium, etiam disconuenientium, & neutrorum in substantia, est passio ipsam substantiam consequens, natura erit principium omnium passionum cuiuscumque talis capacitatis, & consequenter erit etiam principium motuum, quibus talis capacitas actuatur, & exercetur, si .n. natura est principium passionis, erit quoque principium motus, quo talis passio exercetur, & actuatur. ℞. Quòd capacitas accidentium materialium est passio consequens corpora, ea ratione qua corpora sunt, ex ratione verò specifica eorum procedit, vt aliquorum accidentiũ sint capacia cum inclinatione, quorumdam verò cum repugnantia, vel indifferentia; quare huiusmodi potentiæ, scil. naturalis,

vio-

violenta, & neutra sunt rebus à natura inditæ cum hac tñ differentia, quòd potentia naturalis indita est à natura per se, & primariò, violenta verò, vel neutra, concomitanter, secundariò, & per accid. ratio est quia natura directè, & per se quærit rei conseruationem, & ideò directè, & per se dat ei potentiam ad recipiendas qualitates eius conseruatiuas; sed quia concomitanter etiam, & secundariò, quærit expulsionem earum, quæ rei conseruationi nocere possunt, ideo concomitanter, & secundariò dat repugnantiam rei, & renitentiam ad huiusmodi qualitates obnoxias recipiendas, vel indifferentiam ad indifferentes; & ità in hoc sensu natura etiam dici poterit principium illorum motuum, quibus huiusmodi potentiæ exercentur: natura igitur per se, & primariò est principium motus naturalis, concomitanter verò, & secundariò est principium motus violenti, vel neutrius V.g. eadem natura, quæ facit aquam inclinatam ad frigus recipiendum, facit eamdem repugnantem, & renitentem ad recipiendum calorem. prima potentia dicitur naturalis primò, & per se, secunda dicitur naturalis per accidens, & secundariò. sed q̃a natura 2. Physs. definitur esse principium motus, primò, & per se, idcirco propriè loquẽdo, dicitur tm̃ principium motus naturalis, motus autem violenti, vel neutrius, tantùm secundariò, & concomitanter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Verum vnum Accidens possit esse subiectũ alterius, vbi etiam resoluitur quæsitũ de Quantitate respectu aliorũ accidentium.

SCotus hanc controuersiam dirimit in 4.d.12.q.2.vbi §.*ad Quæstionem &c.* duplex distinguit subiectum accidentis, vnum vltimatè terminans dependentiam illius, alterum proximè, & non vltimatè. deinde ait: *primo modo planum est, quòd nihil potest esse subiectum accidentis, nisi substantia; secundo modo dico, quod possibile est aliquod accidens, esse subiectum accidentis &c.* Duæ sũt oppositæ sententiæ. Prima asserit, substantiam solam esse subiectũ omniũ accidentiũ, ità vt licèt vnũ accidens possit inter substantiam, & aliud accidens mediare per modum dispositionis, vel necessariæ conditionis ad recipiendum, omnia tñ immediatè, & proximè inhærent substantię, vt vero, & proprio subiecto; & quidem satis consequenter ex suppositione, quam tenent, scil. quòd quantitas non distinguatur realiter à substantia, ità Ochã in 4.q.7. Gregor. 1. d.12.q.1.art.2. Marsilius 4. d. 9. art. 2. Maior 4.d.12.q.2. Rubion 4.d.12. q.3. & est communis apud Nominales, quibus adhærent Hurt. disp. 6. §.55. & Arriag. disp.5. Phys. sec.6. licèt aliqui PP. Cleric. Regular. Pasqualighus, Fardella, & Alij ponant quantitatẽ distinctã realiter à substãtia. Secunda sententia affirmat vnum accidens posse esse verũ, & propriũ subiectum alterius, ità D. Thom. 3. p.q.77.art.2. Scot. loc. cit. D. Bonau. Alensis, Henricus, Aegidius, Duran-

randus, Riccardus, Paludanus, Aretinus, Ferrariensis, Suar. disp.14. Meth.sec. 4. & Alij ātiquiores Scholastici,licèt huius sentētiæ Auctores non conueniant deinde in assignando hoc primo accidente, cui immediatè veluti subiecto proximo cætera accidentia inhæreant, nam aliqui Thomistæ, vt Sōcin. 12.Meth.q.26.Caet. p.p.q.54.art.3.& q.77.art.1.Suessan. Masius, quos sequitur Auersa contendunt, hoc primum accidens esse quamdam potentiam de genere qualitatis, ad hoc ex natura sua instituta, vt sit commune subiectum aliorū accidentiū,vt supradictū est.& Colligitur ex D.Tho. 1.p.q.77.art.1.Scotistæ verò, & Alij defendunt hoc primum accidens esse quantitatem, qua mediante alia accidentia substantiæ inhærent.

Conclusio Prima.

Dicimus 1.vnum accidens posse naturaliter esse subiectum alterius, estò non vltimatè terminans dependentiam illius, scil. vnum accidens potest esse subiectum in quantum sustentatum ab alio, nempè à substantia, non verò tanquam per se substās illud ab alio independenter.est Scot. loc.cit.quem sequuntur Scotistæ cōmuniter Canon. 1. Phys. q.4.art.4. dub.4.Aret.in 4.d.12.q.2.art.4.Tribarnes disp.48.Rada 4.p.Contr.10. Mastr.& Bell.disp.3.Phys.q.3.art.1. & Alij Contra Nominales, & Doctores citatos, & quòd non possit vnum esse subiectum alterius vltimatè terminans illius dependentiam, probatur ex intrinseca ratione, tam substantiæ, quàm accidentis, sola .n. substantia est ens per se, cui soli debetur existentia, & subsistentia per se, ratione cuius, ei soli conuenit cæteris substare, id est cætera sustentare: Accidens etiam ab intrinseco, & ex se habet esse in alio, accidentis .n. esse est in esse, atque ideo in rerum natura non potest naturaliter reperiri, nisi alteri inhærendo, & ab eo sustentatum, ergo nullum accidens esse potest subiectum per se primò aliud accidens sustentans, sed hoc solius substantiæ munus erit.

Quod autem possit vnum accidens esse subiectum alterius non vltimatè terminans dependentiam illius, indè patet, quia hoc non repugnat ex parte substantiæ, neque ex parte ipsorum accidentium, ergo &c. non ex parte substantiæ, quia ex parte eius sufficit, vt vltimatè, & principaliter dependentia accidentis ad eam terminetur, de qua peculiariter substare propriè, principaliter, & maximè dicitur. Neque ex parte accidentis repugnantia assignari poterit, quia non videtur contra naturam accidentis sustentare aliud, cùm ipsum prius sustentatur ab alio, quod euidenter Scot. probat à posteriori, nam velocitas, & tarditas subiectantur in motu, æqualitas in quantitate, similitudo in qualitate. itē actus vitales, habitus, species intensionales debent immediatè inhærere potentijs, quæ (secundum plures Doctores nostræ sententiæ oppositos) sunt accidentia, & tandem patet ex Misterio Eucharistiæ, vbi ponere oportet vnum primum accidens, quod sit subiectū, in quo cætera vniantur: quòd si qualitates sacramentales in vno tertio subiecto non vnirentur, sed qualibet per se existeret, sequeretur, quòd ad motum vnius qualitatis, alia qualitas

ftas non moueretur, scil. ad motum V.g. coloris in vino, non moueretur dulcedo, quod tñ experientia oppositum ostendit. Neque asseri potest, hoc ideo euenire, quia habent inter se immediatè aliquam connexionem, neque vna se habet vt potentia, altera, vt actus, ergo remanet, vt vniantur in aliquo tertio accidente, quod sit commune subiectū illarum.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Quantitatem esse subiectum immediatum aliorum accidentium absolutorum, & materialium, per quam cætera accidentia dicuntur deinde substantiæ inhærere: est Tomist. cum D. Tho. 3. p. q. 77. art. 1. & Scotist. cum Scot. loc. cit. & magis communis, quam amplectuntur Suar. disp. 14. Meth. sec. 4. Ruu. 1. de gen. c. 4 tract. 3. q. 10. & Alij. probatur, quia ex dictis, conclusione præcedenti, non oportet, vt omnia accidentia immediatè substantiæ inhæreant, aut igitur hoc accidens immediatè substantiæ inhærens, & subiecti munus gerens erga reliqua accidentia, est potentia illa accidentalis aliorum susceptiua, quam ponit Auersa, aut quantitas, neque .n. aliud accidens excogitari potest apud Doctores primam conclusionem nostram defendentes, sed non potest illa potentia constitui tale subiectum, ergo hoc accidens erit quantitas, minor patet, tum ex articulo præcedenti, tum q̃a si daretur, adhuc minus idonea foret ipsa quantitate ad tale munus exercẽdum, quantitas .n. magis participat de conditione materiæ, quàm qualitas de cuius genere ponitur hæc potentia. Tum quia quantitas propinquior est substantiæ, quam qualitas in ratione substãdi ex Doct. in 4. cit. Tum quia ità colligitur ex mente Arist. in ordine Prædicamentorum constituto, vbi post substantiam immediatè posuit quantitatem. Tum denique, quia talis potentia non cadit sub sensu ità manifestè, sicut quãtitas, ergo rationabilius statuitur quãtitas accidentium sensibilium subiectum.

Probatur 2. experientia, albedo .n. superficie extenditur, sicut etiam & calor in quantitate corporis, ergo huiusmodi qualitates in quantitate immediatè recipiuntur. Respondent Aduersarij, ex his solùm sequi, quãtitatem esse dispositionem necessariã in subiecto, vt alia accidentia corporea in ipso recipiantur, non autem esse subiectum proximum, cui talia accidentia verè inhæreant, nam recipiuntur vel in sola materia, vel in composito quanto, vnde extensa denominantur. Sed hæc responsio reijcitur ex Capit. de quantitate, vbi Arist. a[i]t: *quanta fuerit superficies, tantum album fore dices*. ex quibus verbis, Doct. in 4 cit. colligit albedinem esse quantam per inhæsionẽ præcisè, non in corpore quanto, quia superficies nõ est pars corporis quãti. Confirmatur, quando aliquid mediat inter subiectum, & formam recipiendam, an illud mediet in ratione subiecti recipientis, vel tantum conditionis, vel dispositionis ad recipiendum, adęquatè colligitur, & innotescit ex effectu formali formæ receptæ, si .n. eius effectus formalis non communicatur illi medio, sed solum extremo, signum est, quod illud tantùm mediat in ratione dispositio-

nis, si verò effectus formalis communicatur quoque tali medio, signum est illud mediare etiam ratione subiecti. exemplum. Illi qui dicunt quãtitatem esse materiæ coæuam, & mediare inter materiam, & formam substantialem, non concedunt formam, tribuere suum effectum formalẽ quãtitati, non .n. concedunt V.g. quantitatem dici ligneam, vel lapideam, & ratio est, quia forma ligni, vel lapidis informat materiam, non quantitatem. inde deducunt, quod quantitas inter materiam, & formam substantialem, non mediat, nisi tantùm in ratione conditionis, & dispositionis, non in ratione subiecti; in proposito autẽ albedo V.g. inhæret substantiæ mediante superficie, & non solùm substantiæ, sed etiam ipsi superficiei suum effectum formalẽ communicat, nam non solùm substantia dicitur alba, sed etiam superficies, ergo quantitas non mediat, vt conditio, & dispositio ad qualitates recipiendas, sed vt subiectum.

Ioãnes Poncius in suo cursu tom. 2. lib. 1. disp. 6. de composito fol. mihi 187. hanc solutionem non approbat; nam certum est (ait ipse) quòd aliqua forma possit extendi ad extensionem quantitatis, eãque præsupponere, quæ tñ in ipsa quantitate non subiectetur, quod euidenter patet exemplo animæ sensitiuæ, ac vegetatiuæ corporeæ, quæ in sententia Scotist. sic extenditur, & præsupponit quantitatem corporis organici, & tñ huiusmodi animæ non subiectantur in quantitate. sed quid contra nos, hic Doctor assumit? quis negabit quòd forma substantialis materialis extenditur ad extensionem subiecti quanti; sed videamus si hæc forma possit communicare suum effectũ formalem quantitati, & superficiei) & dicere quantitas est animata, est vegetans, sicut dicitur superficies est alba. Falsa, & vana calumnia, quia non per hoc, quod vnum præcedit alterum, nos adęquatè inferimus illud esse subiectum alterius. verum est quòd quantitas præcedit animam vegetantem, cum hæc supponat corpus organicum completum, sed falsò inde deducit, ergo, & talis anima deberet ex nostra responsione in quantitate subiectari, cum nec substantia subiectari possit in accidente, nec suum effectum formalem illi prębere, vt experientia patet, quæ difficultates non militant de qualitatibus. Deinde dicit, quòd quando albedo est coniuncta cum dulcedine, possit dici albedo est dulcis, & quantitas corporis animati animata. error peior priore, quia sicut illæ formæ non vniuntur nisi respectu tertij, ità non nisi tertio suum effectum formalem præbere possunt, & non vna forma alteri disparatæ, nec quantitas dici poterit animata, quia sic oporteret esse hęterogenea, vt est subiectum animæ &c.

Probatur tandem ex Mysterio Eucaristiæ, vbi albedo in Hostia existens, est ità extensa in loco, vt non possit penetrari ab alio Corpore, vt experientia patet, ergo vel hoc oritur, quia quantitas, & qualitas sunt idem realiter, vel quia quantitas est in qualitate, vt in subiecto, vel quia qualitas est in quantitate, cui, vt in subiecto coextenditur. non primum, vt euidenter patet, & suo loco infra probabimus agendo de continuo; ne

que

que secundum, quia potius quantitas se tenet ex parte materiæ, qualitas ex parte formæ, & in ratione substandi quantitas est proximior substantiæ, nisi peruertere velimus Philosophiam, & terminos explicare ad libitum nostrum, vt apud Neuthericos passim inuenitur. Respondent Marsilius, cum Auersa sufficere concomitantiam formarum, & vnionem earum in eodem communi subiecto, vt adhuc adinuicem se denominent. non valet, quia etiam albedo, & frigiditas in niue vniuntur, non tñ ob id seinuicem denominant, non.n.dicimus in niue albedinem esse frigidã, vel frigiditatem esse albam &c. Tum quia adhuc Doctores isti tenentur assignare hoc commune subiectum, in quo qualitates Eucharistiæ vniantur, quod esse non potest illa potentia accidentalis, vt in art. præcedenti ostensum est, ergo erit quantitas. Et tandem quòd discursus noster sit rationalis, & Philosophicus patet ex p. Phys. sicut.n. Arist. illud deprehendit esse primum, & immediatum formarum substantialium subiectum, quod semper idem manet accedentibus, & recedentibus formis; sic etiã bene deprehenditur quantitatem esse qualitatum immediatum susceptiuum, quia videmus in eadem quantitate qualitates mutari, etiam absente substantia, vt contingit in Eucharistia.

Obiectiones Contra Primam.

Obijciunt Aduersarij pluribus Arist. testimonijs, & præsertim 4. Meth. ait: accidens non accidere accidenti, sed vtrumque accidere tertio, quòd explicat exemplo albedinis, & musicæ, quorum vnum non accidit alteri, sed vtrumque homini, & in prædicamento substantiæ inquit, esse maximè proprium solius substantiæ posse contraria recipere. Nec respõdere valet (aiunt) Philosophum per hoc voluisse, solam substantiam esse subiectum primum accidentium, sed non per hoc negasse, accidens esse posse subiectum proximum, & secundarium, quia si hæc fuisset Arist. intentio, ad obiectionem, quæ ibi facit de oratione modò vera, modo falsa, potuisset faciliter respondere, quòd ratio esset tm̃ subiectum secundarium, & minus principale veritatis, & falsitatis, primum verò, & principale esset substantia; quã tñ respõsionem Arist. non adhibuit, imò potius absolutè negauit, orationem esse contrariorum susceptiuam. ℞. Ex Doct. vel Arist. ibi fuisse locutum de accidentibus tm̃ concomitanter se habentibus, siuè disparatis, vt patet exemplis ab eo adductis, & præsertim de albedine, & musica, non verò de subordinatis veluti sunt quãtitas, & qualitas; vel negasse vnum accidens alteri accidere, tamquam subiecto primo, & principali, quo sensu ambo accidunt tertio, scil. substantiæ. ad aliud de prædicamento substantiæ, dicitur maximè propriè esse contrariorum susceptiuam, vt primum, & principale subiectum, quòd accidentibus conuenire non potest, quam responsionem non adhibuit ibi Philosophus ad difficultatem allatam de oratione, quia denominationes veritatis, & falsitatis secundum vsum communem loquendi, non attribuuntur substantiæ. Obijciunt 2. ratione, Sicut Substantiæ cõuenit esse per se, & alijs substare, ità

accidenti conuenit inhærere, ergo sicut repugnat substantiæ inhærere, ità accidenti repugnabit, per se esse, & alteri substare. ℞. Per se esse, & alijs substare, vt subiectum primũ, & principale, est ità substantiæ proprium, vt accidenti vllo modo conuenire possit; sed alijs substare proximè, & dependenter ab alio, potest etiam accidenti conuenire, sic.n. non excludit rationem inhæsionis, quare estò posse alijs substare proueniat ex eo, quòd res in se, & per se existat, quod soli substantiæ primariò conuenit, hoc tñ non impedit, quin accidens aliquod possit esse subiectum alterius secundarium, & proximum, vt sustenctatum à substantia, & dependenter ab ea.

Ob. 3. quòd terminat dependentiam aliquam vnius generis, non dependet dependentia illius generis, alioquin idem esset dependens, & independens eodemmodo, sed quodlibet accidens dependet à substantia vt à subiecto, ergo nullum potest hãc dependentiam terminare. Respond. Scot. maiorem non esse vniuersaliter veram, nam sol dependet à Deo in genere causæ efficientis, & tñ sol terminat dependentiam multorum effectuum in eodem genere filius depende à Patre per filiationem, & tñ esse potest pater alterius filij, & eius dependentiam terminare; vel ad minorem ℞. Quòd accidens quodlibet dependet à substantia, vt à subiecto primo, & omnium basi, & in hoc sensu nullum accidens huiusmodi depẽdentiam terminare potest, ex quo deducit Scot. quòd diuersa, & alterius rationis est dependentia subiectiua prioris accidentis à substantia, & posterioris accidentis ab accidente, nam illa est à substantia, vt à subiecto primò, hæc verò est ab accidente vt à subiecto non primo, sed secundo, proximo, & sustentato ab alio, & idem esse dependens, & indepenpens respectu diuersorum nullum est inconueniens.

Ob. 4. cum Gregorio Arimino: omne accidens est forma, ergo non potest esse subiectum receptiuum alterius accidentis, quia sicut materia esse non potest principium informãdi, siuè forma perfectiua alterius subiecti, sic neque forma esse potest principium patiendi, siuè subiectum passiuum, alioquin confunderentur munera materiæ, & formę. ℞. Negando consequentiam, & ad probationem dicimus, proprium munus materiæ primæ esse quod sit primũ principium patiendi, siuè primum subiectum, quod non potest competere formæ, ex hoc tñ non sequitur quin aliqua forma possit esse forma sui primi subiecti, & ipsa deinde esse subiectum secundarium alterius formæ, sic nos defendimus euenire de forma corporeitatis in viuentibus respectu animæ in serie formarum substantialium, & idem asserimus de quantitate respectu qualitatum in serie accidentalium, & etiam anima rationalis est forma corporis, & tamen est subiectum intellectionis &c.

Ob. 5. si vnum accidens recipi potest in alio, vt in proximo subiecto V.g. albedo in quantitate, vel sola quantitas exercet genus causæ materialis circa illam, vel sola substantia, vel vtrumque simul: si primum, ergo alia accidentia educuntur de potentia solius accidentis, quo mediante

sub-

substantiæ inhærent, imò verè, & propriè illi immediato accidenti inhærebunt, & non substantiæ, quòd falsum apud omnes censetur: si secundum, ergo sola substantia est verè, & propriè subiectum omnium accidentium, & accidens prius se habebit ad posterius, vt præuia dispositio tñ, vel conditio recipientis, non vt subiectum: si tertium, ergo non solum accidens prius erit subiectum proximum posterioris, sed etiam substantia, cum vtraque immediatè ad huiusmodi causalitatem subiectiuam adæquatè concurrat. R. Accidens posterius dependere immediatè ex cõcursu materiali prioris accidentis, ex concursu autem substantiæ tantũ mediatè, & præsuppositiuè, quatenus, scil. substantia concursum materialem exercet circa accidens immediatum, & est manifesta doctrina Scoti in 4. cit. vbi ait: accidens posterius in suo esse, fieri, & conseruari immediatè dependere à priori, & non dependere à substantia, nisi mediante accidente priori. quod etiam innuit Doctor q. 6. vbi loquens de alterationibus contingentibus circa species consecratas, inquit: noua accidentia educi de potentia quantitatis, nullo interueniente nouo miraculo præter illud primum transubstantiationis, & conseruationis quãtitatis sine subiecto. quam doctrinam fideliter tuetur Bassol. in 4. d. 12. q. 1. art. 3. § *aliter videtur* &c. quòd etiam fateri debent Doctores illi, qui in Eucharistia nihil noui accidere fatentur, nisi circa quantitatem, neque Deum supplere concursum materialem substantiæ, nisi in ordine ad eam quantitatẽ; quòd si immediatè accidentia illa omnia à concursu materialis substantiæ attingebantur, oportebit in definitione substantiæ, Deum supplere concursum non solùm in ordine ad quantitatem, sed etiam in ordine ad qualitates; & sine tremore asserimus, talia accidentia substantiæ non inhærere, nisi remotè, & vltimatè, quatenus, scil. substantiæ inhæret accidens illud, quod est subiectum proximum cæterorum.

Ob. tandem, quod ex hac doctrina sequi videtur, Corpus de genere quantitatis esse per se mobile motu, ità alterationis, quam lationis, cum esse possit subiectum proximum, & immediatum termini vtriusque, hoc autem destruit subiectũ Philosophiæ naturalis à nobis statutum. Tum quia si qualitates propriè nõ inhærent substantiæ, neque de illa educuntur, sed quantitati inhærent, & de eius potẽtia educuntur, ergo subiectum motus ad qualitatem erit propriè corpus de genere quantitatis, non substantiæ. R. Negando consequentiam; imò hæc determinatio nostram confirmat opinionem de subiecto Philosophiæ, nam cum accidenti non conueniat esse subiectum alterius, nisi dependenter à substantia, & in virtute substantiæ, veluti in genere causæ materialis, quasi instrumentalis, consequenter asserendum erit, corpus de genere quantitatis nullo modo esse per se subiectum alterationis, seu lationis, sed potius per accid. & ratione alterius; & sicut actio principaliter non tribuitur instrumento, sed principali agenti, in cuius virtute agit, sic etiam motus alterationis, & lationis, non erit quantitati ascribẽdus, sed potius substantiæ, in cuius virtu-

virtute accidens illud recipit, & sustentat. Et per hoc etiam ℞. Ad 2. nam licèt cætera accidentia corporea propriæ quantitati inhæreant, & solùm remotè substantiæ, in quantũ, scil. ei inhæret illud primùm accidens, quòd est subiectum proximum aliorum accidentium, hoc tñ solùm sufficit, vt substantia dicatur primũ, & per se subiectum omnium accidentium, & motuum, per quos talia accidentia acquiruntur, & eorum prædicationes, & denominationes substantia potius suscipiat, quam accidens ei immediatè inhærens; & tantò magis, quia omnia hæc accidentia per motum acquisibilia, per se, & directè substantiæ debentur, & propter substantiam in alijs accidentibus intermedijs recipiuntur.

Arguitur Contra secundã, & primo argumento Marsilij satis molesto, non enim potest sufficiens assignari ratio, cur quantitas debeat esse subiectum cæterorum accidentium. nã si assignetur, illa omnibus frequentior, quia, scil. videmus superficiem esse albam, quia igitur esse album est effectus albedinis in genere causæ formalis, oportet fieri per inhæsionem ipsius in superficie; Contra arguit Marsilius, nam videmus quoque ex opposito albedinem esse extensã, esse quantam, atque ideo pari ratione possumus dicere, quantitatem inhærere qualitati, nam extendi est effectus formalis quantitatis, & sic vel mutuo sibi inhærebunt, quòd est absurdum, vel neutrum alteri inhæret, sed ambo tertio, in quo vnita se mutuò denominant propter talem vnionem. Scio responsionem Suar. & Aliorum ad hoc argumentum, sed revera litem non sedant, & potius principium petunt, idcirco tutius respõdetur ex Scoti Doctrina quol. 18. lit. C. fol. mihi 112. quem sequitur Hurtad. in Phys. disp. 2. sec. 2. §. 6. ℞ scil. duo sunt genera denominationũ, quædam formal: s, quæ à subiectis in suas formas deriuantur, experimur .n. quòd dũ forma est in materia, variæ denominationes sibi inuicem cõmunicant, nam vbi albedo V. g. corpus informans, illud denominat album, coloratum, quale, corpus è contra illam formam denominat subiectatam, corpoream, & materialem; albedo quidem informando, inhærendo, & actuado, corpus verò subiectando, & recipiendo, quia talis est conditio, & natura formæ, & subiecti. Cum igitur videmus duo inter se vnita seinuicem denominari, attendere debemus, quod nam eorũ sit aptius ad munus subiecti obeundũ erga alterum, vel munus formę, quod nam scil. sit magis potentiale, & materiale, & quod magis aptum ad gerendum munus formæ, scil. quod nã sit actualius, & formalius, & inde colligere, quòd hoc insit illi inhærendo, & informando, illud verò hoc denominat recipiendo, & subiectando. Cum igitur in proposito, dicimus albedinem esse quantam, non hinc inferre debemus, ità denominari, quia quantitas informet qualitatem, sed potius quòd qualitas informet quantitatem, cum à toto genere sit actualior quantitate, quantitas verò sit potentialior, & habeat rationem materiæ; atque ideo cum dicimus albedinem esse quantam, debemus iudicare rationabilius hanc denominationem esse materialẽ, scil. à quan-

à quantitate tanquam à subiecto prouenire. poteſt etiam reſponderi cũ Fabro in 4. diſp.48. Cap.2.quòd ex inde inferri poteſt, ſuperficiem eſſe ſubiectum albedinis, & non è contra, quod eſt vera Methodus, & via inueſtigandi ſubiectum formarum, quam obſeruauit Ariſt. in inueſtigatione Materiæ. Ex his conuictus remanet Arriaga diſp.5.Phyſ.ſub ſect. 6.num.37.qui ſemper partibus Hurtadi fauens, ait: nulla apparet ratio Phyſica, qua ſpecialiter probetur, quantitatem eſſe ſubiectum aliorum accidentium, nam quòd quantitas præcedat ea omnia accidentia, non arguit eam eſſe ſubiectum illorum, nam etiam primus gradus intenſionis præcedit ſecundum, & tñ illum non recipit. hæc Arriag. ſed vanus diſcurſus, quia non ſolùm ex primitate nos inferimus quantitatem eſſe ſubiectum aliorum accidentium, ſed principalius ex potentialitate,& ſimboleitate quam habet cum materia, & ex immutabilitate qua gaudet,reſpectu aliorum accidentium,quæ cõuenire nõ poſſunt primo gradui qualitatis reſpectu aliorum graduum, nec nos fingere debemus diſcurſus Philoſophicos ad libitum noſtrum, vt mos eſt ipſius Arriag. & plurium Neuthericorum.

Ob. ex Auerſa q.21.ſec.6.fol.mihi 673.ex natura ipſarum rerum non apparet ratio talis dependentiæ, vt alia acdidentia debeant inhærere quantitati, nam omnia ſunt per ſe ordinata ad perficiendum idem commune ſubiectum, & ità per ſe ordinantur ad ipſum ſubiectum qualitates, ſicut quantitates, idemque ſubiectum eſt quòd debet fieri extenſum per quantitatem, calidum per calorem, album per albedinem, & ſic de alijs aceidentibus. ℞. Negãdo antecedens, nam licèt omnia accidentia per ſe ordinentur ad perficiendũ idem commune ſubiectum, non tñ obſtat, quin vnum poſſit ilud perficere mediante alio, vt eſt in propoſito.

Ob. aliqua accidentia non inde inhærere debent quantitati, ex eo q̃a non recipiuntur, niſi in ſubſtantia quanta, nam ex hoc tñ inferri poteſt, quòd quantitas mediet, vt conditio ad recipiendum, non vt verè ſubiectum; ſicut forma ſubſtantialis non recipitur, niſi in materia quanta, nec idcirco dicitur ſubiectari in quantitate. ℞. Negando aſſumptum, videmus .n. cætera accidentia non ſolùm ſubſtantiæ ſuum effectum formalem communicare,ſed etiam quãtitati, vt ſupra dictum eſt,& ideo rectè inferimus non inhærere quantitati, vt conditioni, ſed vt ſubiecto. Ad id, quod aſſumit, quòd eſtò forma ſubſtantialis recipiatur in materia quanta,non ob id tñ diceretur in quantitate recipi, eſt contra ipſum Auerſam, eo quia talis forma ſubſtantialis non communicaret quantitati effectum ſuum formalem ſubſtantialem, & ideò non debet inferri, in quàntitate recipi, vt in ſubiecto.

Ob. neque propter Myſterium Eucharistiæ oportet alia accid.ſubiectari in quantitate, quia magis commodè hæc exerceri poſſunt à potentia accidentium ſuſceptiua, quæ eſt qualitas de ſecunda ſpecie;& confirmatur magis quia in ſpeciebus ſacramentalibus fiunt mutationes etiam quantitatis; nempè per condenſationem,

nem, & rarefactionem, & plerique volunt, hanc mutationem fieri per veram productionem quantitatis, ergo non est quantitas ibi primum subiectum, sed potius inueniendum est aliquod aliud accidens quantitate prius, in quo est ipsa quantitas, & alia accidentia. R. Negãdo assumptũ, & nostra opinio magis idonea est ad Mysterium Eucharistiæ explicandũ, quàm illa potentia, quia munera illa sunt ferè omnia causæ materialis, quæ magis participat ipsa quantitas, quàm huiusmodi potentia, quæ ponitur in genere qualitatis; qua ratione motus Coninchius de Sacramentis q.77.art.2. hanc nostram communem sententiam sequitur. Ad Cõfirmationem, an rarefactio, & condensatio fiat per acquisitionem, vel desitionem quantitatis, non est certum, & in sententia Doctoris potius oppositum probabilius censetur, vt videri potest in 4. d. 12.q.4. Et nos in lib. de Gen. ostendemus.

Ob. ex Hurtado disp. 6. sec. 6. sub sec. 2. qui licèt non ponat potentiam aliquam accidentalem subiectum proximum aliorum accidentium negat tñ absolutè quantitatem esse cæterorum accidentium subiectum, & ità probat: quantitatis munus est materiam disponere ad recipiendam formam, & extendere ad impenetrabilitatem, & ad actionem materialis agentis, ergo eius munus non est qualitatem recipere. Prob. conseq. quia sine tali receptione primum munus exercet, vt patet in ordine ad formam substantialem, ad quam disponit, & tñ non eam recipit. Consequentia puerilis ex antecedente trunco, & diminuto; quando.n. munus quantitatis per se primò esse substantiam ad impenetrabilitatem extendere, hoc tñ non obstat quin secundariò exerceri possit munus subiecti recipientis in ordine ad formas accidentales.

Arguit 2. qualitates primæ disponunt materiam ad formam substantialem, & sunt causa secundarum qualitatum, & tamen secundæ non recipiuntur in primis, cur ergo omnes recipientur in quantitate? Neoterici, esto reuera intellectu, & perspicuitate non careant, nolunt tamen sententiam nostram intelligere. vna qualitas respectu alterius non habet rationem potentiæ, sicut habet quãtitas respectu qualitatum, nunquam .n. ex sola primitate nos inferimus, quantitatem esse subiectum qualitatum.

Arguit. 3. Dispositio debet esse in eodem subiecto, quòd disponit ad formam, & in quo est ipsa forma, nã si non est in tali subiecto, non videtur, quomodo cum veritate dici possit illud disponere, cùm talis dispositio fiat præsertim per informationem; sed qualitates sunt dispositiones materiæ recipientis formam, non quantitatem, ergo sunt in sola materia non in quantitate. Resp. Ex Doct. in 4. d. 1. q. 5. E. distinguendo de duplici dispositione ad formam, alia .n. est, quæ disponit in genere causæ materialis, veluti ratio recipiendi, sicuti est organizatio in corpore respectu animæ; Alia est, quæ disponit in genere causæ efficientis, auferendo impedimenta, quæ introductioni nouæ formæ obstant; quare licèt maior concedi possit de dispositione primi generis, non tñ admittenda est de dispo-

dispositione secundi generis, sed sufficit, quòd talis dispositio sit in eodē supposito, tales sunt qualitates respectu materiæ, disponit .n. in genere causæ efficientis, auferendo impedimenta, quæ introductioni nouæ formæ obstant. & dato etiam quòd qualitates in genere causæ materialis materiam disponerent, sufficit ad hoc vt in eadem materia subiectentur immediatè, mediante scil. quantitate, ideò nil contra nos Hort. concludit.

Obijcitur tandem ex Arriaga loc. cit. si ad euitanda miracula deberemus naturas rerum inuertere, propter eamdem rationem deberemus dicere, quòd quantitas non dependeat à substantia, nè dicatur scil. miraculosè conseruari absq. concursu substantiæ, à qua dependere deberet, nam quantum ad rationem, & experientiam, sicut non potest probari qualitates in quantitate recipi, ità neq. quantitatem à substantia dependere. R. Negando, nos naturas rerum inuertere ad euitanda miracula, sed bene asserimus miracula superflua esse, vbi saluari potest exigētia rerum absq. miraculo. Illud autē quod assumit æquè constare quantitatem non dependere à substantia, ac qualitates subiectari in quantitate, falsum omnino est, nam nullus vnquam negauit, quòd accidens pendet à substantia, & tamen communior sētentia est, quòd qualitates subiectātur in quantitate. præterea certum est non posse quantitatem naturaliter conseruari absq. substantia; atq. ideò rationabiliter ad miraculum recurrimus, vt conseruetur; sed non est ità certum, qualitates non subiectari in quantitate, imò hoc asserit tota caterua Doctorum Scolasticorum, ergo non est necessarium recurrere ad miraculum quoties de nouo qualitates in Eucharistia producuntur, donec constaret, quòd qualitates non possent in quantitate subiectari, sed hoc non constat, sed potius oppositum intrinsecè, & extrinsecè; Euidentissimum .n. est, quòd agens naturale producit naturaliter calorem, & frigiditatem in specieb. Euch. in quib. nulla substan. reperitur, vt fides docet; at tale agens huiusmodi accid. producere nequit, nisi in subiecto, ex quo educuntur, aliter quia talis productio esset creatio, quæ agenti naturali non competit, ergo ibi reperitur aliquod subiectum, in quo recipiuntur, & sustentantur, & hic est rationabilior discursus, nisi recurrere velimus ad noua, & crebra Miracula à Nominalib. conficta in venerabili Eucharistiæ Sacramento, vt suam tenaciter tueantur opinionem. Pōcius in sua Apolog. append. fol. 136. cum Mastr. circa nostram decisionem aduersis frontibus pugnant, nos breuitati consulumus, & molestè ferimus in his iurgijs operam perdere. & pro nostra sent. huc vsq. dicta sufficiant.

ARTICVLVS QVARTVS.

An substantia possit à quolibet accidente communi separari, & è contra.

Scot. hoc dubium resoluit in 2. d. 12. q. 2. §. *Respondeo &c.* vbi apertè ait: *Dico, quòd non est contradictio materiam esse sine forma quacūq. substantiali, & accidentali.* E quantum ad primam partem, plures Auctores tenent, posse substantiam, à

quocumq. accidente communi separari, non solùm absoluto, sed etiam respectiuo; ità ex nostris Bassolius in 4.d.12.q.1.art.1.Fuentes 1. Phys. difficul.4.art.7.& multi Scotistæ, asserentes hanc esse sententiam Scoti in 2. cit. Alij verò docent posse Deũ separare à subiecto formam accidentalem absolutam, non tũ respectiuã; ità quamplures Recentiores, qui nolunt substantiã separari posse ab vbi, seù quacumq. præsentia locali, quãuis distributiuè esse possit sine hoc, vel illo vbi, in quo sensu Tromb. 7. Meth.q.3.art.2. hanc sent. defendit. Quantum verò ad 2. partem, an scil. omne accidens possit sine subiecto reperiri, (relicta Phylosophorum opinione experientia ducti, qui affirmãt nullum accid. posse à subiecto separatum existere, vt Arist. docuit 7.Meth. tex.3.) Quidam Catholici Philosophi, & Theologi affirmarunt omnia accidentia tàm absoluta, quàm respectiua posse per Dei potentiam sine subiecto existere, & conseruari, ità ex nostris Canonic. defendit 1.Phys. q.4.art.5. Alij verò è contra asseruerunt ne dum accidentia respectiua, sed neque etiam absoluta existere, & conseruari posse sine subiecto, solùm id concedentes de quantitate; ità Ægidius Therem.36.& Heruęus quol. 11.q.29. Aliqui Recentiores distinguunt de accidentibus, nam quædam sunt res, quædam verò sunt modi rerum, quatenus scil. natura sua instituti sunt, non vt per se sint, sed semper alijs affixi, res illas determinando, & specificando, vt sunt Vbi, Figura, Vnio &c. Accidentia primi generis distinguuntur realiter à subiecto, vt res à re, & ideo affirmant posse ab illo separata conseruari, accidentia verò secundi generis distinguunt modaliter, vt rem, & modum rei; & asserunt huiusmodi accidentia esse non posse sine subiecto; ità Auersa q.21. de accidenti sec.1.fol.mihi 657.in hoc approbando dictum Scoti, quòd omnia accidentia prædicamentalia, exceptis quantitate, & qualitate, sint respectus, quos ipse Auersa appellat modos. Supponimus hic loqui de quocumq. accidente predicamentali, tàm absoluto, quàm relatiuo, non de trascendentali, quod in logica ostendimus identificari realiter cum suo subiecto, ac proinde impossibile esse ab eo per quamcumque potentiã separari.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, estò non possit substantia naturaliter à quocunq. accidente separari, potest tũ supernaturaliter separari à quocumque absoluto, quamuis non à quocumq. respectiuo. est Scoti loc. cit. & tres habet partes, quo ad primam, ità facilè probatur: Agens naturale non potest ordinem ab Authore naturæ institutum inuertere, vt Scot. docuit in 2.d. 2.q. 2. cum igitur substantia ità sit à naturæ Authore instituta, vt semper sit cum accidentibus associata, sequitur, vt non possit agẽs creatum illam omnibus, & singulis expoliare. Tum quia substantiæ omnes ità sunt quorumdam accidentiũ exigitiuæ, vt statim ac quòd in lucẽ prodeunt, accidentia illa per naturalem resultantiam ab eis dimanent, vt patet de luce producta à Sole, de calore emanante ab igne, & ab alijs causis huiusmodi, quæ substantiæ ità necessariò huiusmodi accidentia petunt,

tunt, vt illis deficientibus secundùm naturæ cursum, statim pereant, ergo agens naturale non potest sua propria virtute substantiam omnibus accidentibus expoliare,& ipsam sic nudam sine illis conseruare;licèt.n. accidentia non sit de essentia substãtiæ, quædam tñ sunt ità substantiæ associata, & connexa, vt sine illis statim substantia corruit. quæ exigentia nõ solùm attendenda est ex condictione, & ordine vniuersi, vt de connexione materiæ,& formæ dicebamus, sed etiam ex interna indigentia substantiarum. Quæ tamen indigentia tanta non est, vt ab Authore naturæ suppleri nequeat. Quòd autem supernaturaliter esse possit sine quocũque accidẽte absoluto, probat Scot. omne absolutum prius alio absoluto, & realiter ab eo distinctũ potest per potentiam Dei absolutam ab eo separari,si nulla inter ea necessaria dependentia deprehendatur, sed substantia respectu accidentis absoluti est huiusmodi, quæ licèt dependere possit ab aliquo respectu tanquam à condictione præuia,vel concomitanti, vt patet de composito substantiali respectu vnionis, Ex Doc. in 3.d.2. q.2.F. à nullo tñ absoluto sic dependere potest absolutè loquendo. Tum deniq. quia plus dependet posterius à priori,quàm prius à posteriori,sed substantia est prior quocumq. accidente, saltem absoluto, tempore natura,& definitione 7.Meth. tex.4. & accidens absolutum potest à Deo conseruari, ergo.Quòd tandem nequeat substantia separari, & separata conseruari sine quocumq. respectu, etiã ab ea realiter distincto,idest non ei realiter identificato, probatur; nam substantia composita necessariò coexigit, seù præexigit vnionem partium, & ità ab ea dependet veluti à condictione præuia, vt sine ea implicet omnino compositum conseruari, ex Doc.loc.cit.in 3.& licèt Recentiores affirment vnionis modum esse substantiam, non accidens, hoc tñ falsum esse infra demonstrabimus, tantùm .n. denominatiuè,seù terminatiuè est substantialis, quo sensu etiam mutatio ad substantiam dicitur substantialis, estò entitatiuè sit accidens.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. omne accidens absolutum per absolutam Dei potentia esse posse sine subiecto,nullum tñ respectiuum. Est Scoti in 4.d.12.q. 1. §. *ad Quæst.*&c.supra A.hęc conclusio quo ad primam partem non potest ratione naturali demonstrari, quia vt rectè Scot. docet quol. 7. & in 1.d.43. non potest ex puris naturalibus demonstrari,neq.à posteriori, Deum esse omnipotentem, vt Theologi docent, vnde axioma illud: *Quidquid Deus efficere potest cum causa secunda potest etiam sinè secunda se solo efficere*, non est ex terminis notum, sed solùm lumine fidei, quatenus docemur essentialem ordinem causarũ non esse simpliciter necessarium; at quia Philosophi tenebant, hunc ordinem esse simpliciter necessarium, ità consequenter negabant accidens esse posse sine subiecto, quamuis ex alia parte cognoscerent subiectum non esse de essentia accidentis, quia videbant ex eis non fieri vnum per se, & subiectum esse causam illius materialem,non intrinsecam,sed tm̃ extrinsecam, vt Scot. aduertit in 4. d. 12.q.1.

12.q.1.lit.B. Potest tñ aliqua probabili ratione persuaderi ex natura accidentis absoluti, & ità Doct. loc. cit. discurrit: Accidens absolutum, vt absolutum non requirit terminum, alioquin absolutum non esset, si ergo requirit subiectum hoc erit ob dependentia ab eo alterius rationis, à ratione termini, sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliud, quod non est de eius essentia, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam, subiectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc ex eis fieret vnum per se; licèt .n. subiectum sit causa materialis accidentis, non est tñ causa materialis intrinseca, sed extrinseca: & quamuis sit causa extrinseca, non est, tñ causa simpliciter prima, cum hæc sit solus Deus, ergo à primo ad vltimum non est tanta dependentia accidentis absoluti à subiecto, quin à Deo suppleri possit.

Probatur tandem ex Mysterio Eucharistiæ, vbi euidenter ostenditur inhærentiam actualem ab accidentibus panis, & vini separari, & hæc existere sine subiecto, nam nec in corpore Christi ibi sunt, cum in eo statu non sit capax huiusmodi accidentium, Neq. dices ex hoc mysterio tñ deducitur, quòd quantitas specierum sit sine subiecto, & sine inhærentia actuali; nō verò qualitates, cũ hæ quãtitati adhæreãt, & ab ea tãq̃ à ꝓprio subiecto sustẽtẽtur. R. Quòd licèt ex hoc Mysterio de facto actualis existẽtia sine subiecto de sola quãtitate inferatur, existentia tñ possibilis sine subiecto etiã de qualitatibus cõcludi potest; nam qualitas non est minus ens absolutum, quàm quantitas. Tum quia vt benè arguit Doc. in 4. cit. q. 2. supra A. fol. mihi 137. semper dependentia ad prius est essentialior, quàm dependentia ad posterius (loquendo de accidentibus absolutis) sed qualitas habet dependentiam ad substantiam, tanquam ad primum subiectum, ad quantitatem verò tanquã ad posterius, ergo essentialior est dependentia, qua dependet à substantia, quàm ea, qua dependet ad quantitatem, sed in hoc Mysterio affirmamus qualitates in Sacramento remanentes esse sine actuali dependentia ad substantiam, ergo ex eodem mysterio rectè inferimus qualitates esse posse sine dependentia ad quantitatẽ, licèt de facto non ità sit.

Quòd ad vltimam partem de impossibilitate separationis ab accidentib. respectiuis, ità à Scoto probatur: Respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema, ergo sicut tollere terminum, ad quem est respectus, est tollere, seu destruere respectum, ità tollere illud, cuius est respectus, scil. subiectum, vel fundamentum, est tollere respectum, & destruere rationẽ respectus; non igitur, quia accidens respectiuum est accid. ideò requirit subiectum, vel fundamentum, sed quia tale accidens est respectus, ideò requirit cuius sit, & ad quod sit etiam in Diuinis. *Obiectiones*.

Obijcitur contra primam probando, quòd substantia potest naturaliter esse sine quocumq. accidente. Potest in genere artificialiũ esse substãtia sine quacũq. forma artificiali naturaliter, ergo, & in genere naturaliũ. R. Negando consequentiam, & ratio est, quia ad conseruationem substantiæ naturalis, parum, aut nihil iuuat

forma

forma artificialis, non sic autem Philosophandum est de formis naturalibus accidentalibus, sine quibus, seù saltem aliquibus eorum experimur, statim substantiam corruere; vnde rationabiliter Scot. in 2. d. 18. q. vn. B. asserit substantiam non habere potentiam naturalem ad formas artificiales.

Ob. Anima virtute propriæ existentiæ, & subsistentiæ potest separari, & separata existere à corpore, & hoc naturaliter, quamuis sit ad corpus naturaliter propensa, ergo tantò magis substantia corporea poterit ab accidentibus separari, estò habeat cum illis naturalem exigentiam, cum hæc maiori gaudeat subsistẽtia, quàm anima separata. ℞. Negando consequentiam, seù paritatem ex Doc. in 4. d. 45. q. 2. *ad primum*, & fundamentum est, quia licèt substantia corporea sit magis subsistens, quàm anima, non tñ eadem necessitate appetit anima vnionem ad corpus, qua substantia corporea vnionem ad accidentia, nam anima non appetit vniri corpori, quatenus corpus sit conditio ad naturalem modum existendi, absolutè, & simpliciter requisita, sed appetit vnionem ad corpus, aut propter solam cognitionem sensitiuam, quam extra corpus exercere non potest, vel potius ob solam perfectionem ex ipsa cum corpore resultantem, at substantia corporea est ità naturaliter constituta, vt pro sui conseruatione petat suapte natura accidentia quædam absoluta, quibus deficientibus, secundum communem naturæ cursum statim corruat, quod genus dependentiæ vocant à posteriori, vel aptius naturalis coexigentiæ.

Arguitur 2. quòd nec etiam super naturaliter potest substantia quocũq. accidente absoluto spoliari: non .n. explicari potest, qualis esset status substantiæ corporeæ in ordine præsertim ad locum ablata quantitate, an scil. flueret in punctum, an verò esset adhuc in toto loco, vbi prius erat, non tñ amplius diuisibiliter, sed modo spirituali ad modum Angeli, tota in tota, & tota in qualibet parte; vel an potius remaneret adhuc in loco diuisibiliter, vt prius, quod sine quantitate impossibile videtur. ℞. Substantiam spoliata quantitate remanere extensam in loco adhuc diuisibiliter, vt prius, non tñ impenetrabiliter, cùm hic sit effectus formalis quantitatis, vt infra suo loco diffusè de hoc puncto agemus.

Ob. Corpus organicum esse non potest sine quantitate, & qualitate, quantitas facit partes extensas, qualitas verò alterius rationis, sed homo V.g. est corpus organicum, ergo esse nequit sine huiusmodi accidentibus. ℞. Ex Trombet. Bassol. & Alijs Scotistis negando maiorem, nam corpus organicum, quod ponitur in definitione animæ, non dicit quantitatem, & qualitates, sed totum habẽs plures partes ætherogeneas, specificè inter se distinctas per formas partiales corporeitatis; quantitas non facit partes corporis absolutè extensas, sed solùm extensas ad impanetrabilitatem, nec qualitas facit partes corporis essentialiter alterius rationis, vt sunt ossa, nerui, caro &c. sed tñ accidentaliter.

Ob. Figura est de quarta specie qualitatis, sed corpus humanum præsertim esse non potest sine figura, er-

go substantia corporea esse non potest sine qualitate,& accidente absoluto. ℞. Aliqui distinguunt de duplici figura, vna est positiua, altera negatiua, prima dicit determinationẽ quãdam extrinsecam corporis, scil. esse triangulatum, vel quadrangulatum &c. & hæc est in prædicamento qualitatis, & corpus ab hac figura separari potest; Secunda dicit determinationem quamdam intrinsecam, quæ nihil positiuum addit vltra corpus de genere substantiæ, sed tm̃ priuationem ad vlteriores partes. Vel expeditius possumus negare maiorẽ, vt in logica notauimus cap. de qualitate ex Doct. in 4. d. 12. q. 4. F. vbi docet quod in rei veritate, figura quid absolutum importare non potest, q̃a vltra quantitatem non dicit, nisi relationem includentium partes ad se inuicem, ponitur tñ species quædam qualitatis, quia habet modum denominandi, & prædicandi absolutum, scil. sine expressa relatione ad aliud, nam homo denominatione absoluta ità dicitur à pulchritudine pulcher, sicut ab albedine albus, vt etiã Scot. loquitur quol. 18. lit. I.

Arguitur tandem contra vltimam partem, probando quòd potest substantia, a quocumq. accidente etiam respectiuo separari: Prius in quantũ prius esse potest sine posteriori realiter distincto, à quo essentialiter nõ dependet, sed substantia à toto genere est prior accidente ex 7. Meth. tex. 4. ergo esse potest sine quocumq. accidente etiam respectiuo. ℞. ex Lych. q. 11. soluendo obiectiones contra tertium dictum ad sextum vbi ait: licèt priori natura non repugnet posse esse sine posteriori natura, tñ concomitanter potest repugnare, sicut homini, vt priori natura non repugnat posse esse sine risibilitate, in cõcomitanter, quia scil. ponitur causa necessaria præcisa, & adæquata risibilitatis, ideò sibi repugnat posse esse sine illa; sic dico in proposito, & Lych. ibi loquitur præcisè de absoluto in ordine ad respectum, à quo distinguitur realiter, vbi ait: Dico, q̃ posito quòd extrema sint prius natura relatione, tñ quia illa necessariò consequitur illa extrema ex natura rei, & sunt causa necessaria immediata, præcisa, & adæquata, ideò non sequitur posse esse sinè relatione. ità Præfatus Doct. ostendit in 2. d. 1. q. 5. ad 3. Ocham. & d. 12. q. 2. ad instantias Caiet. concludens illam maiorẽ non esse vniuersaliter veram. ℞. etiã ad minorem, quòd illa Auct. ex 7. Meth. nõ debet intelligi copulatiuè, quo ad omnia accidentia, sed disiunctiuè, quatenus substantia semper præcedit accidens, vel tempore, vt dum in temporis momento existit sine aliquo accidente, vel natura, quam si non existit sine eo, potest tñ quantũ est de se existere, vt sol sine luce, & ignis sine calore, quamuis in vllo vnquam instanti sine illis sint; vel saltem definitione, quatenus vniuersaliter verum est, quòd substantia ingrediatur definitionem accidentis, & non è contra; quare hac saltem prioritate semper substantia præcedit accidens, licèt non semper prioritate naturæ, vel temporis, quia compositum nec tempore, nec natura vnionem suarum partium præcedit, sed potius è contra, vnio partium præcedit compositum, vt condictio necessariò requisita, vt Doct. docuit in 3. d. 2. q. 2. F.

Ob.

Ob. Accidens respectiuum magis accidit substantiæ, quàm absolutum, sicut inter respectus magis accidit extrinsecus, quàm intrinsecus adueniés ex Doct. in 4. d. 10. q. 2. §. *dico ergo &c.* ergo si potest per potentiam Dei esse substantia sine quocumq. absoluto, tantò magis esse poterit sine respectiuo. ℞. Distinguendo, Si per magis accidere intelligatur esse minus necessarium ad constitutionem substantiæ, saltem vt condictionem præexactā, negatur ātecedens ex Doct. in 3. cit. si per magis accidere intelligatur esse magis extraneum à ratione formali substantiæ, sic omne accidens videtur æqualiter substantiæ accidere, quia nullum accidens ingreditur substantiæ definitioné, & Scot. in 4. cit. loquitur specialiter de Vbi, quod est respectus extrinsecus, quod ait importare respectum fortè cæteris accidentaliorem.

Contra secundam Conclusionem arguitur primò, probando vniuersaliter nullum accidēs posse à subiecto separari: Posterius essentialiter non potest esse sine priori essentialiter ex 5. Meth. cap. de priori, sed accidens est posterius essentialiter ipsa substantia, ex 7. Meth. 4. ergo accidens esse non potest sinè substantia. ℞. A Doct. loc. cit. in 4. d. 12. quòd substantia est prior accidente aptitudinaliter, sed non semper, scil. actualiter, & patet in Mysterio Eucharistiæ, vbi accidentia panis adhuc retinent posterioritatem aptitudinalem in ordine ad substantiam panis, estò non retineāt actualem, ob desitionem panis, & ità semper verum est, accidens vt posterius esse non posse sine respectu ad substantiam, vt saltem aptitudine priorem.

Ob. Sicut substantiç conuenit esse per se, ità accidenti esse in alio; at impossibile est substantiam esse in alio, & non per se, ergo Impossibile est accidēs esse per se, & non in alio. Resp. Scotus quòd paritas tenet, vt per se esse in alio dicunt aptitudinē, sic .n. vnum ità conuenit vni, vt alteri prorsus repugnet; at non tenet omninò, vt dicunt actum, nisi quantum ad hoc, quòd substantia carere potest actuali subsistentia in proprio supposito, & esse in alio, sicut patet de natura in Verbo, & accidens carere actuali inhærentia, vt patet de accidentibus in Mysterio Eucharistiæ.

Ob. Impossibile est definitum esse sine definitione, & quacumq. parte illius, sed substantia ingreditur definitionem accidentis ex 7. Meth. 4. ergo impossibile est accidens esse sine substantia. ℞. Maiorem esse veram de illo, quòd ingreditur definitionem, vt genus, vel differentia, non de illo, quod ingreditur, vt additū, vt est in casu de substantia in definitione accidentis, quòd si dicas etiam correlatiuum ingredi definitionem relatiui, vt additum tantùm, & tū adhuc relatiuum sine correlatiuo esse non potest. ℞. Scot. hoc ideò euenire, quia relatiuum est, non quia præcisè accidens est.

Arguitur specialiter de qualitatibus, quòd non possunt separatæ existere à quocumq. subiecto: Si albedo esset à quantitate separata, esset sensibilis, & insensibilis, corporea, & spiritualis, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, esset sensibilis, quia adhuc esset qualitas tertiæ speciei, esset insensibilis, quia quod non est quantum, non est sensibile;

esset

esset spiritualis, quia in tali statu esset indiuisibilis; esset corporea, quia est qualitas de tertia specie. ℞. ex Doct. in 4. d. 12. q. 2. B. negando sequelam, & ratio est, quia albedo à subiecto separata, adhuc foret sensibilis, quia apta mouere sensum, & corporea esset, & diuisibilis, quia adhuc haberet pluralitatem partium integralium; attamen, quia tunc non esset sub modo quantitatiuo, quæ est conditio necessaria ad exercitium sensationis, & diuisionis, subdit Scot. quòd in tali statu propter defectum quantitatis non esset sensibilis, & diuisibilis potentia proxima.

Ob. Sanitas est accidens absolutū, & consistit in quadam adæquatione humorum, ità corporis animalis alligata, vt prorsus repugnet à corpore separata existere, ergo &c. ℞. A Doct. quol. 18. lit. I. quòd sanum, & pulchrum, ac cæteræ qualitates de quarta specie, non sunt propriæ qualitates, & accidentia absoluta, sed potius relatiua, ponuntur tñ communiter in prędicamēto qualitatis, quia habent modum denominandi, & prædicandi qualitatis, sicut .n. ab albedine dicitur album, ità à pulchritudine dicitur pulchrum &c. non referendo illud expressè ad aliud, vt sūt esse patrem, esse filium, esse simile &c.

Ob. saltem hoc negari non potest de actibus vitalibus, quorum tanta est dependentia à principio vitali, vt ab eo petant necessariò produci, & in eodem recipi, aliter nec vitales actiones forent, nec immanentes; ergo saltem actus vitales accidentales separari non possunt à suis subiectis. ℞. Negando assumptum cū subillata sequela, quia etiam actus vitales secundum absolutas eorum entitates separari possunt à potentijs vitalibus, & conseruari, & adhuc in tali statu vitales dici deberent, & immanentes, quia suaptè natura adhuc produci exigerent à principio vitali, & in eodem recipi.

Canonicus 1. Phys. q. 4. art. 5. mordicus defendit etiam accidentia respectiua posse per Dei potentiam à subiecto separari, & separata existere, & conseruari, & ità argutè, & subtiliter vrget: Quæcumq. essentialiter distinguuntur, sunt mutuò separabilia, sed relatio prædicamentalis, & fundamentum sunt huiusmodi, ergo &c. minorem supponit veram ex nostris principijs, probat maiorem: Sicut ad identitatem essentialem sequitur necessariò Impossibilitas separationis, ità ad distinctionem essentialem sequitur separabilitas. ℞. Maiorem esse veram cum sua probatione, quando vnum non pendet ab altero essentialiter, in casu autem relatio pendet à fundamento, & termino essentialiter cum sit essentialiter habitudo inter duo extrema.

Sed Contra vrget: dependentia relationis ab extremis intrinseca, & essentialis non potest esse talis, qualis est totius à partibus, quia nec fundamentum, nec terminus sunt de essentia, & de intrinseca ratione relationis, cum fundamentum, & terminus sint absoluta, & absolutam esse non possit de essentia relationis, ergo erit dependentia extrinseca, & consequenter separabilis; & tantò magis, quia primum simpliciter independens potest terminare omnem dependentiam, & supplere vicem cuiuslibet dependentis. ℞. Antecedens

dens esse verum quantùm ad causalitatem, quam reuera extrema nō sūt causæ intrinsicæ, nec de essentia accidentis relatiui, habitudo tñ inter illa extrema est de essentia relationis, & ideò negatur vltima consequentia. Ad Confirmationem, negatur, quòd primum simpliciter independens possit omnem dependentiā immediatè terminare, vt ex Doct. colligitur in 3.d.1.q.1

Contra vrget: Vel fundamentum in ordine ad relationem se habet vt causa efficiens, vel finalis, vel formalis, vel materialis; Si vt efficiens, & finis, ergo potest Deus supplere causalitatem, cum supplere possit causalitatem extrinsecam præsertim efficientis, & finis; si vt materialis (quia in genere causæ formalis non videtur cōcurrere) vel concurrit vt materia ex qua; vel in qua, non primū quia materia non est pars intrinseca relationis; si secundum, iam in hoc conuenit cum accidente absoluto, quare sicut in absolutis potest Deus supplere eorum dependentiam talem à subiecto, cùm sit causalitas materialis extrinseca, ita etiam poterit in respectiuis. ℞. Admittendo, quòd relatio prædicamētalis pendeat à fundamento in genere causæ efficientis, materialis, & in qua; alia tū, & diuersa ratione, qua pendet accidens absolutum, nam hoc pendet à suo subiecto precisè in ratione subiecti, vt accidens respectiuum pēdet à subiecto etiam in ratione fundamēti; hinc estò accidens respectiuum cum fundamento in ratione subiecti non habeat maiorem connexionem, quàm absolutum, cum vt sic sit causa materialis extrinseca vtriusq. quæ suppleri potest à Deo, cū fundamento tū in ratione fundamenti, maiorem connexionem habet accidens respectiuum, quàm absolutum, & hoc ex sua differentia specifica, qua respectus est, & ideò non sequitur, quòd si Deus supplere potest causalitatem accidentis absoluti, etiam supplere poterit causalitatem accidentis respectiui. Ita Scotus in 4.d.12.q.1.Ad Tertiū de Definitione lit. S. Vbi ait: *imò si esset relatio, & non accidens, sicut relatio in Diuinis adhuc quæreret terminum*. non ergo rectè Philosophandum est de accidente absoluto, & respectiuo.

Vrget Canonic. dependentia relationis à fundamento etiam in ratione fundandi, adhuc est in genere causæ extrinsecæ, ergo à Deo suppleri potest. ℞. Negando consequentiam, illa .n. maxima, quod Deus supplere potest causalitatem causę extrinsecę, debet intelligi in absolutis, non in respectiuis ex Doc. in 4.d.12.q.1. supra E. & sub S. per hoc .n. distinguitur accidens absolutum, à respectiuo, quia absolutum esse potest sine quocumq. quod nō est de eius essentia, & ideò dicitur absolutum; accidens verò respectiuum pendet essentialiter etiam ab illo, quod non est de eius essentia, & ideò dicitur respectiuum scil. aliud à se necessariò essentialiter respiciens, sine quo esse non potest.

Vrget adhuc: Relatio in ratione relationis non videtur indigere fundamento, nisi vt sustentetur, sed causalitas materialis licèt in ratione recipientis suppleri à Deo non possit, quia dicit imperfectionem, potest tū suppleri in ratione sustēantis ergo

Neg. antecedens, nam relatio Diuina, nulla indiget sustentatione, cum sit substantia, & per se subsistens, & tamen adhuc indiget fundamento, & termino; quare ista indigentia prouenit ex intrinseca ratione relationis, quatenus relatio est.

Arguit ad idem Rubion in 4.d. 12. q.3. Oppositorum, causæ debent assignari oppositæ, ergo si causa inseparabilitatis duorum est realis eorum indistinctio, causa separabilitatis erit realis distinctio. Quòd si dicatur accidens absolutum non ideò præcisè esse à subiecto separabile, quia est realiter distinctum; sed etiam quia est accidens absolutum, respectiuum verò esse inseparabile, non quia realiter indistinctum, sed potius quia respectiuũ, tunc obijcit Rubion, dicendo è contra, quod accidens respectiuum, est separabile vt respectiuum, non autem absolutum, quia absolutum. ℞. Assumptum valere in causis præcisis, at realis indistinctio non est causa præcisa idest mutua inseparabilitatis duorum, licèt sit causa sufficiens, multa .n. sunt inseparabilia, quamuis realiter distincta, vt patet in sententia nostra de toto, & partibus vnitis &c. & cum subdit Rubion, si nos dicimus accidens absolutum esse posse sine subiecto, quia absolutum, ipse è contra dicet de respectiuo; tũc irrationabiliter, & sine fundamento loquitur, quia per hoc distinguitur ens absolutum à respectiuo, quòd absolutum esse, & concipi potest sine omni eo, quod non est de eius essentia, non autem respectiuum, quod ideò præsertim respectiuum dicitur, quia secundum suam essentiam, non solùm sua prædicata intrinseca respicit, sed etiam aliqua, quæ sunt extra eius quidditatem.

Obijcit: Quidquid potest Deus se solo facere potest etiam se solo conseruare, sed potest se solo facere respectum sine extremorum concursu, ergo etiam solo conseruare, maior est clara, minor probatur: Deus cõtinet virtualiter causalitatem cuiuscumq. causæ secundæ, & eius effectum perfecto modo, sed non perfecto modo contineret si tñ virtualiter partialiter contineret, ergo se solo potest respectum causare, ne cogamur ponere in Deo imperfectionem. ℞. Negando minorem, & ad probationẽ, iterũ negatur minor, & ratio est, quia non per hoc quòd Deus facere non potest, quæ contradictionem inuoluũt, ideo dicitur imperfectus, & imperfecto modo agere. Sic Deus non potest se solo totũ Physicum causare absq. causalitate materiæ, & formæ; & tũ non per hoc dicitur Deus insufficiens, & imperfectè agere, & causare: imò si posset se solo hoc efficere maxima imperfectio in Deo deprehenderetur, cùm exercere deberet causalitatem intrinsecam materiæ, & formæ, ità in proposito, accidens respectiuum sibi determinat de necessitate aliquod subiectum, ad quod actu dependeat, veluti ad fundamentum ex sua intrinseca ratione, quod non euenit de accidente absoluto, vt benè aduertit Lychet in 3.d.1.q.1. super §. *Ad Argumenta principalia &c.* Non ob id tñ arguere debemus in Deo defectum virtutis, & potentiæ, quia potentia Dei non est respectu impossibilium, & tales effectus non sunt alio modo possibiles; Sic etiam in sententia mul-

torum,

torum, Deus non potest producere actus vitales, sine concursu Potentiæ Vitalis, ac non propterea Deus diceretur causa partialis, & insufficiés, sed potius dici debet causa totalis, licèt tales effectus producere non possit, sine concursu causæ secundæ, ob naturam talium effectuum sic, & non alio modo producibilium.

Obijcitur tandem: In omnibus dependentijs magis est necessaria dependentia ad primum, quàm ad secundum, sed accidens relatiuum dependet ad substantiam, vt ad subiectū prius, ad accidens autèm vt ad subiectum posterius, vt patet de similitudine, & æqualitate, ergò si potest esse sine dependentia prioris, quæ est magis necessaria, vt de facto contingit in Eucharistia, quia inueniri possunt duæ Hostiæ similes, & æquales, quamuis ibi non sit substantia, tantomagis esse poterit sine posteriori, similitudo V.g. sine qualitate, æqualitas sine quantitate &c. R. Ex Doct. loc.cit.lit.M. quòd dependentia Relationis ad fundamentum est essentialissima, itàut sine ea non potest ratio Relationis consistere; vndè dato quod substantia esse non potest fundamentum immediatum Relationis, sed hoc esset tantùm accidens, tunc necesse erit relationem magis dependere ad accidens, quàm ad substantiam; & hoc non quia relatio est accidens, sed quia relatio est. quantùm ad Recentiores, illa regula de modis non est adęquata, quia dantur modi intrinseci, & extrinseci, & licèt intrinseci identificentur realitèr cum rebus, quarum sunt modi, non tamèn modi extrinseci. Sed de his alibi in proprijs locis.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quo pacto Accidens possit per se conseruari absquè subiecto.

SCot. hanc controuersiam dirimit in 4.d.12.q.1.& q.6. §. *Ad Argumenta.* sub F.& in 2.d.12.q.2.propè finem. Vbi Accidenti separato nullum concedit nouum modum positiuum perseitatis pro eius conseruatione, vt per se existere dicatur, sed tantùm negatiuum, quatenus scilicet Deus prosequitur conseruationem accidentis secundum suam entitatem, subtrahendo conuersū, quo subiectum prius conseruabat, & inhærentiam accidentis in subiecto.

Multæ, & varię sunt de hac lite opiniones. Aliqui tenent, accidens per se conseruari per virtutem quamdam substantialem, & supernaturalem ipsi accidenti superadditam, quę se habeat ad modum substantiæ, possitque gerere omnia, quæ substantia ipsa gereret si adesset, quæ sententia tribuitur Henrico quodlib. quarto quæstione 36.& quodl. 8. quæstione 36. quam Scotus loco citato refert, & impugnat. Alij asserunt, accidens per se conseruari per nouam existentiam ei superadditam, supponentes accidens dùm est in subiecto existere per eamdem existentiam, qua existit subiectum; vel quòd eadem inhærentia sit existentia accidentis; vnde dū separatur, debet conseruari per nouam existentiam, qua existat per se absque subiecto. huic sententiæ fauet D. Tho.3.p.q.78.art.1.ad 4. vbi ait: *Accidentia, manente substantia non habebant ipsa esse; sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent habent esse; vnde sunt composita ex esse, & quod est.* Alij affirmant, acciden-

cidentia permanente eadem sua existentia, amittere modum essendi in subiecto, & accipere alium modum positiuum essendi per se, qualis est modus subsistentiæ in natura substantiali. Alij verò potius volunt mutari actionem, qua conseruatur accidens à Deo, sine additione alterius modi positiui. Aliqui vtrũque coniungunt, asserentes accidens per se conseruari, tum per nouum modum positiuum essendi, tum per nouam actionem; ità Suar.tom.3.3.part.disp.56.sec.2. Vasq.disp.194.c.2.& Alij. Alij tandem vtrumque negant, ità Scot.loc. cit.& decisio pendet magna ex parte, ex Dictis Art.6.disput. 3. de separatione materiæ à quacumq. forma &c.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, accidens separatum non indigere nouo perseitatis modo positiuo pro sui conseruatione. Est Scoti loc. cit. in 4. quem sequuntur Scotistæ communiter illo loco, Aretinus, Faber, Tribarnes, Vulp. tom. 1. part. 2. disp. 7. art. 6. Bell.& Mastr. in Phys. disp. 3. q. 4. art. 2.& Alij, & ità primò probatur: Non videtur talis modus possibilis, ergo &c. probatur antecedens, vel talis modus esset substantialis, vel accidentalis; non primum, quia cùm sit accidens, non minùs erit dependens, quàm illud, cuius est modus, & ità facere non poterit ipsum per se esse. Tum quia cum sit imperfectior accidente, cui additur, erit magis dependens, quàm illud. Tum quia repugnare videtur accidenti, vel modo accidentali facere rem per se existentem, & independentem à subiecto, cum accidentis esse sit inesse. Et vtique implicare videtur, modum accidentalem, qui est minoris entitatis, quàm accidens, cui additur, reddere illud per se existens, & quando etiam talis modus possibilis esset, nullo modo videtur necessarius, nam totum id saluari potest per extrinsecã Dei actionem.

Caiet. 3.p.q.78.art.1. affirmat huiusmodi modum necessarium esse in quantitate specierum Eucharistiæ, vt quantitas redderetur apta ad sustinenda cætera accidentia, vt substantia faciebat, vnde hunc modum superadditum appellauit vice substantiam, vice materiam. Sed inanis labor, nam vel talem modum ponit veluti subiectum vltimatè sustentans quantitatẽ, quatenus deinceps ipsa in virtute talis modi cætera accidentia sustineat, & hoc non esset defendere accidens sine subiecto, sed potius esset illi tribuere aliud subiectum loco illius, cui prius inerat, vt benè Auersa arguit q.12.sec.4. estò nostræ sententiæ oppositus sit; si autem non vt subiectum quantitatis, sed ponatur vt modus per se existendi, coadiuuans quantitatem ad fulcimentum aliorum accidentium, hoc totum haberi potest per actionem Dei ipsam sustentantẽ, & conseruantem, & tunc quantitas dicetur alia accidentia sustentare, quia ipsa à Deo sustentatur in genere causæ efficientis, absque recursu ad talem modum per se existendi. Caiet. ibidem iudicat, quòd talis modus sit necessarius in quantitate specierum, ne asserere cogamur, quantitatem ibi existere violenter, & omnes actiones, & mutationes, quæ ibi eueniunt, esse miraculosas, nam negato tali modo essendi, estò quantitas suf-

tas suf-

tas sufficiat ad saluandum, quòd naturaliter fiant alterationes contingéter in Eucharistia, tamen sine tali modo, qui sit veluti virtus substantiæ, non posset saluari, illa accidentia posse nutrire, producere, & corrumpere substantiam, sicut coniuncta poterant.

Sed frustra adhuc laborat Caiet. nam accid. natura sua habet, vt sit inhærens, & dependens à subiecto, ergo talis modus, qui ipsum accidens reddat independens, videtur eum constituere in statu magis violento; quare, vt non dicantur accidentia violenter separata existere, sufficit, vt Deus in genere causæ efficientis illa sustineat, ità enim supplendo eorum indigentiam satis est, vt non dicantur absolutè violentiam pati. Tũ quia sicut accidens, dum est substantiæ coniunctum, nec propria virtute, nec in virtute substantiæ potest substantiam producere, vel corrumpere, ità à fortiori neque id poterit separatum in virtute talis modi, maximè si accidentalis ponatur, quòd si talia in Eucharistia eueniunt, id erit virtute Diuina; & quidem hoc rationabilius dicitur, quàm tribuere accidenti actionem ei repugnantem; & minus malum esset, actiones illas ponere miraculosas, quàm maximũ illud miraculum admittere, quod accidens habeat modum substantiæ, adhuc accidens remanendo.

Auersa q.21.sec.4. vult, quòd accid. separatum necessariò conseruari debeat per aliquod positiuum superadditum; nam conceptus essendi per se, est conceptus positiuus, & non merè negatiuus. Tùm quia natura substantialis non potest existere absque omni modo positiuo essendi, vel per propriam subsistentiam, vel per vnionem ad alienam, ergo tantò magis id necessarium erit in natura accidentali, quia natura substantialis non indiget suo modo subsistentiæ per modum dependentiæ, sed tantũ per modum terminationis, at forma accidentalis verè indiget inhærentia per modum dependentiæ. Sed neque istà explicatio benè ostendit huiusmodi necessitatem. ratio est, quia licèt conceptus essendi per se independenter ab alio, tàm actualiter, quàm aptitudinaliter diceret conceptum positiuum, & non merè negatiuum, quod gratis pro modo concedimus, conceptus tamen essendi per se cum independentia tantùm actuali à subiecto non est necessariò conceptus positiuus, hinc Bassol. in 4.d.12.q.1.art.2. in fine, dignè adnotauit, quòd separatio non est actio positiua termini alicuius, sed destructio inhæsionis; sufficit ergo, vt tantùm inhæsio actualis corrumpatur, vt forma accidentalis per se existere dicatur. Neque etiam ꝑ quod natura substantialis ablata propria subsistentia, existere debeat necessariò per vnionem ad alienam, benè infertur, quod accidens è contra ablata inhærentia actuali, non posset per se existere absque positiuo modo superaddito, quia naturam esse in alieno supposito dicit formalissimè respectum positiuum vnionis; accidens verò esse per se, scilicet sine subiecto, non dicit necessariò conceptum positiuũ, sed carentiã inhæsionis actualis, ideò saluari potest per conceptum negatiuum; & licèt accidens indigeat inhærentia per modum dependentiæ,

non

non tũ benè infert Auersa huiusmodi indigentiam necessariò suppleri debere in genere causæ formalis per intrinsecum modum per se existẽdi, cùm benè suppleri possit in genere causæ efficientis, per actionem Dei conseruantis accidens extra subiectum.

Coninchius tract. de Sacramentis q.77.tract.1.dub.2. alio modo Philosophatur ad ostendendam necessitatem huius noui modi, asserens, impossibile esse, rem aliquam existere, si in suo genere non sit vltimò terminata, V.g. impossibile est, animal existere, nisi contractum ad certam speciem, & certum indiuiduum, sic etiam impossibile est, quantitatem existere extensam, nisi habeat certam figuram, & sic de alijs, ergo similiter accidens non potest conseruari absque inhærentia, nisi accipiat alium modum, quo eius existentia terminetur, sicut per inhærentiam prius terminabatur, alioquin hæc inhærentia remaneret indeterminata, & quasi vaga, & incerta. Sed neque hic Doctor necessitatem huiusmodi noui modi benè astruit, & licèt verum sit omnem rem necessariò habere debere suum modum essendi, veluti terminum existentiæ eius, falsum tamen est, talem terminum importare necessariò entitatem positiuam, nã vt Doctor monet.in 3.d.1.q.1.subsistentia, quæ est terminus vltimatus substantiæ, probabiliter in negatione consistit, saltem in creatis, & probatur etiam exemplo quantitatis ab ipso Coninchio adducto; quantitas enim secundum longitudinem terminatur puncto, secundum latitudinem linea, & secundum profunditatem superficie, & tamen secundum multorum sententiam non omninò improbabilẽ, huiusmodi termini, nõ dicũt aliquod positiuum, sed negatiuum.

Et quando etiam huiusmodi nouus existendi modus possibilis esset, & necessarius, ex eo improbabilis ostenditur, quia nec etiam ipsi Aduersarij, in quo formaliter consistat, explicare potuerunt; nam talis modus esse non potest noua res, aut virtus substantialis, in quo sensu Caiet.loquebatur, vt iam visum est. Neque esse potest noua accidentis existentia, nã sicut accidẽs dũ est in subiecto, habet ẽtitatẽ, realiter à subiecto depẽdentẽ. ità propriã habet existẽtiã licèt à subiecto dependentẽ. Tũ quia non possumus melius deuenire in cognitionem huius modi, quàm ex Mysterio Eucharistiæ, vbi accidens separatum conseruatur, sed ex hoc Mysterio non apertè colligitur talis modus positiuus absolutus per se existẽdi, vt etiam ipsemet Auersa loc.cit. fatetur; Vnde iste Doctor tandem fatetur, hunc modum, quo quantitas separata existit in Eucharistia, esse modũ quemdam vnionis ipsius quãtitatis ad Corpus Christi, prorsus diuersus ab inhærentia. Sed sanè hæc explicatio magis difficultatem adauget, quàm dirimat; qualis enim erit iste modus nouus vnionis in accidẽte, quod non sit inhærentia? equidẽ accidens intrinsecè vniri substantiæ, aliud, non videtur esse, quàm inhærere, at falsum est tunc quantitatem Christo inhærere, cùm non sit pro illo statu talis accidentis capax.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. accidens separatũ non indigere ad sui cõseruationem nouo

con-

concursu à priori diuerso secundum rem, quo conseruabatur in subiecto. patet ex dictis disp. 3. Art. 6. & clarissimè ad mentem Scoti in 4. d. 12. q. 1. lit. R. quem sequuntur Scotistæ, & ex Cleric. Regular. P. Sersale, & Alij communiter. Declaratur prius conclusio, deinde probatur. Concursus Dei, qui cum causis secundis exhibetur (vt benè aduertit Vulpes trac. 1. p. 2. disp. 7. art. 6.) est de se sufficientissimus ad ponendum se solo effectū secundum rem, & dicitur partialis, & insufficiens solùm secundum modum; si enim esset insufficiens, & partialis secundum rem, quamuis in actu primo independens esset à concursu causarum secundarum, attamen, vt hic, & nunc exhibetur in actu secundo, esset essentialiter dependens à concursu illarum, quod est contra rationem influxus causæ primæ.

Poncius lib. 1. Phys. disp. 4. q. 5. non habet pro inconueniente, quod actio Dei dependeat à causa secunda, quādo Deus ex sua liberalitate vult admittere concursum causæ secundæ, & affert exemplum de composito Physico, quod Deus se solo efficere non potest absque concursu materiæ, & formæ. Sed parcat mihi Poncius, nimis enim audere videtur ponere causam primam, infinitam, & illimitatam, dependentem essentialiter secundum rem à causa secunda finita, & limitata; & exemplum, quod adducit de composito Physico, nihil ei suffragatur, sufficit enim ad virtutem Dei sufficientissimam totalem, & adæquatam secundum rem, vt possit ignem producere, & illum sic productum sine subiecto conseruare; quòd deinde velit formā ignis in subiecto recipi, & ab eo in genere materialis causæ pendere, quod solus Deus efficere non potest, hoc non arguit in Deo insufficientiam, & dependentiā à creatura, vt iste Doctor autumat, sed potius perfectionem, & independentiam ab imperfectione; implicat enim perfectioni Diuinę concurrere velut causa materialis ad constitutionem compositi; benè ergo dicitur, quod sit sufficientissimus secundum rem, & solùm insufficiens secundum modū, quatenus data hypotesi, quòd velit talem effectum produci à causis intrinsecis, tenetur concursum talium causarum secum adhibere; hoc autem non derogat suę infinitę virtuti, vt non sit absolutè sufficientissimus secundum rem; quare rationes Poncij semper procedunt ad ostendendū concursum Dei esse partialem, & insufficiētem tantùm secundum modū. Sic etiam diximus Articulo præcedenti, quòd Deus non potest se solo relationem intrinsecam causare, non tamen ex hoc benè deducitur imperfectio, & dependentia in Deo, sed hoc oritur, quia non potest facere quæ implicant contradictionem; cùm enim sit perfectissimum agens, nō potest operari, nisi perfectissimo modo.

Probatur modò conclusio: nulla vrget necessitas ad ponēdum nouum concursum, nam vel esset ad supplendam causalitatem subiecti, quatenus Deus prius influebat, vt causa partialis, & conseruabat accidens cū subiecto, & modo influit, vt causa totalis, & conseruat sine subiecto, prior cōcursus erat de se insufficiens ad acid. conseruandum, posterior est sufficiens; prior erat concursus generalis, posterior specialis, ergo erit diuer-

diuersus concursus à priori, ità Coninchius. sed hæc ratio non vrget ad ponendum nouum influxum diuersū à priori secundum rem, sed solùm secundum modum, vt iam diximus. Tum quia etiam ab Aduersarijs conceditur, quòd cum Deus producit aliquem effectū cū causa secunda, & deinde illum conseruat sine cōcursu causæ secundæ, influxus conseruatiuus Dei non est secundum rem diuersus à priori, ergo nobiscum consentiunt de re. Concursus, quo se solo conseruat accidens sine subiecto dicitur specialis, non quia sit diuersus secundum rem ab eo, quo conseruabat illud in subiecto, sed quia exhibetur à Deo in casu, quo non tenetur de communi lege, vt tenebatur in concursu cum subiecto, & ideò dicebatur generalis: Vel necessarius esset nouus concursus à priori diuersus, quia virtute prioris conseruabatur accidens in subiecto, cuius terminus adæquatus erat accidēs inhærens, ex virtute verò posterioris conseruatur sine subiecto, ità vt terminus adæquatus eius sit sola entitas accidentis, vt asserit Beccanus de Sacramentis cap. 20. q. 1. versus finem: at neque hoc cogit adponendū nouum influxum à priori distinctum secundum rem, falsum enim putamus, per eamdem actionem conseruari entitatem accidentis, & inhærentiam eius, cum vnio accidentis sit prorsus diuersa ab entitate accidētis, & manere possit entitas accidentis inuariata, modo vnionis variato, vt patet in Eucharistia; quia igitur actio, quæ præcisè attingit entitatē accidentis, diuersa est ab actione, quæ attingit vnionem, ista cessante, perseuerante illa, sequitur, quod cōseruabitur accidens exstra subiectū, eodem influxu, quo prius secundum rem conseruabatur, quamuis secundum modum diuerso: Vel tandem concursus iste, quo conseruat accidens sine subiecto, dicitur diuersus à priori, quia prior erat eductiuus, quatenus erat cum dependentia à subiecto, posterior verò creatiuus, qua à subiecto independens, eductio autem, & creatio sunt actiones alterius rationis, vt arguunt Suar. & Vasq. sed neque id vrget ad ponendum nouum concursum alterius rationis à priori, & ratio est, quia generatio, & creatio essentialiter non differūt, nisi ratione tantùm connotati; quatenus generatio connotat subiectum, ex quo fit forma, non autem creatio; sicut è contra eodem modo differunt corruptio, & annihilatio, vt bene notauit Vulp. tom. 1. p. 2. disp. 8. art. 10. nu. 1.

Obiectiones.

Contra primam Conclusionem obijcit Suar. Modi positiui communiter resultant in rebus, quando modus oppositus destruitur, nam in naturalibus non aufertur talis situs à corpore, nisi detur alius; non aufertur à linea recta rectitudo, nisi detur obliquitas, vel similis alius modus; in supernaturalibus non aufertur à corpore Christi modus circumscriptiuus essendi in loco in Eucharistia, nisi detur modus sacramentalis; ab humanitate eiusdem, non aufertur modus subsistentiæ, nisi posita vnione ad Verbum, ergo etiam in proposito, non aufertur inhærentia ab accidente, quin detur modus oppositus. ℞. Negando paritates, quas Suar.

pro

pro sua sententia assumit, nam modi quos numerat, vel sunt absoluti, & connaturales, vt rectitudo, & obliquitas in linea, quæ necessariò à rebus emanant; vel sunt respectus extrinsecus aduenientes, qui positis fundamento, termino, & conditione, necessariò regulariter resultant, vt sunt Vbi, situs, vnio hypostatica &c. At modus existendi per se positiuus, vel accidenti repugnat, vel saltem non est ei connaturalis, vt ad ablationem inhærentiæ, necessariò in ipso resultare debeat, sed sufficiet pura negatio existendi in alio, quem Scot. appellat modum per se essendi negatiuum, & quidem si paritates assumptæ à Suar. valerent, plus probarent, quàm ipse intenderet, probarent enim quòd vnio in humanitate Christi ad Verbum, ablata propria subsistentia pullularet in ipsa ex natura rei, & modus Sacramentalis ad ablationem modi quantitatiui, oriretur ex natura rei in corpore Christi, quod etiam ipse negant disp. 40. sec. 4.

Ob. Modus essendi, qui est vltimatus terminus rei, non potest auferri, quin alius modus essendi resultet loco illius, nam diuisa linea, & ablato puncto continuante, resultant alia puncta terminantia, ergo ablata inhærentia ab accidente, quæ est terminus existentiæ illius, necessariò alius modus positiuus resultabit. ℟. Negando assumptum, non est enim de ratione termini existentiæ rei, quod semper in aliquo positiuo consistat, & Nominales defendunt, punctum terminans in linea dicere solam carentiam vlterioris longitudinis.

Arguit Coninch. sicut figura terminat vltimò extensionem quantitatis, ità inhærentia, & subsistentia vltimò terminant existentiam accidentis, & substantiæ, ergo sicut impossibile est conseruare quantitatem extensam, & tollere ab ea vnam figuram, quin ei detur alia, ità videtur impossibile tollere ab accidente inhærentiam, nisi detur modus illi oppositus. ℟. Negando paritatem, & ratio est, quia figura est modus connaturalis quantitatis, & quædam relatio resultans necessariò in re quanta, ex varia dispositione, & terminatione partium eiusdem. Vt Doct. monuit in 4. d. 12. q. 4. F. Modus autem per se subsistendi positiuus opponitur directè accidenti, sicut modus inhærendi opponitur substantiæ, neque exinde existentia accidentis interminata remanebit, sed satis erit si modo negatiuo terminabitur.

Contra secundam Conclusionem pluribus argumentis arguit Coninchius probando, quòd sit necessarius nouus concursus diuersus à priori: Quando Deus conseruat independenter à subiecto supplere debet causalitatem eius, sed hoc fieri nequit, nisi adhibendo maiorem concursum; sicut quando duo homines leuant aliquod pondus, si vnus postea se solo leuat illud, non potest supplere causalitatem alterius, nisi adhibẽdo maiorẽ concursũ, ergo. ℟. quòd cum Deus est solus operans, & conseruans accidens sine subiecto, supplet concursum causæ secundæ solùm secundum modum, quatenus nõ admittit subiectum secum agere, & minor est falsa, nam Diuinus concursus nequit recipere intensionem, vel remissionem cum sit infinitus, &

illimitatus; nec exemplum de duobus leuantibus pondus est ad propositum, nam eorum concursus est limitatus, & finitus, ac proinde intendi debet, vt solus æqualem producat effectum.

Sed contra, instat Coninchius, ponamus, quòd Deus velit ex tribus lignis vnum calefacere, vt duo, secundum vt sex, tertium non calefacere, debet vtique ex parte Dei reddi aliqua ratio, nec alia reddi posse videtur, nisi quia diuersimodè Deus se habet circa hæc ligna, quatenus scilicet suam vim agendi erga vnum applicat vt duo, erga secundum, vt sex, & erga tertium nullo modo, in hoc sensu, maiorem dicetur adhibere concursum calefaciendo lignum vt sex, quàm calefaciendo vt duo. ℞. Concedendo discursum, nam re- uera maior influxus requiritur ex parte Dei ad producendum totum mundum, quàm vnum tm̃ accidens; hæc autem maioritas, vel minoritas non explicari debet per aliquam intensionem, vel remissionem in velle Diuino, vel per maiorem, vel minorem difficultatem in agendo, sed dicitur maior, vel minor, quatenus ipsum velle Diuinum, licèt formaliter sit semper vnus, & idem actus, est tamen ob suam illimitationem virtualiter multiplex, ac proinde æquiualens maiori, & minori actioni; ex hoc tamen non probat Coninch. vt benè aduertunt Mastr. & Bell. loc. cit. Deum debere maiorem adhibere concursum, & conatum, quando cõseruat accidens separatum, tũc enim solùm argui potest ex parte Dei maior influxus, quando maior est effectus, sed quando effectus est idem, arguitur etiam & idem concursus, non enim variatur actio circa eumdẽ terminum sine vlla variatione ipsius termini; at in casu terminus Diuinæ actionis est entitas ipsius accidentis, quæ intrinsecè inuariata permanet, atque ideò eamdem semper actionẽ terminabit. Quòd verò actio varietur extrinsecè ob defectum subiecti, non infertur in actione conseruatiua eius diuersitas secundum rem, sed solùm secundum modum, quare sicut entitas accidentis eadem est nunc, & prius, & solùm diuerso modo se habeat, ità actio Diuina est eadem secundum rem, & diuersa solùm secundum modum.

Obijcit: Formam materialem extra subiectum existere, est omninò supernaturale, sed hoc esset falsum, si adhuc ei sufficeret idem prorsus concursus Diuinus, qui sufficiebat, cum existeret in subiecto, ergo hic non sufficit, sed nouus concursus est necessarius. maior patet, minor probatur: Nihil est supernaturale, quòd à causa naturali cum concursu ei debito fieri potest, per hoc enim differt effectus naturalis à supernaturali, ꝙ ille à causa naturali cum concursu ei debito fieri potest, hic non potest; vt sol V.g. posset cum solo concursu generali naturaliter sibi debito, lumen in aere productum, (annihilato aere) conseruare extra subiectũ, ergo talis conseruatio, siue existentia luminis extra subiectũ, nõ esset supernaturalis. ℞. Negando minorẽ, & ad probationem iterum negatur minor, & ratio est, quia impossibile est posse Deum, (annihilato aere) adhuc Soli assistere ad conseruationem luminis sine subiecto, talis enim

con-

conseruatio esset actio creatiua, quæ creaturæ conuenire non potest ex Doct. in 4. d. 1. q. 1. potest vtique Deus se solo conseruare lumen in aere, quod fuit à sole productum, aere annihilato, eodem concursu, quò prius secundum rem conseruabat, iste tamen concursus conseruatiuus, & si idem esset, qui prius secundum rem, non diceretur tamen lumini connaturalis, nam influxus conseruatiuus nō est lumini debitus, nisi in subiecto, quomodo etiam Aduersarij supernaturalē ponunt concursum, quo Deus materiam sine forma cōseruaret, etiā si idem esset concursus secundum rē, quo prius cum forma conseruabatur.

Sed Contra responsionē instat Coninch: si vt aliquid dicatur supernaturaliter existere, sufficeret ipsum existere alio modo ab eo, ad quem natura sua ordinatur, sequeretur, lapidem supernaturaliter in sublimi loco detineri, quod est falsum; sicut igitur eò quia lapis eodem concursu potest in eo statu conseruari, quo in suo statu naturali, scil. in centro, hic cōcursus dicitur ei debitus, & connaturalis, nec dicitur vlla ratione in tali statu supernaturaliter existere, idem erit dicendum de accidente extra subiectum, si posset ibi eodem concursu conseruari, quo in subiecto conseruabatur. Alias adducit instantias hic Doctor contra datam responsionem, quas consultò amittimus, vt potè quę fundātur in illo falso supposito, quòd possit Deus cum sole concurrere ad conseruandum lumen in aere annihilato. R. Concedendo vtique, quòd vt aliquid existere supernaturaliter dicatur, non sufficit, ipsum existere alio modo ab eo, ad quem natura sua ordinatur, quia ità dicendo, sequeretur aquā supernaturaliter ascēdere ad replendū vacuū, & monstra supernaturaliter producerētur, & lapis supernaturaliter sursū existeret; sed vt aliquid supernaturaliter existere dicatur, debet existere alio modo ab eo, ad quē tā natura sua particolaris ordinauit, quā natura vniuersi, nā si existat alio modo ab eo, ad quē natura sua particularis ordinauit, existat tamē eo modo, ad quē natura vniuersalis ordinauit, nūquā dicetur existere supernaturaliter, q. a cōcursus Dei generalis adhuc est ei debitus; quare si cōcesso Vacuo, aqua sursū ascenderet ad illud replendum, iam teneretur Deus concurrere de communi lege, & tunc talis ascensus non supernaturalis foret, sed naturalis, quia debitus sm̄ legem vniuersalem. Hinc deducitur, quòd non dicitur lapis sursū naturaliter existere ex eo præcisè, quia eodem concursu à Deo ibi conseruatur, quo prius conseruabatur in centro, sed quia ille idem concursus adhuc in tali statu est ei debitus ob indigentiam vniuersi, licèt nō sit debitus ei secundum suam naturam particularem, & totum hoc tenentur etiam ipsi Aduersarij fateri, nam instantiæ à Coninch. adductæ militant etiam contra conseruationem materiæ absque forma, quam ipsi ponunt eodem influxu sine forma cōseruari.

Instat adhuc Coninc. Nulla res vnquam in quocumque statu ponatur postulat sibi subtrahi concursum Diuinum, ergo falsum est, accidens extra subiectum concursum hunc non exigere, & ità non miraculosè existeret, probatur antecedens, quia nihil postulat suipsius destructionem,

sed conseruationem, ad quam inter omnia concursus Diuinus est summè necessarius. ℞. Ad antecedens, quòd cum nos dicimus, accidens extra subiectum non exigere concursum Dei conseruatiuum, sed potius subtractionem, aliud insinuare nolumus, nisi Deum de communi lege, non teneri illis assistere per suum illapsum generalem, & ideò illa accidentis permanentia sine subiecto, miraculosa censetur, in quo sensu est falsum antecedens.

Obijcit tandem Becanus: actiones distinguuntur essentialiter à terminis adæquatis, sed productio rei ex nihilo, vel conseruatio eius sine subiecto, tamquam terminum adæquatum respicit rem ipsam solam, non autem inhærentiam eius in subiecto, productio verò, vel conseruatio rei dependens à subiecto, non solùm respicit rem illam, sed etiam inhærentiam, vt terminum adæquatum, sicut ergo inter terminos adæquatos est formalis distinctio, ità etiam concipienda est inter actiones. ℞. Ex Doct. in 3. d. 1. q. 1. Negãdo minorem, nam vt supra dictum est, distincta est actio, qua producitur, & conseruatur entitas formæ ab ea, qua producitur, & conseruatur eius inhærentia, quia sicut respectus extrinsecus aduenians veluti est inhærẽtia formæ, alia actio ne producitur, ab ea, qua extrema, ità etiam alia actione conseruatur, quam nis ab eis extremis dependenter.

Ioãnes Pōc. Recens Scotista lib. 1. Phys. disp. 4. q. 5. nn. 72. vult, quòd Diuinus concursus cum causis secundis sit reuera de se insufficiens, & partialis, ac essentialiter dependens ab actione causæ secundæ in productione effectus, non minus quàm ipsamet actio causæ secundæ ab actione primæ, nostræ doctrinæ non acquiescens, quòd concursus Dei sit idem sm̃ rem, & diuersus solùm sm̃ modum, vnde sic arguit: Si concursus Dei, quo formam in subiecto conseruat est se solo sufficiens ad conseruandam formam absq; subiecto, esset etiam sufficiens se solo ad conseruandam formam in subiecto, sed hoc est falsum, quia tunc forma materialis nullo modo à subiecto dependeret, nec in fieri, nec in conseruari, ergo &c. ℞. cum Mastr. & Bell. in Phys. disp. 3. q. 5. art. 2. distinguendam esse actionem, qua conseruatur entitas ipsa formæ, & qua conseruatur eius vnio ad subiectũ; ex vi prioris actionis conseruatur entitas formæ absolutè, præscindendo à subiecto; ex vi posterioris conseruatur in subiecto; quando dicimus formam extra subiectum conseruari posse, hoc asserimus ex vi prioris actionis cõtinuatæ, quo casu concedimus conseruari non posse formam in subiecto, quia influxus ille terminatur ad solam entitatem formæ; ex vi verò posterioris actionis conseruaretur in subiecto, quia talis actio terminatur ad vnionem, per quam formalissimè dicitur formam inhærere subiecto, ideò nil contra nos.

Sed Contra resp. arguit Ponc. in Apol. fol. 141. quærẽs, an ipsa entitas formæ, quæ per priorem actionem conseruatur, & producitur à Deo habeat dependentiam à sua causa materiali quo ad suam entitatem, an verò solùm habeat dependentiam ab ea quo ad esse vnitum, & subiectatũ, quod recipit per posteriorem actionem

nem, qua producitur eius vnio ad subiectum? Si dicatur primum, ergo illa actio Dei non sufficit ad ponendam entitatem illam sine concursu materiæ, & consequenter non sufficiet ad conseruandam illam se sola, quia si sufficeret se sola ad conseruandum, sufficeret etiam se sola ad producendum, & sic non dependeret à materia quo ad entitatem suam, & ità dependeret, & non dependeret à materia: Si dicatur secundum, ergo non magis dependeret à materia, quàm anima rationalis, quia etiam hæc dependet à materia quo ad esse vnitum, & subiectatum, vt est accidens, & consequenter sicut anima rationalis non educitur, licèt à materia dependeat quo ad esse vnitum, ità nec forma materialis educeretur, estò quo ad esse vnitum à materia dependeret. Quod argumentum est simile illi, quod facit Suar. disp. 13. Meth. sec. 9. nu. 10. & tract. de gratia p. 3. lib. 8. cap. 2. contra hanc duplicē actionem. ℞. Igitur, quòd entitas formæ, quæ per priorem actionem producitur à Deo habet dependentiam à causa materiali, præscindendo tñ ab vnione, quia illa actio solùm respicit existentiam formæ absolutè sumptā, concomitanter tñ, & exigitiuè actio illa productiua formæ connaturaliter petit aliam in eodem instanti, qua producitur vnio, & hac ratione dicitur fieri, & conseruari dependenter à materia; hinc negatur consequentia, quòd actio illa se sola non sufficeret per miraculum ad producendam entitatem illam, ac etiam eā conseruandum absq. concursu subiecti, cum formaliter, & sm̄ se ab vnione præscindat; & quamuis naturaliter actionem vnitiuam coexigat, potest tñ per potentiam Dei fieri quin sequatur, & in tali casu illa prior actio, quæ de se eductiua erat sm̄ rem, fit creatiua sm̄ modum, quod non est absurdum; & ratio est, quia in his formis, quæ vno, vel altero modo fieri possunt, actio creatiua, & eductiua Dei non differunt, nisi penès cōnotationem concursus materialis subiecti, vel eius negationem, vt supra diximus.

Ex quo etiam patet quid dicendū sit ad secundam partem arg. licèt .n. etiam in productione animæ rationalis istæ duæ actiones interueniant, nō sunt tñ omnino similes, nam actio, qua producitur entitas animæ rationalis ex sua natura, non ità necessariò coexigit aliam actionem, qua producatur vnio, quia sine illa naturaliter esse potest, vnde illa actio de se creatio est, & nullo pacto eductio, sicut dicitur actio, qua producitur forma materialis.

Sed Contra Instat Ponc. Actio animæ productiua petit etiam actionem vnitiuam in fieri, licèt eam non petat in conseruari, ergo in fieri esset eductio tàm bene, quàm actio productiua formæ materialis quantum ad hanc rationem. Dimissa illorum solutione, qui affirmant animam rationalem in aliquo signo prius in se produci, & in alio signo corpori vniri, quo concesso negarent antecedens. ℞. Ex dictis neg. conseq. nam estò anima rationalis fiat naturaliter in materia, non tñ ex ea dicitur educi. Ratio est, quia illam non exigit, vt veram causam suæ existentiæ, sicut forma materialis, sed vt conditionem concomitantem eius naturalem statum,

tum,

tum, quod rectè arguimus ex eo, quod post corporis interitum adhuc absq; miraculo conseruatur, quod non euenit de forma materiali; quare maius miraculum esset si forma materialis extra materiam fieret, quàm si fieret anima rationalis, quia hæc non habet tantam materiæ necessitatem ad suam existentiam, sed tm̃ conditionẽ concomitantem ex mero Dei Decreto, forma verò materialis coexigit materiam, vt veram suæ existentiæ causam.

Arguit 2. Ponc. optimè colligitur effectum non dependere naturaliter ab aliqua causa, si illa ablata, adhuc poneretur effectus, ergo si actio illa Dei est talis naturæ, vt per eam poneretur forma, quamuis materia non poneretur, vt dici debet in Aduersaria sent. deberet etiam dici, quòd forma non dependeat à materia; & sanè hinc colligitur, quod anima rationalis non dependeat à materia, estò non producatur, nisi in materia, quia concursus, quo ponitur à Deo est se solo sufficiens, vt eo posito, ponatur anima, licèt non esset materia. Resp. Mastr. & Bell. in Phys. disp. 3. q. 5. art. 2. negando paritatem, seu conseq. & ratio est, quia anima rationalis ideò non dicitur conseruari dependenter à materia, quia eius vnio cum materia non est sustentatio, at vnio aliarum formarum est sustentatio, & ideò dependenter ab illa conseruantur, qua substentatione ablata, licèt deinceps forma à Deo extra subiectum conseruaretur, non inde rectè deducitur, formam à materia non dependere, quando illi inhærebat, quia licèt tali sustentatione ablata, adhuc remaneret, nontñ eodem modo, quo prius, quia non in subiecto sustentata, quod habebat beneficio materialis influxus.

Poncius hanc resp. impugnat, quærens à Mastr. & Bell. quid sit, vnionem formarum eductarum esse sustẽtationem earum, & cur magis dicatur illa esse sustentatio, quam vnio animæ ad Corpus. cui Resp. relati Doctores in Phys. & iterum Mastr. in Apologia; & responsio consistit in hoc, quòd sustentatio vltra simplicẽ vnionem, & receptionem formæ in materia importat dependentiam formæ à materia veluti à causa materiali suę entitatis, & existentiæ, ità quòd ex natura sua petat ad suum esse fieri, & conseruari concursum materialem subiecti, sic quòd si extra subiectum fieret, & conseruaretur, id esset omninò contra eius naturam; quam indigentiam non habet anima rationalis, cum extra subiectum etiam connaturaliter conseruari possit, & ideò rationabiliter eius vnio cum materia sustentatio dici non potest, sed simplex vnio, & receptio absq. dependentia à subiecto tanquam à causa suæ existentiæ. Sustentatio igitur vltra solam vnionem, & receptionem formæ in materia, dicit materialem influxum, in formam, qualem non habet in animam. Quæ Doctrina passim recipitur à Recentioribus vt patet apud Suar. disp. 13. Meth. sec. 9. nu. 10. Auersam in Philosophia q. 12. sec. 3. Fonsec. q. 5. Meth. cap. 2. q. 3. sec. 2. Bartolomeum Amic. in Phys. tract. 5. q. 3. dub. 5. art. 2. Conimb. 1. Phys. cap. 9. q. 11. art. 3. & Alios passim. Multa alia obijcit Ponc. contra nostrã sẽt. cui adamussim resp. Mastr. in Apolog. generali ad quem otio af

fluentes

fluentes remittimus, nos verò compendiosè discurrimus.

ARTICVLVS SEXTVS.

An omnes formæ accidentales tàm naturales, quàm artificiales educantur de potentia subiecti.

SCot. dubium hoc resoluit in 4. d.1.q.1.præsertim lit. Hh. & Ii. & alibi sæpè. pro cuius decisione recurrendum est ad id, quod de eductione diximus disp. 3. art. 15. vbi q d formaliter Eductio importet declarauimus, non enim debemus ad libitum conditiones Eductiones, effingere (vt plurimi Recent. faciunt) vt ex tali declaratione deinde has, vel illas formas arbitrio nostro ab eductione excludamus. dixim' igitur, formam educi de potentia materiæ nihil aliud formaliter esse, quàm eius esse necessariò esse, & fieri in materia, in qua recipiatur, & à qua sustentetur; per quas conditiones eductio à creatione distinguitur, quòd si præter has aliæ ab alijs Authoribus postulantur, sunt penitus confictæ ad libitum, & superfluæ; & quantum ad formas accidētales naturales, Quidam asserunt, quòd illæ formæ, quæ fiunt per propriam actionem, subiectiq; transmutationem, educuntur de potentia subiecti; illæ verò quæ non fiunt per propriam actionem, aut subiecti transmutationem, non educuntur de potentia subiecti; ità Alensis 8.met.13.Soncin.7.Meth.q. 8. Ægidius in 2.d.13.questione 2. Giannius libro quarto suæ Phys. c. 24. & Alij, qua ratione negant, lumen, & species intentionales educi de potentia subiecti, cum tales formæ fiunt in instanti sine resistentia, & ablatione contrarij, & consequenter absque subiecti transmutatione. Alij excludunt relationes omnes cum Suar.15. Meth.sec.3.& formas illas absolutas, quas appellāt modales, scilicet vnionem, figuras, sessionem &c. quatenus per se resultant sine propria actione; quare sicut non dicuntur produci, sed comproduci, ità nec dici debent educi, sed potius coeduci, ità Conimbr.1.Phys.c.9.q.12.art.6.& Alij, quod etiam de potentijs animę, cæterisque qualitatibus à suis subiectis naturaliter pullulantibus affirmant. Quo verò ad formas artificiales Conimb. loc.cit.art.7. nolunt tales formas de potentia subiecti educi; quorum ratio est, quia subiectum ad tales formas potius potentiam abedientialem habet, quàm naturalem. Alij hoc idem asserunt, sed alia ratione, quia scilicet formæ artificiales potiꝰ per se resultant, quàm propria actione fiant. Alij tandem id affirmant, ex eo quia formæ artificiales vt artificiales sunt, non addunt supra naturalitatem, nisi extrinsecam quamdam denominationem ab arte desumptam, quæ est in artifice, at extrinseca denominatio non educitur ex subiecto denominato. Nos verò Doct. sub. vestigia sequentes.

Conclusio.

Dicimus, formas omnes accidentales, tàm naturales, quàm artificiales educi de potentia subiecti. patet ex dictis, & sequuntur in terminis Ruu. 1. Phys. tract.2.q.3. Auersa.q. 20.de materia, & forma sec.7.fol.mihi 622.in fine. Bell. & Mastr.disp.3. art.1.& Alij, estque ferè communis. Probatur faciliter ex natura, & quidditate eductionis, diximus enim formam educi de potentia materiæ nihil

aliud

aliud esse, quàm fieri necessariò in materia, & ab ea dependere, & sustentari, sed omnes formæ accidentales sunt huiusmodi, ergo omnes sunt educibiles de potentia subiecti. Maior patet, per hoc enim differt eductio à creatione, vnde inter omnes formas sola anima rationalis dicitur creari, quia est sua natura subsistens, neque ex intrinseca indigentia petit fieri in subiecto, sed tantùm extrinsicè à Dei decreto, neque à subiecto dependet, & conseruatur, sed extra illud naturaliter conseruatur, & subsistit citra miraculum, sicut potest natura sua extra subiectum effici, quod non euenit de formis materialibus, & accidentalibus; ex quo rectè inferimus eius independentiam à corpore, licèt in corpore ità producatur, vt in nullo prorsus instanti sit extra illud. Minor probatur, nam accidentis esse est inesse, & ex intrinseca sua natura pendet in esse, fieri, & conseruari ab ipso subiecto, à quo separatum non potest naturaliter conseruari, sed solùm per Dei miraculum, quatenus non tenetur in illo statu, sine subiecto illud conseruare.

Probatur deinde specialiter de illis formis, quas Auctores ab eductione excludebant, propter aliquas conditiones ad naturam eductionis impertinentes; nam in primis quo ad formas intentionales, falsum est, quòd non educantur de potentia subiecti, cum non fiant ex nihilo; quòd autem fiant in instanti, & producantur absque subiecti transmutatione, cum abiectione contrarij, nihil officit, quin verè eductæ dicantur, eductio enim non consistit in hoc, quòd fiat in tempore, vel cum habitudine ad præcedentem alterationem; sed satis est, quòd forma in suo esse fiat dependenter à subiecto.

Neque etiam à vera ratione eductionis excluduntur formæ illæ, quæ non fiunt per propriam actionem, sed ad productionem subiecti resultare videntur; nam tales formæ adhuc essentialiter in suo esse, & fieri à subiecto dependent, ità vt neque per Dei potentiam fieri possint extra subiectum, quod præsertim patet de formis relatiuis, & modalibus, quæ etiã in sententia Aduersariorum ità petunt esse affixæ rebus, & subiectis, vt sine illis esse omninò repugnet. Tum quia estò tales formæ per hanc resultantiam dicantur comproduci, non ob id tamen ab eductione excluduntur, quia adhuc subiectum verè aliquo modo actiuè ad illas se habet, sed quia talis actio necessariò consequitur actionem priorem, per quam subiectum producebatur, ideò non censetur propria, & per se actio talium formarum; sicut ergo productio harum formarum non est sine aliqua actiuitate subiecti; ità non est sine aliqua eductione earum ex illo; quòd si Aduersarij ob necessariam sequelam huius actionis eductiuæ ad productiuam subiecti, velint huiusmodi formas non educi, sed coeduci, id libenter admittimus, sed hoc spectat magis ad modum loquendi, quàm ad rem, & nobis satis est, vt fiant cum vera dependentia à subiecto. Tum quia ex supradictis, ad causalitatem materialem sufficit prioritas naturæ subiecti ad formam, nec requiritur necessariò prioritas temporis, nam quamtumuis effectus dicatur

catur

catur suæ causæ coæuus, semper tamen causa dicitur illum natura præcedere, ergo quantumuis necessariò quædam formæ accidentales resultēt ad productionem suorum subiectorum, semper tamen erunt illis natura posteriores, quod sufficit, vt dicantur educi ex eorum potentia.

Quòd tandem, etiam formæ omnes artificiales de potētia eorum subiectorum educantur, patet ex Doct. in 4.d.1.q. 1. lit. S. vbi docet, quòd tales formæ non sint nisi quædam relationes, & figuræ resultantes in materia artificis ex tali incisione, vel compositione partium; atque ideò de ipsis idem omninò asserimus, quod de cæteris formis relatiuis; quòd deinde subiectum harum formarum non sit in potentia naturali ad illas, sed obedientiali respectu artis, parum interest, vt ex Art. Eductionis patere potest.

Obijcitur quòd formæ intentionales non fiant per eductionem. Plures formæ eductæ non possunt esse in eodem subiecto, sed plures formæ intentionales in eodem subiecto esse possunt, ergo &c. Tum quia huiusmodi qualitates non solùm fiunt in corporibus elementaribus, sed etiā in Cælestibus, at nulla forma educi potest de potentia Cœli, alioquin cœlum esset alterabile, & capax peregrinarum impressionum, ergo &c. ℞. Ad primum, negando assumptum, ea facilitate, qua sine probatione assumitur. Ad 2. negatur mi, cum sua probatione, quia nullū est inconueniens ponere cælum alterabile, alteratione, quæ communiter appellatur perfectiua, qualis est alteratio, quæ per huiusmodi qualitates fit.

Obijcitur, quòd qualitates connaturales, relationes, & formæ, quæ modales appellantur, non fiant per eductionem: Natura eductionis est, vt forma fiat per actionem distinctam ab illa, qua fit subiectum, sed qualitates connaturales, quæ in subiectis fiunt ꝑ merā resultantiam ad productionem subiectorum, non fiunt per actionem distinctam ab ea, qua fit subiectum, ergo &c. ℞. Maiorem posse intelligi dupliciter, primò in hoc sensu, quòd qualitas, vel relatio &c. nullam omninò terminēt actionem, sed producantur per actionem substantialem, qua fit subiectum, ità vt ex vi eiusdem actionis in eo resultent, & in hoc sensu maior est falsa; & ratio est, quia ex vi actionis substantialis numquam haberi potest terminus accidentalis ex Doct. in 4. d. 10.q.1.B. cum secundum veram Philosophiam, substantia, & accidens semper diuersas terminent actiones, nec eadem actione fieri possint; secundo modo intelligi potest, quod talia accidentia habeant quidem propriā actionem distinctam ab actione productiua substantiæ, non censetur tamen propria, & per se actio, quia natura sua consequitur, & resultat à termino alterius actionis, quare nec propriam habet nouitatem, nec terminus acquiri potest per motum, sed solùm per naturalem resultantiam, in quo sensu verum est, quòd non habeant propriam actionem, ne propriam terminent productionem, ex quo tamen nō benè infertur, quòd nō educantur ex potentia subiecti; nam ad veram eductionem satis est, quòd forma fiat per propriam actionem in hoc secundo sensu, quomodo intelligitur

ligitur interuenire concursus materialis subiecti.

Ob. tandem: si formæ modales educerentur de potentia subiecti, etiã ipsa eductio deberet educi, & esset propriè effectus materiæ, quia etiam ipsa eductio ad modum spectat, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Negando sequelam maioris, nam sicut actio, & productio seipsa ab agente dimanat, & non media alia actione, ità eductio eodem modo pendet à subiecto; quare sicut productio dicitur fieri, vt quo ab agente, ità eductio, vt quo dicitur fieri ex subiecto; & licèt suo modo pendeat à materia, non tamen propriè, vt eius effectus, sed potius, vt eius causalitas.

Pater Marcantonius noster à Carpedenolo in sua Philosophia tract. 3. q. 8. fol. mihi 122. sicut negat, qualitates educi posse de potentia quantitatis, ità etiam negat, formas artificiales educi posse de potentia subiecti, dicens: *quænam est illa potentia quantitatis? non video, non capio, educi .n. præter illam ipsam dependentiam, quamdam cooperationem in genere causæ materialis importat.* Loquens deinde de formis artificialibus, ait: *Miror certè viros cætero perspicacissimos in hanc lapsos cogitationem, vt formas artificio inductas educi de potentia materiæ, aut subiecti existimarint.* Et ego equidem miror, virum vndequaq. eruditum in opinionem singularem Paucorum incidisse, relicta communi Theologorum D. Tho. Scoti, ac ferè Classicorum Priscorum, asserentiũ qualitates educi de potentia quantitatis, quod euidentissimum est in Admirabili Eucharistiæ Sacramento, ne miracula sine necessitate multiplicare cogamur. & rationes, quas ipse adducit, tum ex transmutatione subiecti, tum ex naturalitate formæ, vanæ, & impertinentes sunt ad rationem eductionis, vt iam probatum est Disp. 3. art. 15. de eductione formarum.

Requirit Iste Doctor vltra potentiam receptiuam, & sustentatiuam in subiecto quamdam aliam cooperationem in genere causæ materialis, sed qualis est hęc cooperatio? Forma artificialis iam conuenit in illa ratione communi accidentis, quòd ab intrinseco ei conuenit subiecto inhærere, ità vt destructa materia statuę, statim, & necessariò ipsa forma artificialis destruatur, signum euidens, quòd à tali subiecto in suo esse, & fieri necessariò dependebat, ad differentiam animæ rationalis, quæ destructo corpore, adhuc in suo esse naturaliter perseuerat, ergo hac sola excepta, quæ verè dicitur creari, cæteræ formæ materiales, tàm substantiales, quàm accidentales educi de subiecto dicuntur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An formæ supernaturales educantur de potentia subiecti.

Scot. in 1. d. 17. q. 2. §. *Ad argumenta pro opinione &c.* ad 3. lit. P.P. loquens de actu supernaturali ait: *Dico, quòd actus iste non creatur, loquendo propriè de creatione, quia respectu eius concurrit aliqua causa secunda actiua, creatio autem est solius agentis primi sine causa secunda &c.* ex quibus verbis Scotistæ communiter defendunt, actus supernaturales educi de potentia subiecti.

Loquen-

Loquendo verò de habitibus supernaturalibus Doct. ibidem q.6.collater.lit.ZZ.in fine,ad 3.ait: *Dico,quòd in eodem instanti temporis, in quo Charitas, vel gratia creatur infunditur animæ, sed alio,& alio instanti naturæ, quia prius natura, gratia, vel charitas creatur,quam animę infunditur, licèt totum sit in eodem instanti temporis*. idem habet in 4 d.1. q.1.§. *contra istam opinionem &c.* & § *ad primam ergo quæstionem &c.* & alibi, ex quibus Scotistæ tum Veteres, tum Recentiores occasionem arripuerunt negandi habitus supernaturales educi de potentia subiecti, sed produci per veram creationem: itá Fuentes 1.Physicorũ q.4.diffic.2. tract.4.Faber in 2.disp.6.c.vnico, & in 4.disp.2.c.3. Vulp. to.1.p.2. disp. 3. art. 1. & ex Nouissimis Ioann. Pone.

Communis sententia Priscorum Doctorum est habitus supernaturales creari, & hoc præsertim ob eorum excellẽtiam super alios habitus naturales; Turba verò Recentiorum totum oppositum defendit, scilicet etiam ipsos habitus supernaturales educi ex potẽtia subiecti,& hoc præsertim ob eorum accidentalitatem; itá Suar. disp. 15. Meth. sec. 2. & 3. Tomo in 3.p.disp.9.sec.1. Vasq.1.p. disp.174. Arriag. disp.3.Phys.sec.4. nu.38.fol. mihi 247. addunt tamen gratiam, & cætera dona supernaturalia educi ex potentia animæ, non quidem naturali, sed obedientiali. Auersa q.20.sec.7. cõcedit gratiam, & virtutes infusas fieri dependenter à subiecto, cum sint accidentia, vult tamen, ad differentiam qualitatum naturaliũ melius dici infundi, quàm educi.

Conclusio.

Dicimus, satis probabile esse,non solùm actus supernaturales, sed etiã habitus educi de potentia subiecti. Hæc conclusio licèt formaliter non sit ad mentem Scoti, qui potius ad partem oppositam inclinare videtur, non est tamen contra eius principia; & ratio,quã motus fuerit adponendũ habitus supernaturales potius creari, quam educi, assignatur infra in solut. argumentorum. Nec desunt etiam Scotistæ pro tertia sententia,nã Mayron.in 3.d.1. q. 5. sic discurrit: *præmittendum est,quod quatuor modis dicitur aliquid creari à Deo; primò sicut à causa vniuersali tantùm, & sic anima creatur à Deo; Secundo modo sicut à causa particulari, vel partiali, vt humanitas Christi, vbi Deus suppleuit causalitatem agentis particularis;Tertiò modo sicut à causa totali, sed in genere causæ efficiẽtis tantùm, vt gratia creatur à Deo totaliter, & effectiuè, sed dependet ab anima subiectiuè, sicut à causa materiali in qua;4 sicut causa totalis suppletur,quia nulla alia causa concurrit & hoc modo Angelus creatur totaliter à Deo, quia in suo esse, sicut in suo fieri, non dependet nisi à Deo*. Vbi hic Doct. concedit gratiam creari, non quòd non verè educatur de potentia materiæ,cum dependeat ab anima in suo esse,fieri & conseruarii sed ab hoc solùm, quod in genere causæ efficientis pendet totaliter à Deo. in quo etiam sensu multæ scripturæ, & Patres exponi possunt, cum inquiunt gratiam creari, vel à solo Deo produci, quatenus scil. nulla alia causa secunda ad eius productionem concurrit in genere causæ efficientis,

 cientis,

cientis, estò aliqua in genere causæ materialis cócurrat, scilicet anima rationalis sequũt. Mast. & Bell. d. 3. art. 2.

Hoc etiam tenet probabile Gregorius Ruiz controu. 3. in 4. sent. Scoti, conclusione prima, quamuis in secunda conclusione, doceat oppositum, vt probabilius. Probat primam Conclusionem, quia gratia pendet ab anima in esse, & fieri, ergo gratia educitur de potentia materiæ, probat consequentiam, nam formam educi de potentia subiecti est pendere ab eo in esse, & fieri. hoc etiam ipsum tenetur Ferchius asserere lib. 3. defens. c. 4. & c. 8. nu. 46. vbi negat formas substantiales à materia dependere in suo esse, & fieri; & asserit, hanc dependentiam solis accidétalibus formis conuenire, ea ratione, qua accidentia sunt, quia nata sunt inhærere subiecto. Ergo cùm gratia, & alia supernaturalia dona sint formæ accidentales, dependebũt etiam in suo esse, & fieri à materia, & consequenter per eductionem in anima incipiunt, non per creationé.

Poncius quamuis nostræ decisioni sit constans aduersarius, tamen disp. 3. log. q. 2. nũ. 21. fol. mihi. 486. in probatione primæ conclusionis, sic ait: Nulla forma accidentalis naturaliter producibilis creatur naturaliter, ergo omnis talis producitur per eductionem ex potentia subiecti, & consequenter cum dependentia à subiecto in esse, & fieri. probatur antecedens, tum quia satis cómuniter, & probabiliter negatur à Recentioribus vllam formam accidentalem creari, etiam loquendo de illis, quæ sunt supernaturales in substantia (vt sunt tres virtutes habituales Theologicæ) & consequenter multò minus sic producentur accidentia naturalis ordinis; Hæc Ponc. vbi nostrã sententiam, & satis communem, & probabilem putat. Non est ergo cur eam tàm mordicus damnet.

Probatur igitur nostra Conclusio, primò sic: Omnis forma accidentalis est apta nata inhærere subiecto, ergo nata quoque est fieri, & conseruari dependenter à subiecto, sed formæ supernaturales etiam habituales, sunt accidentales, ergo etiam ipsæ quoque natæ sunt fieri, & conseruari dependenter à subiecto, & consequenter à subiecto educi. Antecedens patet ex natura, & quidditate accidentis, & sequela deducitur manifestè, si enim aliqua forma nata est inhærere subiecto, sequitur statim modum factionis eius esse per dependentiam à subiecto; sicut è contra eo ipso, quòd aliqua forma nata est per se subsistere, statim sequitur modum factionis eius esse per independentiam à subiecto, vt communiter de anima rationali asseritur.

Probatur 2. Ideò anima rationalis dicitur creari, & non educi de corpore, quia de se nata est subsistere, quamuis enim in corpore producatur, semper tamen independenter ab eo producitur, & illud respicit, vt subiectum merè in quo, non ex quo, ergo cùm habitus supernaturales nõ sint formæ natæ per se subsistere, cùm sint accidentia, non dicentur creari, sed educi. Consequentia probatur, hoc enim petit natura inhæsiua accidentium, quòd si producantur in subiecto, fiant dependenter à subiecto.

Probatur 3. si ponatur gratia in vno instanti creata, deinde in alio

animæ

animæ infusio, in tali casu licèt in-fieri non dependeret à subiecto, adhuc tamen ab eo dependeret in conseruari. Ratio est, quia non est forma subsistens, vt anima, sed semper forma inhærens, & cōsequenter eius desitio esset corruptio, non annihilatio, quia desinit in subiecto, à quo dependebat in conseruari.

Respōdet Pōc. ꝙ siuè loquamur de instantibus naturæ, siue de instātibus temporis, semper falsum est, quòd si gratia fuit creata in primo instanti extra subiectum, si deinde in subiecto poneretur in alio instanti, diceretur educta, sed conseruari poterit pro alijs instantibus creatiuè, absque dependentia à subiecto, non obstante quod non sit forma subsistens, quia sicut hoc non impediret creationem ipsius in primo instanti in casu posito, ità nec conseruationem absque dependentia à subiecto impedire posset, & consequenter desinere non deberet per corruptionem, sed per annihilationem. Non placet, ratio est, quia cùm hæc sit forma accidentalis, ac consequenter apta inhærere, statim ac poneretur in subiecto, tunc illi inhæreret, ac proinde ab eo dependeret in suo esse, & conseruari, hoc est enim propriè subiecto inhærere, scilicet ipsum informare cum dependentia ab ipso in suo esse, & conseruari; & confirmari potest Sacramento Eucharistiæ, nam si Deus denuo reproduceret substantiam panis, & illa accidentia separata denuo in tali substantia affigeret, quæ in fluxu creatiuo conseruabat, tunc talia accidentia cōseruarentur à subiecto in fluxu eductiuo, quia dependerent à subiecto iuxta connaturalem eorū exigentiam, quatenus sunt formæ suapte natura inhæsiuæ, & non subsistētes, vt est anima rationalis. Non est ergo bene dictum, quòd forma accidentalis extra subiectum creata, si postea in subiecto poneretur, adhuc conseruaretur influxu creatiuo, & non eductiuo, nam eadem ratione è contra dici posset, quod accidentia separata in Eucharistia adhuc influxu eductiuo conseruarentur, quia sic ab initio fuerunt producta, scilicet cū dependentia à subiecto, quod tamen falsum est.

Probatur 4. Actus supernaturales educuntur ex potentia subiecti, non creantur, ergo idem asseri poterit de habitibus. Negant consequentiam Faber, & Fuentes, & ratio est, quia isti habitus sunt ità nobiles, & excellentes in ordine gratiæ, & gloriæ sicut anima rationalis in ordine naturæ, ergo petunt à Deo creari, sicut anima. Tum quia habitus isti eleuant animam, & eius potentias supra totum esse naturæ, & præsertim gratia est quædam participatio diuinæ naturæ, ergo non possunt huiusmodi formæ tā excellentes contineri virtualiter in causis naturalibus, qua de causa dicitur in psal. 83. gratiam, & gloriā dabit Dominus. Sed rationes istæ nō conuincunt, & retunduntur etiam in actibus, nam etiam actus sunt ordinis superioris, imò sunt formæ nobiliores ipsis habitibus, vt communiter fertur, & nos (Deo duce) in libris de anima ostendemus. Tum quia etiam ipsi actus eleuant animam supra totum esse naturæ, ergo sicuti actus educuntur, poterunt etiam & habitus educi, & quando Psal. ait, gratiam, & gloriam dabit Dominus,

minus, noluit per hoc negare concursum materialem ex parte creaturæ, nam per gloriam intelligit visionem, & fruitionem, ad quas in communi Theolog. sensu concurrunt intellectus, & voluntas Beatorum, non solùm in genere causæ materialis, sed etiam efficientis. Quando etiam dicitur quòd forma supernaturalis non continetur in causa naturali, hoc solùm intelligitur in genere causæ efficientis, quatenus non potest homo suis viribus attingere aliquem actum supernaturalem, sine speciali Dei auxilio, at non ex inde excluditur concursus creaturæ in genere causæ materialis. Imò addunt Mast. & Bell. & benè, quòd maiori ratione debent Scotistæ hanc sententiam defendere, quàm Thomistæ, nam isti volunt, quòd gratia est forma ex natura rei hominem iustificans, & Deo gratum reddens, & tantæ excellentiæ, vt etiã in creaturã negent potẽtiam passiuam naturalem in ordine ad illam; At Scotistæ defendunt hoc munus non competere gratię ex natura rei, sed solùm ex decreto Diuino, & asserunt animam esse in potentia passiua naturali respectu gratiæ, & aliorum donorum supernaturaliũ. Nec assumpta paritas de anima ratio ali, & donis supernaturalibus valet, nam animã rationalis est forma substantialis, & per se subsistens, & hac ratione excludit concursum in genere causæ materialis; at habitus supernaturales, quamuis propter eorum excellentiam excluderent omnem causam secundam efficientem, quia tamen sunt formæ accidentales, non excludunt causam materialem.

Vulp. loc. cit. nu. 8. assignat disparitatem ex parte spiritualitatis. Si enim ait, gratia educeretur de potẽtia subiecti, & alii habitus supernaturales, non amplius essent formæ spirituales, sed materiales. Tum quia omnis forma educta de potentia materiæ dicitur materialis. Tum quia hac de causa præcisè anima intellectiua est spiritualis, quia non educitur de potentia subiecti, quòd si ex eo educeretur statim euaderet forma materialis. Accedit, quòd si gratia, & cætera dona supernaturalia educerentur de potentia subiecti, poterit agens naturale naturaliter, & immediatè attingere sua virtute prædictas formas, cum limitatio suæ potentiæ solù prohibeat aliquid simpliciter de nihilo producere, seu independenter ab omni subiecto. Hæc Vulp. sed neque hæc ratio satisfacit, falsa est enim sequela, quia species intelligibiles, & actus intelligendi, & volendi educuntur de potentia animæ, & tamen non sunt materiales, scilicet formæ extensæ, & corporeæ. Tum quia actus supernaturales educuntur de potentia subiecti etiam in sententia ipsius Vulp. & tamen adhuc spirituales sunt. Tum quia etiam actus supnaturales in sẽtentia ipsius Vulp. educuntur ex potentia subiecti, & tamẽ naturaliter attingi non possũt.

Poncius aliam assignat disparitatem, quia scilicet nostra potentia virtute sua propria concurrit cum habitu ad producendos actus supernaturales, habitus autem supernaturalis non producitur à nostra potentia, nec quidem partialiter, sed à solo Deo, & propterea ex hoc capite non debet educi. Sed bona pace ipsius

sius, neque hæc ratio conuincit; nam vt modo diximus, in multorum doctorum sententia anima vegetatiua, & sensitiua immediatè à Deo producuntur sine consortio causæ secundæ efficientis, & tamen non creantur, sed dicuntur à Deo immediatè educi de potentia materiæ. Tum quia ex hoc, quod nulla causa creata efficiens cũ Deo concurrat ad productionem supernaturalium habituum, sed à solo Deo producantur, adhuc consistere potest, quòd non creentur, sed educantur, si illos Ipsemet immediatè producat in anima, & dependenter ab ea. Tum tandem, quia etiam Theologi sæpè admittunt quosdam actus supernaturales à Deo in nobis immediatè infundi, vt ex Sacro Concil. Trid. colligitur sess. 6. c. 5. illis verbis: *ità vt tangente Deo cor hominis &c.* loquens de gratia excitante, quòd etiam admittere videtur illos actus esse eductos de potẽtia animæ, quæ pro corde accipitur, non creatos, ergo creatio, vel eductio alicuius formæ non ponitur, vel aufertur per concursum causæ secundæ efficientis, vel negationem eius, sed per concursum causæ materialis, vel eius carentiam.

Obiectiones.

Obijcitur ex Scot. tùm loc. cit. initio art. in 3. d. 11. q. 8. *cui ista opinio non placet &c.* vbi ait: *Angelum, animam, & gratiam propriè creari, quia de nihilo producuntur*. Ergo Conclusio nostra est directè contra Scot. ℞. Doctorem in hanc partem declinasse ob auctorit. Sanctorum, Scripturarum, & Scholasticorum antiquorum, quorum auctoritati, vt Deuotus, & pius maximè semper tribuendum censuit, non autem ob aliquam rationem cogentem, quia reuera nulla talis est, sed potius in oppositum vrget, vel locutum fuisse in sensu, quo loquitur D. Tho. 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3. vbi ait: *gratia dicitur creari, eo quod homines secundum ipsam creantur, id est in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis, secundum illud eph. 2. creati in Christo Iesu in operibus bonis*. ità vt sensus scripturæ, & PP. sit gratiam creari, & de nihilo produci secundũ esse morale, non secundum esse naturale illius, vt Vasq. aduertit loc. cit.

Obijcitur primò Auct. sacræ Script. psal. 50. *cor mũdum crea in me Deus*. Quod præsertim intelligitur de gratia renouante statum hominis, iuxta illud D. Pauli: Exeuntem vos veterẽ hominem cum actibus suis, & induẽtem nouum, quæ tamen non dicitur educi, sed creari, ergo &c. ℞. Ex Arriag. disp. 3. Phys. sec. 4. num. 39. fol. mihi 247. quòd hoc nomen creo idẽ sonat in scriptura, quod produco, quod abstrahit à rigorosa regeneratione, & creatione. Sic etiam habemus in sacra Genesi: *in principio creauit Deus Cœlum, & terrã*. quòd tamen intelligi non debet de creatione rigorosa, sed in largiori significatione, pro vt scilicet significat productionem rei, quæ à solo Deo producitur, & secundum formam, & secundum dispositionem ad formam in vnico instanti, & in hoc sensu dicit scriptura illa creata fuisse, sicut in eodem sensu dicit infra: Masculum, & Fæminã creauit eos, scilicet Adã, & Euam, quos tamen secundum cõmuniorem sententiam eos produxit ex materia tempore præxistente.

Obij-

Obijcitur tertiò, saltem ex hac sẽtentia cogimur cum Recentioribus asserere Sacramenta Physicè causare gratiam, non moraliter, nam ex hoc ipsi affirmant, gratiam educi, vt destruant præcipuum fundamentum nostræ sententiæ de morali causalitate Sacramentorum, quia scilicet gratia creatur, ac propterea nequit à creatura Physicè attingi. ℟. Negando assumptum, & ratio est, quia adhuc non desunt aliæ rationes ad probandum, Sacramenta Physicè non causare gratiam, quia videlicet non possunt res corporeæ, & materiales, vt sunt Sacramenta eleuari ad producendam gratiam, quæ est spiritualis. Tum etiã quia excepta Eucharistia, quando alia Sacramenta producunt gratiam, Physicè loquendo non sunt, at id, quod Physicè non est, non potest Physicè operari, nã operari supponit esse, ergo si moraliter tantùm tunc sunt, moraliter causant, & quando Doctor in 4.d.1.q.6.§. *contra istã opinionem &c.* vtitur illa ratione, scilicet Sacramenta nequeunt gratiã causare, quia gratia creatur, vel locutus fuit in sententia Scripturæ, & Patrũ, vel moraliter, vt iam diximus.

IN LIBRVM SECVNDVM PHYSICORVM BREVIS DIGRESSIO

TEXTVS.

In quo agitur de Natura, & Causis Intrinsecis, & Extrinsecis.

CAPVT PRIMVM,

à textu 1. vsque ad 16.

Eorum, quæ sunt, alia quidem sunt natura; alia propter alias causas &c.

ARist. in hoc primo Capite intendit declarare naturam, & ens naturale; & primò diuidit entia, ex qua diuisione colligit proprium genus, & differentiam: omnium igitur, quæ sunt, vel habent esse à natura, vt Composita naturalia, tum mixta, tum simplicia: vel constant ex alijs causis, vt quæ ab arte fiunt, statua, lectus, indumentum. Quæ sunt à natura habēt internum principium sui motus, & status, vt ignis à principio intrinseco fertur sursum, Planta ab intrinseco augetur, & minuitur, animal ab intra alteratur &c. At, quæ sunt ab arte hoc interno principio motus non constant, vt statua non habet causam intrinsecam sui esse, sed extrinsecam, & ab arte, & si statua deorsum mouetur, hoc non erit vt statua, sed quatenus aliquo ente naturali constat, scil. vt lignea est. 2. ex hac diuisione infert definitionem naturæ, dicens esse *principium, & causam motus, & quietis eius, in quo est 1. per se, & non secundum accidens*. Dicitur per se, & non secundum accidens, ad differentiam artis, quæ aliquando potest esse principium alicuius motus in artifice, sed per accidens, vt patet de Medico seipsum sanante.

Tertiò Definit ens naturale, & secundum naturam. Res naturalis est, quæ habet naturam, scil. tale principium motus, & quietis, idcircò artefacta non dicuntur naturalia; Ens autem secundum naturam ait, esse, vel

ens habens naturam, vel ens consequens rem habentem naturam, vt sũt omnes proprietates, quę habentibus naturam insunt, vt ignis ferri sursum, terræ deorsum &c. 4. à tex. 7. inquirit, quibus rebus ratio naturæ conueniat, & primò inquit conuenire materiæ ex Communi Physicorum consensu, à quibus solùm Arist. discrepat, quòd illi materiam posuerũt totam naturam, Arist. verò partem, hinc in textu 10. diuidit naturam in materiã, & formã: Vbi est aduertendum, quòd per formam non intelligit solùm formam partis, sed etiam totius, quæ est quidditas, & essentia in eo cui' est, quod colligitur ex eius Verbis, quæ talia sunt: *Vno igitur modo natura sic dicitur prima vnicui què subiecta materia habentium in seipsis motus principium & mutationis; alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem.* Et immediatè in tex. 11. declarans quid per speciem intelligat secundum rationem, subdit: *quam diffinientes dicimus quid est caro, aut os.* Clarum est autem, quod nomen speciei, quidditatem, & essentiam rei dicit; idcirco adæquata naturæ Diuisio erit in materiam, formam, & quidditatem; vel in materiam, & formam, intelligendo per formam, tàm partialem, quàm totalem, tota .n. quidditas, est immediatum Principium omnium passionum, sub qua diuisione comprehenditur etiam natura Cęli. Deinde ostendit, quòd forma sit magis natura, quàm materia, ex hoc, quòd artificialia dicuntur talia à forma artificiali, ergo naturalia à forma naturali, talia potissimum dicuntur. Tum quia generatio dicitur naturalis, quia tendit ad naturam, sed tendit ad formam, ergo &c. ex his tandem infert naturam aliquo modo, & impropriè posse de priuatione dici, cùm sit etiam suo modo principium generationis.

CAPVT SECVNDVM

A tex. 16. vsque ad 27.

Quoniã autem determinatum est quot modis natura dicitur. Post hoc speculandum, quòd differt Mathematicus à Physico &c.

NE Physica videatur indistincta, à Mathematica, cùm vtraque circa quantitatem, & Corpora Cęlestia versetur, & vnitas Scientiæ ab obiecto desumitur, ideò docet in quo Physica, à Mathematica differat, & ait: Mathematicus est quidem circa longitudinem, superficiem, profunditatem, & puncta, quæ sunt res naturales; & Physicus est circa substantiam solis, & lunæ, quæ sunt Corpora naturalia, & circa accidentia in eis, vt sunt quantitas, motus, figura, aspectus, vt Mathematicus; sed in modo considerandi differunt, quia Physicus est circa hæc, vt materiæ & motui subijciũtur; Mathematicus, vt abstrahit à materia. Physicus circa illa, vt sunt accidentia Corporis naturalis, & sensibilis; Mathematicus abstrahit à sensibilibus. Physicus desinit per materiam, & formam; Mathematicus considerat formam, non considerata materia, cuius sun accidentia, & affectiones. Si dicis, res Mathematicæ semper sunt in materia, ergo errat Intellectus, si considerat aliter, quàm sint. R. Abstrahentium non est mendacium, quia considerat

siderat vnum, nō considerando aliud, non vnum absq. alio. Hinc Plato, qui posuit Idęas formas separatas à singularibus errauit, nam in esse firmo alibi res non sunt, quàm in singularibus. Subdit, ad Physicum spectat de Materia, & forma disputare. Tum quia ars imitatur naturam, sed artifex considerat materiam, & formam, ergo, & Physicus. Tum quia ad eamdem Scientiam spectat Consideratio finis, & mediorum; sed materia ordinatur ad trasmutationem, & finis trasmutationis est forma, ergo est circa materiam, & formam. Tum tandem, quia eiusdem scientiæ est contemplatio relatiuorum, sed materia, & forma sunt relatiua tanquam per se potentia, & per se actus, ergo ad Physicum attinent.

CAPVT TERTIVM.

A tex. 27. ad 39.

Determinatis autem his, considerandum est de causis, & quæ, & quot numero sunt &c.

INcipit hic Philos. agere de causis, quia scientia est Cognitio per causam, ergo ad Physicum etiam attinet de Causis rerum naturaliū agere, & primò assignat diffinitiones quatuor generum causarum. Primum est genus causæ materialis, & diffinitur *esse id, ex quo fit aliquid cum insit*. Secundum est genus formalis Causæ, & est species, exemplar, & ratio eius, *quod quid erat esse*, scilicet esse rationem principalem definitionis, & essentiæ rei. Tertium est causæ efficientis, & dicitur id, *vndè primò incipit motus, & quies*. dicitur primò, vt excludatur causa instrumentaria, quæ licèt sit quodammodo efficiens, non tamen est prima. Quartum est genus causæ finalis, & est *id cuius gratia aliquid fit*, vt Sanitas est finis deambulationis, quæ fit propter sanitatem, & possunt respectu eiusdē effectus plures fines intermedij concurrere, vt sumptio Medicinæ est propter purgationem, & ista propter sanitatem &c.

2. Tres ponit causarum proprietates, quarum Prima est, quod eiusdem effectus possunt esse plures causæ per se in diuerso genere causæ, & si in eodem genere non erunt totales, sed partiales. Secunda, causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere, vt purgatio est causa efficiens sanitatis, & sanitas causa finalis purgationis. Tertia, idem potest esse causa contrariorum, vt de Nauta, qui sua præsensentia est causa salutis nauis, & sua absentia causa submersionis: Potest etiam intelligi de eadem causa per se agente, si dispositio contraria adsit ex parte materiæ, sol. n. dissoluit glaciem, & constrigit lutum. Finis etiā potest contraria causare, vt sanitas respectu commestionis, & dietæ; & tranquillitas reipublicę est causa punitionis malorum, & præmiationis bonorum; sic etiam Materia potest successiuè effectus cōtrarios causare, non autem forma, nisi quia sua absentia compositum corrumpitur.

3. Ponit plures causandi modos, qui in omnibus causis reperiri possunt; & primus est, Quòd vna causa est prior, scil. vniuersalis, altera posterior, idest particularis. Secundus est, quòd vna causa est per se, à qua vt talis procedit effectus, vt statua à statuario, altera per accidens, vt accidit statuario album esse. Tertius

est, quòd causarum, alia est in actu, quæ actu operatur, alia in potentia, quæ licèt non causet, potest tamen causare, qui modus omnibus causis conuenit, & eodem modo pussunt distingui eff. ctus. Quartus modus est, quòd alia causa est simplex, idest incomplexa, vt Policletus, vel statuarius. Et tandem concludit, quod si aliquem effectum scientificè cognoscere velimus, inquirere debemus causam summam, idest talis effectus proximiorem, & si effectus est vniuersalis, causa quoq. vniuersalis esse debet, & si particularis, causa particularis; & si effectus est in actu, causa in actu assignari debet, & si in potentia, causa quoq. in potentia.

CAPVT QVARTVM.

A tex. 39. ad 68.

Dicitur autem, & fortuna, & casus de numero causarum esse &c.

POst causas per se, sequitur causa per accidẽs, & ait Philosophus, adhuc Physici est de casu, & fortuna disputare, nam ad eum pertinet, tàm de causis per accidens, quàm de per se agere; sed multa sunt, & fiunt propter fortunam, & casum, & si per accidens, ergo, & de his Phys. est agere, & tria facit; Primum inuestigat, an sint casus, & fortuna; Secundum quid sint; Tertium quomodo differant, & conueniant. Quoad primum, refert Antiquorum opiniones, quorum aliqui negabant omninò casum, & fortunam, primò, quia omne, quod fit, à causa determinata fit; si rusticus eat Campum, & fodiendo Thesaurum inueniat, inuentio non est casus, & fortuna, quia habet certam causam à qua fuit effectus, nempè ire ad campum cum proposito fodiendi, si pergit forum, nec intẽdit Amicum inuenire, sed aliquid emere, inuentio habuit causam, quæ fuit itio ad forum. 2. primi sapientes nil de fortuna, & casu dixerunt, ergo signum, quòd nil tale eueniat.

Respondet Arist. negando minorem, nã & si omne per accidens possit reduci ad per se, non sequitur non esse causam per accidens, vt sunt casus, & fortuna, si fossio campi fuit causa inuentionis, tamen per accidens inuentio Thesauri se habuit ad fossionem? Ad secundum ait, sapientes diminutos esse non assignãtes causas per accidens inter alias causas. Alij ex opposito dixerunt dari Casum, & fortunam respectu Cęli, & vniuersi quoad partes principales, nam dicebant casu euenisse, quod Athomi ità se coniunxerint, vt istum mundum in tali ordine constituerint; sed inferiora, vt animalia, plantæ, & alia non sunt à casu, sed ab Intellectu, vel natura, nam quodlibet non fit ex quolibet, sed ex semine hominis fit homo, non leo, ex semine aliuæ oliua, non pomum. Reijcit Arist. nam si ignobilia, & inferiora non fiunt casu, & fortuna, sed habent causam, multò magis corpora nobiliora. 2. in Cęlo nihil videmus casu fieri, sed suis temporibus ordinatè euenire, at in his inferioribus totum oppositum videmus, Ergo potius hæc inferiora casu, & fortuna esse.

Quoad Secundum, refert opinionẽ Aliquorum, asserentium fortunam esse causam Diuinam nobis occultã, à qua omnes effectus casuales, & fortuiti proueniunt. Vt autem determinet

net quid ſit fortuna, & quid caſus, præmittit quaſdam Diuiſiones; ideſt eorum, quæ fiunt, aut ſemper, & frequenter, vt homo fit ab homine; aut non ſemper, ſed frequenter, vt pluuia in hyeme, aut non ſemper, nec frequenter, ſed rarò, vt fodiens terram inuenit theſaurum. 2. quæ fiunt quædam ſunt propter finem, vt Medicina ſumitur gratia ſanitatis, vel non ꝓpter finẽ, vt fricatio barbæ ſine aduertentia. 3. quæ fiunt ad finẽ, quædam à natura, vt bruta quæ agunt inſtinctu naturæ propter finem; quædã à propoſito, vt actus humani, conſilio, & electione facti. 4. Cauſarum quædam per ſe, quædam per accidens; Medicus per ſe ſanat, & muſicus per accidens; cauſæ per ſe finitæ ſunt, & determinatæ; per accidens, poſſunt eſſe indeterminatę, & infinitæ, 5. cauſa per accidens, vel accidit cauſæ, vel accidit effectui, albũ per accidẽs ædificat, & hoc ex parte cauſę, ignis, per ſe cõburit ligna, domus, & per accidens facit, vt corruant innixi parietes, & hoc ex parte effectus. Tandem cauſa per accidens effectus, vel eſt eius, qui accidit ſemper, vel frequenter, vel rarò; ſemper, ſi ignis vrens ligna domus, facit per accidens ruere lapides vnitos; frequenter, nimia Vini potio lædit; rarò, inuentio Theſauri ex foſſione &c. fortuna, & caſus ſunt cauſæ per accidens coniunctæ cauſis per ſe ex parte effectus; non .n. eſt fortuna, quòd Muſicus ſit Medicus, ſed quòd fodiens terram, inuenerit Theſaurum. Et quia fortuna eſt eorum effectuum, qui proueniunt in agente à Conſilio, caſus verò in agentibus propter finem quidem, ſed non ex electione, colligit fortunæ diffinitionem dicens: *fortuna eſt cauſa per accidens in his quæ operantur propter finem, rarò, & præter intentum euenientibus*. Et hæc diuidi ſolet in bonam, & malam fortunam iuxta qualitates effectuum, & reducitur ad cauſam efficientem, quia caſus eſt in agentibus à natura, fortuna in agentibus per Intellectum.

Quoad 3. ſcil. Quomodo caſus, & fortuna conueniunt, & differunt ait: caſum vniuerſaliorem eſſe, quàm fortunam, quia caſus ſi latè ſumatur ſe extendit etiam ad quemlibet cauſam per accidens, atq. ideò effectus fortuiti effectus caſuales dici poſſũt; At ſi ſtrictè loquamur, caſus reperitur tantùm in agentibus ſine propoſito, vndè ſi lapis è turri decidens, aliquem lædat, læſio reſpectu lapidis eſt effectus caſualis, quòd autem aliquis fodiendo terram, theſaurum inueniat eſt effectus fortuitus, quia eſt in agente à propoſito, fortuna .n. accidit illis agentibus. quibus conuenit benè, vel malè operari, qualia ſunt agentia à propoſito, idcircò infantes, bruta, & inanimata non agũt ex fortuna niſi tantùm ſimilitudinariè; & tandem ex his concludit contra Democritum, quòd Mundus non fuerit caſu productus, & ratio eſt, quia ſi fuiſſet effectus per accidens, iam debuiſſet præcedere effectus per ſe, cui per accidens, coniungeretur, hoc autem falſum eſt, cùm ante Mundum nihil productum fuerit. hæc Ariſtol. de caſu, & fortuna, & ſatis benè.

CA-

CAPVT QVINTVM.

A tex. 68. ad 75.

Quod autem sint causæ, & quot numero &c.

IN hoc capite duo Arist. facit, primò asserit quatuor esse genera causarum, quod ità probat: de qualibet re quatuor interrogationes fieri solent, quibus per quatuor genera causarum satisfit; primò inquirere possumus de aliqua re ex qua facta sit, & ℞. Per causam materialem; Secundò per quid sit talis, & ℞. Per causam formalem; 3. à quo sit producta, & est causa efficiens; Quartò cuius gratia, & propter quid sit producta, & ℞. Per causam finalem. Subdit Philosophus, quòd licèt quatuor sint ista genera, sæpè tamen tria illorum coincidunt in eadem re, scilicet forma, finis, & efficiens, in generatione .n. idem numero est forma, & finis, efficiens etiam est idem cum forma, & fine, sed hoc solùm specie, & in generationibus vniuocis.

Deinde probat, omnia hæc genera ad Physicum spectare, quia causa efficiens est triplex, scil. vel mouens immota, vt Deus; vel mouens mota, sed incorruptibilis, vt Cælum; vel mouens mota, sed corruptibilis, vt substantia: Prima spectat ad Meth. secundum essentiam: secunda, & Tertia ad libros de Cælo, & generatione. Hoc supposito probat, Philosophum omnium causarum genera considerare, cùm .n. consideret rerum generationes, causas etiam earum inuestigare debet, vndè in demonstrationibus suis, modo probat per efficientem, modo per finalem, modo per materiam, modo per formam.

CAPVT SEXTVM.

A tex. 75. ad 87.

Dicēdum igitur primum quidē, quod natura earum causarum &c.

ARist. in hoc capite ostendit naturam agere propter finem, non tamen casu, & temerè, vt Antiqui asserebant, ponentes post mundi fabricam omnia casu euenire ex parte agentis, & tantùm causam esse determinationem materiæ, vt quòd in hyeme pluat esse propter ascensum vaporum ad mediam Aeris regionem, non autem ad terram fęcundandam, & ex eo probabant, quia per solam materiæ determinationem, & necessitatem redditur sufficiens ratio effectuum naturalium, ergo non debet alia causa per se assignari. Tum quia multa à natura per accidens prouenniunt, vt mostruosa propter defectū materiæ, ergo si monstra non fiunt, ex proportione debitæ materiæ prouenient. Tum quia agere propter finem supponit cognitionem finis, & mediorum, quæ in naturalibus deest: Philosophus tamen ostendit, quòd quæ sunt à natura, vt plurimum eueniunt, quæ fiunt à casu rarò contingunt. Tum quia ars imitatur naturā, & agit propter finem, ergo, & natura; Hinc bruta estò careant electione adhuc agunt propter finem, vt Areneæ telas texunt, vt muscas capiant; Aues nidos fabricant causa generationis; Plantæ producunt folia ad fructus tegendos; Radices in imū deprimuntur nutritionis causa &c.

Deinde Respondet ad primum, nō sufficere responsionem propter mate teriæ determinationem, quia iàm videmus in naturalibus dari operationem propter finem, vt ex dictis patet.

tet. Ad ſecundum inquit, potius probare oppoſitum, nam ſicut in arte, quia non ſemper agens aſſequitur finem, ideò datur operatio propter finem, ità in naturalibus dicendum erit; Hinc monſtruum eſt erratio naturæ ab eo fine, quem ſibi propoſuerat in agendo. Ad 3. ait falſum eſſe, quòd neceſſaria ſit libertas, & deliberatio ad agendum propter finem, quòd etiam in artibus patet, nam artifex ſæpè non deliberat de modo productionis effectus, ſed quaſi naturaliter ſe mouet iuxta Regulas artis.

CAPVT SEPTIMVM.

A tex. 87. ad finem

Quod autem ex neceſſitate eſt &c.

PRiori quæſtione determinata, poſteriorem aggreditur, nempè quomodo neceſſitas ſit in effectibus naturalibus, & citat opinionem Antiquorum, qui non ponentes finem in natura, totam neceſſitatem materiæ tribuebant, vt ſi peteretur ab eis, quare domus habet quaſdam partes ſuperiores, quaſdam inferiores neceſſariò? Reſpondebant, quia conſtant ex partibus grauioribus quæ locum inferiorem appetunt, quales ſunt lapides, & ex leuiorib. quæ locum ſuperiorem appetunt, qualia sūt ligna, ità vt rebus naturalibus non aliam cauſam neceſſitatis agnoſcebant, quàm materiæ. At Reſpondet Ariſt. queſtioni, quòd duplex eſt neceſſitas in rebus, vna ex parte materiæ, quòd talis, vel talis ſit, altera ex parte finis, quatenus iſti, & non alteri fini inſeruire debet; quod probat, quia ars imitatur naturam, & illa neceſſitatem ſumit ex fine, vt patet in ſtructura ſerræ, quæ duros, & acutos dentes habet, vt ligno reſiſtendo, ipſum ſcindat, & ſimilibus, ergo & natura. Domus quidem talis eſt, quia talem materiam habet, vt Antiqui dicebant, tamē adhuc talem habet materiam, quia ad talem finem eſt, ſcil. ad ſe defendendum, & occultandum à noxijs externis; indè concludit, neceſſarium eſſe à materia, ſed non ait in fine, vt forma verò vt in fine eſt, quòd ſi materia eſt propter finem, nempè propter formam, quæ potiſſima eſt in diffinitione, ergo potius neceſſitas à fine, quàm à materia ſumi debet, ſed hæc omnia in diſputationibus magis patebunt.

DISPVTATIO VI.

DE NATVRA, ET CAVSIS.

HAbita iam notitia de principijs corporis naturalis in fieri cū Ariſt. 1. Phyſ. nūc ordo doctrinæ poſtulat, vt eiuſdem corporis cum eodem de principijs in facto eſſe in ſecundo agamus; Vnde ſicut ibi inueſtigauit principia generationis in communi quarumcumque mutationum; ità in hoc Secundo aſſignat naturā, vt principium vnicum corporis naturalis in facto eſſe conſtituens, & præſertim corpo-

corporum sublunarium, quæ magis sensibus obijciuntur. nos igitur eius vestigia sequentes, principia corporis naturalis hic in facto esse inuestigare aggredimur, vt ex his caducis rebus intelligamus etiã quæ sint principia in facto esse corporis naturalis corporum Cęlestium, quæ adhuc natura constant, quamuis in sent. Philos. materia, & forma careant.

ARTICVLVS PRIMVS.
An Natura rectè ab Arist. definita fuerit.

SCot. dubium hoc resoluit, 5. Meth. tex. 5. & 2. sent. d. 2. q. 10. lit. F. & alibi. supponimus nomen naturæ, esse æquiuocum, & multas continere acceptiones, ideoq. prius diuidendam esse, postea definendam. 1. Natura accipi solet pro naturali causarum cursu in ordine ad effectuũ productionem, quo sensu Theologi dicunt, Deum sm̃ solitum, & ordinarium naturę cursum plura ijs conferre beneficia, qui in eius seruandis mandatis virtute gratię promptiores inueniuntur. 2. dicitur natura tota rerum infra Deum vniuersitas, vnde dici solet hæc, vel illa res non reperiri in rerum natura. 3. pro quadam naturali procliuitate, sic dicitur natura hominum in malum prona ab adolescentia sua. 4. pro naturali corporis temperamento, vnde Medici dicunt, alterum altero melioris esse naturæ. 5. pro quidditate, & essentia rei, vnde dicimus definitionem explicare naturam, & essentiam rei. 6. pro quadam rebus indita potestate sibi similia producendi, quatenus naturaliter sibi perpetuitatẽ affectãt. 7. natura, seu sm̃ naturam dicitur id, quòd naturali quoddam instinctu dõcemur facere, vel omittere, vt naturale est, Deum diligere, seipsum, parentes &c. ità insertum est à natura, vt ea quis alijs præstò exhibeat, quæ sibi vellet exhibere. 8. pro principio intrinseco, per quod entia habent, vt naturaliter se moueant, & quiescant, agant, & ocientur, patiantur, & moueantur; & de natura hoc modo accepta in præsentiarum est sermo, quam Arist. hic sic definit: *Natura est principium, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est, primum per se, & non secundum accidens*. Est aliqualis controuersia circa primam particulam, scil. est principium, & causa, cum .n. quatruplex sit causa, nempè materialis, formalis, efficiens, & finalis, & efficiens adhuc duplex, vel immanes, vt cum effectum causat in se ipsa, vel transiens, quando in subiecto distincto producit effectum; hinc Aliqui dixerunt, naturam solùm esse principium passiuum operationum, & in genere materialis causæ, ità simpl. 2. Phys. com. 12. & sequitur Scotistæ. Alij ex opposito tantùm actiuum esse dixerunt, ità Vasq. disp. 25. cap. 3. Vall. controu. 11. Albert. Henric. & Alij. Cõmunis tñ tum apud Veteres, tum apud Recentiores per principium, tàm actiuum, quàm passiuum intelligũt. Sed de hoc art. sequẽti. Supponimus hic cum Arist. in 1. cap. ridiculum, & superfluum esse demonstrare naturam esse, nam tot motus sensibiles, quos experimur, satis indicant reperiri aliquod princ. intrinsecum horum motuum, quod dicitur natura; Addit tñ Auicenna non esse superfluum demonstrare, cui nam specialiter

liter

liter competat ratio naturę, cùm hoc non sit ità notum.

Conclusio.

Dicimus, Definitionem naturæ rectè ab Arist. assignatam fuisse. est Scoti loc. cit. & probatur: Illa est recta definitio, quæ datur per proprium genus, & differentiam, at hæc est huiusmodi, ergo &c. probatur minor, nam principium, & causa, quæ pro eodem in casu accipiuntur, ponitur loco generis, cætera verò loco differentiæ assignantur, ergo. Tum quia duo sunt munera naturæ, scil. constituere in esse, & principium esse motus, sed vtrumq. hic traditur; est principium, & causa eius, in quo est, quia constituit; & motus, & quietis, quia principium operationum. Tum quia naturalia ab his, quæ naturalia non sunt, eò differunt, quia illa per se habent internum principiũ motus, hæc verò non habent, nisi sm̃ accid. ergo benè sequitur, quòd natura sit principium, & causa propter quam res, in qua est primò, & per se, & non sm̃ accidens moueatur, & quiescat.

Prima igitur particula est, quòd natura sit principium, & causa, de qua in art. sequenti. 2. est *ly motus*, pro cuius notitia notamus, quòd motus dupliciter sumi potest, vno modo præsè, prout à mutatione propriè dicta distinguitur, in quo sensu dicit motum accidentalem, cuius tres sũt species, scil. augumentatio ad quantitatem terminata, alteratio ad qualitatem, & localis motus ad Vbi; mutatio verò ad substantiam: alio, non amplè prout communis est ad mutationem substantialem, & accidentalem. Si definitio hæc in se considere tur, quia etiam materiæ primæ conuenire potest, sic ly motus accipitur amplè prout ad substantialem, & accidentalem communis est, verè .n. mutatio substantialis acquisitiua est iuxta propensionem materiæ, quæ ad formas naturaliter inclinatur, ex dictis; quia tñ Arist. considerauit naturam in ordine ad corpus, quod constituit, hinc præstat dicere, quòd motus in hac definitione ad mentem Arist. sumatur tantùm pro accidentali; vnde natura erit principium augmentationis, qñ scil. viuens augetur; alterationis, cum mouens acquirit qualitatem aliquam sibi consentaneam; & localis motus, vt cùm graue tendit deorsum, & leue sursum; & quòd hæc fuerit Arist. mens clarè deducitur ex hoc 2. Phys. ab initio, vbi Philos. horum motuum exempla affert. At quia motus diuiditur in naturalē, qui est iuxta propensionem subiecti; in violentum, qui est contra eius inclinationem; & in neutrum, ad quem neq. inclinationem dicit, neq. repugnãtiam, hinc dubitatur; An natura, principium dicatur omnium istorum motuum, an verò motus tantùm naturalis. Aliqui affirmant, naturam esse principium cuiuscumq; motus, siuè naturalis sit, siuè violentus, siuè neuter, cui sententiæ assentire videtur Bartolomeus Amic. tract. 8. q. 8. dub. 3. art. 2.

Non placet, natura .n. solùm dicitur principium motus naturalis cũ Scot. loc. cit. hinc Arist. in hoc 2. tex. 5. explicans quænam sm̃ naturam dicantur, ait: *esse quæcumq. insunt rebus secundũ se, vt igni ferri sursum.* qui mot⁹ igni naturalis est, & nullus motus violentus est in subiecto sm̃

se, sed per accidens. & 1. Cęli tex. 9. & 10. clarissimè docuit, motum violentum non dici sm naturam. Tum quia sic omnis motus esset naturalis, nullus violentus, vel neuter, cùm omnis à natura, vt à principio proueniret; & itá dum aqua calefit, calefactio illa esset naturalis, & quando terra sursum moueretur, naturaliter moueretur, quod est contra omnes Philos.

Respondēt Aduersarij, aquam dupliciter sumi posse, scil. vel vt corpus naturale in communi, & in hoc sensu est illi naturalis calefactio; vel vt tale corpus naturale, & hoc modo calefactio illi opponitur, & conuenit violenter. Non valet, nam rationes communes abstrahuntur à singularibus, & inferioribus, & per regulam antepraedicamentalem, quod conuenit superiori, conuenit etiam inferiori, ergo si corpori in communi conuenit habere inclinationē ad omne accid. etiam quodlibet corpus in particulari talem proprietatem haberet. Tum quia corpora naturalia respectu formarum artificialium, non habent, nisi meram capacitatem, & sunt in potentia neutra, ergo si motus ad illas formas diceretur merè naturalis, iam compositum artificiale diceretur propriè ens naturale, quòd est falsum.

Ob. Motus V.g. lapidis sursum est sensibilis, & extensus, ergo spectat ad ens naturale, at non potest ad ipsum spectare, nisi quatenus est actus potentiae talis ētis, ergo ens naturale verè respicit motum illum. ℞. Concedendo motum lapidis sursum spectare ad ens naturale, sed non vt naturale est reduplicatiuè, sed tantùm specificatiuè, idest, non quatenus dicit aptitudinem, & inclinationem, sed quatenus dicit meram capacitatem, & respectu talis potentiae dicitur actus, sed non naturalis, quia ad hoc requiritur, vt sit actus potentiae cum aptitudine, & inclinatione.

Dices, Natura, vt articulo sequēti patebit, dicitur etiam principium actiuū, sed hoc propriè dicitur principium actionis, non motus, ergo falsa definitio. ℞. Motum dupliciter sumi posse, vno modo formaliter, & sic dicit nouā acquisitionem alicuius formae, altero modo materialiter, in quo sensu significat formam fluentē, quae nō tātū dicitur motus materialiter, sed etiam actio, & passio, vt Arist. 3. Phys. à tex. 16. & seq. accepit. motus in definitione naturae non accipitur formaliter, sed materialiter, in quo sēsu tam principium actiuum, quam passiuum respicit, vnde minor est falsa, & consequentia nulla.

Tertia particula est, *quietis*. quae sumi potest, vel formaliter, & priuatiuè idest pro carentia, & priuatione motus; vel materialiter, & positiuè scil. pro forma in esse quieto, & hoc dupliciter, vel prout est in termino à quo, & sic opponitur motui, quia per motum destruitur; vel prout est in termino ad quem, & haec non opponitur motui, imò per ipsum acquiritur, & est terminus motus. in casu quies, non sumitur priuatiuè, quia non rectè assignatur principium per se ad aliquam negationem, sed positiuè, non quidem in termino à quo, sed in termino ad quē. ex quo etiam patet solutio ad illud arg. quòd idem non possit esse contrariorum causa, sed motus, & quies sunt contraria,

traria, ergò. nam quicquid sit de illa proposit. de qua infra, quies cuius principium est natura, non est opposita motui, sed potius terminus ad quem ipsius ex Arist. 5. Phys. & subordinatorum idem est principium.

Quarta particula est *ly in quo est*. ad denotandum, quòd natura est principium motus eius, in quo est, non solum ipsa natura, sed etiam motus ipse, quia natura est principium motus immanentis, non transeuntis, vt ad Phys. spectat. sic forma ignis V. g. dicitur natura, quia producit in se ipso motum sursum, ponitur etiam talis particula ad excludédas causas extrinsecas motus; item & artificialia, & violenta, quia non mouentur à principio interno, nam artificialia à principio externo passo obediéte, & violenta à principio Externo passo resistente. similiter, & Angeli, qui inducunt motum Phys. in Cęlo, quia talis motus ab extrinseco exercetur ab ipso Angelo.

Quinta particula est *ly primò*. Et exponi solet, vel prout ab instrumétali principio distinguitur, & significat principale, quo sensu tam actiuo immanenti, quam passiuo principio conuenire potest; vel prout opponitur principio secundario, quomodo actiuum non erit natura, quamuis .n. non sit principium instrumentale, sed principale, est tñ secundarium, vt dicemus infra. Aliqui explicant pro principio immediato, & proximo; sed non placet, quia substantia media quantitate recipit qualitates, & ità nulla alteratio esset naturalis, & sm̃ naturam, quod falsum est.

Sexta tandem particula est *ly per se, & non per accidens*. vt ostendatur, naturam intr insecè, & essentialiter conuenire rei naturali; vel quòd res naturalis per se moueri dicatur, & quatenus ipsa est, vt graue V. g. quatenus graue descendit deorsum, quòd si vt album, hoc esset per accidens.

Dices cum Ouiedo, causa includit principium, ergo si natura est causa motus, superfluè ponitur *ly Principium*; Sicut etiã ly non sm̃ accid. includitur in *ly per se*. ℞. Negando sequelam, nam ly principium ponitur ad manifestandum quomodo natura sit causa, communiter .n. causa accipitur in ordine ad compositum, quod propriè dicitur causari; natura autẽ vt sic respicit operationem, cuius est principium. Tum etiam ad differentiam priuationis, quæ licèt sit principium, non tñ est causa. ly non sm̃ accidens, ponitur ad maiorem declarationem, seu ad excludendum à ratione naturæ, quæ per accidens sunt principia intrinseca motus, vt cum medicus mediante arte sua sanat seipsum &c.

Ob. etiam Artificialia habent principium motus internum, & tñ non habent naturam, ergo &c. patet antecedens in horologijs, & arte saltandi, quæ sunt principia motus eius in quo est, & tamen non sunt naturæ. ℞. neg. anteced. nam artificialia, vt sic non habent per se principium internum, & primariò, sed ratione alicuius naturalis, quod in se includunt. Nec artificiale est vnum per se, nec per se vt tale mouetur; nec motus horologij est naturalis. Nec ars saltandi est principium motus, sed modificationis motus, nec est per se in artifice, vt infra patebit,

Vrgebis, hæc definitio non conuenit naturis omnibus, nam Cęlum, & terra non habent principium motus, & quietis, quia Cęlum semper mouetur, nunquam quiescit, terra semper quiescit, nunquam mouetur, ergo &c. solutio huius arg. patebit infra art. 3.

Platonici definiunt naturam, quòd sit vis seminaria, à mundi anima materiæ infusa, & D. Aug. ait, quòd sit vis, & facultas rebus diuinitus insita. ℞. Academicos satis falli, ponentes mundum animatum, ideò non esse intelligendos, vt in lib. de Cęlo patebit. D. Aug. locutus fuit in generali de ratione naturæ omnium, non Physicæ, de qua nos hic loquimur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Natura sit Principium passiuum, vel actiuum motus.

SCot. de hoc art. disertè agit. loc. art. præced. citatis. pro cuius notitia, Notamus primò ex eodem q. 1. Prolog. §. *Ad Quæstionem &c.* quòd naturale variè sumi potest, & diuersis opponi; nam vno modo opponitur supernaturali, & libero, in quo sensu naturalis attenditur penès principium actiuum, itaut operatio illa dicatur naturalis, quæ ab agente naturali procedit, habente scil. ordinem naturalem ad passum; supernaturalis verò, quæ est ab agente supernaturali, quatenus omnem ordinem naturalem ad passum excedit; & operatio illa dicitur libera, quæ est à principio libero, & ad actionem intrinsecè indeterminato; naturalis verò, quæ est à principio intrinsecè determinato ad vnum modum agēdi. Alio modo natura opponitur violento, & neutro, in quo sensu naturalitas respicit subiectum, in quo recipitur operatio, & forma, ità quòd si operatio, & forma erit iuxta inclinationem subiecti, dicetur naturalis, & principium receptiuum eius erit naturale; Si verò fuerit contra inclinationem subiecti, dicetur violenta; Si tandem neq. iuxta, neq. contra inclinationem, erit neutra. cui Aliqui Recentiores Scotistæ addunt, quòd sicut datur duplex violentia in rebus, alia priuatiua, quæ fit per substractionem alicuius operationis, vel formæ cōnaturalis, qualē violentiā pateretur aqua sola carentia frigoris, & de facto patitur homo visu priuatus; alia positiua, quæ fit per positionem alicuius repugnantis conditioni naturali subiecti, quomodo foret aqua sub calore; ità etiam duplex dari debet naturalitas, violentiæ opposita, vna, quæ in conformitate operationis, vel formæ ad inclinationem passiuam subiecti consistat, quo sensu forma substantialis dicitur naturalis materiæ primæ, altera, quæ consistit in conformitate operationis ad inclinationem actiuam ipsius agentis, quo sensu ignire dicitur operatio naturalis ignis. Et rationabiliter quidem, præter. n. inclinationem passiuam in rebus, qua dicuntur determinatæ ad sic, vel sic patiendum, dari quoq. debet inclinatio actiua, qua determinatæ dicantur sua natura ad sic, vel sic agendum. Cum igitur naturale in proposito propriè sumatur prout violento opponitur, sicut violentum illud dicitur, quod naturę rei, eiusq; inclinationi contrariatur; ità illud principium naturale in hoc sensu dicitur, quod in suo actuali exercitio,

vel aptitudinali eidem conformatur.

Notamus 2. quòd de principio naturali dupliciter loqui possumus, scil. Physicè, vel Methaphysicè, Vnde Arist. tàm in 2. Phys. quàm in 5. locutus fuit de natura cum hac distinctione, quòd Physicus considerat res naturales, vt mouentia mota, seu vt motui subiicibilia, at Meth. vt à motu abstrahũt, & potius vt imobilia, licèt, vt mouētia cōsiderat. Hinc 3. Phys. tex. 8. & 2. Phys. 71. ait, mouētia mota esse Phys. cōsiderationis, at mouentia non mota altioris scientię, scil. Meth. quia hæc non habent, principium motus in se ipsis, vt illa. Ex quo deducitur, quòd agere de principio actiuo transeunte, quomodo mouens non motum dicitur, spectat ad Meth. agere verò de principio actiuo immanenti, spectat ad Phys. licèt non primariò, & principaliter, sed secundariò, & in ordine ad principium passiuum, cum quo est coniunctum, quod corpora, vt mobilia considerat.

Conclusio.

Dicimus, Naturam absolutè loquendo tàm principio actiuo, quàm passiuo siue immanenti, siuè transeũti conuenire; at si Physicè loquamur, primariò, & principaliter dici de passiuo, de actiuo verò immanenti, dependenter tantùm à passiuo, cui est coniunctum, atq. ideò in definitione naturæ principium supponit principaliter pro principio passiuo. est Scot. loc. cit. & præcipuè q. 1. Prol. lit. Q. vbi docet, quòd illa propositio, omni passiuo naturali correspondet principium actiuum, non est vera vniuersaliter, loquendo de natura, vt principium est motus, & quietis 2. Phys. definita, & assignans rationem ait, quia multa sunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsecum actiuum. Ergo per Scot. quæ habent tale principium actiuum intrinsecum, dicuntur habere naturam 2. Phys. definitam. Sequuntur Zabarel. Conimb. Ruu. Perer. & Recentiores communiter. Scotistæ sunt diuisi, nam Aliqui ex Doct. in 2. d. 2. q. 10. F. & d. 18. §. *Contra Primum &c.* volunt naturam solum esse principium operationum passiuum, ità Fuentes q. 1. d. ff. 2. Tatar. 2. Phys. 9. 1. Faber Theor. 33. sghem. digress. 8. q. 4. & nouissimè Ponc. 2. Phys. nu. q. fol. mihi 198. & Alij. Quamplures verò nostram defendunt conclusionē, ità Regentes Parisienses 2. Phys. q. 1. questiunc. 2. collat. Lych. q. 1. Prol. §. *Sed in ista litera &c.* Bonet. in 2. d. 18. q. vn. art. 1. ad 5. Barg. in 1. d. 13. q. vn. §. *Ad Argumenta principalia &c.* Mastr. & Bell. in Phys. disp. 6. q. 1. art. 1. & ex nostris sequitur P. Carpened. in sua Philos. lib. 2. tract. 1. q. 6. nu. 4. fol. 317.

Et 1. probari potest varijs Arist. testimonijs. in 2. Phys. tex. 3. ait: Medicina non est natura in medico ægro to, quia est principium per accidens non per se in medico, at si natura non esset principium actiuum, non oportebat ipsam ab arte distinguere ex eo, quòd est principium per se, ars verò per accid. in Medico, sed quia illa est principium passiuum, hęc verò actiuum. Et tex. 13. inquit formam esse naturam, quia res naturalis generat similia per formā, & tex. 80. probat, naturam agere propter finem, quia Aranea conficiendo telā, & hi-

& Hirũdo nidum naturaliter operatur. Et 1. de partib. animal. c. 1. docet, Animam esse naturã, quæ, & vt mouens est. Et 9. Meth. 13. ait: naturam esse eiusdem generis cum potentia actiua, & solum differre, quia potentia est principium motus in alio, natura verò in eodem, in quo est. & plura alia sunt loca, quibus veritas hæc in sent. Philos. comprobatur.

Prob. 2. ratione: Non minus naturale est igni debitè approximato calefacere, & aquæ calidæ se reducere ad pristinam frigiditatem, prout naturale violento opponitur, quàm graui ferri deorsum, igni sursum &c. Sed hæc conueniunt igni, & aquæ, vt actiua sunt, ergo &c. minor est euid. maior probatur, quia non minus violentum est igni impediri à calefactione, quando est debitè approximatus, vt fuit in fornace Babilonis &c. quàm graui sursum detineri, ꝓ, patet, quia esse sursum, ideò est graui violentum, quia est contra aptitudinem ad recipiendum Vbi deorsum, quæ aptitudo cum ex principijs intrinsecis proueniat, dicitur naturalis, & sursum dicitur pati violentiã, quia impeditur ab actu secundo, & à receptione illius vbi, quo aptitudo illa actuatur; sed potentia, & aptitudo, quam ignis habet ad calefaciendum etiam à principijs intrinsecis eius fluit, estq. illi passio identificata, ergo quando impeditur per suspensionem concursus, verè patitur violentiam, saltem priuatiuam, quia vtrobiq. fit contra naturalem, & innatas aptitudines, & idem de aqua dicendum erit, si impediretur ab illa frigefactione, quam in se apta est causare.

Resp. Aliqui, principium actiuum non posse dici naturam, eo quia non est principium per se motus, quia potest separari, vt si Deus se solo reduceret aquam ad pristinum statum frigiditatis; at passiuum semper est principium, quia implicat Deum inducere frigus in aquam, & quòd hoc non sit iuxta aquę inclinationem. Nõ placet, nam estò possit à Deo talis effectus impediri, & à proprio exercitio, & actu secundo separari, cum tamen tale principium agit, & non impeditur, naturaliter agit, sicut qñ non agit violentiam patitur. Tum q. Volũtas nostra nõ tantũ est naturaliter receptiua actus vitalis, & receptiua naturaliter Beatitudinis sed etiã petit actu illo vitaliter operari circa tale obiectum, intelligere .n. & velle non consistunt formaliter in receptione actuum intellectus, & volitionis, sed in tendentia potentiæ ad obiectum, in qua tendentia vitalitas consistit, hoc autem quòd est vitaliter operari circa proprium Obiectũ, potiꝰ ad rõnē principij actiui spectat, quam passiui, & tñ est operatio naturalis. Tum quia quòd principiũ actiuum actualiter agat, vel non agat, est per accid. sed sufficit, vt habeat radicale, & innatum principium ad agendum; sicut etiam dicitur de principio passiuo ad patiendum.

Dices, cũ ignis per miraculũ nõ agit nõ violentatur principiũ actiuum quia omne creatum est in perfecta potentia obedientiali Dei, vt ex ea fiat quicquid ipse voluerit, ratione cuius tollitur omnis violentia, vt Aluar. docuit p. 2. disp. 37. cum Multis Thomist. quos etiam ex nostris vidẽtur sequi Lych. in 3. d. 1. q. 1. Tatar. quol.

quol. 19. & Alij. si igitur violentia principio actiuo non conuenit, neq. naturalitas ei opposita. Nō valet, falsum est .n. assumptum ex Scot. in 3. d. 27. §. *iste rationes, &c.* & in 2. d. 3. q. 10. E. & alibi. & ratio est, quia implicat V.g. aquam sursum ascendere, & violentiam non pati, cum illud sit contra eius inclinationem, nam quandiu aqua manet sub forma aquæ, semper manet inclinatio ad motum deorsum, ergo si in principio passiuo, quod magis est in potentia obidentiali ad Deum, non tollitur ratio violentiæ propter obedientiam ad Deum, neq. ab actiuo tolleretur, si à propria actione impediretur. Ad illud Aluaretij &c. admittimus necessitatem eleuationis per habitum à Deo, quatenus anima nostra est in potentia obedientiali, at negari non potest, quod in potentijs animæ ad illos actus non sit potentia actiua, cùm non merè passiuè se habeant ad eos, sed vitaliter operentur; qua etiam ratione Damnati dicuntur in statu violento, non solùm, quia actum beatitudinis non recipiunt, sed etiam quia per illos actus circa obiectum infinitum non operantur.

Et quòd reuera hæc fuerit mens Scoti, colligitur manifestè ex com. super 5. Meth. tex. 5. vbi & si primò dixerit, quòd natura sit principium passiuum, addit tamen in fine illius capitis, & si forma, vt principium actiuum ponatur a natura, non repugnare hoc superius dictis, quòd natura sit principium passiuum, & sic exponit illa verba Philos. *generationes, & generari, quia sunt ab hac motus*. idest dici generationes naturales ex hoc, quòd à forma prouenniunt, vt à principio Quo.

Et tandem quòd natura etiam de passiuo dicatur, & vbi actiuum, & passiuum sunt coniuncta, principalius de passiuo, de actiuo verò minus principaliter, & dependenter à passiuo, patet plurib. Arist. testimonijs, nam 2. Phys. tex. 3. definiens naturam iuxta lectionem Grecorum ait: *esse principium, vt moueatur, & quiescat*. & tex. 5. exemplificans de his, quæ sm̄ naturam sunt, ait: ignem ferri sursum. & 8. Phys. tex. 32. inquit: grauia, & leuia moueri naturaliter, quia principium intrinsecum patiendi habent. Tum quia ratio violentiæ propriè attenditur in ordine ad passum, ergo & ratio naturalitatis. Tum deniq. vt Scot. arguit, quia illud est principium principialius, & independens, quo posito, & circumscripto omni alio, vel variato, sequitur effectus; sed posito, quòd forma sit iuxta passi inclinationem, quomodocumq. actiuum varietur, ponitur ratio naturalitatis; & si forma est contra passi inclinationem, dato quòd inducatur à principio actiuo interno, adhuc violentus esset motus, vt cùm homo eleuat brachium, motus ille respectu brachij est violentus, licèt respectu totius hominis possit dici naturalis ex Doct. in 4. d. 49. q. 13. lit. I. ergo natura principalius de passiuo dicitur, & de actiuo quando sunt in eodem vnita, non nisi à passiuo dependenter, & maximè sm̄ Physicam considerationem; & hoc probāt Scotist. Argum.

Obiectiones:

Ob. 1. quòd nullo modo natura sit Principium: Ratio naturæ est essentialis rebus naturalib. sed principium

non

non est huiusmodi, quia cùm sit quid relatiuum ad principiatum, non potest esse de essentia alicuius absoluti, qualis est res habens naturam. ℞. Naturam sumi dupliciter, vno modo fundamentaliter prout significat fundamentum relationis; altero modo formaliter prout dicit relationem principij; hoc secundo modo non est de essentia rei, quia est quid relatiuum, primo modo dicit entitatem fundantem relationem, estq. quidditas rei absoluta, & in hoc sensu accipitur principium in præsenti; vt bene Parisienses aduertũt. Et illa resp. Recent. quòd relatio principij trascendẽtalis sit de essentia naturæ, explosa est in log. nulla .n. relatio potest esse de essentia absoluti.

Arguitur 2. quòd nullo modo natura de principio actiuo dicatur, & 1. auct. Scoti in 2. d. 2. q. 10. & d.8. *contra primum &c.* & in 4.d.43.q.4. & alibi, vbi manifestè docet, naturam solùm de passiuo dici, & actiuum extrinsecè tantùm ad ipsam pertinere, quòd etiam ibi plurib. Arist. Auct. roborat. ℞. Per hoc tantùm probari secundam partem nostræ conclusionis, si .n. ly primò in definitione naturæ accipiatur prout sonat primariò, simpliciter, & independenter, sic de principio passiuo natura dicetur, & in hoc sensu intelligitur Doct. Si verò ly primò sumatur prout conuertitur cum per se, & distinguitur ab hoc, quod est per accid. vel à principio instrumentali, sic natura conuenit principio actiuo immanenti, quia per se, & non per accid. conuenit corpori naturali, & in hoc sensu ex Scot. q. 1. Prol. definitio naturæ 2. Phys. tradita, competit actiuo immanenti.

Ob. 3. Motus nullum respectum dicit ad agens, sed tantùm ad materiam, formam, & priuationem, quæ ipsius principia ponuntur, ergo principium motus non erit actiuum, sed passiuum, aliter quatuor mutationis principia. ℞. Negando assumptum, natura .n. non tantum est principium motus actualis, sed etiam mobilitatis, quæ ab essentia, vt actiua dependet ex Scot. in 1.d.3.q.2.lit.S. est etiã principium formarum per motum naturalem acquisibilium; Vnde & si agens ad formalitatem motus actualis non spectet, ad ipsum tamen attinet concomitanter, quatenus principiũ est formæ, actionis, passionis, subiecti, & proprietatum rei naturalis.

Ob. Natura est principium internum, at principium actiuum inter externa connumeratur, ergo &c. ℞. Causam efficiẽtem dici extrinsecam respectu effectus producti, quomodo etiam principium passiuum est extrinsecum motus, vtrumq. tamen est rei naturali intrinsecum.

Ob. Ex hac doctrina sequeretur, Deum, Angelos, ignem &c. esse naturas respectu corporum, in quæ agunt, quod est falsum. ℞. Negando sequelam; Deus .n. Angeli, ignis &c. non sunt naturæ in ordine ad corpora, in quibus agunt, sed in ordine ad seipsos: Hinc D. Aug. vocat Deũ naturam Creatricem, & si nullam violentiam pati possit, verè tamen iuxta propriam naturam agit. Sic etiam Angeli quaten⁹ agunt iuxta proprias naturales potentias, naturã habere dicuntur.

Arguitur, quòd nullo modo natura de passiuo dicatur, & colligitur ex Doct. in 4.d.49.q.13.ad 3. vbi docet, quò

quòd si aqua descenderet deorsum, relicto vacuo, motus ille esset simpliciter violentus, & tamen esset iuxta aquæ inclinationem, ergo naturalitas non attendi debet iuxta principium passiuum. Tum quia corruptio rei dicitur naturalis, & tñ est contra rei inclinationem. ℞. Ex eodē Doct. motum aquæ deorsum (relicto vacuo) dici violentum respectu naturę totius vniuersi; at respectu aquæ esse simpliciter naturalem. Ad 2. corruptio dicitur naturalis, quia est sm̄ cursum communem naturæ, vel quia fit ab agente naturali &c.

Ob. Si à Deo ignis deorsum moueretur, talis motus non esset violentus, licèt contra propriam inclinationem, nam ad motum violentum requiritur, quòd passum faciat vim, & resistat agenti, quod Arist. innuit in definitione violenti, quod, scil. sit cuius principium est extra, non conferente vim passo, idest ex Doct. in 4. d. 49. non prębente passo inclinationem, imò potius repugnantiam, & renitentiam, quæ omnia ad principium actiuum spectant, sed nulla creatura voluntati Diuinæ resistere potest, ergo talis motus esset naturalis, & à principio actiuo. Resp. Aliq. nullam respectu Dei dari violentiā, sed in qualibet creatura est quædam inclinatio in quolibet ad omnimodā subiectionem Dei potentiæ, & ità argum. nō vrget, quia motus ille à Deo factus diceretur naturalis igni, quia esset iuxta talem inclinationem; quā tamen doctrinam non admittimus, & præcipuè in determinatis ad vnum, ideò negamus, motum illum non forè violentum, neq. ad hoc semper requiritur, vt passum actiuè resistat, sed sufficit in genere causæ materialis, vt moueatur contra propriam inclinationem, & cùm dicitur, quòd creatura non potest Deo resistere, verum est, si intelligatur, vt impedire possit, vel retardare effectum Dei, sed dicitur resistere, quatenus effectus ille est contra propriam inclinationē.

Ob. Principium, quod est natura est principium per se, sed passiuum, vt passiuum non est principium per se, ergo non potest esse natura. maior patet, minor est Scoti in 1. d. 3. q. 7. S. Vbi docet, quòd passio per se, & necessariò prędicatur de subiecto, non quia est causa materialis passionis, quia ex hoc præcisè, quod aliquid est causa materialis alicuius, nō habet necessitatem cum illo, sed prætær causalitatem materialem ponere oportet in subiecto causalitatem efficientem ad saluandam necessitatem, ergo principium passiuum in tantum dicetur per se, in quantum est cum actiuo coniunctum, & ità potius, & principalius natura dicetur de principio actiuo, quā de passiuo. ℞. Quòd natura dicitur principium per se motus, prout ly per se respicit rem naturalem, non prout dicit necessariā connexionem cum motu, Scot. verò loquitur de perseitate connexionis causæ cum effectu, idcirco consequētia est nulla, quia principium passiuū respectu motus naturalis magis per se, & intrinsecè rei naturali conuenit, si. n. ab actiuo præscindatur, adhuc passiuum remanere intelligitur, ac propterea principalius de passiuo dicitur, quàm de actiuo.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quòd omnis motus esset naturalis, quia quodlibet subiectum habet po-

tentiam receptiuam motus. ℞. Negando sequelam, nam motus dicitur naturalis, non quia adest capacitas, & principium receptiuum, sed quia est capacitas cum inclinatione, in motu verò violento est capacitas in subiecto cum repugnantia.

Ob. Saltem sequeretur, quod humanitas Christi, esset violenter in Verbo, cum careat propria personalitate, ad quam est in potentia passiua naturali, sed hoc est falsum, ergo naturalitas, vel violentia attendi nō debet penes principium passiuum. ℞. Negando sequelam, quia nec inclinatio ad proprium suppositum est vera, & propria inclinatio, & ratio est, quia subsistentia per nos non dicit quid positiuum, sed solum quamdam conuenientiam ipsius naturæ, quia magis proprium est naturæ singulari substantiali per se esse, quam alteri vniri, sicut magis consentaneum est alicui ramo in proprio trunco esse, quā in alieno, quæ conuenientia non infert violentiam in natura, si sub opposito illius reperiatur. Tum quia natura à subsistētia nullā recipit perfectionem, sed tantum est id, quo natura determinatur ad perfectionem receptam, quare ad subsistentiam nec est propriè inclinatio, nec ad oppositum est violentia, sed potius est potentia neutralis, vel præter naturā. ità Bell. & Mastr. sed de hoc fusius alibi, & videri potest Scot. quol. 19. lit. X. & in 3. d. 1. q. 1. lit. F.

Auersa cum Aliquibus q. 9. sec. 4. asserit principium, non solum in genere causæ efficientis, & materialis accipi in definitione naturæ, sed etiam in genere causæ formalis, & finalis, quatenus forma, quæ est natura, in generatione habet rationem termini formalis, & finis. Quæ doctrina admitti potest respectu diuersorum, quia reuera nullum sequitur inconueniens, & lis potius erit de nomine, quàm de re.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Definitio naturæ quidditati, & formæ totius conueniat, vbi etiam de principio constitutiuo corporis naturalis in communi.

SCot. dubium hoc resoluit in 3. d. 2. q. 2. lit. C. & E. & alibi pro cuius resolut. supponimus tanquam certum, quòd licèt definitio naturæ quidditati accidentis verè, & propriè cōuenire possit, non quidem respectu subiecti, cui inhæret, quia sic non est principium primum, per se, & non sm̄ accid. sed respectu ipsius accidentis cōstituti à propria essentia, verè. n. quidditas accidentis est principium, & causa motus, & quietis primò, & per se, saltem respectu propriarum passionum, & actuum illis correspondentium; Attamen si Arist. mens consideretur, non poterit accidentalibus formis adaptari, sed solùm substantijs, quòd ex ipso contextu Philos. deducitur, nam post definitionem naturæ assignatam, tex. 4. describens, quænam habere naturam iam definitā dicantur, subdit, hæc omnia esse substātias. Et tex. 5. apertè ait, accid. & passiones non esse naturas, aut habentia naturam. Tùm quia hic definitur naturalitas, vt est ratio formalis obiecti Physici; At talis esse non potest aliqua forma accidentalis; idcirco immeritò Aliqui asserunt naturam esse formaliter inclinatio-

nationem ad motum, quæ non est, nisi mobilitas. non valet, nam naturalitas, & mobilitas valde differunt, cum naturalitas sit ratio formalis, per quam demonstratur passio, quæ est mobilitas.

Supponimus 2. Priuationem nec per se, nec Analogicè dici naturam, quicquid Aliqui autument, & ratio est, quia cum est motus, & generatio, priuatio non est; nec est causa quietis, sed formæ acquirendæ; nec est propriè causa, nam hæc est entitas positiua influens in effectum; nec principium esse potest, vt in definitione naturæ sumitur, quia priuatio est solùm principium in fieri, natura autem in facto esse, ergo priuatio nō solùm simpliciter, sed neq. Analogicè dicenda erit natura. Nec officit, quòd Arist. 2. Phys. vocet priuationem naturam, quia est quodammodo forma, nam naturam ibi accepit pro ratione formali, quomodo etiam non enti conuenit vt Auers. aduertit q. 9. sec. 6.

Supponimus 3. Angelos in Arist. sent. non habere naturam hic definitam, quia ex Doct. in 2. d. 3. q. 7. C. ipsos posuit penitus immobiles. Secundum tñ veritatem negari non potest ipsis etiam conuenire, verè .n. proprias habens affectiones à principijs intrinsecis emanantes; & de nouo accidentia ipsis connaturalia acquirunt, vt sunt intellectiones, volitiones, & motus locales. Solùm igitur dubitandũ remanet in rebus materialibus substantialibus, & sensibilibus, & peculiariter in hoc art. de forma totius, & quidditate loquimur, siuè simplex sit, vt in Cęlo in Arist. opinione sm̃ Scot. siuè composita, vt in alijs corporibus.

Bartol. Amic. tract. 8. q. 12. Complut. disp. 7. Phys. q. 6. & Alij negant formam totius dici naturam, quos etiã sequitur Faber Theor. 33. c. 4. & Auers. q. 9. sec. 6. saltem ad mentem Arist. cum Alijs. ex opposito Fonseca 5. Meth. cap. 4. q. 1. sec. 3. Fuentes 2. Phys. q. 1. art. 8. lisbonensis q. 9. art. 2. Ortiz, Lerna, Ouied, & Alij defendunt, formam totius comprehendi sub definitione naturæ à Philos. tradita. Sed adhuc dubitandum restat, An omni formæ totius, & quidditati conueniat, multi .n. negant, quidditatem materiæ esse naturam, sed potius materiam ipsã esse naturã, cõpositi, quod etiã de forma asserũt. Aliqui negant, quidditatem Cęlestis corporis esse naturam, vel saltem hic propriè non definiri naturam Cęlestem, sed per quamdam proportionem; & hoc, vel quia non constat ex materia, & forma, sed essentia quædam simplex est, hic autem definitur natura, quæ in materiam, & formã adęquatè diuiditur, quia in eo, non reperitur quies, sed tm̃ motus, vel tandem, quia motum Cęli neutrum esse putant.

Conclusio Prima.

Dicimus; assignatam definitionem naturæ omni quidditati sm̃ se conuenire, siuè materiæ, siuè formæ, siuè corporis naturalis, tàm simplicis, quàm compositi; at sm̃ Arist. mentem competere solùm quidditati cuiuscumq. corporis naturalis. Est Scot. loc. cit. quo ad omnes partes, & quidem de materia, & forma patet ex dictis, habuimus .n. quòd materia prima aptitudinem habet ad recipiendam omnem formam, qua ratione es-

ne essentia materiæ dicitur natura, ex eo quia principiū illius passionis, seu propensionis est; At eodem modo loquimur de forma, quæ etiam aptitudinem habet ad perficiendam materiam, & ità principium est talis passionis. Et Scot. loc. cit. ponit formam totius distinctam realiter à partibus, docens, quòd propria passio illius speciei primò quidditati illius speciei conuenit, & lit. E. naturam eam appellat, & sequuntur Bassol. in 2. d. 12. q. 2. art. & nouissimè Mastr. & Bell disp. 6. q. 2. art. 1. P. Sersale, & Alij Cler. Regular. Vnde sic potest formari ratio pro prima parte: Natura est principium motus, & quietis eius in quo est, primò, per se, & non secundum accid. sed quælibet quidditas est huiusmodi, est .n. principium, & causa motus, siuè actiuum sit, siuè passiuum, & propriæ passionis emanationis, quæ passio sub nomine q̃etis cōphenditur, hinc essentia rei, natura eiusdem vocari consueuit, etiam de formis accidentalibus, ergo &c.

Quòd autem de mente Arist. natura non conuenit essentiæ materiæ, aut formæ, deducitur clarè ex dictis in quæst. Proem. de subiecto totius Philos. quia .n. intentum Arist. fuit agere de corpore naturali, eiusq. principia inuestigare, qualis est natura, sequitur, vt de illa natura hic Arist. agat, quæ est constitutiua huius corporis, & principium suarum passionum, essentiæ autem materiæ, & formæ immediatè materiam, & formam respiciunt, quarum sunt constitutiuæ, non corpus naturale, ergo &c. Hinc Arist. materiam, & formam appellauit naturas corporis naturalis, quod constituunt, non verò habentia naturam.

Quòd verò essentia cuiuslibet naturalis corporis sm̄ Arist. dicatur natura, patet, nam de illa natura in hoc 2. Philos. sermonem instituit, quæ est principium constitutiuum corporis naturalis in communi, sicut in 1. Phys. egit de principijs in fieri eiusdem corporis, ergo hæc natura debet sub se comprehendere quidditatem vtriusq. corporis contenti sub obiecto adæquato Philosophiæ, sed peculiariter probatur de terra, & de corpore Cęlesti, de quibus est aliqualis difficultas.

De Terra aliqui negant quòd sit ens habens naturam, quia non videtur moueri sm̄ totum. At hoc parum interest, non .n. necessariò naturam habens debet omni specie motus amoueri, sed satis est, vt aliquam aptitudinem, & inclinationem habeat, ad aliquas verò etiam actum; sic terra, & si sm̄ locum non moueatur, tñ alteratur, quod sufficit ad intentum, & in sententia illorum, qui asserunt, aquam ità cum terra esse commixtā, vt vnum globum conficiunt, etiam sm̄ totum alterari affirmant. Habet etiam terra aptitudinem ad localem motum, si è centro euelleretur, neq; aptitudo hæc frustra diceretur ex hoc, quòd nunquam ad actum reducitur, tūc .n. aliqua potētia otiosa, & frustatoria dicitur quādo ꝓprio fine ꝑpetuò priuatur, at finis vltimus huius aptitudinis non est motus localis, sed termin⁹ ꝑ talē motū acquisibilis, quod est vbi deorsum, quo loco terra secundum se tota nunquam priuatur, cū sic sēper ꝓprio fine gaudeat.

Probatur etiam de Cælesti corpore, nam Arist. 1. Cæli tex. 5. & 3. Cæli tex. 1. & 8. Meth. tex. 12. & alibi, Cæ-

bi, Cælum inter corpora naturalia connumerat, ergo essentia, & quidditas corporis Cælestis verè est natura. Tùm quia omnes particulæ definitionis illi conueniunt, nam hæc quidditas est primum principium, & causa motus per se, & non sm̃ accid. quia Cæli illuminantur, aliqua astra Eclypsantur, habent proprias passiones, & alia accidentia connaturalia, ergo natura in ipsis erit principium quietis, sub quo nomine comprehēduntur habitudines. Dicitur etiam natura quoad motum, quia motus ille est naturalis, nam ex Scot. in 1. d. 1. q. in fine, omnis potentia receptiua alicuius formæ, ipsam perficientis est naturalis, at motus Cæli ex eodem in quarto distinctione 48. q. 2. N. est perfectio ipsius, ergo &c. Et licèt motus localis non sit in Cælo propter aliquam perfectionem intrinsecam completiuam sui per motum acquisibilem, est tñ in ipso propter maximam totius vniuersi perfectionem intentam, quæ est horum inferiorum conseruatio, ad quod requiritur ordinatus Cælorum influxus, qui sine motu fieri non potest, atq. ideò motus ipsi Cælo erit perfectio sm̃ quid, quatenus scil. bonum totius est etiam bonum partis.

Etiam, & sm̃ Arist. Cælum inclinatum est naturaliter quantum est ex se ad quietem localem, quia vt benè aduertit Scot. in 2. d. 2. q. 5. N. perpetuitas, quam Philosophus in motu Cæli concessit, non prouenit ex causa intrinseca ipsius Cæli, sed à causa extrinseca, scil. ab intelligentia ad agendum determinata, vt colligitur ex 2. Cæli, & 9. Meth. 17. Tùm quia in Cælo datur materia sm̃ locum mobilis, at materia semper est in potentia contradictionis ex 9. Meth. 17. ergo indifferens erit ad motum, & quietem; & quamuis hæc potentia ad quietem non reducatur ad actum, nil refert, quia erit propter bonum vniuersi, & ideò non dicitur frustra, & otiosa; & licèt Scot. in 2. d. 2. q. 6. D. & alibi motum Cæli neutrum appellauerit, non naturalem, tunc locutus fuit de naturalitate rigorosa, vt dicit potentiam ad vnum determinatum. Cælum autem est in potentia naturali indeterminata ad motum, & quietem localem, non in potentia determinata, & propter hanc indeterminationem Scot. motũ Cæli neutrum appellauit loc. cit. & in 4. d. 48. E. ideò remanet quòd Cælum sit verè corpus naturale, eiusq. quidditas sit verè natura 2. Phys. definita, cum sit principium primum per se motus, & quietis &c.

Obiectiones.

Ob. Aduersarij, quòd quidditas saltem sm̃ Philosophum non sit natura, quia 2. Phys. tex. 1. & 12. & 5. Meth. 5. apertè habetur compositum non esse naturã, sed à natura. R. Arist. loc. cit. non loqui de quidditate, sed de compositis constitutis ex tali quidditate, quæ nequeunt dici natura, sed habentia naturã, cùm sint omnino concreta, & principia, quæ operantur, non principia quibus, vt sunt quidditas, materia, & forma ex Doct. in 4. d. 12. q. 3. lit. Bb. quod etiã docuit D. Tho. qui verba Arist. explicans, ait: *posset quis credere, quod quia materia dicitur natura, & etiam forma, quod compositum possit dici natura, sed hoc excludit Arist. dicens, quod compositum ex materia, & for-*

& forma non est natura, sed aliquid à natura, quia natura habet rationem primi principij, compositum autē rationem principiati; Neq. inconueniens est idem esse simul naturam, & habens naturam, prout respicit propriam essentiam, qua constituitur in esse, & est natura, vt respicit compositum, quòd constituit. Sic quidditas compositi materialis est natura respectu compositi, quòd dicitur solum habens naturam, quòd est vltimò constitutum, non vlterius aliud constituens, at respectu materiæ, & formæ, quas includit dici potest habens naturam.

Ob. Contra, non solùm compositum, concretum, V.g. hoc, sed etiam forma totius in abstracto, V.g. humanitas composita est ex partibus, non minus quàm ipse homo, ergo si verum est dictum Arist. quòd constās ex his non est natura, sed à natura, iuxta eius mentem, nec homo, nec humanitas erit natura. ℞. Negando sequelam, & ratio est, quia licet ipsa humanitas constet ex partibus sicut homo, valde tñ differunt, nam humanitas estò sit Physicè constituta, sicut homo, tamen Methaphysicè potest dici constitutiua per modum formæ totius, vt Scot. docet in 3. d. 2. q. 2. §. *Quantum ad Tertium &c.* vbi vult, quòd natura constitutiua V. g. humanitas, dici potest forma respectu totius compositi, non quidem forma informans, sed forma, qua compositum est ens quidditatiuè, homo verò tàm Physicè, quàm Methaphysicè semper habet rationem constituti, & ideò nullo modo natura dici potest, sed semper habens naturam. Et confirmatur ex his, quæ habet Scot. q. 16. vniuersal. vbi docet, concretum significare per modum habentis, abstractum verò per modum habiti, ac propterea erit habens naturam, non natura, humanitas autem erit integra natura habita ab homine, non habens naturam de rigore sermonis; Arist. verò non fuit locutus de quidditate, quæ habet rationem quo, sed de constituto ex quidditate habente rationem quod, & patet ex eius verbis tex. 12. relato, vbi ait: quod autem ex his, natura quidem non est, sed à natura, vt homo.

Et quòd hæc doctrina sit ad mentē Arist. patet ex his, quæ habuimus in expositione textus huius 2. & præsentim tex. 10. vbi Philos. diuidens naturam in materiam, & formam, subdit: *vno igitur modo natura sic dicitur prima vnicuiq. subiecta materia habentium in seipsis motus principium, & mutationis, alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem*; quid autem significat nomen speciei, nisi essentiam, & quidditatem rei? & hęc est etiam manifesta, & constans sent. D. Thom. quicquid M. Iacob. Brun. reclamet in sua Phys. q. 7. art. 2. sic. n. Sanctus Doct. 5. Meth. lec. 5. ait: *non solùm forma partis dicitur natura, sed species ipsa, quæ est forma totius, vt si dicamus, quod hominis natura non solum est materia, sed humanitas, & substantia, quam significat definitio.* hæc S. Doct. quem ad sensum nostrum sequuntur MM. Ortiz, & Lerma, & instantia, quam affert M. Brun. quòd scil. forma totius potest dici natura solùm Methaphysicè, quatenus sumitur pro essentia, & quidditate definibili parum viget, eadem. n. res sub diuer-

diuersa ratione formali potest ad diuersas scientias spectare; sic homo, vt constans ex genere, & differentia spectat ad Meth. vt compositus ex materia, & forma ad Phys. vt sanabilis ad Medicinam; ità in casu, humanitas, vt dicit essentiam, & quidditatem specificam hominis, spectat vtiq. ad Meth. vt verò dicit principium radicale suarum passionum, & affectionum dicitur natura, & in hoc sensu ad Phys. spectat; & est ac si diceremus, homo, qui vt ens, & compositus ex genere, & differentia spectat ad Methaphysicum, vt tamen compositus ex anima, & corpore spectat ad Physicum, & multorum accidentium est principium; aliter nec essentia materiæ, nec formæ, nec quidditas Cęli posset dici natura.

Ob. Natura est principium primũ motus, at essentia, seu quidditas non est primum principium, sed ex principijs constans scil. ex materia, & forma, ergo. ℞. Distinguendo *ly primum*, si .n. accipiatur pro principali principio, ab instrumentali condistincto, tàm materia, & forma, quàm quidditas, erunt principia prima; si verò sumatur pro principio ꝓximo, & immediato, quidditati tantùm cõuenit; si pro omni independenti, conuenit tantùm materiæ primæ, præstat autem potius in primo significato accipere, vt etiam accepit hic q. 2. M. Lerma, vbi ait: *forma totalis composita ex materia, & forma est principium radicale, quo motus, vt principium radicale quo contra distinguitur à principio proximo instrumentali, vt patet in Christo, cui conueniunt operationes humanæ mediante ipsa natura humana* quamquam M. Brunus dissentiat. Ex qua doctrina satisfit illi argum. quòd natura non cõueniat Cælo, cum diuidatur in materiam, & formam, & in Cælo non sit materia sm̃ Arist. ad quod ℞. Naturam diuidi in materiam, formam, & quidditatem, quæ vtiq. benè reperitur in Cælo.

Ob. Si quidditas Cæli esset natura, motus eius esset naturalis, sed hoc est falsum, ergo &c. prob. min. quia motus naturalis fit, vt acquiratur perfectio mobilis, at Cælum nullam perfectionem per motum acquirit, ergo &c. ℞. Neg. min. nam verè motus Cęli est naturalis, non quidem determinatè, sed indeterminatè. Ad probationem iã diximus esse primariò propter perfectionem vniuersi, secundariò propter Cęli perfectionem, cùm perfectio totius sit etiam perfectio partis.

Ob. Motus naturalis non fit in loco naturali, quia res in loco naturali existens, non mouetur, sed quiescit, at Cęlum mouetur etiam in suo loco naturali, ergo potius dicendus est neuter, quàm naturalis. ℞. Maiorem esse veram de motu recto, non de circulari. neq. ex hoc sequitur, Cælum violenter quiescere, vel violenter ab vno loco recedere, quia non habet naturalitatem determinatam, sed indeterminatam. Et concesso adhuc toto argum. adhuc nil officit nobis, quia & si motus localis nõ esset naturalis, sufficient alij motus, & passiones naturales, nam Cęli omnes mouentur motu alterationis perfectiuæ scil. per receptionem luminis, estò fuerit Empireum, quòd sufficit ad naturam.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2.principium in facto esse constitutiuum corporis naturalis in communi, esse naturam. Conclusio hæc sequitur ex dictis. pro cuius scitu, aduertimus, quòd illi, qui Cęlestia corpora componunt ex materia,& forma, pro principio in facto esse Corporis naturalis in communi, ponunt etiam materiam, & formam. Qui autem à corporibus Cęlestibus materiam, & formam remouent, tribuunt ei tantùm principia cognoscendi, ità Zabarel.lib.de const.Philosophiæ, & Faber Theor. 4. nos cũ Mastr.& Bell.remouemus in sent.Arist.materiam, & formam à Cęlestib. corporib. cum Scot. in 2. d. 14. q.& ponimus adhuc in eis principia essendi, seu in facto esse: probatur auct. Philos.qui postquam in calce 1.Phys. ait se demõstrasse in illo primo libro quot sunt principia corporis naturalis in fieri, promittit se in 2.acturum de principijs in facto esse corporis naturalis, & immediatè incipiens 2. Phys. loquitur de natura, vt de tali principio, ergo natura est principiũ corporis naturalis in communi. Tum quia ibi tex. 4. definit, quòd corpus naturale sit illud, quod habet naturã, seu constat natura, ergo natura in communi est principium constitutiuum corporis naturalis in communi. Tum quia natura 2. Phys.definita, ibi consideratur, vt per illam tanquam per medium conueniant corpori naturali mobilitas, & aliæ Physicæ passiones, sed cognoscere non possumus, aliquid esse medium ad concludendam passionem de aliquo subiecto, nisi cognoscamus quidditatẽ illius subiecti, & consequenter principium constitutiuum eius, ergo in 2. Phys.consideratur natura, vt principium essendi, & constitutiuum essentialiter corporis naturalis.

Obiectiones.

Ob. Si Corpus naturale in communi habet principia in facto esse, ergo constabit ex materia, & forma, probatur conseq. quia ex 2. Phys.natura diuiditur in materiam, & formam, & hæc sunt principia in facto esse rerum naturalium.

℞.Neg.sequelam, quia nos hic per principia in facto esse, non intelligimus principia verè componentia per modum partis, sed principium constitutiuum rei in tali esse, quomodocumq. fiat; & hoc modo admittere in Cęlo principia essendi in sent.Philos. necessarium est, cum non agnoscat ibi compositionem ex materia, & forma. Nec refert, quod natura diuidatur in materiam, & formam, quia hæc diuisio non est adæquata, sed addi debet tertium, scil. essentia, & quidditas, in eo, cuius est, quod tertium membrum clarissimè insinuauit Arist.tex. 10.cum ait: *alio autem modo forma, & species quæ secundũ rationem &c.* vt iam supra diximus.

Ob. Aliqui Recentiores apud Arriag.disp.5.Phys.sec.3.probantes implicare dari tale corpus simplex cõpletum sine materia, & forma, quale nos ponimus Cęlum; quia tale corpus nõ posset esse vegetatiuum, quia vegetatio fit in subiecto cõtrarijs affecto; neq. sensitiuum, nam sensatio fit medio calore, & alijs primis qualitatibus, quarum illud corpus non esset capax; nec posset esse non viuens, nam esset actus completus subsistens, & esset perfectus animo rationali, qui

qui habet rationem partis, quæ omnia impossibilia sunt. ℞. Hunc punctū remittimus disputandum in lib. de Cęlo, & quicquid sit pro modo, an tale corpus possit esse viuens, potest saltem esse non viuens, quale nos ponimus; nec sequitur perfectius fore animo rationali, quia adhuc non esset cognoscitiuum, qui conceptus absolutè longè perfectior est, quàm nō dicere ordinem ad compartem.

Ob. Nulla substantia materialis produci potest, quæ non sit capax formę accidentalis, ergo nulla, quæ non sit capax formæ substantialis. ℞. Neg. conseq. nam Angelus capax est formæ accidentalis, non tamen formæ substantialis.

Ob. Illud Corpus non constaret ex materia, ergo non esset materiale. ℞. Neg. seq. nam adhuc esset materiale ex alio capite, quia nimirum partibus integralibus constaret, quibus caret spiritus; quo sensu etiam corpus de genere quantitatis materiale dicitur, licèt materia, & forma non constet.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. principium in facto esse corporis sublunaris esse naturam, vt diuiditur in materiam, & formam. Probatur: principia in facto esse corporum sublunarium illa dicuntur, ex quibus ipsa constant, & à quibus etiā dependent per realem influxum, quia per hoc distinguuntur à principijs in fieri, talia autem sunt materia, & forma, quia hæc duo tm̄ illa intrinsecè constituunt, & in eis permanent, cum priuatio recedat. Tum quia estò aliæ causæ etiam influant per positiuum influxum in esse compositi, vt est efficiens, & finis, non possent tamen dici principia in factō esse intrinseca corporis naturalis, quia ab extrinsecoo influunt esse in compositum. Tum quia sicut natura in cōi est principium essendi corporis naturalis in cōi, ità hæc, vel illa natura principium erit in facto esse huius, vel illius corporis, atq. ità natura caduca, quæ diuiditur in materiam, & formam erit principium essendi corporis sublunaris; natura verò Corporis Cęlestis, quod materia, & forma caret, vt tenent Peripatetici grauiores, & in Arist. doctrina magis versati, cùm alioqui sit corpus naturale, non alia rationabiliter assignari potest in facto esse, nisi quidditas, & essentia rei.

Obijcies, compositum naturale, sicut est per se vnum, ità vnum tantū principium ipsius constitutiuum habere debet, & non plura, & præsertim tàm diuersa, sicuti est materia, & forma. ℞. Ex Scoto in 2. d. 2. q. 7. Hh. multos esse gradus vnitatis in entibus. Primus est aggregationis, & est omnium minimus. Secundus, ordinis, quæ vnitas addit aliquid supra vnitatem aggregationis. Tertius, est vnitas per accidens, vbi vltra ordinem est informatio, licèt accidentalis. Quartus, est vnitas per se compositi ex principijs essentialibus ex per se actu, & ex per se potentia. Quintus, est vnitas simplicitatis, quę est verè identitas. In casu, dicimus, quòd compositi essentia est vna, non vnitate simplicitatis, sed totalitatis, & compositionis in 4. gradu, cui vnitati non repugnat pluralitàs, & distinctio partium, imò est necessaria, vt ex partibus vnitis, & distinctis, atq. diuersis resultet, proportionem tamen

tamen inter se habentibus, actus, & potentiæ, vt sic constitutum vnū per se, vnitate totalitatis dici possit.

ARTICVLVS QVARTVS.

An definitio naturæ materiæ, & cuicumq. formæ vniuocè conueniat.

Scot. Art. hunc resoluit in 2. sent. d. 18. q. vn. lit. C. §. *Ad aliud de definitione naturę &c.* Est sciendum, quod Illi qui negant naturam dici de principio passiuo, negant etiam materiam esse naturam. Zabarel. lib. de natura Cap. 6. concedit materiam esse naturam, sed per quamdam analogiam ad formam, quatenus à forma ad hunc, vel illum motum determinatur, at secundum se non esse naturam propter indifferentiam potentiæ, quam habet ad omnes motus, & ex nostris videtur sequi Faber Theor. 33. cap. 4. vbi negat materiam sm̄ potentiam vniuersalem esse naturam. De forma partis, Aliqui excludunt formam terrestrem, quia non mouetur sm̄ totum. Alij excludunt oēm animam. Alij solùm animam rationalem, quod tenetur fateri Auerroes, dum affirmat, animam rationalem esse formā assistentē, non informantē. Alij admittunt animam rōnalem esse naturam secūdū gradum sensitiuum, & vegetatiuum, negant quo ad gradum intellectiuum, asserunt .n. sm̄ talem gradum reduplicatiuè non esse formam informantem; ità P. Vulp. 2. part. disp. 46. art. vlt. & citari etiā solet Caiet. & Ferrar. Alij tandem concedunt etiam sm̄ talem gradum esse naturam, sed tantū quo ad actus intellectuales à corpore, & phantas. dependentes, non quo ad operationes à corpore independentes. Conimb. Complut. Mast. & Alij volunt, materiam dici naturam, non vniuocè cum forma, sed Analogicè analogia proportionis; Alij verò Thomist. cōiter defendūt, materiā, & formā vniuocè cōuenire in definit. naturæ; ità Aluar. Lisbon. Manca, Ortiz, Lerma, Io: Mart. & Alij. *Conclusio.*

Dicimus, rationem naturæ tàm materiæ, quàm formæ etiam animæ rationali conuenire, & hoc vniuocè analogicè. Est Scot. loc. cit. & magis cōis cum Arist. 2. Phys. tex. 10. & 5. Meth. 5. vbi diuidit naturam in materiam, & formam. Probatur ratione: compositum naturale est à natura, quia non potest ex non naturis constitui, sed materia, & forma componunt ens naturale, & maximè in sublunaribus, ergo materia, & forma sunt natura, & eadem sunt principia motus, & quietis rei constitutæ. Probat. 2. quòd cuicumq. animæ etiā rationali talis definitio cōueniat, nā Arist. 2. de an. tex. 1. & 12. enumerat inter res habentem naturam, animalia, & hominem, & in Phiā non solùm agit de anima sensitiua, & vegetatiua, sed etiam rationali, asserēs, esse id, quo viuimus, mouemur, & intelligimus, & Scot. q. 1. Prol. & in 4. d. 49. q. 8. & 9. concedit in homine potentiam naturalem ad Beatitudinē recipiendam, quæ pōta competit homini rōne animæ rationalis. Tum q̃a anima rationalis, vt sic, & reduplicatiuè est forma informans corpus humanum, quia homo verè naturaliter intelligit mediante anima; est vnū per se constitutum ex corpore, & anima rationali, & per gradum rationalitatis essentialiter à brutis distinguitur, ergo erit natura, probatur conseq. quia omnis forma informans est

Phys-

Physicæ considerationis, & Arist. diuisit naturam in materiam, & formã.

Quòd deinde natura vniuocè analogicè materiæ, & formæ conueniat, patet ex illo generali principio Scotico, scil. Intellectus certus de vno, & dubius de duobus, habet conceptum vnum distinctam ab illis, de quibus est dubius, aliter de eodem esset dubius, & certus; sed intellectus potest esse certus, quòd in aliquo reperiatur principium per se motus, quod est natura, & dubitare, an istud sit materia, vel forma, nam Aliqui solam formam posuerunt principium motus, Aliqui Antiqui solam materiam, ergo hæc ratio principij materiæ, & formæ vniuocè conuenit. Subdit tñ Arist. 2. Phys. & 5. Meth. formã magis dici naturam, quàm materiã, quia perfectior est, & principalior pars quidditatis, à qua primò, & principalius, motus dicitur naturalis, à materia verò minus principaliter, & sm̃ quid, ex quo deducitur, quod talis vniuocatio ipsis conueniat analogicè, & sm̃ prius, & posterius.

Obiectiones.

Ob. Quòd demonstratur esse non est natura, sed materia demonstratur esse, ergo &c. ℞. Maiorem esse verã à priori, q̃a nihil cõpetit rei à priori ipsa natura, ideò nõ habet mediũ quo demõstretur à priori, benè tñ demõstrari potest à posteriori, quomodo materia demonstratur esse in 1. Phys.

Ob. Quod est in potentia ad naturam, non est natura, sed materia est in potentia ad naturam, nempe ad formã, ergo non est natura. ℞. Maiorẽ esse veram de illo, quod est in potẽtia ad omnem naturam, sed materia est solùm in potentia ad naturã, quæ est forma, cum quo tñ stat, quod sit natura in potẽtia subiectiua, & principium, & pars constituta compositi naturalis materialis; & sicut vnũ principium ex tribus principijs rerum esse potest subiectum alterius, ità vna natura potest esse subiectum alterius naturæ.

Ob. Materia non est causa actiua motus, neq. passiua, quia motus cum sit accid. recipitur in toto composito. ℞. Materiam dici causam passiuam motus, quia simul cum forma dat cõposito hanc potentiam receptiuam, vnde dicuntur principia originalia motus, non immediata; Non oportet igitur, quòd principium materiale motus, sit subiectum istius motus, sed sufficit, quod sit ratio, cur compositum tali motu naturaliter moueatur, & sic competit etiam materiæ. Vel concedimus cum Poncio, quòd materia sit subiectum mutationis, per q̃ mutatur ad formã substantialẽ, nec refert, q̃ talis motus sit accid; q̃a aliqua accidentia respectiua immediatè subiectari possunt in materia prima.

Ob. Vnius rei vnica est natura, sed forma est natura, ergo materia non est natura. Confirmatur, quia nomẽ naturæ dicit perfectionem, ergo non conuenit materiæ, quod est imperfectissimum ẽs. ℞. Esse vnicam naturam totalem, & adæquatam, sed duplicẽ partialem, & inadæquatam. Ad confirmationem negatur consequentia, quia materia non est ità imperfecta, vt ratio naturæ ab Arist. hic descripta ei conuenire nequeat, cum sm̃ hãc considerationem conceptum principij constitutiui sibi vendicet.

Arguitur pro Simpl. in proemio de Anima, Alb. Magn. 2. Phys. tract. 1. cap.

1.cap.2. Auic.lib.1.suff.5. Andrea Cisalpino lib. quæst. Peripat. q.1. & Aliquibus, excludentibus à definitione naturæ omnem animam: Natura debet esse principium passiuum, saltem principaliter, sed anima non est huiusmodi, cum tantùm habeat ratioñé principij actiui, ergo anima non est natura. ℞. Neg.min.est.n.quo ad hoc eadem ratio de anima, & alijs formis, nam qualibet forma etiam anima est principium, quo conueniant composito aliqui motus naturaliter, scil.cum inclinatione, quod sufficit, vt habeat rationem principij passiui respectu motuum illorum.

Ob. Natura est determinata ad vnum, at anima non est huiusmodi, cũ animalia varijs motibus moueantur, scil. sursum, & deorsum, circulariter, & progressiuè, ergo &c. ℞. Maiorem esse veram de motu naturali rigoroso, & vt principium est motus simplicis, elementis conueniens, non de motu naturali, & de natura in tota sua latitudine.

Ob. Motus progressiuus, cuius principium est anima, est violentus, quia adest eleuatio membrorũ, quæ propter grauitatẽ tẽdunt deorsum. Adest etiam de fatigatio animalis, quæ repugnant naturalitati. ℞. Ex Scot. in 4.d.49.q. 14. lit. K. quod esto motus progressiuus in ordine ad formã corporis mouentem iuxta prædominans elementum, quod est graue, sit violentus versus sursum, respectu tñ animæ, à qua procedit est naturalis, & quia quando potentiæ sunt subordinatæ, naturalitas attendi debet in ordine ad potentiam superiorem, hinc talis motus erit dicendus simpliciter naturalis; illa tñ defatigatio oritur propter impedimentum in corpore graui, ac proinde sm̃ quid talis motus dicitur violentus, quæ doctrina nostram confirmat sent. de principio actiuo naturali, motus .n. progressiuus potius dicitur naturalis ab anima, quam à forma corporis, cùm respectu huius potius sit violentus, & contra inclinationem.

Ob. Tandem pro Auerroistis, quòd anima rationalis non sit natura, eo quia est forma non informãs, sed assistens. Sed de hoc puncto in lib. de anima, pro modo, supposito, quod sit reuera forma informans cum omnibus Cathol. arguitur ex Arist. omnis natura vel est subiectum, vel in subiecto, vt patet ex diuisione naturæ, quam habet Arist. hic cap.1. sed anima rationalis non est subiectum, nec in Subiecto, quia creatur independenter à subiecto, ergo &c. ℞. Distinguendo ma. omnis natura est in subiecto cum dependentia ab ipso, quo ad esse, & conseruari, negatur maior; est aliquando in subiecto, ipsum informando, sine tali dependentia, conced. ma. sed negatur minor.

Ob. Formæ, de quibus Philos. agit sunt à materia separabiles sm̃ rõnem tantùm; sunt finis generat. ex 2. Phys. in calce; debent esse mouentia motá ex 2. Phys. tex.73. At anima rationalis est separabilis à materia sm̃ rem, quia est incorruptibilis; non est finis generationis, quia creatur à Deo; nó est mouens mota ex 3. de anima tex. 9. ergo non est natura. ℞. Arist. asserere formas Physicas esse sm̃ rõnem à materia separabiles, & esse corruptibiles, vel vt in plurimum, vt se declarat 6. Meth. in principio, vel quia de animæ rationalis immortalitate fuit

fuit dubius sum Scot. in 4. d. 43. q. 2. test tũ finis generat. quia est terminus ad quem, a quocumq. producatur; & dicitur moués imota, nō simpliciter, q. a mouetur saltem per accid. ad intellectionē, volitionē sed motione cōsupriua &c. hinc ait Arist. sensitiuā à vehementi sensibili corrumpi, non sic intellectiuam à maximo intelligibili.

ARTICVLVS QVINTVS.

An detur motus neuter, seu potentia neutra.

SCot. q. 1. Prol. §. *Ad quæst. igitur &c.* lit. L. comparando potentiam receptiuam ad actum, quem recipit, & ad agens, à quo recipit, ait: *Primo modo ipsa est potentia naturalis, vel violenta, vel neutra naturalis, si naturaliter inclinatur; violenta, si sit contra inclinationem naturalem; neutra si neq. inclinatur ad illam formam, neq. ad oppositam*, declarans deinde in 4. d. 29. q. vn. Bi definitionē violenti traditā ab Arist. 3. Eth. c. 1. scil. violentum est id, cuius principium est extra non conferens vim passo, ait: idest, passo non prebente inclinationem, quod non merè negatiuè intelligendum est, sed contrariè, ità vt dicat contrarietatē, & oppugnationem; violentum. n. est contra naturam, & perfectionem, rei, cui tribuitur; & potius illius destructiuum, quàm perfectiuum, vt etiam ipse Philos. fatetur sec. 1. Proble. q. 6. dicens: violentia contra naturam est, quæ violentia non solùm in ordine ad passiuum principium attendi debet, sed etiam ad actiuum. Est igitur quæstio, an præter hos motus naturales, & violentos, dentur quidā medij, & indifferentes, vt neq. sint iuxta perfectionem naturalem rei, neq. contra ipsius inclinationem, & perfectionem, sed sint indifferentes, & præter naturam, qua ratione res nō habent ad tales motus naturalem potentiam, neq. violentam, sed tūm neutram, & quæstio est de potentia, quæ sit verè formæ receptiua.

Caiet. opusc. de potentia neutra. Soto. 2. Phys. q. 1. ad 1. & cōiter Thomistę negant potentiam neutràm, sed omnem esse vel naturalem, vel violentam affirmant, & sequitur Auersa q. 9. sec. 8. Scot. verò affirmat, quem pręter suos, sequūtur etiam ex Exteris Suar. disp. 43. sec. 4. nu. 13. Fons. 9. Meth. c. 4. q. 2. sec. 7. Amic. tract. 8. q 8. dub. 3. art. 1. Zabarel. lib. de motu ignis in orbem cap. 5. & 6. & Alij, admittentes huiusmodi potentiam mediam, & actus indifferentes, licèt postea discrepent in assignanda ratione talis neutralitatis.

Conclusio.

Dicimus, quòd ctiò nulla detur potentia actiua neutra, passiua tamen datur, & consequenter quòd dentur motus simpliciter indifferentes, & neutrales. Est Scot. loc. cit. & in 2. d. 2. q. 6. in fine. Et quòd non detur potentia actiua neutra, sed passiua, probatur: Potentia actiua dicit perfectionem in subiecto, atq. ideò semper est ad actus consentaneos propriæ perfectioni essentiali à quā procedit, ergo nulla actiua erit neutra, quæ nullo modo sit iuxta exigentiam, & naturalem rei perfectionem; At potentia passiua, quia dicit imperfectionē, potest in subiecto reperiri, quæ non necessariò sit ad actus subiectum perficientes. De actibus etiam patet, nā dantur aliqui, qui nec naturalē perfectio-

fectionem subiecti destruunt, neq. illam perficiunt sm propriam naturalem exigentiam, sed per accid. se habent, & concomitanter, ergo motus, & potentiæ ad illos actus, nec erunt naturales, nec violenti, sed neutri. conseq. est manifesta, anteced. patet exemplo Scoti de superficie respectu colorum, nam quantitas ex ꝓpria natura nō solùm nō respicit colores in particulari, sed neq. colorem in cōi tanquam perfectionē suapte natura sibi debitam, aliter in Cęlo, & in elementis, in quibus absq. vllo colore quantitas reperitur, esset in statu violento. Quantitas etiam in ordine ad formas artificiales est in potentia neutra simpliciter, quia nulla earum est perfectio sibi debita ex propria natura, neq. est ipsius destructiua. Est etiam pro nobis Vasq. p.2.disp.25.nu.4. vbi affirmat, quòd ille motus ignis in orbem non est violentus, quia ille motus dicitur violentus, per quem acquiritur forma destructiua perfectionis subiecti, at per illum motum non acquiritur locus violentus igni, vt patet: neq. est naturalis, quia solùm naturaliter sursum mouetur, ergo talis motus neuter censeri debet. sic tandem patet de natura humana respectu personalitatis alienæ, quæ licèt in ordine ad agens dicatur esse in potentia obedientiali, vt tñ respicit personalitatē, non dicitur esse in potentia naturali, quia personalitas aliena nec est naturæ debita sm naturalem exigentiam, nec violenter in illa existit, vt patet, ergo est neutra.

Obiectiones.

Ob. Inter Contradictoria non datur medium, at præbere inclinationem, & non præbere sunt contradictoria, nam qñ subiectum præbet, est motus naturalis, quando non præbet est violentus; ergo nullus datur motus medius, vel potentia neutra. ℞. cum Zabarel. neg. mi. si loquamur de violentia præsè sumpta, vt in casu loquimur, quia sic datur medium per abnegationem extremorum, hinc cōcedimus, quamlibet potentiam per se respicere aliquem actum, non tñ semper, vt sui perfectiuum, quod necessarium est, vt naturalis dicatur; vnde capacitas aquæ ad calorem respicit calorem, non tñ ex hoc dicitur naturalis, sed violenta.

Ob. Quantitas perficitur ab arte, & formis artificialibus, nam ars perficit naturam, & vnūquodq. sm Scot. inclinatur ad propriam perfectionē, ergo. ℞. Artem dare perfectionem rebus naturalibus, quæ tñ non est ipsis debita ex natiua exigentia, quod necessarium est ad rationem potentię naturalis. Nec Doct. absolutè ait, quodlibet inclinari ad perfectionem, sed ad perfectionem sibi debitam, & propriam.

Ob. Tandem ex Doct. qui ait: eodem modo se habet Angelus, & Cęlum ad motum, sicut quantitas ad colores, ergo omnes sunt in potentia naturali, vel neutra. ℞. Illam comparationem solùm accipi quoad indifferentiam in vtrisq. repertam, non tñ in omnibus.

ARTICVLVS SEXTVS.

De Differentia inter Naturam, & Artem.

Scot. de his agit in 2. d. 18. q. vn. & in 4. d. 12. q. 4. F. pro cuius resolutione supponimus, Artem esse nomen

nomen æquiuocum, & multipliciter sumi. Primò scientias omnes comprehendit 2. pro omni cognitione practica 3. pro vno ex illis habitibus quinq. intellectus, quomodo definiri solet, quod sit habitus cum recta ratione factiuus, vt est ars statuaria, pictoria &c. 4. pro forma in materia ab artifice introducta, vt forma statuæ in marmore, in ligno &c. & his duobus modis in præsenti accipitur, & vt habitus est, ità describitur: *Ars est notitia habitualis, qua intellectus artificis disponitur ad promptè, & rectè iudicadum circa ea, quæ ad artem spectant, & generatur ex frequentatis actibus*. Cum quo habitu alia duo regulariter concurrunt, cùm exit ad opus; primum est Idea operis faciendæ, vnde Philosophus 12. Meth. 24. ait: sanitatem, & domum extra fieri ex sanitate, & domu in mente, & esse quasi generationem vniuocam: sicut .n. in naturalibus, generatio vniuoca est illa, quæ est ad terminum eiusdem rationis cum forma, & natura agentis, ità domus extra est valde similis, cum domu in mente, quæ se habet vt forma respectu artificis. Secundum, quòd requiritur est quædam habilitas in potentia executiua ad promptè, & faciliter operandum, vt patet in arte saltandi, sonandi &c. in quibus requiritur agilitas membrorum ad obediendum regulis, & præceptis dictatis ab intellectu. Ars pro forma causata ab artifice, nil aliud est à Doct. in 4. cit. nisi ordo partium naturalium, quo partes quantitatis, vel qualitatis variè disponuntur, vt resultet illa figura artificiosa; quæ relatio est à parte rei ab illis partibus distincta, connotando artificem operantem ex directione intellectus, quod patet exemplo, quia possunt esse duo extra similia in materia, & figura, vnum tn̄ dicitur naturale, quia à causa naturali absq. dictamine rationis operantis effectum fuit: alterum verò artefactum, quia à causa rationali à ratione directa fuit causatum: & idem est de sanitate casu acquisita, & de sanitate arte medica comparata. Forma igitur artificialis à naturali solùm in ordine ad connotata distinguitur, his habitis.

Conclusio.

Dicimus, Artem, vt habitus est, in multis à natura differre, & in multis etiam cum ipsa conuenire. Differt 1. quia Natura est substantia, ars est accidens 2. Natura conuenit cum re naturaliter producta in esse reali, ars verò cũ artificiali in esse tm̄ obiectiuo 3. Natura est principium Phys. & reale rerum naturalium, ars est principium tantũm per directionem, non per veram efficientiam 4. Naturalia habẽt in se internum principiũ motus, non ità artificialia vt sic, forma .n. artificialis nullo modo est principium motus, & licèt aliquæ figuræ faciant motum tardum, vel velocem, vt figura quadrata, retardat motum, non sic figura pyramidalis, vel rotunda, non tñ ex hoc asseri debet, formam artis esse principium per se illius motus, nam hoc est natura, quãuis arte indigeat, vt modificetur; vnde illa figura solùm se habebit, vt cõditio sine qua non, quia tales figuræ velociorem motum causant tantùm negatiuè, quatenus, scil. faciunt, vt aer minus resistat, & retardet mobile. Idem dicendum est de Horologijs,

quorum

quorum principium motus est à natura, scil. à pondere, modificata tñ ab arte per illas machinulas, & rotas intus latentes; & de columba illa ab Archita fabricata, quæ volitabat per aerem; & de statuis Dedali industria confectis, quæ seipsis mouebantur, quorum motus caussabatur ab argẽto viuo ait Arist. 1. de anima 44. & de alijs operibus per magiam confectis, vt legitur 7. Exodi, quod Ægiptij sapientes per artem magicam faciebant serpentes, & alia prodigia, quod facere non poterant, nisi applicando actiua naturalia passiuis naturalibus, quod facilè erat Demonibus statim ea adducere. Poterant etiam Demones serpentes aliunde genitos subitò eò adducere tã dexterrimè, & inuisibiliter, vt apparere posset eos à magis generatos, licèt reuera non ab ipsis genitos, 5. Differunt, quia formæ artificiales sunt in superficie tantùm, naturales verò sunt intimæ, & intrinsecæ. 6. quia materia prima naturaliter inclinatur ad formas naturales, at materia artis, vel violenter, vel neutraliter se habet ex Doct. in 2. d. 18. q. vn. c. 7. materia naturaliũ est ens incompletum essentialiter, materia artificialium est ens essentialiter completum. 8. Materia, & forma naturalium faciunt vnũ per se, quia se habent, vt per se actus, & per se potentia, non sic materia, & forma artificialium, aliæ etiam differentiæ solent à Doctoribus afferri, quæ breuitatis gratia relinquuntur.

Conueniunt etiam, quia tam naturalia, quam artificialia supponunt materiam, in quam agunt; vtraq. ab imperfectioribus ad perfectiora procedunt; vtraq. non temerè, & casu operantur, sed quibusdam quasi regulis, & præceptis; vtraq. quantum possunt opera efficiunt similia, natura quidem in essendo, ars in repræsentando; vtreq. sunt imitatrices, natura imitatur artem Diuinam; ars verò imitatur naturam &c.

Hic dubitari solet, an forma artificialis distinguatur abente naturali. Nominales negant aliquo modo distingui à parte rei, quia tenent formam artificialem picturæ V. g. nihil reale super addere coloribus, & eorum vbicationibus, quam opinionẽ sequitur Arriag. disp. 6. Phys. sec. 2. cum Aliquib. Recentiorib. quorum fundamentum est, quia eo ipso, quòd intelligimus tales colores cum tali, & tali vbicatione in tela, vel tabula, nulla alia forma artificiali tunc præintellecta, iam intelligitur pictura, & & idem clarius patet in statua lignea, vel lapidea, nam præcisè per ablationem superfluarum partium, cæteræ, quæ remanent sine vlla noua forma, proportionem expræssiuam hominis retinent, & statuam efficiũt, ergo ibi non producitur noua forma artificialis distincta à partibus ligni taliter vbicati, & à carentia partium redundantium, conseq. patet, quia præcisè auferendo partes aliquas ligni, non potest artifex positiuã formam realem producere in his, quæ remanent, nam eas reliquit, vt antea, & solùm ab eis separauit, quibus fauet Auctor sex Princ. dicens, quod Artifex facit figuram incisionis nihil addendo, sed potius, remouendo.

Quiddam etiam huius opinionis vlterius ꝓcedẽtes, vt refert Ant. Andr. q. 4. super sex princ. dixerũt quòd talis figura ꝑcedit in materia actualiter, sed

sed est cooperta alijs partibus eiusdē materiæ scil. lapidis, vel ligni, quæ partes remouentur per actum artificis, & tunc figura apparet; & fortè huius opinionis est Auctor sex princ. ait Ant. Andr. nam ait, quòd figura est à natura, sed sentiri, idest actualiter apparere, est ab actu.

Sententia opposita est Realium, asserentium formam artificialem esse accidens reale absolutum, de quarta specie qualitatis rebus naturalibus superadditū, Artificis industria, atq. ideò ab ente naturali realiter distinctum; ità refert Tatar. 2. Phys. q. 1. dub. 3. cum Alijs, quorum fundamentum est, quia Artifex operando aut aliquid facit, aut nihil; non hoc secundum, quia habitus, quo nihil fieri potest, non est factiuus, & sic ars non esse habitus factiuus, quod est contra eius definitionem; si verò aliquid facit, aut facit nouum, aut antiquum; non secundum, quia vel actum ageret, vel nihil prorsus, ergo facit aliquod nouum, at hoc non potest esse ens mere respectiuum, quia qui domum ædificaret, non nisi vnum respectum efficeret, quod ridiculum videtur.

Sed neutra harum sent. est amplectenda. Non prima Nominalium in eo sensu, quo eam defendit Arriag. quod scil. figura consistit in solis vbicationibus, quia aliquando figura resultat absq. eo, quod varientur vbicationes partium rei artificialis, & est cùm quis in antro imaginē format in lapidem, vbi partes, quæ remanent, & imaginem constituunt, nullo modo variant Vbi, & locum; Tum quia cū hinc inde statua, vel pictura defertur, variantur certè vbicationes picturæ, vel statuæ, quia correspondent diuersis spatij partibus, & tū non variatur figura, ergo vbicationes non erant forma artificialis statuæ, vel picturæ; & quæ hoc argumento præsens congerit Arriag. ꝙ. s. illæ figuræ, & formæ artificiales, saltem inadæquatè mutantur, quotiescumq. loco mutatur res artificiosa, vana prsus, & chimerica cēsētur, quis .n. negabit, ꝙ eadem figura, vel statua non sit eadem in foro, in templo, in cubiculo?

Neq. secunda, in sensu, quo defenditur ab illis, qui asserunt figuram arteficialem, præsertim, quæ fit per incisionem, & subtractionem ab aliquo toto, actualiter præcedere in materia; Ratio est, quia in eadē parte materiæ nō possunt esse simul actu plures figuræ incompossibiles in natura, sed in eadem parte materiæ q̄cūq. figuræ in sēsu diuiso, esse possūt népè hominis, equi leonis &c. q̄ sunt omninò incompossibiles, ergo nō sūt simul ibi ī actu. ità Ant. Andr. loc. cit.

Nec opinio Realium est vera in omnibus; licèt .n. verum sit, quòd forma artificialis addat partibus naturalibus aliquid reale, non tū rectè docet hoc additum esse entitatem absolutam de genere qualitatis, nam contra hoc vrget argum. Aduersariorum, quòd aliquis hic fodiens terram, vel faciens de terra aliquem montem paruum, variaret integram figuram totius mundi, quod videretur absurdum, licèt hoc admittant Regentes Paris. 2 Phys. q. 1. qu. stiunc. 4. collat. Tum quia non vid tur verisimile, quòd quoties ceram manibus contrectamus, toties in ea nouas qua

litates, & entitates absolutas producimus.

Ideò melius respondendum putamus cum Mastr.& Bell.h c disp.6.q. 4.art.2.quòd forma artificialis non est purum nihil, neq. entitas absoluta, sed est relatio quædam ordinis, & pportionis partiũ naturaliũ ad se inuicem, & est expressa sent.Scot.in 4.d.12.q.4.lit. F. vbi ait: *figura ergo non dicit vltra quantitatem, nisi relationem partium ad se inuicem, vel terminorum includentium partes, hęc autem relatio mutari potest partibus manentibus eiusdem in se, & in toto.* & sequitur Tatar.loc.cit. & nos dedimus in log. disp.12.art.1. de Qualit. vbi diximus, quòd ideò figura ponitur in prædicam.Qualitatis, quia habet modum denominandi, & prædicandi qualitatis, quatenus prædicatur modo quodam absoluto, non significante ordinem ad aliud, vbi etiã distinximus de figura intrinseca, & extrinseca, vt ibi videri poterunt, quæ satis ad explicationẽ huius puncti conducunt.

Ex his patet ad fundam. Nominal. falsum est .n. quòd solis coloribus intellectis, & eorum vbicationibus in tabula, resultat figura, sed requiritur, vt præ intelligatur præfata coordinatio, & distantia partium ad inuicem, quæ etiam produci intelligitur quãuis artificialis forma fiat per subtractionem partium ab aliquo toto, nam ex eo quod à ligno, vel lapide hæc, vel illa pars abscindatur, nouus ordo in cæteris partibus ad inuicem, & noua proportio resultat, sicut resultat relatio inæqualitatis inter duas quantitates palmares, si ab vna semipalmus auferatur; sic etiam in compositione per coniunctionem rerum naturalium, quando fit compositum artificiosum &c.

Solet hic quæri, an ars possit efficere opera naturæ, sed vt commodius hoc dubium transferimus in Metheoris.

DISPVTATIO VII.

DE CAVSIS INTRINSECIS.

POst traditã notitiam naturæ in cõi, vt motus est principium, consentaneum est, eamdem indagare, vt causa est compositi Physici, & actionum, eo vel maximè, quia omnes Philos. sequẽtes Arist. causarum numerum assignãtem, disputationem de causis huic libro inserere consueuerunt. Et licèt reuerà Methaphysici propriè sit de causis scitu dignissimis agere, quatenus ratio causæ etiam in separatis à materia reperitur, Physicus tñ, vt D.Tho.docet 2. Phys.lec.3.considerationem causæ mutuatur à Methap. propter aliquam necessitatem prout, scil.naturales mutationes causant, & ad motuum naturam cognoscendam conducunt. Et quia quatuor sunt genera Causarum, nempè materialis, formalis, efficientis, & finalis; in præsenti disputationem aggredimur de cau-

de causis intrinsecis, scil. materiali, & formali, eam in plures articulos laxantes, iuxta exigentiam difficultatum, & dubiorum in hac re emergentium.

ARTICVLVS PRIMVS.
Quid sit Causa in communi, & quid eius Causalitas.

Scot. plurib^9 in locis de hoc Art. disserit, vt videre est in 1.d.2.q.7.lit.I. & d.7.q.vn.L.& in 2.d.1.q.2.E.& alibi. Pro cuius notitia præmittimus, quòd quia Arist. non tradidit expressè rationem causæ, Aliqui Recentiores occasionem sumpserunt, asserendi causam non posse definiri. Non placet, nam principium est q̃d communius causa, & tñ est definibilis, ergo &c. Doctores igitur in definitione causæ in cõi in varias abierunt sententias. Suar. disp. 12. Meth. sec. 2. sic causam definiuit: *Causa est principium per se influens in aliud*. Vallesius putat sic ex Arist. esse definiendam, *scil. causa est id, propter quod est aliud.* Auicenna tract. 2. Meth. cap. 1. ait: *causa est id, quæ tribuit esse rei*. Ruu. inquit: *Causa est principium per se influens in effectum*. Ouiedus contr. 7. punc. 1. §. 3. ait: *Causa est principium influens in terminũ non identificatum cum natura principij*. Lisbonensis sic definiuit: *Causa est principium alicuius per modum influxus, seu deriuationis ex qua notum est aliquid consequi secundum diuersitatem in esse*. Et multæ aliæ, & variæ à varijs Doctoribus assignantur, quæ reuerà potius sunt circumlocutiones, & omnes in antiqua sub intelliguntur definitione, quam tradunt D. Tho. opusc. 31. D. Bonau. 1. sent. dist. 20. art. 2. q. 2. Scot. loc. cit. Ægid. & Alij, quæ talis est: *Causa est id, ad cuius esse sequitur aliud.*

Maior difficultas est ad explicandum quid sit Causalitas. Nominales omnes sicut negant relationes, itá etiam negant causalitatem addere aliquid supra entitatem causæ, vel effectus, sed volunt, formaliter nihil dicere, nisi virtutem causatiuam causæ, & connotare existentiam effectus. Alij experientia comprobãtes multoties manere entitatem causæ, & entitatem effectus producti, post quam communicauit esse effectui, non tñ dici amplius causantem, dixerunt causalitatem connotare effectum, vel potius esse ipsummet effectum, vt est pendens actu à causa, quam sent. tenet Fuentes lib. 2. Phys. q. 4. diff. 4. art. 2. loquitur tamen de causa fundamentaliter tantùm. Thomis. asserunt esse modum quemdam realem absolutum, relatiuum tñ trascendentaliter ex natura rei modaliter à causa distinctum, natura priorem ipso effectu, quatenus per illum modum accipit esse, itá quòd talis influxus sit reuera quid medium inter effectum, & causam, posterior causa, quia illi aduenit, vt actus secundus, at effectu prior, quia per illum accipit esse, itá Suar. 12. Meth. sec. 2. Conimb. 1. Phys. cap. 7. q. 6. Auers. in Phys. q. 1. sec. 2. & Alij. Scotistæ cõiter defendunt formalitatem causalitatis in relatione prædicamentali consistere, quæ inter causam, & effectum de nouo resultat, atq. ideò pro formali non præcedere absolutum, sed sequi. Quidam Alij estò concedant in prædicamentali relat. consistere, affirmãt tñ hunc respectum natura præcedere esse-

effectum, quia est respectus quidam per modum influxus, ità Canon. 2. Phys. q. 2. art. 1. Bassol. in 1. d. 7. q. 4. & Nolanus. Faber 1. Meth. disp. 2. C. 3. contendit causalitatem importare relationem extrinsecus aduenientē.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. Causam Physicam in cōi sufficienter explicari per hoc, q̄ sit *principium per se positiuè influens esse in aliud cum dependentia huius ab illo*. Est ad mentem Scoti loc cit. & in 1. d. 4. q. 1. quā recipiūt Cōplut. 2. Phys. disp. 8 q. 1. Moranda Cler. Regul. in 2. Phys. tract. 2. de causis q. 1. nu. 135. Guarinus Cler. Regul. disp. 6. de causis in cōi expens. 1. & Alij. Patet quo ad singulas particulas. dicitur *Principium*, loco generis, latius .n. patet, quam causa, quia vt aliquid cum omni prioritate possit dici alterius principiū, sufficit vt effectus ad illud intrinsecam aliq̄ habeat habitudinem, ità vt dici possit per se oriri ab eo, siue hoc sit per positiuum influxum, siue non. Additur *per se* nō tantū vt excludatur causa per accid. sed etiā conditiones causandi, quæ vtiq. facere possunt ad faciliter, vel citius operandum, imò ad simpliciter operandum, quatenus conditiones sunt, sine quibus non, vt approximatio causę efficientis ad passum &c. adhuc tamē veræ causæ non sunt, nam causa per se, & directè actum causandi exercet, conditio autem solùm concomitanter, sic ignis per propriā virtutem exercet actum calefaciēdi, non autem approximatio, quæ solùm se habet, vt conditio requisita. Additur *positiuè*, ad excludendam priuationem, quæ nihil positiuum importat, & ideò influere non potest, neq. in generationem, neq. in rem genitam. Additur *influens esse in aliud*, vt ostendatur alietas naturæ inter causam, & effectum, vel specifica, vel saltem numerica; hincestò quidditas dicatur principiū respectu illius, cuius est quidditas, vt humanitas, quæ communicat homini esse humanum, non potest tñ dici causa. Ratio est, quia humanitas non distinguitur realiter ab homine, & ideò nō potest verè dici causa Physica illius, quia nihil est causa suipsius, & tandē additur, *cum dependentia huius ab illo*, vt Diuinæ Personæ excludantur, quia licèt Filius dicatur genitus à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroq. productus non tamen Pater dici potest causa Filij, & vterq. causa Spiritus sancti, quia non communicatur illis esse distinctum, & diuersum in natura vnde illud esse non dicitur causatum, sed solùm communicatum. Addimus, quod illa particula *cum dependentia huius ab illo*, non apponitur, nisi ad maiorem explicationem, quia iam sufficienter exprimitur per illā particulam *influens esse in aliud*. q̄ amplectuntur Complut.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. quòd Causalitas formaliter sumpta aliquid necessariò superaddit entitatibus absolutis causæ, & effectus, non tñ ordine naturæ entitatem effectus præcedens, & reuera medians inter effectum, & causā, sed quia est sola relatio causæ ad effectū, ideò est ipsis natura posterior, est Scot. loc. cit. pręsertim in 2 d. 1. q. 2. E. vbi ait: *fallit nos imaginatio dū putamus, relationem causalitatis mediare veluti viam inter causam, & effectum, quia reuera sequitur, sicut vniuer-*

vniuersaliter nulla relatio ponitur, nisi positis extremis. Sequuntur Scotist. cõiter, Lichet. in 2.d.1.q.1.& 4.& 5. Ad Argum. Ocham, Fuent. Vulp. loc.cit.tom.1.p.2.disp.1.art.5. Mast. & Bell. in Physf. disp. 5. q.2. & Alij. Probatur quo ad singulas partes, & primò, quòd causalitas formaliter sumpta sit ab entitate causæ, & effectus distincta ex natura rei, inde patet, quia licèt causalitas fundamentaliter sumpta nõ distinguatur ab entitate causæ, cum hæc sit virtus absoluta causãtis,& dici soleat ratio causandi,loquendo tñ de causalitate formaliter accepta, qua causa constituitur formaliter in actu secundo,& denominatur actu formaliter causans, necessariò distingui debet à causa, nam hæc causalitas accidit causæ, vt actus secundus accidit actui primò.

Nec aliquibus suffragatur dicere, quòd causalitas importet entitatem causæ,vt connotat effectum;nam sępè extat causa, & eius effectus in rerum natura, fluxa iam causalitate, & actu causandi transacto, vt patet de calore permanente in aqa, vel in manu post remotionem ignis.

Quod etiam formalitas causæ non consistat in modo illo à Recentioribus excogitato, medio inter causam, & effectum veluti viam,ac propterea ordine naturæ præcedere effectum, ità probatur: Si talis influxus præcederet effectum saltem natura,& esset via, & medium inter absolutum causæ,& absolutum effectus, vel hoc medium esset substantia, vel accid. non primum, vt omnes fatentur;neq. secundum,quia vel esset accid. absolutum, vel respectiuum; non hoc,q̃a esset posterior fundamento, & ità posterior effectu, qui est absolutus; neq. illud, scil. absolutum in causa, quia omnes concedunt hunc modum se tenere ex parte effectus, quia iam Deus verè causa rerum dicitur absq; tali modo; non absolutum in effectu, quia implicat, quòd sit accidens inexistens in absoluto effectus, & quòd natura tale absolutum præcedat,nam omne accid. est natura posterius suo subiecto, modus posterior re modificata.

Resp. Recentiores, hunc modum residere in effectu, & esse priorem eo, & posteriorem in diuerso tamen causandi genere, priorem in genere causæ quasi efficientis, quatenus est via ad illum, posteriorem in genere causæ materialis, quatenus ei inhæret; sed hæc responsio seipsam destruit,in nullo n. instanti accid. esse potest sine subiecto etiam sub ea ratione,qua est via,quia adhuc in hoc sensu est accid. sed influxus, seu modus iste est accid. ergo nullo modo existere potest, quin prius subiectum existat, quia omne accid. à subiecto dependet. Tum quia si modus ille est prior effectu in genere quasi efficientis causæ,ergo in illo priori existere debet, quia existentia est saltem conditio causæ causantis.

Scotistæ Illi, qui admittunt causalitatem esse purum respectum, adhuc permittunt mediare veluti viam inter causam, & effectum, vnde distinguunt duplicem respectum; quidam est per modum actus primi, ac in esse quieto, vt filiatio, æqualitas &c. alter per modum actus secundi, & fluxus, vt productio, actio, & similia,& licèt omnis respectus primi generis sit naturaliter posterior termino, &

no, & fundamento, respectus tñ secundi generis quamuis sit posterior fundamento, est tñ ordine naturæ prior ipso termino, quem producit, seu ad quem est via.

Sed hæc explicatio, & Scoto, & Veritati opponitur. Scoto, quia vbi ipse loquitur de respectibus secundi generis, scil. de productione, causatione, actione, & similibus, semper ait absolutum in effectu immediatè sequi ad absolutum in causa, respectum autem causationis sequi postea. ità manifestè docet in 2. d. 1. q. 2. E. cit. & in 4. d. 13. q. 1. D. loquens de respectibus actionis, & productionis inquit, quòd relatio actualis sequitur extrema in actu posita. Opponitur Veritati, quia destruit naturam relationis, cuius conditio est, vt sit habitudo inter duo extrema, ergo nisi extrema sint, hæc habitudo non erit, sicut repugnat dari vnionem, nisi partes sint vnitæ. Tum quia repugnat dari relationem, quæ non terminetur ad aliquid, cùm eius esse sit ad aliud esse, & dari relatiuum absq. correlatiuo, tunc.n. in eo signo relatio intelligeretur esse, & tñ non intelligeretur terminus eius, qui non nisi in posteriori signo intelligeretur esse, & tñ relatiua sunt simul tempore, natura, & cognitione. In forma igitur sic formatur ratio: Omnis relatio resultat ex positione extremorũ, sed causalitas est relatio, ergo supponit extrema iam posita, non illa præcedit, maior patet ex dictis, & consensu omnium Philos. minor probatur, quia causa vt causa est formaliter concretum relatiuum, quæ pro termino respicit causatum, & effectũ, ergo in tali esse per relationem causalitatis constituitur, sicut Pater per paternitatem. Tum quia aliud est quęrere per quid causa causet, aliud verò per quid denominatur formaliter causa, & licèt non causet per relationem, vt per rationem agendi, quia relatio est de genere sterilium, debet tñ per eam denominari formaliter causans, & influens. Tum quia effectus formaliter acceptus, non dicit nisi relationem effectus ad causam, quæ non est nisi dependentia passiua, formaliter .n. effici aliud non est, quã ab alio dependere in esse, ergo causa formaliter dicet oppositam relationem independentiæ. Et deniq. Deus dicitur causa rerũ omnium ad extra formaliter per terminationem essentialis dependentiæ omnium rerum ad ipsum ex Doctore in 4. d. 12. q. 1. ad 2. princ. cùm Deus non sit capax mutuæ relationis ad extra, ergo in causis relationum capacibus, causalitas earum consistet formaliter in respectu opposito passiuæ dependentiæ effectus.

Obiectiones.

Obijciunt 1. contra hanc concl. Nominales, probantes causalitatem formaliter sumptam nihil reale super addere entitatibus absolutis causæ, & effectus: Si Causalitas aliquid adderet, vel esset absolutum, vel relatiuum; non primum, quia causalitas concipi non potest sine ordine ad causatum; nec relatiuum, quia relatio actualis sequitur extrema posita in esse, sed causalitas præcedit effectum. R. Neg. min. licèt .n. causalitas fundamentalis præcedat effectum, non tamen causalitas formalis.

Ob. 2.

Ob. 2. Omnis creatura procedit à Deo nulla media causalitate inter Deum, & creaturam ab eorum entitatibus realiter distincta, ergo similiter de causis creatis asserendū erit. ℞. Negando paritatem, & ratio est, quia causa increata est incapax nouę relationis, ideò non potest dici causa realis formaliter, nisi per extrinsecam terminationem dependentiæ essentialis creaturæ; Et quia talis dependentia creaturæ ad Deum est illi realiter identificata, ideò non dicimus à Deo pendere per causalitatem realiter distinctā; at quia causa creata est capax nouæ relationis, cùm sit finita, & dependentia effectus ad ipsam est ab ea separabilis, cum existere possit ex vi solius causæ primæ, à qua solùm essentialiter simpliciter dependet ex Doct. loc. cit. in 4. ideò rationabiliter dicimus illam relationem causalitatis aliquid superaddere entitatibus absolutis causæ, & effectus in rebus creatis.

Ob. 3. Recentiores quasi omnes, affirmantes influxum, in quo consistit formaliter causalitas pcedere effectum, & esse quid medium inter ipsum, & causam, & nullo modo cōsistere posse in tali relatione: Causalitas actualis est via, qua effectus acquiritur, & ipsa mediante dicitur effectus causari, & hoc etiam in sent. Scoti q. vlt. Prol. §. *Contra istud &c.* vbi docet, voluntatem elicere praxim media elicitione, ergo causalitas in tali relatione consistere nequit. ℞. Causalitatem sumi posse dupliciter, scil. fundamentaliter, & formaliter; qñ dicitur, quòd causa media causalitate influit esse in effectum, intelligitur de causalitate fundamentali, quatenus causa non causat, nisi mediante virtute absoluta, quæ sibi est ratio agendi, quæ virtus præcedit natura effectum, etiam in eodem instanti, quo causat; at si accipiatur formaliter, nullatenus verum est, nisi in ratione formæ denominantis, non verò formæ productiuæ, quia relatio non est actiua ex Scot. in 4. d. 13. q. 1. P. & in hoc sensu intelligendus est Doct. in Prol. cit. & vbi causalitati actiuitatem tribuere videtur. At quia entitas causæ nunquam intelligitur formaliter talis, nisi habita relatione, in hoc sensu dici potest via ad effectum, & prior effectu, sicut albedo dicitur prior pariete albo vt sic, quatenus est forma denominans pariete album.

Ob. 4. Sicut se habet causalitas causæ efficientis in ordine ad suum effectum, ità res se habere debet in omnibus causis, sed in genere causæ efficientis causalitas est actio, sup quā deinde fundatur relatio causæ efficientis ad suum effectum ex Arist. 5. Meth 20. ergo vniuersaliter in omni genere causę, causalitas erit ratio fundandi, vel fundamentum relationis, non relatio. ℞. Neg. minorem, relatio .n. causæ efficientis non fundatur super actionem, sed super potentiam actiuam, & passiuam, & talis est Arist. intentum in eo tex. vt benè ibi Scot. exponit, & in 4. d. 13. q. 1. lit. V. & verba Philos. sunt clara: *Actiua .n. & passiua secundum potentiam actiuā & passiuam sunt.* Addit tñ: *& secundum actiones earum*, quia relationes intrinsecus aduenientes huius secundi modi relatiuorum supponunt actionem, & passionem veluti dispositiones præuias, vt insur-

surgant ex Doct.qubl.12. C. cùm agens naturale nequeat formam in materia producere, & ex vtraq. compositum, nisi præcesserit actio alteratiua, & transmutatiua subiecti.

Ob.5. Causa sm̃ actualem influxum est prior natura suo effectu, at relatiua sunt simul natura, ergo causalitas non est formaliter relatio. ℞. Causam esse priorem natura suo effectu sm̃ actualem influxum fundamentalem, non formalem, ideò nihil.

Ob. 6. Deus influit in creaturas vero, & reali influxu, & tñ non refertur ad creaturas relatione reali, ergo causalitas non consistit formaliter in relatione. ℞. Neg. paritatem de Deo, & de alijs causis, vt iam patet ex dictis, Deus .n. dicitur causa tantùm per denominationem extrinsecam formaliter, quatenus terminat depēdētiā creatę, at nos hic loqmur de causis formaliter talibus, per denominationem intrinsecam.

Ob.7. Transacto influxu causæ, causa non denominatur āplius actualiter causans, & tñ adhuc remanet relatio causæ ad effectum, ergo causalitas actualis non consistit in illa relatione, assumptum probatur, quia cum sit relatio intrinsecus aduenies, permanet quamdiu extrema permanent, vt patet de paternitate, & filiatione, quæ sunt relationes secundi modi, & causæ ad effectus. ℞. Negando antecedens, & ratio assignata fuit in log.disp.de relat.si .n. effectus remanet post causalitatem, transeunte ipso actu causandi, quamuis adhuc causa remaneat, non tñ amplius inter hanc, & illum intercedit vera relatio causalitatis, & dependentiæ spectans ad secundum modum relatiuorum, sed tm̃ remanet quædam extrinseca denominatio ex actu præterito causandi, quòd id fecit, & illud factum est, hinc diximus paternitatem, & filiationem non dicere veras relationes dependentiæ post actum generationis præteritum, sed tantùm in Diuinis veritatem habet, vbi actus generandi, & Paternus influxus in Filium semper permanet; quod etiā asserimus, cum effectus etiam in conseruari pendet à causa, vt lumen à sole &c. tunc .n. semper manet mutua relatio causalitatis, & dependentiæ.

Hic quæri solet, an respectus trascendentalis sit ad effectum tm̃ in cõi, vel potius ad omnes, & singulos in particulari à causa producibiles, ità ꝙ si vnus ex his esset impossibilis, causa quoq. impossibilis esset, quæ difficultas cõis est non solùm de potentijs Physicis, sed etiam de potentijs animæ respectu suorum actuum, & obiectorum. Et supposito, quòd entitas causæ, quatenus potens causare effectum, dicat relationem trascendētalem ad effectum, vt possibilem ab ea, vt Scot. docet in 1.d.7.q.vn.L. de quo inter Authores nullum est dissidium saltē de causa creata; Aliqui tñ Recētiores, & præsertim Hurt.disp. 6.Phys.sec.3. & Arriag.disp.7.sec.3. volunt, quòd huiusmodi respectus causæ trascendentalis sit tantùm ad effectus omnes in particulari, non in cõi. Alij ex opposito affirmant talem respectum esse solùm ad effectum in cõi, & idem asserunt de potentijs animæ respectu actuum, & obiectorum, & consequenter nolunt ex impossibilitate particulari effectus recte deduci impossibilitatem causæ, cōtra quam opinionem acriter insurgunt

gunt Hurt. & Arriag. plurib. rationibus.

Primò, quia ipsi negant præcisiones obiectiuas à singularibus, indeconsequenter neq. hic concedere volunt aliquam formalitatem abstractã ab omnibus effectibus, vel obiectis, quæ adæquatè respiciatur à potentia Animastica, vel Causa Physica.

2. Quia Causa Phys. respicit terminum, vt producibilem à parte rei, sed terminus, vt producibilis est singularis, quia actiones sunt singularium, & ad singularia terminantur, non ad rationes communes, ergo &c.

3. Singuli effectus sunt partes termini adæquati potentiæ productiuæ, ergo mutato vno solo, mutatur ordo potentiæ ad illum, sicut actuali cognitione repræsentante tria obiecta, si alterum deficiat, perit tota cognitio, licèt cætera maneant, ergo causa Physica æquè respicit singulos effectus in particulari.

Pro resolut. huius difficultatis not. est quod Scot. docet in 2. d. 3. q. 11. scil. albedinem, & nigredinem non tantùm sm̃ rationem genericam coloris, sed etiam sm̃ specificam esse obiecta visus, quibus verbis insinuare voluit, quòd cõe, & adæquatum obiectum potentiæ non constitui debet, vt supponit simpliciter, quia tunc potentia tendere non posset in particularia obiecta sm̃ rõnes specificas, & indiuiduales; Neq. vt supponit personaliter pro omnibus, & singulis, quia tunc non haberetur vnum per se obiectum specificatiuum potentiæ, & ità ratio generica V. g. coloris non esset à visu perceptibilis; Ideò dicimus, quòd adæquatum obiectum potentiæ constitui debet prout suppo-

R. P. Illuminati à Collisano Capuc.

nit absolutè, nempè pro gradu generico, specifico, & indiuiduali à potentia attingibilibus, vt fusius in lib. de anima; sic in casu de causa ad suos effectus asserendum putamus, quòd scil. non dicat respectum ad effectum solùm in cõi, vt V. g. ignis ad calorem à singulis caloribus abstractum, vt opinio secunda asserebat, nam calor est ab igne producibilis non tũ sm̃ rationem genericam caloris, sed etiam specificam, & indiuidualem. Sed neq. ità poni debet effectus suos respicere, vt omnes, & singulos respiciat in particulari, & collectiuè, quasi omnes collectim, & indiuisibiliter sint adæquatus terminus potentiæ causatiuæ, vt Hurt. & Arriag. affirmabant, adeò vt si hic calor V. g. esset impossibilis, esset etiam impossibilis ignis, nam licèt causa non respiciat solùm effectum in cõi, sed etiã singulos in particulari ab ea producibiles, non tñ respicit hunc, vel illum determinatè, sed indeterminatè, & vagè ões. ità Mastr. & Bell. disp. 5 Phys. q. 2. quod hoc declarant exẽplo: Nauis V. g. est necessaria ad pgendum Insulam, non tamen hæc, & illa determinatè, sed indeterminatè, & vagè omnes, ex quo colligitur, quòd si vna nauis esset impossibilis, non ob id impossibile esset iter ad insulam, nec periret ordo exigentiæ ad illas, quia licèt singulæ essent partes termini adæquati illius ordinis, quia tamẽ nõ constituebant terminũ illum adæquatũ determinatè, & collecti, sed disiunctim, ideò vna naui deficiente, non propterea ille ordo periret; Sic in proposito, Causa Physica respicit transcendẽtaliter omnes suos effectus, sed disiunctiuè, idcir-

eo supposita impossibilitare vnius effectus, non inde bene deducitur impossibilitas causæ, dummodo alij sint possibiles; Sic pariter asserendum erit de potentia materiæ ad omnes formas, quas respicit, tàm in vniuersali, quàm in particulari, quòd licèt esset impossibilis aliqua forma, non idcirco periret eius potentia, quia singulas sub disiunctione, & non collectim sumptas respicit. quib. præhabitis facile est argũ. Arriag & Hurt. occurrere.

Ad Primum, falsum est non dari naturas coẽs, & præcisiones obiectiuas, vt diximus in log. disp. 3. art. 1. & fusius fauente Deo in Meth. neq. nos secundæ sent. adhæremus, quod causa respiciat effectus tantùm in cõi.

Ad 2. R. Cum Scot. in 3. d. 22. q. vn. lit. G. quòd etiam rationes coẽs sunt generabiles, & corruptibiles, non proximè, sed remotè quatenus existunt in singularibus.

Ad 3. Concedimus, quòd singuli effectus sunt partes termini adęquati potentiæ productiuæ, at non collectiuè sumpti, sed disiunctiuè, ideoq. variato vno solo, non variatur potentia intrinsecè in causa, & realiter, sed solùm extrinsecè, & per accid. Nec exemplum allatum de cognitio ne repræsentante tria obiecta est ad propositum, nam talis actus tria illa obiecta attingit collectiuè, non sub disiunctione, ac propterea vno ex illis partialibus obiectis mutato, tota cognitio perit.

Dices, Causa respicit singulos suos effectus etiam copulatim, nam de singulis copulatim sumptis verificari potest, quòd hic est producibilis à causa, & hic rursus, & ille, & sic de alijs, ergo singuli effectus etiam cum copulatione accepti constituunt terminum adæquatum potentiæ productiuæ. Resp. Bell. & Mastr. loc. cit. quòd fortè ob hoc argum. opinio Hurt. & Arriag. sit probabilis, quia tunc collectio omnium effectuum à causa producibilium esset indiuisibilis, & terminus adæquatus potentiæ causatiuæ, & consequenter vno solo mutato, totus ordo ad illos mutaretur; Attamen quia illorum effectuum collectio non est certa, ac determinata, sed cõfusa, idcirco probabilius est asserere, causam effectus suos in particulari vagè, & sub disiunctione respicere, sicut etiam materiam formas materiales ab ea educibiles respicit.

Si tñ oẽs effectus implicarent, & impossibiles essent, causa quoq. impossibilis esset, vt si omnes calores implicarent, etiam impossibilis esset potentia calefactiua ignis; & si formæ omnes implicarent, esset impossibilis potentia passiua materiæ. Radix autem talis necessariæ connexionis causæ cum suis effectibus, & è cõtra, est relatio trascendentalis, quam causa dicit ad illos, vt possibiles, relatio .n. est quidam nexus, quo duo extrema inuicem cõnectuntur, ità vt vnum extremum necessariò coexigit aliud in esse relatiuo; si potentia, potentia; si actu, actu; sic Pater in esse patris coexigit filium, & filius in esse filij coexigit patrem. Et hæc est potissima ratio, cur Dei ad creaturas non detur relatio realis trascendentalis; & consequenter neq. potentia in Deo à parte rei importet relationem realem ad creaturas possibiles, sed potius importat perfectionem omni-

omninò absolutam, quia relatio siuè sit prædicamentalis, siuè trascendentalis necessariò coexigit ad suum esse terminum eius, ergo si in Deo daretur aliqua relatio realis, tunc Deus rõne talis relationis coexigeret aliquid aliud à se, quo non existente, per possibile, & impossibile, Deus quoq. non existeret, quod maximũ præiudicium summæ Dei necessitati inferret, nullum .n. magis necessarium dependet in suo esse à minus necessario, & contingenti, vt diximus in Logica, & hunc dicendi modum tenent Antiqui, & Recentiores Authores.

Ouiedus tñ Controu. 10. Meth. punct. 4. & seq. singularem in hac re habet opinionem, asserens, quòd causa saltem creata trascendentaliter vtiq. refertur ad omnes effectus ab ea possibiles, sed non idcircò connexionem quoq; quoad suum esse habere cum illis, vnde (ait) non esse idem causam referri trascendentaliter ad suum effectum, & cum ea necessariam habere connexionem quoad possibilitatem, quod probat loc. cit. §. 2. quia virtus Physica causæ realis nequit dependere à re, quæ non est, neq. erit, etiam si sit possibilis, ergo nequit intellectus meus dependere ab intellectione purè possibili, quam nunquam eliciet, conseq. patet, probatur assumptum, quia rem esse possibilem nihil est Physicum in rerum natura actu existens, & dum effectus possibilis non existit, habet æquè non esse ac chimæra, quæ extrinsecè repugnat, ergo causa existens in rerum natura nequit in suo esse ab effectu possibili pendere.

Non valet, quia vt supra dicebamus, de ratione relationis, vt relatio est, petit vt sit nexus duorum extremorum in esse relatiuo, & cum mutua dependentia vnius ab alio in tali esse; quare licèt quo ad esse absolutum causa non pendeat ab effectu, sed è contra, tamen quo ad esse relatiuum causantis, & causati, non minus effectus à causa dependet, quàm è contra. Tum quia præcipua relatiuorum proprietas est, vt sint simul natura, & quòd posita se ponant, & perempta se perimant, ergo inter extrema relationis semper est necessaria connexio quoad esse, si actu, actu; si potentia, potentia, itaut relatio actualis exigat terminum actualem, & aptitudinalis aptitudinalem. Vnde ad argum. R. Verum esse vtiq. quòd causa quoad suam virtutem absolutam, quæ est ratio agendi, non pendet à possibilitate effectus, falsum tñ est non dependere quo ad denominationem relatiuam, quia sub hac denominatione dicitur relatiuum ab alio pendere in esse relatiuo, vel potius illud coexigere, nam de facto non bene sonat nomen dependentiæ in relatiuis, quia relatiua sunt simul natura, & dependentia dicit posterioritatem vnius ad aliud, vnde rigorosè loquendo non dicitur vnum relatiuũ ab alio dependere in esse relatiuo, sed potius illud coexigere. Argum. igitur procedit ac si intellectus meus in sua absoluta entitate dependeret ab intellectione possibili, quæ non existit, quod nos non asserimus, ideò conseq. est nulla, & licèt effectus possibilis actu non sit in rerum natura, falsum tñ est æque habere non esse, sicut chimæra, vt Ouied. autumat, quia chimæra habet non esse necessariò

cum intrinsecè repugnet, effectus autem possibilis habet non esse contingenter, vnde etiam dici potest ens realiter aduerbialiter.

Multa alia congerit Ouied. contra nostram sent. sed hæc pro modo sufficiant, & eius argum. laborant in æquiuoco de causa pro absoluta entitate; Sicut, & argum. quæ congerit P. Guerinus Cler. Reg. in sua Pha tract. de causis in cõi disp. 6. Expensione 3. vbi concludit: *Causa ab effectu possibili nullam dependentiã positiuam in se cognoscit*. Sed loquitur de entitate absoluta, & virtute causæ, vt ex eius rationibus constat, & præsertim ex 2. in probatione concl. quoad secundam partem, vbi sic ait: Dependentia negatiua est quædam carentia dependentiæ actualis in subiecto apto, sed actu causa non dependet ab effectu, immò potius effectus à causa, ergo. En quomodo loquitur de causa quo ad conceptum absolutum, quomodo effectus dicitur dependere à causa, & non è contra, & ideò effectus dicitur posterior natura causa; at quo ad conceptum relatiuum causa, & causatum sunt simul natura, ideò nil contra nos, at huc vsq. perfunctoriè, sed fusius, & plenius (præstante Deo) in Meth.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quales, & quot sint effectus causæ materialis.

SCot. de hoc art. differit in 2. d. 1. q. 5. lit. S. & d. 12. q. 1. lit. C. & alibi. Sciendum est, quòd Auersa q. 12. sec. 2. & ex nostris Sghem. digress. 12. negant generationem, & vnionem esse propriè effectus materiæ. Suar. in Math. disp. 13. sectione 6. quem sequuntur Ruuius, & Alij affirmant, non solùm compositum, & formam materialem esse effectus materiæ, sed etiam generationem compositi, & vnionem formæ cum materia. Albertus 2. Phys. tract. 2. cum Alijs defendit, materiam, & formam esse causas tantùm solius compositi.

Conclusio.

Dicimus, à materiâ propriè causari generationem compositi, compositum ipsum, vnionem eius cum forma, & formã materialem. Est ad mentem Scot. loc. cit. & de generatione, & vnione patet; nàm materia est principium generationis in ratione mutationis per modum subiecti, est etiam subiectum propriæ vnionis, ex qua huiusmodi formæ relatiuæ pendent, ità vt ex natura sua existere, & conseruari non possint, nisi dependẽter ab ea, ergo propriè causantur à materia, nã causalitas materialis (vt infra dicemus) cõsistit in tali dependentia formæ ab ea, vt sine ea naturaliter fieri, & conseruari non possit. Tum quia omnes formæ accidentales, tàm absolutæ, quàm relatiuæ petunt subiectum à quo educantur, & pendent in suo esse, fieri, & conseruari, ergo similiter generatio, & vnio. Tum quia generatio, & vnio non sunt ex nihilo, & ideò sunt in materia, & licèt non admittant materiam ex qua componantur, petunt tamen materiam, in qua recipiantur, & ex qua educantur, & consequenter eius causalitatem participant.

Quòd verò materia propriè, imò, & magis propriè causalitatem suam exerceat respectu formæ materialis, & compositi tàm in fieri, quàm in facto esse, est Arist. tàm in 1. quàm 2. Phys. & probatur, quia vtrumque sit

suo

suo modo ex materia tamquā ex quo aliud, in qua habitudine consistit formaliter causalitas materiæ (vt infra patebit) forma vtique tamquam ex subiecto, compositum verò tamquam ex parte intrinseca potentiali, quæ non solùm pendet ab ea in fieri, sed etiam in conseruari; nam forma materialis conseruatur cum continua dependentia à materia tamquam à subiecto, compositum autem conseruatur cum continua dependentia essentiali à materia tamquam ab alia conparte. Tum quia, vt supradictum est, formæ omnes materiales educuntur de potentia subiecti, & materia est etiam pars quidditatis ipsius compositi materialis, qui sunt duo effectus distincti ipsius materiæ. Tum quia diuerso modo causantur à materia, nā forma fluit, & causatur à materia, vt à subiecto, ex quo educitur, compositum verò tanquam à parte potētiali, ex qua constituitur. Concl. autē intelligitur de formis materialib. nō de anima rationali.

At respondent Conimbricenses, (qui volunt animam rationalem etiā esse effectum materię) quòd saltem anima rationalis pendet à materia, vt à termino sui esse, ad quem habet habitudinem essentialem, quia naturaliter non debetur illi esse, nisi in materia. Non valet, quia etiam naturaliter anima rationalis exstra corpus existit, & quando etiam hoc cōcederetur, talis dependentia à corpore, non erit à priori, vt à causa, sed à posteriori, tanquam à conditione necessaria pro suo esse naturaliter perfecto, quod tamen non infert respectu eius veram causalitatē materialem, sed tantùm connexionē necessariam naturalis exigentiæ pro suo esse perfecto naturali, sicut etiam dicimus de composito naturali, quod pendet ab aliquibus formis accidentalibus sibi necessarijs pro eius naturali conseruatione; Et licèt vnio animæ sit ad materiam, non tamen sufficit ad inferendam causalitatem materialem respectu eius, quia respicit materiam, vt terminum ad quem, nō vt subiectum ex quo; Vnde materia respectu animæ rationalis ad summū eam causalitatē exercere potest quā habent cæteri termini respectu relationis, vt benè hic Bell. & Mastr. aduertunt.

Obiectiones.

Obijcitur pro Sghem. & Auersa: Relatio non pendet ab estremis in genere causæ materialis, sed vel efficientis, vel formalis, at generatio, & vnio sūt relationes, ergo &c. Res. Negando assumptum de relationibus prædicamentalibus, quia cū istæ sint in materia tanquam in fundamento cui inhærent, & ex cuius potentia educuntur, pendent ab ea, etiam in genere causæ materialis.

Ob. Causalitas est respectu eius, quod propriè fit, generatio verò est via, vt aliquid fiat; & vnio est medium, quo aliquid ex partibus constitutum est, ergo generatio, & vnio non sunt effectus causæ materialis. ℞. Negando consequentiam, licèt enim generatio, & vnio sint viæ, & media ordinata ad compositum, non inde pernadūt rationem effectus materię, sicut etiam id asserimus de forma, quæ fit, vt terminus partialis, & quo.

Ob. Quod nec forma sit effectus materiæ, nam materia est causa intrinseca, ex qua fit aliquid cum insit, & hoc

& hoc modo se habet tantùm respectu compositi, non respectu formæ, Ergo &c. R. q materia dicitur causa intrinseca tãtùm respectu compositi, respectu cuius etiam additur illa particula *cum insit*, forma etiam dicitur effectus materiæ, quia hæc est id, ex qua forma fit, & educitur.

Sed Contra, licèt enim hæc omnia à materia causentur, hoc tamen totum fit in ordine ad compositum, atque ideò non debet augeri simpliciter numerus effectuum materiæ, nam vbi est vnum propter aliud, ibi vnum tantùm est. R. Negando consequentiam, nam licèt hæc omnia sint ad constitutionem compositi ordinata, non inde sequitur, quòd sint vnus effectus, sunt enim effectus ex natura rei distincti, sed tantùm deduci potest vnitas ordinis; & quòd compositum sit primarius effectus materiæ primitate dignitatis, & intentionis, forma verò, generatio, & vnio, prioritate executionis.

Ob. tandem, quod neque compositum sit effectus materiæ, nam materia est causa per modum subiecti, at respectu compositi non est subiectũ. Ergo. R. Quòd estò materia respectu compositi non sit subiectum substentans, est tamen subiectum, ex quo fit aliquid cum insit, per modum partis potentialis. Addimus tamen, quòd si causalitas materiæ consisteret in generatione, & vnione, vt plures Recentiores asserunt, duo tantùm essent effectus materiæ, scilicet, forma, & compositum, nam causalitas non dicitur effectus comparatione illius, cuius est causalitas, sicut actio non dicitur effectus agentis, sed effectus est id, quod tali actione producitur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quales, & quot sint effectus causæ formalis.

SCot. de his disserit in 3. d. 22. q. vn. circa quod dubium variæ sunt etiam opiniones; Nos qui breuitati satagimus, communiores selegemus, & illas maximè, quæ dictis nostri Doctoris sunt magis consentanea.

Conclusio.

Dicimus, primum effectum formæ primitate dignitatis, ac intentionis esse compositum substantiale. Prob. quia si forma ponitur effectus materiæ, quia hęc concurrit per modum partis potentialis ad eius constitutionem, ergo potiori ratione ipsum compositum effectus formæ censeri debet, quæ illi tribuit esse specificũ, & completum, vt pars principalior quidditatis eius. Alter effectus formæ, & quidem prior composito prioritate executionis, est esse formatũ, & completum ipsius materiæ, quæ actuatio, & completio necessariò cõstitutionem ipsius compositi præcedit, vel vt ei⁹ causalitas, vel saltem vt quid necessariò requisitũ; subiectũ .n. vt sic affectũ, & formatũ, à tali forma pẽdet, & ab ea tale esse cognoscit.

Solet autem hæc denominatio subiecti à forma appellari effectus formalis primarius, & positiuus ad differentiam alterius effectus eiusdem formæ secundarij, & negatiui, & est expulsio vnius formæ ab alia ex eodem subiecto; nã quando vna forma expellit aliam à subiecto sibi incompossibilem, hæc expulsio est in genere causæ formalis ex Doct. in 4. distinct. 1. quest. 5. F. vbi ait: *vbicumq. est formalis incompossibilitas in creatura vnum illorum non expellit aliud*

lit aliud actiuè, sed tantum formaliter. Et sequuntur Recentiores communiter; vna .n. forma expellit alteram ab eodem subiecto media sua informatione, & quod fit à forma media sua informatione, dicitur ab ea pendere in genere causæ formalis, expulsio verò actiua, vt eff.ctus in genere causæ efficientis spectat ad agentia formas incompossibiles introducentia in subiecto; Vnde Scot. subdit loc. cit. *agens autē inducens vnū effectiuè, expellit aliud effectiuè*. Et tandem generatio pendet à forma in genere causæ formalis, vt à termino ad quem.

Obiectiones.

Ob. 1. hoc esse formatum, & completum materiæ aliud non est, quàm ipsa forma communicata materiæ, at nihil potest esse causa suipsius, ergo denominatio subiecti à forma non potest propriè effectus formalis dici. ℞. Cū cōi effectum formalem formæ non distingui ex natura rei à forma existente in subiecto, nam V. g. in pariete albo, vt sic nihil aliud reperitur, nisi albedo cum vnione ad subiectum; vnde effectus formalis, & forma distinguuntur tantùm rōne, sicut abstractum, & concretum; & causa sumitur sm̄ se; effectus verò, vt includit vnionem, sicuti est anima, & esse animatum; & parietem esse albū aliud non est, quàm ipsum habere albedinem.

Ob. 2. Quòd neq. compositum sit effectus formalis formæ, nam effectus non est nobilior sua causa, sed compositum est nobilius forma, ergo &c. ℞. Cum Scot. maiorem esse verā de effectu alicuius, vt causæ totalis, non partialis, veluti est forma respectu compositi; nam sic compositum excessum habere potest ex alijs concausis partialibus.

Ob. 3. Quòd expulsio vnius formę ab alia, in eodem subiecto non sit effectus formalis, sed eff.ctus efficiētis: Ita duæ qualitēs ab eodē subtō se expellūt, sicut duæ quātitates ex Doct. in 4. d. 1. q. 5. lit. F. sed vnum corpus aliud expellit à spatio in genere causæ efficientis, producendo in eo motum impulsiuum, ergo &c. ℞. Neg. min. & ratio est quia talis expulsio fit ratione quantitatis, quæ non est forma actiua; & licèt quandoq. in expulsione corporum interueniat efficientia, id tū non oritur ex ipsis quātitatibus, vel occupatione loci, aut vbicatione, sed ex virtute motiua corpori innata, vel aliunde impressa.

Ob. Expulsio potest à Deo impediri, effectus autem formalis non potest impediri à Deo, ergo expulsio non est eff.ctus formalis. ℞. Quòd effectus formalis, qui nō potest à Deo impediri est primarius, & positiuus, qualis est denominatio subiecti à forma sibi vnita, non de eff.ctu negatiuo, & secundario veluti est expulsio,

Dubium.

Hic dubitari solet, an sit prior introductio nouæ formæ, vel expulsio antiquæ. ℞. Cōiter vtraq. esse priorem secundum diuersas rationes, & in diuerso genere causæ, & quòd forma prior expellitur, quia noua aduenit, & nouam aduenire quia prior recedit; & dicunt, quòd introductio nouæ formæ sit prior in genere causę formalis, & expulsio antiquę sit prior in genere causæ materialis, & dispositiuè. Sed melius dicendum putamus,

mus, quòd introductio nouæ formæ sit prior natura expulsione formæ antiquæ, nam absolutè hæc causalis est vera: Ideò antiqua forma expellitur, quia noua aduenit, & non è contra. Tum quia hæc expulsio fit à forma in genere causæ formalis ex Scot. quælibet autem causa in causando debet præsupponi existens, ergo præcedit. Tum quia expulsio cõiter dicitur effectus secundarius formæ, ergo præsupponit primum, scil. introductionem formæ in subiecto, nec intelligi potest expulsionem esse dispositioné præuiam ad formæ introductionem, a qua ipsa procedit.

Introductio igitur nouæ formæ,& veteris expulsio fiunt in eodem instãti temporis, cum quo tamen stat, ꝙ introductio nouę sit prior expulsione prioritate naturæ, & in genere causæ formalis;indè non sequitur, quòd materia habeat simul duplicem formam, nam in eodem instanti temporis vna forma incipit, & alia desinit, per instans autem naturæ, non mensuratur existentia formæ, sed solùm explicatur ordo dependentiæ posterioris à priori, vel præsuppositio vnius ab alio, vt illud concipi possit, isto non concepto, vt diximus in log. art. de priori. Ità est in proposito, q a expulsio veteris formæ dependet ab introductione nouæ formæ,& introductio huius concipi potest, non cõcipiẽdo expressè expulsionem illi⁹; & qñ nos vrgent, quòd tunc duplex forma esset in subiecto, nos illos vrgemus, quòd si expulsio præcedat, tunc materia esset denudata omni forma.

Hinc iterum notamus, quòd propriè illa causa dicitur expellere formam à subiecto effectiuè, quæ producit formam in subiecto cum ea incompossibilem;sic ignis V.g. est causa efficiens expulsionis frigoris in aqua mediante calore, quem in ea producit;at forma, quæ non per productionem alterius effectus distincti, sed immediatè per se ipsam in subiecto residentem aliam excludit, dicitur excludere formaliter, atq. ideo calor existens in aqua dicitur frigus expellere formaliter, & talis expulsio dicitur effectus eius formalis, non effectiuus.

Quæres, an vnio, quæ se tenet ex parte formæ ad subiectum sit effectus formalis formæ, vt dicebamus de vnione ex parte materiæ, quæ est effectus eius materialis? R. Negatiuè, & ratio est, quia vnio ex parte formæ, seu informatio est causalitas formæ in ordine ad materiam;vnio autẽ, quæ se tenet ex parte materiæ, non est eius causalitas, nec in ordine ad formam, nec ad compositum, vt infra patebit.

ARTICVLVS QVARTVS.
De Causalitate materiæ, & formæ in ordine ad se inuicem.

SCot. dubium hoc resoluit in 2. d. 1.q.5.lit.S.& in 4.d.13.q.1.B.& cõmunior modus dicendi, quem sequuntur Recentiores, est ille, quem docuit Suar. in Meth. disp.15.sec.4. nu 3.& sec.6.nu.9. quòd, scil. causalitas materiæ circa formam, quæ de eius potentia educitur, sit vnio ad formam per modum receptionis, & passiuæ informationis, causalitas autẽ formæ circa materiam, sit eius vnio ad materiam per modũ actiuæ informationis; ità Ruu. Auersa, & Alij.

Amic.

Amic. verò tract. de causa materiali q.4.dub.1.art.3. Hurt. disp. 5. Phys. sec. 3. cum Alijs negant causalitatem materiæ circa formam consistere in vnione, & informatione passiua, sed potius in receptione actionis agentis, qua effectiuè producitur forma ex materia, & amplectitur Ioan de S. Tho.q.11.art.1.alium modum dicendi sequitur Fuent. alium Sghem. & aliter Alij.

Conclusio.

Dicimus, causalitatem formæ erga materiam consistere in vnione eius ad materiam, seu in actiua informatione, & actuatione; causalitatem verò materiæ erga formam corruptibilem, quæ de eius potentia educitur, non consistere in illius simplici receptione, neq. in receptione actionis agentis, qua forma producitur, sed in concursu eductiuo, explicato per habitudinem ex quo aliud, scil. ex qua forma educitur tanquam ex subiecto. Est Scot.loc.cit. vbi ostendit respectum eductionis intrinsecus aduenientem esse causalitatem erga formam; respectum verò informationis actiuæ significat esse causalitatem formæ erga materiam, quantum ad illud esse specificum, & completum. amplectitur à Mastr.& Bell.disp.5.q.4.art. 1.Probatur quo ad omnes partes, & primò, quòd causalitas nihil aliud sit quàm actualis informatio formæ, seu eius vnio substantialis ad materiam: Illa est formalis causalitas alicuius, qua posita, ponitur effectus, & causa denominatur actualiter, & formaliter causa; at informatio actiua ex parte formæ circa materiam est huiusmodi, ergo &c. ma. patet, minor probatur, nam posita hac vnione formæ ad materiam per modum formæ in subiecto, statim habetur denominatio illa, quòd materia sit actuata, & formata, & ipsa informatione remota, quocumq. alio posito, talis denominatio non resultat, ergo.

Quòd verò causalitas materiæ erga formam corruptibilem non consistat in vnione eius ad illam per modum simplicis receptionis, & passiuæ informationis, inde patet, quia causalitas, qua materia causat formam, est vera causalitas, & forma est verus eius effectus, ac proinde in Scoti Doctrina censetur respectus intrinsecus adueniens, sed vnio materiæ ad formam est respectus extrinsecus adueniens, ex dictis, ergo &c. Tum quia recipiens quatenus recipiens, nō dat esse recepto, sed potius ex vi talis receptionis ab eo aliquid esse extrinsecum recipit, ergo ex vi simplicis receptionis formæ in materia, non potest forma effectus eius appellari. Tum quia anima rationalis verè in materia recipitur, & verè materia illi vnitur, & ab ea informatur, nec proinde ab ea per talem receptionē, & vnionem verè causatur.

Resp. Suar cum eius sequacibus, quòd causalitas materiæ circa formā corruptibilem, non consistit in quacumq. vnione, sed in vnione sustentatiua, quæ est diuersæ rōnis ab vnione cum anima rationali. Vult iste Doct. quòd in formis corruptibilib⁹ receptio earum in materia sit formaliter ipsamet sustentatio, & potentiā receptiuam earum in materia non distingui ex natura rei à sustentatiua. Sed hæc doctrina reiecta fuit disp. 5. art.11.vbi ostendimus, potentiam receptiuam materiæ in ordine ad for

mas corruptibiles distingui ex natura rei à sustentatiua, & pariter modum receptionis à modo sustentationis.

Sed quomodocũq. accipiatur, nunquam rectè explicatur causalitas pro receptione, & melius illi loquuntur, qui causalitatem materiæ erga formam explicant per sustentationem, licèt etiam, & isti deficiant, nam sustẽtatio absolutè sumpta cõis est tàm causæ materiali, quàm causæ efficiẽti, vt patet in Euch. vbi quantitas sustẽtatur à Deo in gen. causæ efficientis, & si accid. à verbo assumeretur, ab ipso sustentaretur absq. receptione. Tum quia ex Doct. in 3. d. 1. q. 1. A. respectus sustentati ad sustentans ex vi vocabuli non dicit absolutè ordinem causati ad causam, nam Verbum dicitur humanam sustẽtare naturam, & tñ nullum esse Physicum in eam influit, & qñ etiam significaret dependentiam causati ad causam, potius significabit dependentiam formæ à materia in facto esse, quàm in fieri, nomen.n. sustentationis propriè spectat ad rei conseruationem, non factionem.

Nec etiam rectè explicatur hæc dependentia formæ in fieri, per generationem, vt Suar. contendit, nam generatio propriè est compositi, non formæ ex 1. Phys. 64. vnde à Philos. consueuit vocari eductio formæ ex materia, non generatio. Tum quia ex 5. Meth. generatio sumpta pro causalitate ad agens spectat, non ad materiam, & in potentia actiua agẽtis fundatur, non in passiua materiæ.

Quòd etiam causalitas materiæ circa formam consistere non possit in receptione actionis, qua effectiuè producitur forma, vt Amic. & Hurt asserebant, inde probatur, quia causalitas materię circa formã est vera causalitas, & respectus intrinsecus adueniens, passio antem est resp ctus extrinsecus adueniens. Tum quia causa per suam causalitatem refertur ad effectum, sed materia, vt recipit actionem agentis, & vt ab eo patitur, non refertur ad formam, sed ad agẽs, ergo talis causalitas non potest in tali receptione consistere.

Ex his manifestè apparet, quòd causalitas materiæ formaliter potius consistat in concursu eductiuo materiæ ad existentiam formæ, qui explicatur per habitudinem, ex quo aliquid fit, vel educitur, vt Arist. explicuit in definit. materiæ, tàm in 2. Phys. quàm 5. Meth. dicens: *Materia est, ex qua aliquid fit*. Tùm quia per particulã *ex*, melius explicatur prioritas naturæ causæ materialis ad existentiam formæ, quàm per particulam in, nam etiam anima rationalis dicitur esse in materia, sed non ex materia.

Obiectiones.

Ob. 1. Quòd Causalitas formæ erga materiam non consistat in vnione, seu informatione actiua; nam causalitas dicit respectum intrinsecus aduenientem ex dictis, informatio actiua dicit respectum extrinsecus aduenientem, cùm ponatur in prædicamento habitus per Scotistas, ergo &c. vel si sic, ergo in respectu opposito, scil. in informatione passiua cõsistet etiam causalitas materiæ erga formam. R̷. Quòd causalitas referri potest ad duo, nempè ad effectum productum, & ad subiectum, in quo illum producit, quia etiam subiectũ dicitur

dicitur tunc causari in tali esse extrinseco, & determinato quod recipit à forma. V. g. ignis referri potest ad calorem, quem producit, & ad aquam, quam calefacit, quæ in esse calidi dicitur ab igne produci. Prima relatio veram importat causalitatem, quia terminus eius per eam recipit esse intrinsecum, & ideò est respectus intrinsecus. Secunda relatio non importat propriam causalitatem, nam subiectum recipiens formã, recipit ab ea esse extrinsecũ, & ideò est relatio extrinsecus adueniens. In proposito, causalitas materiæ erga formam est propria, & vera causalitas, quia in genere causæ materialis dat illi esse primum, & intrinsecum, & ideò est relatio intrinsecus adueniens, forma autem non ità causat materiam in suo esse primo, sed esse secundariũ, & aduentitium, & ideò eius causalitas, sicut non est vera causalitas, ità non importat relationem intrinsecus, sed extrinsecus aduenientem.

Ob. Pluribus in locis Arist. explicauit materiæ causalitatem erga formam per habitudinem *in*, sicut etiam Scot. in 1.d.3.q.7.lit. S. & alibi, vbi docet, quòd causalitas subiecti est receptio formæ. ℞. quod illa habitudo *in*, potest explicari dupliciter, scil. vel quod sit habitudo formæ ad subiectum, vt necessariò petat in eo fieri, & conseruari ex sua naturali indigentia, & sic bene explicatur causalitas materiæ, & in hoc sensu acceperunt receptionem Philosophi, & Scot. vel quòd dicat simplicem informationem, & vnionem, & negatur; nam etiam hæc reperitur inter animam, & corpus, & licèt Philosophi sæpius explicent causalitatem subiecti in ordine ad accid. per habitudinem *in*, & non *ex*, hoc agunt, quia accidens nõ habet materiam ex qua, vt compositum, sed tantùm in qua.

Ob. In facto esse causalitas materiæ melius explicatur per vnionem, quia forma non conseruatur sine vnione in materia, & forma dependet à materia transacta eductione, sola remanente vnione, ergo. ℞. Concedendo formam in materia conseruari mediante vnione, sed inde non benè deducitur, materię causalitatem in facto esse explicari debere per vnionem, vel in ea formaliter consistere, sed solùm, quòd forma à tali vnione pendet tanquam à cõditione necessaria, quomodo etiam dicimus compositũ substantiale à pluribus accidentibus in sui conseruatione pendere.

Ob. Quòd Causalitas materiæ erga formam explicari debeat per receptionem actionis agentis, qua producitur forma. Tum quia concursus causæ passiuæ, vt est materia, est pati ab agente, sed pati aliud non est, quã actionem recipere, ergo. Tum quia in hoc distinguitur receptio animæ rationalis in materia, à receptione formæ corruptibilis, quod actio, per quam recipitur anima rationalis est independens à materia, istà verò dependens.

℞. Ad 1. neg. ma. & ratio est, quia concursus materiæ dicitur passiuus etiam præciso ordine ad agens, quare si forma posset se ipsam materiæ vnire, adhuc eius concursus esset passiuus, cùm esset per modum receptionis, & sustentationis. Ad 2. eodẽ modo, nam receptio animæ rationalis, & aliarum formarum considerari

potest ex solo cōcursu subiecti, absq; recursu ad agens, quatenus receptio animæ est sine dependentia subiecti, receptio verò aliarum formarum cū dependentia ab eo.

ARTICVLVS QVINTVS.
De Causalitate Materiæ, & formæ erga compositum.

SCot. in 3. d. 2. q. 2. lit. F. loquens de vnione naturę humanæ ad Verbum, ait: *ad esse quidem totius, necessariò præxigitur vnio partium, nec tamen illa vnio est illud esse, quia vnio est respectus, & esse illud est absolutum &c.* subdens: vniuersaliter .n. absolutum causatum à plurib. causis necessariò pręexigit vnionem, & approximationem illarū; quibus verbis manifestare voluit, vnionem materiæ, & formæ in composito non esse causalitatem earum in ordine ad aliud, sed tm̄ conditionem, sine qua non, vt egregie exponunt Lych. & Arat. Recentiores, quibus præiuit Suar. sicut asserebant causalitatem materiæ circa formam esse vnionem ad formam per modum receptionis, & passiuæ informationis; & causalitatem formæ erga materiam esse vnionem eius ad materiam per modum actiuæ informationis; ità pariter contendunt communem vtriusq. causalitatem erga compositum esse earum vnionem ad inuicem, & mutuam cōmunicationem ex parte materiæ per modum receptionis, ex parte formæ per modum informationis. Ità Rou. 2. Phys. c. 7. tract. de causa materiali, & formali. Auersa q. 12. sec. 3. & 4. Amic. Hurt. & Alij. Quidam verò diuersimodè hanc causalitatem explicant.

Conclusio.

Dicimus, Causalitatem materiæ, & formæ erga compositum, non consistere in earū vnione adinuicē, vel in mutua cōmunicatione ꝑ modū receptionis ex parte materię, & actuationis ex parte formæ, sed in relationibus earum, vt principiantium, & componentium ad principiatum, & compositum, explicatis à nobis per habitudines, ex quibus aliud componitur tamquam ex partibus potentiali, & actuali. Est ad mentem Scoti loc. cit. & in 2. d. 12. q. 1. & 9. Meth. q. 4. §. *Sciendum &c.* quem adamussim ex Recētioribus Scotis sequūtur Mastr. & Bell. in 2. Phys. disp. 5. q. 6. art. 2. Prob. & quòd earum causalitas erga compositum in earum vnione consistere nequeat, patet; quia licèt materia, & forma non causarent compositum, nisi vnirentur, prius tñ conciperentur illæ vnitæ, quàm causantes, ergo earum causalitas non consistet formaliter in vnione. Tùm quia compositum dicitur resultans ex partibus vnitis, eo quomodo vnio præsupponitur tali causalitati. Tum quia dicere, quòd materia, & forma causent seipsas vt vnitas, aliud non est, quàm asserere materiam, & formam causare vnionem in seipsis, at per ipsos vnio non est effectus, sed causalitas, ergo. Tum quia vnio ex dictis, & infra dicendis est respectus extrinsecus aduenieus, & refert materiam, & formam, vt eas denominet vnitas, effectus .n. formalis vnionis est vnire, non componere, & causare, ergo vnio non erit earum causalitas in ordine ad compositum, nam causalitas propriè importat relationem secundi modi, fundatam super poten-

potentiam causatiuam ex 5. Meth. 20. & refert materiam, & formam, vt causas ad compositum, & causatum, non ad vnitum.

Melius igitur explicari non poterit, quàm per habitudines, ex quibus aliud, scil. compositum constituitur, ex hac tamquam ex parte potentiali, ex illa verò tanquam ex parte actuali, & manifestè colligitur ex Arist. 5. Meth. cap. 3. vbi ait: elemētum esse, ex quo res componitur primò inexistente; at materia, & forma sunt elementa compositi, ergo.

Pōcius Aduersatur nostræ doctrinæ, & primò ait, quòd non bene citatur Scot. pro nostra sent. nam loc. cit. non ait, quòd vnio concurrat tantùm vt conditio sine qua non, non verò vt causalitas ad constitutionem compositi. At licèt verum sit, non exprimere ibi à Doct. explicitè, quòd illa vnio sit tantùm conditio, colligitur tñ ex paritate, quam ibi assumit de approximatione, quæ est vera conditio, dum inquit: causatū à pluribus causis necessariò præexigit vnionem, & approximationem illorū causarum; & quando ex hoc capite Doctrina Scoti nobis non faueret, neq. ipsi Poncio suffragatur, quia neq. etiam Doct. loc. cit. ait, quòd vnio sit causalitas. Attamen maior probabilitas est pro nobis, nam ipse pro sua sententia nullum expositorē Doctoris adducit, at nobis fauet Lych. Expositor insignis, fidelissimus, & supremus, qui docet, vnionem præcedere totum, non sicut causalitas totius, sed sicut effectus prior posteriorem, & idem habet ibidem Aretinus Scotista candidus, & eximius. Multa alia assumit Poncius ad sent. nostram labefactandam in Appen. Apol. nu. 209. & seq. cui adæquatè resp. Mastr. ibi, & in lib. de gen. ad quos ociosos remittimus.

Obiectiones.

Ob. Recent. Causalitas est illa, per quam causa denominatur actualiter causans, sed ab vnione partes denominantur actualiter causantes, ergo &c. maior patet, min. probatur: istæ causæ constituunt compositum communicando seipsas composito, sed communicatio non consistit in alio, quàm in mutua vnione, nā dum forma se communicat materiæ, & hęc formæ, constituitur compositum. R. Negando min. & ratio est supra assignata, quia per vnionem partes denominantur vnitę, & referuntur ad inuicem, non ad compositum, ad q̄ solùm referuntur in ratione causarū per illas habitudines, *ex quibus aliud, tanquam ex partib.* Ad probat. iterum negatur min. nam per vnionē vna cōmunicatur alteri, nō à bæ composito, licèt ex hac communicatione ad inuicem, sequatur postea communicatio earumdem composito per illas habitudines, ex quib⁹ fit aliquid, tanquam ex partibus; Vnde cùm materia communicatur formæ, & è cōtra, per hanc communicationem non constituitur formaliter compositum, sed tm̄ præsuppositiuè, quatenus hęc communicatio, seu vnio præsupponitur necessariò constitutioni compositi.

Hinc aduertimus, quòd compositio potest dupliciter accipi, vno modo grammaticaliter, prout sonat nominis Ethymologia, alio modo Philosophicè, vt significat causalitatem partium in ordine ad totū, in primo

sensu

sensu compositio nihil dicit, quàm partium vnionem, seu partium simul positionem; at secundo sensu, compositio non versatur inter vnionem, & partes vnitas, sed inter partes, & totum; vnde compositio in primo sẽsu est tm̃ respectus extrinsecus aduenieus, in secundo sensu, quia dicit cau salitatem, est respectus intrinsecus adueniens, & concedimus etiam Aduersarijs implicare materiam formæ vnitam intelligere, & non intelligere compositionem, quia tunc partes intelliguntur in vltima dispositione causandi, cum vnio necessariò requiratur ad compositionem, & sit effectus præuius, qui concomitanter effectum secundarium naturaliter exposcat.

Ob. Materia, & forma causant cõpositum, non alia rõne, nisi quia constituuntur partes eius, at non cõstituuntur tales, nisi per vnionem, ergo vnio est earum causalitas. ℞. Neg. min. materia. n. & forma constituuntur partes totius per vnionem, tantùm præsuppositiuè, & veluti per conditionem necessariam præuiam, non verò formaliter, & per illas habitudines, ex quibus aliud; nam esse partem Physicam, est esse id ex quo aliud, non id cum quo aliud, at materia, & forma per vnionem denominantur id cum quo aliud est vnitum præcisè, non id ex quo aliud.

Ob. Posita vnione materiæ cũ forma, præcisis omnibus alijs, intelliguntur materia, & forma suas exercere causalitates, & sine vnione, omnibus alijs remanentibus, non possunt intelligi suas causalitates exercere, ergo earum causalitas in tali vnione cõsistet. ℞. Neg. assumptum, cũ sua probatione, intellectā. n. vnione materiæ, & formæ, præcisis habitudinibus, *ex quibus aliud*, nulla intelligitur earum causalitas, sed solùm ad se inuicẽ materiam esse cum forma; estò verum sit, posita vnione partium necessariò sequi earum causalitatem, tunc. n. in vltima dispositione causandi intelliguntur, cùm sint causæ intrinsecæ compositi.

Ex his facilè colligitur, quid sit ꝓpriè causa materialis, quid verò formalis. *Causa materialis est principium, ex quo tanquam ex subiecto aliquid fit*. Dicitur *principium*, loco gen. vt ex subiecto, vt denotetur modus proprius causãdi materię, & quo ab alijs causis secernitur; nam res a causa efficiente dicitur fieri ab agente; & à causa finali, propter finem; & licèt compositum dicatur etiam ex forma fieri, non tamen tanquam ex subiecto. Additur, *fit aliquid*, quod potest dupliciter intelligi, vel per eductionem, & ità explicatur causalitas materiæ respectu formę, vel per cõpositionẽ, & sic explicatur causalitas respectu cõpositi: quam definitionem potest etiam recipere suo modo subiectum receptiuum formarum accid. nam etiã formæ accid. educuntur de potentia suorum subiectorum, & cum eis suo modo compositum accidentale constituunt, ad quod etiam genus causæ materialis, estò minus impropriè, spectare videntur partes integrales respectu totius integralis, elementa respectu mixtorũ, literæ respectu Syllabarũ, termini respectu ꝓpositionũ, & ꝓpositiones respectu Syllogismi.

Causa formalis est *Principium, per quod materia determinatur, & constitui*-

ſtituitur compoſitum in certa ſpecie. Principium, ponitur loco generis. Per quod, explicatur proprius modus cauſandi formæ; nam cauſa efficiens dicitur à quo, finalis dicitur propter quod, materia principium ex quo, forma per quod, nam per ipſam materia perficitur, & compoſitum in eſſe completo, & ſpecifico conſtituitur, quæ ratio competit etiã ſuo modo formæ accidentali reſpectu ſui ſubiecti, quod etiam ſuo modo afficit, & ad certam ſpeciem accidentalem determinat, & cum eo conſtituit compoſitum per accid. in determinata ſpecie accidentali. Ad quod genus cauſæ licèt minus propriè reducuntur continuatiua reſpectu partium in toto integrali, copula in propoſitione, forma extrinſecè denominans ſubiectum per ſimplicem terminationem, vt viſio denominans parietem viſum &c. Et per quamdam etiam ſimilitudinem reduci ſolent genus, & differentia, nam genus in compoſitione Meth. dicitur pars materialis, differentia pars formalis; attamen ſicut genus non diſtinguitur realiter à ſua differentia, nec totum Meth. à ſuis partibus, ità inter ea non reperitur vera cauſalitas.

Dubium.

Hic dubitari ſolet, Quænam ſit ratio proxima, & immediata cauſandi materialis, & formalis cauſæ. Thomiſtæ paſſim docent materiam, & formam ſuos effectus cauſare immediatè per ſuas proprias entitates. Auerroiſtæ verò facientes quantitatem coæuam materiæ primæ, vt ſit idonea ad recipiendas formas, aſſerunt, proximam rõnem cauſandi in materia eſſe quantitatem. Nos, qui Doct. Subtil. veſtigia ſequimur, defendimus cum ipſo in 2.d.12.q.1. D. & alibi, materiam, & formam ſuos effectus cauſare tãquam per rationem proximã, & immediatam, non per ſuas entitates abſolutè ſumptas, nec per aliquid ſuperadditum realiter diſtinctum entitatibus earum, ſed per ſuas entitates includentes reſpectum traſcendentalem potentiæ, vel actus, eidem realiter identificatum. Et deducitur manifeſtè ex mente Ariſt. qui vbicumq. docet ex materia, & forma fieri vnum per ſe, aſſignans rationem, ait, quia hoc eſt per ſe potentia, illud per ſe actus. Patet, quia exercere non poſſunt ſuas cauſalitates per ſuam entitatem abſolutã præciſè, quia in hoc ſenſu non intelligitur concurrere ad conſtitutionem cõpoſiti, vt potentia, & actus, ſed ſolum ſm̃ prædicata primi modi, & in prima notione, quod eſt cõtra Ariſt. nam in hoc ſenſu eſſentia materię nõ dicit per ſe ordinem ad actum, ſed abſolutã ſubſtantiã in ſe, & non ad aliud, & idem aſſeritur de forma, & tñ Philoſophus ſemper locutus fuit de eis in 2. notione, quia hoc eſt per ſe actus, illud per ſe potentia, & 5. Meth. 20. manifeſtè docet relationes ſecundi modi, quæ ſunt cauſantis, & cauſati, producentis, & producti fundari ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam. Nec poſſunt ſuas exercere cauſalitates per entitatẽ aliquam eis ſuperadditam, quia materia, & forma ſunt cauſæ intrinſecæ compoſiti, & ideò, ſi hoc modo, cauſarẽt, cõpoſitum foret aggregatum per accid. q. illud ſuperadditum includeretur in eſſentia compoſiti, veluti per ſe, & proxima ratio illud cauſandi.

Neq.

Neq. sm rem est inter Thomist. & Scotist. controu. nam dum Illi negāt materiam, & formam causare per aliquam entitatem superadditam, tanquam per aliquam rōnem causandi immediatam, solùm per hoc excludere intendunt aliquod accid. super additum materiæ realiter distinctum, vt est calor igni, quod nos etiam asserimus. Et cum ex alia parte affirmant materiam, & formam causare per proprias essentias, & entitates tanquam per proximas, & immediatas rōnes causandi, non excludere intendunt ab eis rōnem potentiæ, & actus, sed sic loquuntur, quia imagiuantur huiusmodi respectus trascendentales constituere essentias materiæ, & formæ, quod nos sæpè respuimus, & volumus huiusmodi relationes esse proprietates ab entitatibus earum pullulantes, & accipi in 2. notione, non in prima.

Dices, Scot. in 2. d. 1. q. 2. lit. E. docet ad absolutum in causa sequi immediatè absolutum in effectu. ℞. Per illa verba Doct. solùm excludere intendit entitatem nouam accid. siuè absolutum, siuè respectiuum, quasi medium, vel viam inter causam, & effectum quando actu causat; sed non excludere respectum trascendentalē virtutis, seu potentiæ causatiuæ ipsis entitatibus absolutis identificatum.

Ais, in igne ratio proxima, & immediata ignitionis est sua essentia, ergo idem etiam asserendū erit in proposito de materia, & forma, & tantò magis, quia istæ sunt causæ intrinsecæ. ℞. Neg. ant. nam etiam in igne est respectus trascendens realiter cū eo idētificatus velut in potentia actiua radicalis, & hæc est ratio proxima, & immediata causandi.

Ob. Relatio non potest esse ratio proxima causandi immediatè ens ab solutum, & substantiale, vt est compositum. ℞. Nos per huiusmodi rōnes agendi, seu causandi non intelligere relationem illam trascendentalem esse solam rōnem proximam, & integram causandi, sed cum illa inuoluere intendimus etiam entitatem absolutam causæ, quia hoc totum est illud, quod dicitur potentia actiua, vel passiua, & ideò dicimus materiā, & formam causare suos effectus per suas entitates, includentes tamen respectus trascendentales, & in hoc sensu materia, & forma in secunda notione accipiuntur.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Deus supplere possit causalitatem materialem, & formalem.

SCot. hoc dubium resoluit in 2. d. 5. q. 2. C. & d. 8. q. 4. X. & alibi pro cuius intelligentia supponimus ex dictis, materiam, & formam duplicem exercere causalitatem, alteram extrinsecam in ordine ad se inuicem, alteram intrinsecam respectu compositi, cuius sunt partes, hæc in ordine ad compositum dicitur intrinseca, quia communicantur illi per exibitionem suarum entitatum, & constituendo partes eius intrinsecas; causalitas verò earum in ordine ad seipsas ad inuicem dicitur quasi extrinseca, quia materia causando formam, non illi seipsam præbet, sed quasi ad modum causæ efficientis ab extra influit esse; sic etiam forma licèt

cèt in materia subiectetur, non tñ constituitur pars eius, sed tm̃ suum esse formale extrinsecum ei communicat, vnde tale esse per formam materiæ communicatum dicitur ei extrinsecum, & aduentitium.

Conclusio Prima.

Dicimus primò in nullo gen. causę posse Deum supplere causalitatem intrinsecam, quam materia, & forma exercent in ordine ad compositũ. Est Scot.loc.cit. à quô ità probatur: Causalitas materiæ, & formæ dicunt imperfectionem, & eam præsertim, quam circa compositum exercent, quia illa causant per modum partis; at habere rõnem partis dicit imperfectionem, ergo &c. & hac rõne cõiter vtuntur Doctores ad hanc cõclus. probandam, hæc tñ ratio solùm probat, Deum supplere non posse huiusmodi causalitatem in eodem gen. causæ materialis, & formalis ob imperfectionem, sed non probat quin supplere possit in genere causæ efficientis, sublatis tñ imperfectionibus. Ideò addendum est, quòd neq. in gen. causæ efficientis hoc suppleri potest, & ratio est, quia materia simul cum forma includuntur in composito quidditatiuè, & sunt de eius essentia, ac ꝓpterea nec efficere illud potest Deus, nec cõseruare sine partibus, & hoc non solum rõne imꝑfectionis, sed etiã rõne implicãtiæ.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. in nullo gen. causæ posse Deum supplere causalitatem extrinsecam formæ in materia. Patet ex Doct. loc. cit. in 2. d. 8. vbi ait, imperfectionis esse, quòd forma in creatis sit forma informans aliquid, probatur: effectus huiusmodi causalitatis, non est quid entitatiuè distinctum ab ipsa forma existente in subiecto, vt V. g. parietem esse album, nil aliud est formaliter loquendo, quàm habere in se albedinem, sed talis effectus præstari nõ potest à Deo neq. in gen. causæ efficientis, ergo &c. ma. est clara. mi. probatur, quia modus causandi causæ efficientis fit per productionem effectus ab ea realiter distincti, & non per communicationem suæ entitatis subiecto, in quod agit: Quòd autem à Deo suppleri non possit in gen. causæ formalis, inde patet, quia esse causam formalem alicuius subiecti in hoc sensu importat formaliter, esse actum, & perfectionem ordinatam ad perficiendum subiectum, quod præstari non potest, nisi media vnione in ipsa forma recepta, at Deus non est huiusmodi, vti õnibus euidẽter patet, ergo &c. hinc aduertendum, quòd repugnat causam formalem separari à suo effectu formali primario, implicat .n. dari calorem in aqua, & aquam non esse calidam, & è contra aquam esse calidam, & non habere calorem, hoc .n. est esse calidum, quod habere calorem.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. neq. posse Deum causalitatem extrinsecam materiæ in formam, in proprio gen. supplere, benè tñ in alio genere scil. causæ efficiẽtis. Colligitur ex Scot. loc. cit. & recipitur cõiter. primum patet, quia hæc causalitas est eductio, & sustentatio formæ, quæ prorsus exerceri non potest, nisi per subiectionem rei sustentantis ad rem sustentatam, vt patet de subiecto respectu accidentis, quia subiectũ habet in se accid. quod illi

illi inhæret, & subiectum se habet vt potentia, accid. vt actus; illud est receptiuum, hoc receptibile; illud est perfectiuũ, hoc perfectibile; At Deus non potest hoc modo formam recipere, & sustentare, ergo nequit causalitatem hanc materialem in eodem gen. supplere.

2 Quòd autem Deus supplere possit causalitatem hanc in genere causæ efficientis, probatur ostendendo modum, quo potest à Deo hoc fieri, potest.n. fieri conseruando formam sine vnione ad materiam, per solam actionem conseruatiuam, qua formam illã in subiecto antea conseruabat, & cessando ab influxu conseruatiuo subiecti, vel vnionis, quæ sola actio conseruatiua sufficit, vt forma substantialis, vel accidentalis sine subiecto in rerum natura existat, & patet euidenter ex venerab. Euch. Sacramento, vbi iam quantitas existit, licèt non subiectetur in materia, quæ ibi non reperitur.

Obiectiones.

Ob. Contra 1. omnis causa secunda pendet à Deo in essendo, & causando, ergo cum quacumq. concurrit iuxta specialem modum causandi illius, & consequenter cũ materiali, & formali in gen. proprio, at quicquid Deus agit cum causis secundis, potest se solo efficere, ergo &c. & Scot. in 2. d. 5. q. 2. docet, quòd totum genus causæ materialis reducitur in Diuinam omnipotentiam. ℞. Neg. conseq. nam Deus concurrit vtiq. cũ quacumq. causa secunda, sed non semper in eodem genere, quando præsertim imperfectionem includit, nam tunc concurrit modo eminentiori, scil. effectiuo; & verum est Deum se solo efficere posse quicquid agit medijs causis secundis, vbi tñ non interuenit specialis repugnantia, vti est in proposito de causalitate intrinseca materiæ, & formæ erga compositum. Scot. ibi loquitur de causalitate extrinseca materiæ erga formã, & in alio genere.

Ob. Contra 2. forma sm cõem opinionem vnitur materię per vnionem, quę est in materia, ergo poterit Deus semetipsum vniri subiecto absq. vl a imperfectione receptionis, & mutationis, per solam extrinsecam terminationem vnionis existentis in materia. ℞. Neg. assumptum, nam vt infra patebit, non potest forma vniri subiecto sine aliqua sui mutatione, quæ mutatio non fit, nisi per receptionem vnionis, quo intrinsecè dicatur formaliter vnita subiecto, quod informat.

Ob. Contra 3. quod, scil. Deus possit causalitatem materialem extrinsecam supplere in eodem genere causæ, nam causalitas efficientis causæ non continet causalitatem materialẽ nec formaliter, nec èminenter, ergo si hanc supplet Deus, in proprio genere supplere debet. ℞. Neg. assumptum cum Doct. in 4. d. 12. q. 1. lit. E. & iam insinuatus est modus, quo potest à Deo suppleri materiæ causalitas in formam, quatenus, scil. forma, quæ prius à Deo conseruabatur in subiecto, conseruatur deinceps sine concursu subiecti sustentantis, & à sola virtute causæ efficientis dependens.

Dices, Materiæ causalitas in formam est extrinseca, sicut causalitas efficientis, ergo si Deus hanc supplere potest in proprio genere, similiter, &

ter, & illam: ℞. Neg. paritatem, nã licèt materiæ causalitas assimiletur efficienti in quantum vtraq. causa est suo effectui extrinseca, quatenus eã intrinsecè non componunt; causa tñ efficiens dicitur adhuc peculiari quodam modo extrinseca effectui, quia non indiget vnione naturali cũ ipso, quod materiæ conuenire non potest, cum potius natura sua exigat vnionem cum suo effectu, idest cum forma, eam in se recipiendo, & sustentando.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An possit eadem materia simul informari pluribus formis substantialibus non subordinatis.

SCot. in 2. d. 15. q. vn. de hoc Art. differens, ait: *Dico quod elemẽta non maneãt in mixto secundum substantiam, siuè remissam, sicut dicit Coment. siuè non remissam sicut ponit Auic. cuius ratio est, quia non est ponenda pluralitas sine necessitate &c.* Supponimus, per formas non subordinatas illas intelligi, quæ sunt ità completæ, vt non indigeant seipsis adinuicem ad aliquas operationes exercendas, nec vna alteram supponit tanquam suum subiectum, aut sui subiecti constitutiuum, vt sunt V. g. forma ignis, & aquæ, anima hominis, & anima leonis &c. & dubium non est, an possint esse successiuè in eadem materia, nam id fieri quotidiana experientia constat, vnde axioma illud cõe exortum est, quòd generatio vnius sit corruptio alterius, quatenus forma rei genitæ succedẽs in eadem materia formę rei corruptę, etiam ab illa expellit. Sed Controuersia est, an plures formæ substantiales possint esse simul in eadem materia, & examinatur tàm quò ad potentiam naturalem, quàm supernaturalem, & tres sunt sententiæ. Prima affirmat posse plures formas disparatas esse simul in eadem materia, quando præsertim sunt formæ, quæ non exigunt naturaliter oppositas dispositiones, quam Arriag. disp. 3. nu. 101. probabilem putat. Secunda sent. negat id fieri posse naturaliter, supernaturaliter verò concedit, ità Greg. in 2. d. 12. Suar. disp. 15. Meth. sec. 10. Hurt. disp. 4. Phys. sec. 3. ac plures alij, quos ex Scotistis sequũtur Sghem. 1. Phys. digress. 7. Mastr. & Bell. in Phys. disp. 5. art. 2. & Ponc. lib. 1. Phys. disp. 4. nu. 44. Tertia negat absolutè per vllam potentiam id fieri posse, & est cõis apud Thomistas cum D. Thom. 1. p. q. 76. quos sequuntur Vasq. de Incarn. disp. 4. sec. 6. & ex Scotist. Aret. & Fuent.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. plures formas substantiales disparatas specie, vel numero diuersas non posse simul in eadem materia naturaliter reperiri. Est ad mentem Scoti loc. cit. & probat. 1. experientia, nam ad introductionem nouę formæ expellitur semper à materia altera, quæ præexistebat, quod non contingeret, si possent naturaliter simul inesse materiæ. Suadetur 2. quia naturaliter formæ diuersæ, & disparatæ diuersas, & incompossibiles requirunt dispositiones, ergo naturaliter simul vniri non possunt, sicut neq. earum dispositiones prærequisitæ, ideoq. in huiusmodi formis semper naturaliter verum est, generationem vnius, esse corruptionem alterius, quæ conclusio magis patebit ex solut. obiect.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. dari posse De potentia Dei absoluta plures formas non subordinatas in eadem materia. Est ad mentem Scot. loc. cit. & in 4. d. 10. q. 2. P. & magis cõis, & patet ex dictis, diximus .n. quòd licèt materia sit vna, non tamen est limitata ad hanc, vel illam formam, sed ad omnes illimitata, & indeterminata, & cum vnã recipit, ad huc capacitatẽ ad aliã retinet, nõ tñ post aliã simul, & semel recipere q̃a naturaliter vna forma disparata aliã expellit, ergo impedimentũ, quo materia nõ possit informari simul, & semel duab' formis disparatis, nõ ꝓcedit ex natura illius ab intrinseco, sed ex parte formarũ, quarũ sicut effect' primari' est informare, ità effectus secundarius est vnam expellere aliam, siuè naturaliter impedire, ne alia informet simul cum ipsa; At hic effectus secundarius impediri potest à Deo, sicut in genere quantitatis, ponendo duas dimensiones in eodem loco, & duo contraria in eodẽ subiecto, ergo similiter duas formas disparatas in eodem subiecto.

Resp. Aliqui Tertiæ sent. negando quemcumq. effectum secundarium formæ posse à Deo impediri, nam V. g. ad positiuam entitatem lapidis sequitur necessariò negatio cuiuscumq. alterius formæ disparatæ, atq. ideo posita forma lapidis in materia, non potest simul poni forma panis, cũ forma lapidis secum afferat necessariò in eodem subiecto negationem formæ panis. Negant etiam paritatẽ assumptam de duobus corporibus in eodem loco, & de duobus contrarijs in eodem subiecto; cum .n. contraria sint formæ accidentales, & non dent esse simpliciter, sed sm quid, non est inconueniens simul informare idem subiectum; nam ex hoc solùm sequitur, quòd idem sit in pluribus speciebus accidentalibus, at positis in materia duabus formis substantialibus, idem esset simul in duplici specie essentiali, quod contradictionẽ infert.

Sed resp. hæc si quid probaret, concluderet etiam duas formas accidentales disparatas in eodem subiecto esse non posse, nã albedo V. g. secum defert negationem cuiuscumq. alterius formæ, albedo .n. essentialiter & specificè differt à dulcedine, & ità cum ipsa consistere non posset in eodem subiecto. Æquiuocatio igitur consistit in hoc, quòd aliud est loqui de negatione essendi aliud, & aliud de negatione essendi cum alio, quælibet forma in subiecto secum necessario defert primam negationem, q̃a hæc sequitur suam entitatem, & cum subiecto constituit tale compositum, & non aliud, sed non defert secum inseparabiliter, & necessario negationem essendi cum alio, aliter quæcumq. forma in quocumq. subiecto esset incompossibilis cum alia forma, quod est falsum; sic in proposito, forma lapidis in materia duplicem defert negationem formæ panis, scil. negationem essendi illam, & negationem essendi cum illa, prima negatio non potest à Deo impediri, quia fieri non potest, vt entitas formæ lapidis non sit distincta ab entitate formæ panis, altera tñ negatio benè à Deo impediri potest, cum consistat in expulsione, & actuali impossibilitate vnius formæ cum alia.

Nec rectè negatur paritas assumpta de duobus contrarijs in eodem subiecto, &

cto, & de duobus corporibus in eodē loco q̄a sicut expulsio cōtrariorū ab eodē subiecto, & quantitatum ab eodem loco est effectus secundarius illarum formarum, atq. ideò à Deo impedibilis, ità etiam expulsio, & incompossibilitas actualis formarum substantialium disparatarum in eadē materia, esset effectus secundarius illarum, & impedibilis à Deo. Nec sequitur idem esse in duplici specie essentiali, nam dato casu, quòd materia esset simul sub forma lapidis, ipsa tū materia semper esset in vnam spe cie sibi intrinseca, & essentiali, scil. sub specie materiæ, & reductiuè tū, & extrinsecè sub pluribus formis disparatis, sicut substantia lactis est intrinsecè sub specie lactis, & reductiuè tū sub specie albedinis, & dulcedinis. Si verò sermo fiat de suppositis ex ipsa constitutis, vnumquodq. esset in sua propria specie, lapis, scil. sub specie lapidis intrinsecè, & essentialiter, & panis sub specie panis essentialiter, ità Bell. Mastr. & Ponc.

Obiectiones

Ob. Contra Primam: Forma, quæ introducitur, expellit formaliter aliam, ergo est simul cum illa in materia. Resp. Aliqui concedendo cōseq. pro aliquo instanti: non valet; si .n. possent compati duæ formæ naturaliter in instanti, possent etiam cōpati simul per totam æternitatem. q̄a non est maior ratio de instanti, quam de tempore sequenti. Ideò melius negatur cōseq. nā q̄n. est primū esse formæ nouæ, non est forma præcedens.

Ob. Arriag. de facto simul cum forma ferri remanet in eadem materia ignis, quando ferrum candet, ergo naturaliter hujusmodi duæ formæ simul manent, anteced. patet; nam est ibi forma ferri, quia cessante calore, iam eadem ibi reperitur, & non ostenditur alia causa, à qua talis forma producatur; est etiam ibi forma ignis, vt sensu cognoscitur, quia sunt ibi omnia accid. formæ ignis, non minus quàm in carbone accenso, ergo &c. qua rōne putat oppositum conclus. satis esse probabile. ℞. Neg. anteced. cum sua probatione, licet .n. sit ibi vehemens calor per totum ferrum, & fortè multum ignis intra poros ipsius ferri, rōne cuius apparet ignis, seu potius ignitum, non est tū ibi per totum forma ignis; & ratio est euidens, si .n. ibi esset forma ignis, falsum esset axioma illud Philos. ab omnibus receptum, quòd generatio vnius sit corruptio alterius, quia generaretur ibi ignis absq. vllius corruptione, & postea in frigefactione ferri corrumperetur ignis absque vllius generatione.

Contra Secundam objiciunt ex pluribus absurdis, & implicantijs, quæ sequerentur. Prima ex nostra doctrina sequeretur, quòd expellere formam aliam à subiecto esset effectus formalis, & non esset effectus formalis formæ, esset effectus formalis, vt supponitur; & non esset, quia posset à Deo impediri, q̄ poneretur vtraq. forma simul in materia. ℞. Negando sequelam, quia iàm ex dictis, benè potest Deus impedire effectum formalem secundarium formæ, qualis est expulsio alterius formæ, sicut impedire potest quo minus vnū corpus aliud expellat.

Secunda implicantia est, quia ex tali coniunctione compositum inde resultans esset simul, & semel vnum, & plu-

& plura specie, & numero, quia propter identitatem materiæ, vnum iudicari deberet specie, & numero; specie, quia materia non est minus pars essentialis compositi, quam forma; numero, quia ex 5. Meth. c. 9. ea sunt vnum numero, quorum materia est vna: At propter diuersitatẽ formarum deberet dici plura numero; vnde compositum istud esset veluti Hircoceruus, & Chimera, quia nec propriè dici posset plura, nec propriè vnum, quia duæ formæ cõpletæ non possunt vnum per se constituere. ℞. Ex tali coniunctione nullam sequi implicantiam, quia constituerentur simpliciter plura composita, & supposita essentialiter distincta; hinc quamuis materia panis, & lapidis sit eadem specie, non idcircò panis, & lapis sunt eadem specie, & ratio est, quia identitas specifica attenditur solùm in ordine ad integrã rei essentiam, non ad partem illius, & si penes partem attenderetur, non penes partem potentialem, & determinabilem, veluti est materia, sed penes partem actuantem, & determinantem, qualis est forma, cuius propriè est in specie constituere, & specie distinguere vnum constitutum ab alio; sicut de facto licèt eadem numero materia transeat à forma ligni in formam ignis, non propterea lignum, & ignis dicitur idem compositum numero, ob identitatem materiæ, sed adhuc dicuntur specie, & numero diuersa ob solius formæ diuersitatem; ità in proposito, licèt eadem esset materia vtriusq. compositi, panis, scil. & lapidis, composita tñ forẽt inter se simpliciter diuersa specie, & numero, qñ autem Philosoph. ait: illa esse eadem numero, quorum materia est vna, non loquitur de materia partis, sed de materia pro differentia indiuiduali, vt Scot. exponit in 2. d. 3. q. 6. lit. Q. & R. Nec materia sic informata esset Hircoceruus, & Chimera, nam hæc sunt merè impossibilia, quia apprehenduntur veluti composita per se resultantia ex duabus naturis completis, at prorsus implicat ex duobus suppositis resultare tertium suppositum, in casu autem nostro composita coalescerẽt ex materia, & forma, nam ex materia cum hac forma resultaret vnum per se compositum, & ex eadem materia numero cum alia forma disparata, resultaret aliud compositum disparatum.

Tertia, ex tali coniunctione sequeretur duo supposita posse de se inuicem prædicari, nam ideò in lacte dicitur hoc album est dulce, quia duo accidentia sunt in eodem subiecto, ergo similiter si duæ formæ substantiales essent in eadem materia, supposita, quæ ex illis resultarent dicerentur de se inuicẽ, & quòd homo esset equus, & è contra. Sed hoc implicat, quia de rõne suppositi est, quòd sit incommunicabile, vt quo, & vt quod ergo. ℞. Negando sequelam, & ad probationem dicimus, quòd diuersa est ratio de duabus formis accidentalibus in eodem subiecto, & duabus substantialibus in eadem materia; nam formæ accidentales in eodem subiecto explicantur nominibus connotatiuis, vt patet de dulcedine, & albedine in lacte, & consequenter potest in eis fieri mutua prædicatio, & quod album sit dulce, & quod dulce sit album,

bum, vtroq.n. nomine semper idem connotatur subiectum; forma autem substantialis in materia non explicatur nomine cônotatiuo adiectiuo tantû, sed nomine absoluto, & substantiuè, nam dicimus homo, equus, lapis &c. hinc si plures inuenirentur in eadem materia, non posset fieri mutua prædicatio. Si autem ipsæ formæ substantiales etiam adiectiuè explicarentur, dicendo V. g. humanatû, equinatû &c. in tali sensu fieri potest mutua prædicatio, dicendo humanatû est equatû &c. tûc.n. sensus esset, quòd subiectum informatum forma humana, esset etiam informatum forma equina; sicut è contra, si composita accidentalia nominibus absolutis appellari possent non posset inter ea fieri mutua prædicatio, quia licèt esset idem subiectum, quod afficeretur albedine, & nigredine, non tamen esset compositum accidentale. Qñ igitur dicitur, quòd album est dulce, sensus est quòd res illa, quæ est alba, sit etiam dulcis, quod verum est; quando verò diceretur, quod lignum est ignis, sensus esset, quod res illa, quæ est lignum, sit res illa, quæ est ignis, quod falsum est.

Sed dices, Deus, & homo sunt nomina absoluta, & tñ quia vniuntur duæ naturæ in eodem supposito, dicuntur de se inuicem, vt in Christo patet, qui dicitur Deus, & homo, homo, & Deus, ergo similiter in casu. ℞. Neg. sequelam, & ratio est, q̄a estò hæc nomina significantia naturas integras substantiales sint absoluta à subiecto, sunt tñ connotatiua respectu suppositi, idcirco cum in Christo sit vnum, & idem suppositum vtriusq. naturæ, valet mutua prædicatio, at in casu nostro forent duo supposita, & ideo fieri non posset mutua prædicatio, vt.n. duæ naturæ essentialiter diuersæ prædicentur de se inuicem etiam in concreto, non sufficit vnitas materiæ, sed requiritur vnitas suppositi.

Quarta. Si corpus hominis V. g. informaretur duabus animabus, constitueret duos homines, & tunc vel volente aliquid vno, alter necessariò vellet, quod est contra libertatem creaturæ rõ ıalis, vel posset dissentire, & non velle ambulare, in quo casu nõ posset dici quid fieret, quod absurdissimum est. Confirmatur magis, quia maior implicantia sequeretur, si ponatur idem corpus informari simul anima ouis, & anima canis, nam viso lupo non potest determinatè dici quid ageret, an persequeretur lupum, vel fugeret; & maior adhuc repugnantia experiretur si idem corpus informaretur anima rationali, & brutali.

℞. Ex Scoti Doctrina in 4.d.10.q.2.R. vbi docet, quomodo se haberet corpus idem existens in pluribus locis in operãdo, & patiendo &c. Supponimus igitur ex eodem duo actionum genera hominum exercere, scil. organicas, vt videre, audire, dormire &c. Et inorganicas, vt intelligere, & velle. Si idem corpus informaretur duabus formis humanis V.g. anima Petri, & anima Pauli, quoad actiones inorganicas vno operante, non necessariò operaretur alter, ideò Petro considerante aliquod Obiectum, posset Paulus non illud considerare, sed aliud, & maximè in secunda motione, in qua anima non indiget phãtasmatibus tanta necessitate, vt in prima;

prima; Similiter posset Petrus aliquod obiectum velle, & Paulus non velle; imò & illud odire, & ità posset vnus mereri, & alter demereri. Quo autem ad operationes organicas, dicendum est, quòd vel illæ duæ animæ sunt æqualis virtutis; vel inæqualis in mouendo potentias exteriores per imperium voluntatis; si sunt inæqualis virtutis, & anima Petri vincit in mouendo potentias exteriores animæ Pauli, tunc ambulante Petro, etiam Paulus ambulabit, licèt inuitus; ob resistentiam tamen factam à voluntate Pauli, Petrus tardius ambulabit, & in hoc Pauli libertas offenderetur, & violentiam pati in actibus externis, non putatur inconueniens, nam quo ad actus imperatos, omnes admittunt posse voluntatem vim pati. Si autem anima Petri, & Pauli sint æqualis virtutis, & vnus ambulare velit, alter nō, tūc ait Mastr. ex Scot. quòd vel vnus impediret alterum ad inuicem, & nihil agerent, vel ambo agerent ad effectum medium. Ad Confirmat. ℞. Nos hic loqui de formis non requirentibus diuersa subiecta, sed potentibus naturaliter succedere sibi inuicem in eodem subiecto, corpus autē quod est perfectibile pro anima hominis, nō est aptū perfectibile pro anima bruti, nec corpus perfectibile pro anima agni est aptum pro anima canis, lupi &c. nam huiusmodi perfectibilia distinguuntur specie inter se, vt in libris de anima patebit, vnde repugnantia oriretur ex incapacitate materiæ, quæ natura sua determinata est ad illam specie formam.

Quinta adducitur à Fuéte ex Doct. in 3. d. 1. q. 2. §. *Ad Quæstione &c.* A. vbi Doct. ait: *non videtur quòd vna natura possit simul assumi à tribus personis, quia in omni dependentia essentiali, vnum dependens, non dependet præcisè nisi ad vnum, quod totaliter terminat eius dependentiã.* Subdens, quòd aliter sequeretur, q̃ à singulis dependeret essentialiter, & totaliter, & non dependeret, cum igitur vna personalitas adęquatè terminet dependentiam naturæ, non potest eadem natura, simul alia personalitate personari. Ex his infert Fuent. ergo cum qualibet forma sit completum principium, & totale informatiuum materiæ, appetitum eius satians, & adæquatè actuans, implicabit eamdem materiam alia adæqua ta forma simul actuari, aliàs materia in informatione totaliter penderet, & non dependeret. ℞. Neg. parit. & ratio est, quia natura verè pendet ad suppositum, sed materia non dependet à forma, cùm hæc non det esse materiæ, sed composito, hinc positis in materia pluribus formis, non sequitur, idem dependere à pluribus causis totalibus, quia materia sm̃ suã entitatem non est effectus formæ ex dictis, falsum est etiam, quòd qualibet forma satiat appetitum materiæ, & quòd sit eius actus adæquatus, cùm potius omnes ex æquo respiciat, & appetat, vt omnes concedunt.

Sexta est, quòd, si materia posset duas formas disparatas suscipere, vel talis potentia esset naturalis, vel obedientialis; non primum, quia tunc naturaliter posset plures formas recipere; neq. secundum, quia potentia dicitur obedientialis in ordine ad agens, non in ordine ad formam. ℞. quòd potentia materiæ in ordine ad for-

formas disparatas est naturalis, quia etiam ab illis est sua natura perfectibilis, & quòd simul non perficiatur, non oritur ex materiæ in capacitate, sed ex formarum incompossibilitate. In ordine ad agens, est obedientialis, quatenus talis potentia simultatis non potest ad actum reduci, nisi ab agente supernaturali.

Septima, & satis Thomistis familiaris est, quod sequeretur secundam formam esse substantialem, & accidétalem; esset substantialis, vt supponitur, esset accidentalis, quia adueniret enti in actu completo, nempè materię actuatæ per formam substantialem, quod autem sic aduenit est accid. ex Arist. ℞. Negando sequelam cum sua probatione pro secunda parte; nam in proposito nullum ens completum alteri vnitur, vt ab illo perficiatur, nulla .n. forma recipit aliam, sed quælibet recipitur immediatè in materia, & cum ea constituit vnum ens completum, vnde resultăt duo entia completa per se, nec vllum hic interuenit ens per accidens. Vel ℞. Cum Alijs, quòd licèt illud, quod conuenit enti in actu completo, scil. materiæ actuatæ per formam completam sit accid. non tñ omne illud, quod aduenit ipsi supernaturaliter, debet necessariò esse accidés, & quia Arist. hoc non cognouit, ideò absolutè protulit, quod aduenit enti in actu est accid.

Octaua tandem implicantia est, q̃ si materia potest duas formas substantiales supernaturaliter recipere, ergo pariter tres, quatuor, & infinitas, sed hoc argueret infinitam perfectionem in materia, ergo. ℞. quòd sicut repugnat dari infinitum in multitudine in actu, sic repugnat dari in actu infinitas formas in materia; vnde concedimus dari infinitas formas in potentia, scil. non tot quin plures, sed hoc non est arguere infinitam perfectionem in materia, quia ex Doct. in 3. d. 14. q. 2. in fine, potentia passiua à toto genere nullam dicit perfectionem, & eiusdem sententiæ est nouissimè P. Ricard. Lync. lib. 2. Phys. tract. 7. de forma cap. 2. nu. 12. & Arriag. disp. 3. nu. 306. & Aliqui Augustinienses, qui Ægid. cităt quol. 5. q. 10. in solutione ad 2. vbi ait: *ex hoc patere potest quomodo Deus diuersas formas reales solo numero differentes possit inducere in eadem parte materiæ, nam quia ipse Deus est, agere potest sine præcedente transmutatione, & motu*. Quod si incredibilia hæc videntur mirum non est, cũ .n. assueti simus ad res naturales intelligendas, in his, quæ super naturaliter fieri possunt facilè hallucinamur, & statim impossibilia iudicamus, vt in illa famosa controuersia patet de eodem corpore in pluribus locis &c.

DVBIVM
De Formis Subordinatis.

Dubium hoc latè, & diffusè solutum remanet ex dictis in disput. 3. art. 8. vbi egimus de forma corporeitatis in viuentibus, e pro decisione nostra multos Doctores etiam ex exteris attulimus, quibus denuò addimus P. Guarinum Cler. Regul. eruditissimum, qui in suis Placitis Philosophicis De Forma substantiali disp. 3. fol. 202. expensione 3. nostram mordicus defendens sententiam in prima conclusione sic ait: *Admisso quòd materia sit pura*

potentia, & quòd non sit substantia-liter corpus tenemur fateri dari formam partialem corporis cum Scoto in 4.d.11.q.3.art.2. Hb. quem præter suam Scholam, sequitur Dandin. Conimb. Tannerus. Deinde in probatione vtitur hoc medio, *esse corporis hominis non potest desumi à materia, quia pura potentia corporeitatem præstare non potest.* Et maximè de corpore animalis, quod esse debet organicum, & æthe ogeneum, quomodo non est materia. *Non habetur à forma, quia anima spiritualis est, & quicquid est spirituale se exhibendo non potest facere aliquid corporeum; sicuti albedo se exhibendo non potest facere aliquid nigrum.* Quæ doctrina est similis illi, quã tradidim' ex Scot. art. cit. & sequitur P. Sersale.

Deinde responsionem Thomistarum deludens, quòd accidentia illa in cadauere non sunt eadem, sed similia ait: *Cum ipsi non possint oculis suis cognoscere diuersitatem in accidentibus, quomodo cognoscent diuersitatem in forma substantiali, quæ magis occulta delitescit?* Eãdem sententiam ex Cler. Regul. amplexus est Paul. Aresius loc. cit. disp. 3. art. 8. irrationabiliter ergo ait Arriag. quòd opinio Scoti nullum habeat sectatorem, præter Scotistas.

Solent Thomistæ argumento de authore illorũ similium accidentium pressi, & nouæ formæ substantialis, plures adducere responsiones. & Aliqui recurrunt ad morbos, Aliqui ad humores; Aliqui ad Cælum tamquã ad causam vniuersalem, & Alij ad alias causas; sed quia tandem experientia comprobant omnes esse vanas, & impertinentes, vltimò recurrunt ad Deum, vt Auctorem naturæ quid dicitis? Deus vulnerauit corpus mortuum? ad quid? in pœnam fortè alicuius sceleris? sed quid mali fecit Cadauer? forsan ob maius meritum, sed quid mereri potest mortuum? Tũ quia si Deus producit illam nouam formam cadauericam organicam cũ illis formis partialibus ossis, neruis, carnis &c. vel hoc efficiet debitis dispositionibus, tempore, & internallo ordinatis, vel non; primum dici non potest; propter repentinos casus, & instantaneas mortes, quæ accidunt; Neq. secundum, quia sic mortes omnium animalium non essẽt naturales, sed miraculosæ, quæ miracula in modo operandi instantaneo fundantur, vt benè aduertit Guarin. loc. cit.

Confirmatur nostra opinio ex definit. animæ tradita ab Arist. tex. 6. quod scil. sit actus corporis Physici organici, potentia vitam habentis; sed illa organizatio non est in pura materia prima, cum hæc sit homogenea, & partes habeat similares, ergo est in composito, quod dicitur embrio, in quo anima recipitur tanquã in proprio, & adæquato perfectibili, & consequenter forma embrionis subordinatur animæ veluti præuia dispositio, quatenus materiam primam disponit, vt sit subiectum proportionatum, & perfectibile animæ.

Resp. quòd forma embrionis expellitur formaliter per animam introductam, cui formaliter opponitur. Non valet, quia vna forma non expellit altam, nisi quia ei contrariatur, vt de formis accidentalibus patet, sed formæ substantiales non contrariantur sibi mutuò, nisi rõne dispositionum,

ſitionum, quas requirunt ad ſui introductionem, at hoc eſſe non poteſt, quia ipſęmet omninò qualitates embrionem conſeruant, & perficiunt, ac materiam diſponunt pro animæ introductione, ergo &c. Tum quia cum forma viuens ſit homogenea, & ſimilaris, non poteſt illud eſſe etherogeneũ, & cõ diſſimilare cauſare, ſed potius tale eſſe ſupponit, vt per illud exercere opera vitæ poſſit, & ideò Ariſt. ait: anima eſt actus corporis Phyſici organici &c. & hoc etiam fateri tenentur, qui affirmant tres animas in homine formaliter reperiri, dicunt .n. quòd vna ſit alteri ſubordinata, vt ratio recipiendi aliam, nam rationalis anima non recipitur in corpore, niſi prius actuatum per ſenſitiuam, nec ſenſitiua in eo recipitur, niſi prius per vegetatiuam actuato.

Obijciunt ex Ariſt. 7. Meth. cap. de vnit. definitionis, vbi docet, quod in ſubſtantijs non eſt ordo, ergo vna forma ſubſtantialis non ordinatur ad aliam. ℞. Ex Baſſol. in 2. d. 17. q. 1. ad 3. neg. conſeq. nam ibi Philoſ. ſolùm intendit, quod addere priorem differentiam poſteriori, vt dicendo homo eſt animal rationale, ſenſitiuum, in definitione ſubſtantiali hominis, non eſt ordo, ſed potius nugatio, & deordinatio.

Ob. Vnius entis eſt vnicum eſſe, ergo non erit, niſi vnica forma, quia forma dat eſſe, ergo in eodem compoſito non ſunt plures formæ ſubſtantiales ſubordinatæ. ℞. Cum Scot. loc. cit. neg. conſeq. nam pluralitas formarum non obſtat vnitati compoſiti, cũ ad huiuſmodi vnitatem ſufficiat, vt vt vna tm̃ ſit forma vltima, & completa, vt Ariſt. docuit 4. Meteor. in fine, vbi ait: ſolam vltimam formam eſſe abſolutè formam, & actum; intermedias autem eſſe etiam materias.

Ob. Ex 1. de gen. c. 3. vbi Ariſt. ait, quòd generatio vnius eſt corruptio alterius, & è contra, ergo adueniente anima, corrumpitur forma embrionis, & cũ corrũpitur animal, ſtatim generatur cadauer. Item 1. de gen. tex. 23. docet, quòd generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem, in quo differt ab alteratione, ergo cum generatur animatum, nullum ſenſibile, quod præfuit manet, & idem dicendum qñ corrumpitur, ex his Suar. præſertim inductus fuit ad negationẽ pluriũ formarũ in cõpoſito. At ℞. Faciliter. Ad 1. cum Tatar. 1. de gen. tract. 2. q. 1. not. 4. axioma Ariſt. eſſe verũ vel mediatè, vel immediatè; nã Philoſ. vt Cauell. aduertit diſp. 1. de anima ſec. 4. hoc axiomate vſus fuit ad probandam æternitatem generationum, vnde ei ſufficit, quòd ad quãcumq; corruptionem ſequatur ſaltem mediatè corruptio. Vel ℞. Cum Zabarell. & Mercen. quòd in gen. animalis ẽbrio corrũpitur sm̃ q d, & in eiuſdẽ interitu generatur cadauer sm̃ quid, quatenus ſcil. adueniente anima, forma embrionis non amplius formæ officio fungitur, ſed potius materiæ, & anima recedente, incipit denuo fungi officio formæ, & ſolùm in hoc ſenſu illud axioma in viuentibus verificatur. Quòd autem talis propoſitio non ſit vniuerſaliter vera, in multis accidentibus manifeſtatur, quorum generationem nulla comitatur corruptio, nec corruptionem generatio, vt ſunt lumen in aere, ſpecies in medio &c. vt in lib. de gen.

Ad aliud axioma 8. Cum Tata loc. cit. dub. 1. Arist. ibi loqui de sensibili completo, aut de generat. inanimatorum, quorum exempla ibi tm̃ affert, vel cum Bassol. in 2. d. 17. q. 1. dictum Arist. intelligendum esse cathegorematicè de toto composito, nam corrupto viuente, nihil remanet vitę in cadauere, sed remaneret aliud totum, scil. materia cum forma mixti, & adueniente anima, idem sensibile non manet vt subiectum vtriusq. termini, idest formæ corporis, & animæ, nam adueniente anima corpus est subiectum, sed recedente fit totum, & sola materia remanet subiectum formæ mixtionis. Ità etiam resp. Zabarell. & si illa propositio Arist. ità absolutè, & simpliciter accipienda esset, non magis nos, quam Suar. & sequaces vrgeret, si .n. generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, quomodo ipsi asserunt, quod eadem accidentia sensibilia remaneant ingenito, & corrupto, nolentes admittere resolutionē vsq. ad materiam primam?

ARTICVLVS OCTAVVS.

An vna, & Eadem forma substantialis possit simul informare plures materias.

SCot. in 3. d. 1. q. 2. §. *Contra hoc obijcitur &c.* resp. negatiuè, tàm de forma substantiali, quam accidentali, si de materijs adæquatis loquatur, quem sequuntur Scotis. melioris notæ. Et quæstio est de vna, & eadem forma siuè hæc diuisibilis sit, vt sunt omnes formæ eductæ de potentia materiæ, siue indiuisibilis, qualis est anima rationalis. Nec controuertitur de pluribus materijs inadæquatis, & partialibus coniunctis, quia in hoc sensu, sicut vnitæ constituunt vnum adæquatum perfectibile vnius numero formæ, vt de facto eadem numero anima informat plures materias inadæquatas, & partiales, ossa, carnes, neruos &c. ità vnam totalē, & adęquatā constituunt quare dubiū est de pluribꝰ materijs, quarū singulę sūt adæquatæ vni animæ, an V. g. vna, & eadem anima informare possit plura corpora, quorum quodlibet est adæquatum perfectibile ipsius; & potest etiam dubitari de pluribus inadę quatis si essent ab inuicem diuisæ, & disiunctæ. Mureia 2. Phys. Suar. Ruu. Amic. & Alij, affirmant hoc possibile esse de potentia Dei absoluta, & ex nostris Sghem. 1. Phys. digress. 7. & Ponc. lib. 1. Phys. disp. 4. q. 4. Alij verò negant hoc esse possibile etiam de absoluta Dei potentia, ità quamplures Thomistæ Masius 1. Phys. disp. de Principijs sec. 3. q. 4. Complut. & Ioan. de S. Tho. Mauca, & Alij.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. vnam, & eadem formā non posse naturaliter simul informare plures materias adæquatas, & totales, imò nec etiam partiales, & inadæquatas, si sint ab inuicem separatę, & distinctæ. Est iusta principia Scoti, & sequuntur ex Recentiorib. Scotis. Mastr. & Bell. disp. 5. Phys. q. 7. art. 1. & quoad primam partem ità facilè probatur: Informatio non potest fieri sine existentia in loco, sed vna forma non potest existere naturaliter in pluribus locis adæquatis, ergo nec simul informare plures materias adæquatas. Tum quia maior est dependentia formæ à materia, quam corporis à loco, ergo si idem corpus non potest naturaliter esse in pluribus locis, minus

nus eadem forma in pluribus subiectis adæquatis. Probatur quo ad 2. partem, nam continuatio partium materiæ est peculiaris quædam dispositio necessaria ad informationem, hinc experimur, in animalibus perfectis, quòd membrum ascissum à toto, cessat ab anima informari; in animalib. verò imperfectis, alijsq. naturalibus compositis, quorum formæ sunt omnino diuisibiles, si diuidatur materia, diuiditur etiam, & forma, vnde non remanet amplius eadem numero forma, quæ antea, sed sicut per talem diuisionem fiunt plures numero materiæ, ità fiunt plures numero formæ; atq. ità eadem numero forma non informat plures materias inadæquatas abinuicem disiunctas, sed potius quælibet numero particula formæ, informat suam particulam materiæ sibi adæquatam.

Obiectiones.

Ob. Quælibet forma habet naturalem aptitudinem ad informandã quãlibet materiam, sicut è contra quælibet materia distincta ab alia est ex se capax cuiuscumq. formæ, etiam earum, quæ sunt in alia materia, ergo sicut per agens naturale hęc aptitudo formæ in ordine ad hanc materiam totalem, & adæquatam reducitur ad actum, ità poterit reduci simul in ordine ad aliam. ℞. Quòd forma habet talem aptitudinem disiunctim, sicut etiam materia habet capacitatem plurium formarum disiunctim, & consequẽter ab agente naturali nequit nisi disiunctim forma applicari ad hanc, vel illam materiam informandã, ideò consequentia est nulla.

Ob. Quò causa est perfectior, eò se pluribus communicari, potest, sed forma est perfectior materia, ergo si materia potest naturaliter successiuè communicari pluribus formis, poterit etiam forma naturaliter pluribus materijs totalibus saltem successiuè se communicari. ℞. Quòd ma. est vera cæteris parib. at in proposito est magna disparitas, nam materia instituta est, vt maneat idem cõe subiectum omnium formarum, formæ verò institutæ sunt pro varietate compositorum, & ideò nec simul, nec successiuè potest eadem forma naturaliter plures materias informare.

Ob. Quòd saltem naturaliter informare posset plures materias inadæquatas, & discontinuas, quòd patet experientia, nam sæpè visum est caput hominis amputatum ne dũ moueri, sed etiam loqui, quæ operationes non nisi ab anima esse possunt, ergo pars abscissa potest naturaliter ab anima informari. ℞. Neg. mi. nam in tali casu motus ille, & locutio nõ proueniunt ab anima, sed à Spiritibus animalibus, qui adhuc calidi sũt, & impetum de recente sibi ab anima impressum retinẽt. Sed de hoc fusius in lib. de anima.

Ob. Angelus potest naturaliter esse in pluribus locis discontinuis inadæquatis, ergo similiter, & anima rationalis in pluribus materijs distitis, & inadæquatis. ℞. Quicquid sit de anteced. neg. conseq. nam ad informationem animæ exercendã, prçter vnitatem partium materiæ, requiritur etiam integritas organorum, q. a est actus corporis organici, at in casu esset vterq. defectus, scil. vnitatis, & integritatis organicæ, necessariò requisitæ ad informationem animæ, quæ non est apta nata naturaliter informa-

formare corpus sine illis partibus; vnio autem partium loci non est necessaria ad hoc, vt Angelus sit in loco.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. posse per Diuinam potentiam vnam numero formam plures informare materias diuisas, & discontinuas, nunquam tñ informare plures adæquatas, siuè diuisas, siuè vnitas, est ad mentem Scoti, & amplectuntur Bell. & Mastr. loc. cit. & quo ad primam partẽ, conceditur ab õnibus, & patet illo miraculo D. Dionisij, cuius corpus sine capite ambulauit per aliquot milliaria, eius caput proprijs manibus gestans; in quo casu motus ille tamdiu durans, non potest rationabiliter referri ad virtutẽ spirituum, ergo verisimile est hoc factum fuisse virtute Diuina.

Quò ad aliam partem, in qua versatur tota difficultas, est Scoti manifestè, & sequũtur Lych. Fuèt. Mastr. & Bell. cit. & probatur rõne Doctoris loc. cit. in 3. adducta de omni forma, tàm materiali, quàm spirituali, scil. quantò aliqua forma est illimitatior ad perficienda plura perfectibilia, tantò in se est perfectior, ergo si eadem forma numero posset plures, & plures materias adæquatas informare, & cõsequenter infinitas, quòd dicendum esset, si semel admittamus posse tres, vel quatuor simul informare, cum non sit maior ratio de tribus, vel quatuor, ac pluribus in infinitum; & ità talis forma esset perfectionis infinitæ, sed hoc est falsum, cum non possit creaturæ finitæ infinitas virtus communicari, ergo &c. sequela probatur per illam maximam Scoti in 2. d. 3. q. 10. A. scil. *Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas, requirit infinitam perfectionem, & virtutem.* Et se declarat, si posse portare simul sex pondera requirit maiorem virtutem, quàm posse portare quatuor, equidem posse portare non tot pondera, quin adhuc plura requirit infinitam virtutem; ità in proposito, quod hæc anima det huic corpori esse humanum, dicit perfectionẽ, quòd det huic, & alteri simul idem esse, arguit in ea maiorem perfectionem, ergo si pluribus in infinitum dare esse posset, argueret perfectionem infinitam.

Ponc. resp. ad hoc argum. loc. cit. negando sequelam, nam vel informare plures materias non arguit maiorẽ perfectionem, atq. ideò informare infinitas si darentur, non argueret in illa infinitam perfectionem; vel si arguit maiorem perfectionem, quia posset plures informare, non tamen poterit infinitas, sed limitabitur ad certum numerum, vltra quem simul nequeat plures informare, & affert exemplum de virtute intellectiua, quæ licèt posset plura simul intelligere ex vi sua naturali, non tñ posset infinita, sed limitatur ad certum numerum, quia intelligere plura arguit maiorem perfectionem, ideoq. intelligere infinita argueret infinitam perfectionem. Et quia Argum. est Scoti, resp. quod Doct. non negat vnam, vel alteram formam scil. substantialem, vel accidentalem posse esse in pluribus subiectis, neq. asserit inde sequuturum, quod qualibet esset illimitata, sed dicit quod si sequeretur infinitas vnius, sequeretur etiam infinitas alterius.

Sed

Sed nullo modo rōni satisfacit, & clarè Magistrũ relinquit. Et q̄ informare simul, & semel plures materias, arguat in forma maiorem perfectionem, de quo ipse Ponc. videtur dubius, est Scoti plurib. in locis, & præsertim loc. cit. vbi affert exemplum de anima ad perficiendas plures partes corporis substantiales, & quòd posito casu argueretur in forma infinita perfectio, textus est clarus, ait in. *Contra illud obijcitur sic: quia sicut forma substantialis, quæ substantialiter perficeret plura supposita, esset actualiter illimitata, ità accidēs, quod accidentaliter perficeret eadem supposita esset illimitatum*. En quomodo loquitur absolutè, & infinitam arguit perfectionem in forma tā substantiali, quā accidentali si plura, & illimitata supposita perficerent, & deinde clarius addit: *Ità impossibile videtur vnum accid. esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substantialem esse in duabus materijs, igitur si necessariò sequitur infinitas ex hoc, quòd vna forma substantialis est in pluribus materijs, necessariò sequitur infinitas ex hoc, quod vnum accid. est in multis suppositis*. Hæc Doct. & oppositum dicere est manifesta textus extorsio. Et exemplum, quod Ponc. adducit de virtute intellectiua potius est contra seipsum, nam sicut anima ex vi sua naturali limitatur ad vnum numero intelligibilium, ità forma limitatur ad vnum adæquatum perfectibile, ergo sicut intelligere plura, & plura infert maiorem perfectionē, & intelligere infinita, infert infinitā perfectionem, vt ipsemet concedit, similiter in casu asserendum erit, si forma plures materias, & infinitas informare posset; sicuti igitur implicat intellectum semper maiorem, & maiorem numerum intelligere simul, ne infinita perfectio in eo arguatur, ità etiam implicabit formæ plures, & plures materias informare, ne infinita perfectio in ea inferatur.

Confirmatur: Continens virtualiter, vel eminenter infinitas perfectiones, vel non tot quin plures, est formaliter infinitum, at si daretur vna anima V.g. quæ simul, & semel informare posset infinita corpora, seu non tot quin plura; contineret virtualiter perfectionem infinitorum, cùm quodlibet corpus natum sit perfici præcisè per totam animam, ergo &c.

Resp. Aliqui quòd posse informare plures, & plures materias adæquatas spectat ad virtutem extēsiuā, non terminatam termino intrinseco, non verò ad intensiuam, quæ completur per informationem vnius materiæ, vnde asserunt, quòd in tali casu solùm eleuaretur aptitudo formæ quo ad simultatem illam plurium informationum, quas poterat informare diuisim, & successiuè, sicutisi per potentiam Dei eleuaretur materia ad plures formas disparatas recipiendas, non augeretur vtiq. eius potentia receptiua, vel sustentatiua, sed solùm eleuaretur quo ad illam simultatem recipiendi simul formas, quas potest naturaliter recipere diuisim. Et parum ab istis differunt illi, qui dicunt, non requiri nouam virtutem in forma, vt aliam informet materiā, sed sufficere solā replicationē eiusdē in pluribus materijs adæquatis, sicut supposita replicatione corporis, nō requiritur alia virtus, vt alia loca occupet; quæ resp. tangitur à Poncio.

Non

Non placet, nam in casu nostro interuenit aliqua causalitas, & exercitium virtutis in gen. causæ formalis, quæ semper infert maiorem perfectionem, si plures informet materias, vt bene etiam aduertit Amic.tract.6. de Forma q.6. dub.5. & Scot.docuit in 1.d.2.q.1.lit.Z. Nec paritas assũpta de materia simul formas plures recipiente, & de corpore in pluribus locis replicato aliquid suffragatur, nam potentia materiæ ad recipiẽdas simul plures formas, & Corporis ad essendum in pluribus locis est mere passiua, nullam dicens perfectionem, quod asseri cum veritate non potest de virtute informatiua.

Resp. Alij quòd in tali casu forma eleuaretur à Deo nedum quòad simultatem plurium informationum, verùm etiam quò ad substantiam ipsam, seu virtutem informatiuam, inde aiunt, quòd sicut anima quamuis naturaliter sibi determinet materiam quò ad maximum, potest tñ supernaturaliter eleuari, vt maiorem, & maiorem informet in infinitum, ità in proposito licèt naturaliter determinet sibi vnam materiam adæquatã, potest tñ supernaturaliter eleuari, vt plures materias adæquatas informet. Non placet, nam in tali casu vel virtus informatiua animæ eleuaretur in genere quasi causę formalis per quãdam scil. qualitatem superadditam, qua eius virtus informatiua eleuaretur, vel in gen. causæ efficientis, vt nimirũ Deus speciali influxu influat ad informationem eiusdem formæ: primo modo eleuari non potest, nam virtus informatiua substantiæ non est qualitas, ità vt intendi possit, ergo non potest per qualitatem augeri. Tñ quia si addita hac qualitate posset informare sex palmos, vbi prius non poterat nisi tres, ex hac additione, non informabit duas materias adæquatas, sed vnam sex palmorum sibi adæquatam in tali statu. Neq. secundo modo videtur posse eleuari, quia causalitas formæ non exercetur, nisi per actualem exhibitionem eius ipsi materię, ipsam informando, & actuãdo, sed non videtur posse hoc Deus supplere in genere causæ efficientis, sicut supplere non valet causalitatem materiæ, & formæ erga compositum.

Exemplum de anima potius Aduersarios torquet, nam anima ad informandum ideò potest excedere maximum, quòd sibi nunc determinat, quia potest Syncathegorematicè produci perfectior, & perfectior, & ideò eadem numero informare potest maius, & maius corpus in infinitum; vnde per potentiam Dei solùm fieri potest, quòd vbi anima nunc informare potest solum materiam tantæ molis, producatur perfectior, quæ maiorem, & maiorem informare possit, vt perfectibile sibi adæquatũ.

Confirmatur Conclusio: Vel compositum, quod ex hac numero forma, & ex hac duplici materia, est vnum, & idem numero compositum, vel diuersum; non secundum, quia distinctio, & determinatio potius est à forma, quam à materia, ergo cùm formà sit vna numero, potius erit idẽ numero compositum, vt magis cõis opinio fertur, ergo primum, & ità sequeretur, quòd eadem res existẽs, poterit iterum substantialiter reproduci, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quia si anima hæc cum hoc corpore constituet hunc hominem,

minem V. g. Franciscum, si per potentiam Dei eadem anima informat simul aliud corpus, scil. Corpus Antonij, tunc cum illo ex Hypotesi cõstitueret eumdem hominem, & ità ille idem homo, quiam existit, adhuc existens reproduceretur, & Franciscus esset Antonius, mi. patet, q̃a generatio substantialis est transitus de non esse simpliciter, ad esse simpliciter.

Obiectiones.

Obijci solet ex miraculo relato D. Dionisij, vbi anima informabat duas partes materiæ ineptas ad recipiendam informationem propter carentiam debitæ integritatis, ergo à fortiori informare poterit duas materias, quarum singulæ cum sint integræ magis aptæ sunt informari. ℞. Multos negare motum illarum partiũ fuisse ab anima, sed vel à Deo, vel ab Angelo, fatendo tñ factum fuisse ab anima, vt admisimus supra, negatur paritas, nam in illo casu solùm adest carentia dispositionis naturaliter necessariæ, qualis est integritas, qui defectus bene potest à Deo suppleri; at in secundo casu est defectus virtutis informatiuæ, quæ limitata est ad vnam materiam, quod à Deo suppleri nequit, & q̃ñ etiam suppleretur per augmentum eius, tunc materia illa tota, ad quam informandam apta redderetur, esset per tale supplementum vna sibi adæquata, & non plures materiæ adæquatæ.

Ob. Virtus actiua finita eleuari potest ad plures effectus ex ijs, quos naturaliter non posset, vt virtus intellectiua Pauli determinata ad intelligendum quinq. potest eleuari ad decem, immò, & ad Deum intelligendum; & potentia visiua determinata ad videndum V. g. per decem millliaria, potest eleuari ad videndum idem obiectum per viginti &c. ergo licèt finitas, & limitatio formæ eam impediat ad plures materias naturaliter informandas, non tamen si per potentiam Dei eleuaretur. ℞. Neg. paritatem, nam virtus actiua potest vtiq. à Deo eleuari ad aliquid agendum supra vires, quia potest extrinsecè adiuuari per concursum specialẽ, vel alio modo, vt suo loco patebit; at forma ad informandũ, non apparet quomodo eleuari posset, & q̃ñ etiam eleuaretur à Deo per augmentum virtutis informatiuæ, materia illa, quæ prius erat sibi adæquata, nunc esset sibi inadæquata, & cum alia addita vnam adæquatam constitueret.

Ob. Idem accid. potest esse in duobus subiectis adæquatis, casu .n. quo duo corpora essent in eodem loco, haberent idem vbi, ergo similiter dicendum erit de eadem forma substantiali existente in duabus materijs. ℞. Ex Doct. in 3. d. 1. q. 2. D. quòd in illis corporibus sunt duo vbi intrinseca, quibus correspondent ex parte loci duæ circumscriptiones actiuæ, fundantur, vnde dicuntur in eodem loco ratione loci materialis, non loci formalis.

DISPVTATIO VIII.

DE VNIONE, ET COMPOSITO PHYSICO.

HVC vsq. egimus de principijs rerum naturalium tàm in fieri, quàm in facto esse, modo agedum remanet de ipso Principiato, seu composito Physico, quod ex ipsis Principijs, seu causis intrinsecis coalescit. Et quia in communiori sent. vnio dicitur mediare inter materiam, & formam, vt nexus, & vinculum in productione compositi, hinc rationabiliter statuimus, & de ipsa vnione, & de ipso toto tùm essentiali, tùm integrali, tùm accidentali determinare.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vnio aliquid superaddat partibus indistantibus, quo inuicem vniuntur.

SCot. de hoc art. disertè agit in 2.d.1.q.4.§.*Contra istam opinionem &c.* & supra A. & in 4.d.12.q.1. & sæpè alibi. Controuersia est inter Nominales, & Reales. Nominales contendunt præter indistantiam, seu intimam præsentiam materiæ cum forma non esse superaddendum aliquem modum realem, & positiuum, per quem dicantur ad inuicem formaliter vniri, ità Ocham in 1.d.30.q.1. ad 2. Aureol. in 4.d.44.art. 6. Gregor. Baccon. & Alij Nominales, quos sequuntur Caiet. 3.p.q.2.art.8. & citantur etiam Plures Thomistæ, Nazar. Aluarez, Medina, Lisb. Ortiz. Lerma Ioann. Portugal. lib.4. de grã. increata cap.8. Cipullus 3.p.Io. Martin. 2.p. Meth. controu. 4.art.2. & 1.Phys.q.14. Valentia, Philippus Spinula disp.5.dub.1.quoad composita materialia, præter hominem, & Plures Recẽtiores cũ Guarin. Disp. 4.expẽs.2.cũ Aliquib. Cl. Reg. Reales verò affirmant præter indistantiã, & intimam præsentiam admitti debere modum realem, & positiuum, per quem dicantur substantialiter ad inuicem vniri, ità Scot. loc. cit. cum suis Discipulis, item, & Thomistæ magni nominis, Bannes 1.p.q.76.art. 1.dub.3. Arauio, Herrer. Gonzalez, Nunno, Manca, Carmelitæ, quos ex Neuther. sequuntur Suar. disp. 15. Meth. sec.6. Vasq. 3.p.disp.19. Ruuius 1.Phys.tract.2.de forma q.6. Arriag. disp.3.de vnione materiæ, & formæ sec.1.fol.mihi 260. Ricard. Lync. l.2. Phys. tract. 8. de vnin. c. 3. Hurt. Murc. Auersa Paulus Aref. & Alij, Carpened. in sua Phiã lib.1. tract.5. q.1. citat etiam pro hac opinione D. Bonau. Complut. asserunt D. Thom. stare pro Realibus, & citari solet. p. p.q.76.art.1.ad 6.vbi in fine ait: *anima humana manet in suo esse, cum fuerit à corpore separata habens aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis vnionem.* Idem fatetur 3.p.q.2.art.7. Alij verò Thomistæ citant S. Doct. pro Nominal. nam 2. cont. gent. cap.7. inquit: *forma vnitur materiæ absq. omni medio*, & q. vn. de Anima art.9. ait: *formam secundũ seipsam vniri materiæ primæ, & non per*

per aliud ligamentum. Sed quicquid sit de opinione D. Tho.

Conclusio.

Dicimus, materiam, & formam non vniri seipsis formaliter, sed media vnione illis superaddita. Est Scoti, & Scotist. vt videre est apud Bassol. in 2. d. 12. q. 2. art. 4. Fuët. 1. Phys. q. 5. diff. 1. art. 1. & 2. Mastr. & Bell. disp. 5. q. 8. art. 2. Faber Theorem. 12. Ponc. & Alios, & ità primò probatur à Doct. Si vnio materiæ, & formæ nihil prorsus addit entitatibus absolutis materiæ, & formæ ergo hæ nunquam possent separari, sed semper vnitæ permanebunt, at hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quòd est alicui essentiale, per nullã potentiam potest ab eo separari, sed per Aduersarios vnio est essentialiter idem materiæ, & formæ vnitæ, ergo &c. Resp. Nominal. quod vltra entitates absolutas partium, requiritur indistantia, & approximatio illorum, & vt sic totum constituunt.

Sed Contra, approximatio sm̃ Nominales, & indistantia nihil reale importat vltra res approximatas, vt bene aduertit Lych. in 2. d. 1. q. 4. sed solam negationem medij interiecti, & ità reddit idem argum. quòd materia, & forma nunquam possent separari quoad suas entitates absolutas, cùm neq. vnio, neq. indistantia sint aliquid essentialiter præter entitates ipsas materiæ, & formæ. Tùm quia potest Deus conseruare materiam, & formam, intimè præsentes, & in eodem loco compenetratas sine vlla informatione, & potest anima rationalis, a corpore dissolui sm̃ informationem, & non sm̃ vnionem localem, in quo casu anima non viuificaret corpus, nec hominem constitueret, ergo ad constitutionem compositi nõ sufficit indistantia localis, sed addi debet nouus modus vnionis substantialis. Tùm quia in composito inter materiam, & formam intercedit respectus informationis, quia forma verè informat materiam, sed indistantia non dicit informationem, sed propinquitatem, & præsentialitatem, ergo erit necessaria vnio, quæ eadem est cum informatione per Scot. in 2. d. 2. q. 7. lit. Hh. ex Arist. 5. Meth. 13. & ità tota hæc lis cum Nominalib. & Neuth. euadit de nomine, quia ipsi negare non possunt nouas, & successiuas informationes inter materiam, & formam.

Resp. 2. quòd cum afferunt materiam, & formam intimè coexistentes constituere compositum, hoc non intelligunt de materia nudè sumpta, sed debitè disposita, quia non potest reperiri materia disposita ad formã, & quòd ei non vniatur.

Sed Contra, Dispositiones in materia non sunt simpliciter, & absolutè necessariæ ad constitutionem compositi, immò in sent. nostra, & Multorum non mediant in ratione receptiui inter materiam, & formam; & potest Deus constituere compositum copulando formam cum materia sine dispositionibus, ergo tàm indistantia, quàm dispositiones impertinentes sunt ad rationem compositi materialis, & consequenter erit necessaria vnio. Tum quia intima præsentia partium ad inuicem, quomodocumq. ponatur, sẽper spectat ad prædicam. Vbi, vnio verò eorum ad inuicem in prædicamento Habitus, ergo hæc a-

liquid addit supra partes.

Resp. 3. Quòd si materia, & forma essent vnitæ per se ipsas absolutè, nullo alio connotato, nunquam separari possent, sed quia vniuntur per se ipsas supposita actione agentis, & suppositis dispositionibus, quæ destrui possunt, & sic vnio dissolui, inde sequitur, esse non posse semper vnitas, ità Aliqui Recentiores, quos sequitur M. Iacob. Brun. in Phys. q. 6. art. 3. fol. 200. & miror quidem tā Eruditissimum virum in illā sic ineptam connotatiuorum explicationem incidisse cum Suar. Hurt. Arriag. & Alijs, ex quorum explicatione multa absurda sequuntur, vt diximus in log. & in proprijs locis magis patebit, & pro modo responsio hæc reijcitur, quia effectus formalis permanens in rerum natura petit formam permanentem, à quā procedit, sed esse vnitum est effectus formalis permanens, ergo petit formam permanentem, at hæc esse non potest actio agentis connotata, quia non est amplius, ergo erit forma vnionis in recto, & ad summum actio agentis habetur pro connotato, & secundariò quatenus ad formam vnionis fuit necessaria. mi. patet, ma. probatur quia effectus formalis est ipsa forma communicata subiecto; Tum ex D. Tho. 1.2. q. 110. vbi docet gratiam iustificantem esse habitum, quia transacto motu iustificationis, homo permanēter denominatur iustus, ergo si transacta generatione, materia, & forma denominantur vnitæ, vnio est aliqua forma permanens præter actionem agentis, & tantò minus rectè loquūtur illi q̄ asserunt vnionē in materia, & forma vnitis interuenire, vt connotatum, & in obliquo, non in recto: insulsa Doctrina, quia nec actio agētis, nec dispositiones, nec indistantia possunt huiusmodi denominationem formalem inducere, sed effectus formalis actionis est agere, & dispositionis disponere, & dispositum reddere, & Indistantiæ approximare, seu præsentem facere, sicut effectus formalis albedinis est dealbare, & similitudinis assimilare, & simile facere, ità in casu effectus formalis vnionis erit vnire, & vnitum formaliter denominare, ergo non in obliquo vnio interuenit in partibus vnitis, sed in recto, & vt vera causa formalis denominans; & si indistantia interuenit, sicut etiam dispositiones, & actio agentis, hæc omnia tantum præsuppositiuè, & in obliquo concurrunt, quatenus necessariò præcedere debet, vt forma relatiua vnionis resultet.

Nec in omnibus terminis miscenda est connotatio, vt Aliqui Recentiores faciunt cum Suar. neq; explicanda, vt ipsi explicant, quòd possit alicui rei aduenire noua connotatio, & ex hoc insurgere in re noua, & intrinseca denominatio, quam prius nō habebat, absq. vlla prorsus eius mutatione; certè hoc omnino repugnare asserimus cum Mastr. & Bell. in log. disp. 8. q. 3. art. 1. fol. 657. nequit. n. fieri realis, & Physicus transitus à contradictorio in contradictorium sine aliqua reali mutatione, si ergo hoc album prius non dicebatur simile, & post productionem alterius albi dicitur realiter simile, planè si hæc denominatio est intrinseca, non resultat, nisi per aliquam intrinsecam nouitatem, & mutationem illius albi: sic in casu, si materia, & forma prius

non

non dicebantur vnitæ, & postea denominantur vnitæ, hoc esse non poterit, nisi per aliquam nouitatem, & mutationem in illis factam per realẽ formam, seu modum realem illis superuenientem, qui dicitur vnio, cuius effectus formalis est vnire, & vnitum formaliter denominare. Vnde sic in forma formatur ratio realis mutatio nõ fit sine acquisitione alicuius de nouo in re, quæ dicitur mutari, sed cùm partes modò sint vnitæ, & non antea, oportet, vt in illis, vel aliqua illarum sit facta mutatio, ergo hoc quod est partes esse vnitas, dicit aliquid super entitates absolutas illarum. patet ma. quia mutari est rem aliter se habere nunc, quã prius, sed non aliter se haberet res, si nihil prorsus sibi additur, vel detrahitur, ergo probat. mi. non fit transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione illi proportionata, ergo cum hic transitus sit realis, & Physicus, erit cum mutatione Physica, & reali.

Resp. Aliqui fieri transitum realẽ, tũ rõne indistantiæ localis, quia partes modò sunt approximatæ, & prius erant distantes; tùm rõne dispositionum, quibus materia nunc est disposita, & non prius.

Sed Contra, falsum est transitum de distantia ad indistantiam esse realẽ sm̃ Nominal. quia amittendo distantiam nihil reale amittitur, & acquirendo indistantiam nihil reale acquiritur, ergo nulla responsio. Neq. valet recursus ad dispositiones, quia licèt transitus materiæ de esse indisposita ad esse dispositã sit realis, non tñ est absolutè necessarius ad compositi constitutionem, sed tũ sm̃ cõem naturæ cursum, cum possit sine huiusmodi dispositionibus compositum coalescere. Tum quia potest Deus, vt diximus per aliquod tempus animã intimè præsentem corpori conseruare, ità vt in tali casu sit solum forma assistens, & postea illam vniri eidem corpori substantialiter, ità quod sit forma informans, in quo casu adhuc daretur transitus de contradictorio in contradictorium, quia prius anima non erat vnita corpori per informationem, sed per simplicem assistentiam, postea est vnita corpori per informationem, ergo &c. Nec potest talis transitus saluari per materiæ dispositionem, quia etiam prius anima supponebatur præsens corpori, & iam disposito.

Prob. 3. Partes non constituunt totum, nisi vt vnitæ, ergo vnio non consistit in sola illarum entitate, sed aliquid necessarium eis superaddit. patet consequentia, quia si nihil eis superaddit, ergo etiam antea vnitæ erant, & recursus ad indistantiam, & dispositiones iam abolitus est.

Prob. 4. ex Doct. loc. cit. in 2. d. 1. §. *Contra istam &c.* arg. desumpto ex Misterio Incarnationis, nam si vnio Hypostatica nihil superaddit entitatibus Verbi, & naturæ assumptæ, sũper natura humana foret Verbo vnita etiam si eam deponeret, quia facta tali depositione, adhuc saluatur tota realitas extremorum, cui nihil reale addit vnio Hypost. sm̃ hàc sent. Nec dici potest vltra entitates Verbi, & naturæ exigi indistantiam amborum, vt natura dicatur cum Verbo vnita, quia Verbum rõne suæ immensitatis indistans est à quacumq. natura creata. Resp. Aliqui concedendo vnionẽ Hypost.

Hypost. aliquid superaddere extremis vnitis, quia extrema illa scil. natura, & Verbum nullam habent inter se naturalem proportionem, & ideò indigent aliquo medio, quo vniantur, sed materia, & forma cùm inter se habeant naturalem proportionem, & nullo indigent vinculo medio, quo connectantur, sed se ipsis immediatè vniuntur.

Sed Contra benè vrget Amic. Si Verbum estò infinitę perfectionis nō potest vniri naturæ, nisi medio vnionis vinculo, tantò minus vniri poterunt materia, & forma sine medio, cum sint extrema inferiora. Tum quia proportio naturalis inter aliqua extrema nō tollit necessitatem vnionis, sed tantùm facit, quòd vnio illa sit naturalis, vbi inter naturam, & Verbum vnio est supernaturalis. Nec recurrere possunt ad dispositiones prævias, vt bene aduertit P. Lync. loc. cit. quia humanitas Petri æquè disposita est ad vnionem cum Verbo, ac humanitas ab eo assumpta, cum neutra qualitates vllas ad vnionem Hypost. actualiter postulet, sed potius vtriusq. dispositio in mera non repugnantia consistat.

Prob. 5. Irrefugabile signum distinctionis realis est separatio, vt diximus in Logica disp. 10. art. 4. de distinctione reali, nullum .n. separatur à se ipso, 7. Top. cap. 1. sed vnio substantialis est huiusmodi, respectu materiæ, & formæ, ergo ab ipsis realiter distinguitur. Maior est euidens, minor probatur, nam vnio, qua materia vnitur cum hac forma corrumpitur adueniente alia forma, & in separatione animæ à corpore corrūpitur vnio, qua anima cum corpore vniebatur, & in die Iudicij iterum adueniet vnio, vt cum corpore Anima denuò vniatur, ergo est separabilis ab ipsis entitatibus animæ, & corporis, & consequenter realiter ab ipsis distantia, si .n. esset eadem cum anima, & materia, ità etiam anima, & materia in morte hominis perirēt, quod falsum est. Resp. Raymundus Tolosanus, cum Aliquib. quòd vnio materiæ in recto importat entitatem materiæ, in obliquo formam sustentatam à materia; & è contra vnio formæ in recto importat entitatem formæ, & in obliquo materiam actuatā, tunc dicunt ad maiorem, quòd vnio substantialis perit, non adæquatè, & sm id, quod importat in recto, sed inadæquatè, & quo ad obliquum, quia desinit forma esse sustentata, & materia informata tali forma, & consequenter vnio erit, quid distinctum inadæquatè, non adæquatè.

Sed Contra, Materia, & forma substantialis, vt sic impotant entitatē absolutam, sed vnio importat realitatem, seu modum relatiuum, non absolutum, ergo non potest importare, & significare entitatem materiæ, vel formæ in recto, ma. patet, mi. probabitur art. seq. ex definitione vnionis. Tum quia Terminus connotatiuus ex summulis, & Scot. docet quol. 12. art. 2. importat duo, vnum primariò, principaliter, & in recto, vt habeatur vnitas conceptus, alterū verò secundariò, indirectè, & in obliquo veluti necessarium ad habēdum conceptum rei perfectum, & quietatiuum, sed vnio ex vi nominis, directè, & primario imposita est ad significandum vinculum, nexum, & habitudinem inter duo, licèt connotet

notet

notet materiam, & formam tamquā extrema vnibilia, ergo falsum est, vnionem in obliquo tm̄ concipi, & inadæquatè in composito vnito, cùm potius sit forma in recto vnitum denominans.

P. Guarin. loc. cit. aliter ad hoc argumentū Resp. dit. B. distinguendo ma. ex Logica .n. ait, mutua separabilitas distinctionem realem ostēdit, se quia materia sola, & forma possunt existere sine vnione, sed non vnio absq. materia, & forma, inde non probatur distinctio realis. Non placet, nam vt diximus in Logica disp. 10. art. 4. non oportet ad distinctionem realem inferendam, quòd separabilitas illa sit mutua, ità vt hoc sine illo, & è contra adinuicem existere possit, ad distinctionem .n. realem sufficit, vt alterum extremorum existere possit sine altero, si, & non è contra, & impossibilitas ex parte vnius extremi existendi sine alio, tantùm infert, quòd dici non possint mutuò separabilia, hinc Pater, & Filius realiter distinguuntur etiam si vnum sine alio existere non possit, & Deus realiter à creatura distinguitur, està creatura non possit esse sine Deo.

Prob. 6. Denominatum supponit formam in propria specie, si est absolutum, absolutè, si est respectiuū, respectiuè, sic album ab albedine, coloratum è colore, simile à similitudine, Pater à paternitate &c. sed vnitum est denominatum relatiuum, cum intelligi nequeat absq. habitudine inter plura, ergo à forma relatiua, quæ est vnio, non à materia, & forma, quæ sunt entitates absolutæ, monstrum enim esset asserere in Philosophia, quod effectus formalis relatiuus constituatur à forma absoluta, ac si diceretur quòd Pater diceretur talis per albedinem &c.

Prob. tandem 7. cùm corrumpitur homo, aliquid in recto, & vt quod corrumpitur, sicut aliquid vt q. & in recto generatur, at non corrumpitur materia, quia est in generabilis, & incorruptibilis, neq. anima quia est immortalis, non Tertia entitas, vt nos asserimus cū Scoto, q.a Multi ex Aduersarijs eam negant, ergo saltem vnio, seu vinculum, inter animam, & Corpus, Hinc D. Tho. ait: vt refert M. Brun. cit. *Mors. non est aliud, nisi separatio animæ à corpore*. Affert deinde relatus Doct. veram responsionem, dicens quod corruptio hominis est vera corruptio, non quia corrumpitur anima, sed quia anima desinit informare materiam, ad quam desitionē corrumpitur forma totius, quæ est humanitas. At hæc est adamussim sent. nostra, desinit informare, en corruptio vnionis, quæ præcedit ad hominis corruptionem, sicut præcessit ad hominis generationem, ad quam desitionem corrumpitur forma totius, quæ est humanitas, en tertia entitas Scot. resultans ex partib. vnitis.

Concludit tandem hic Doct. in calce illius art. cum Io. Martinez 2. p. Met. controu. 4. art. 2. §. 5. nn. 38 q. sent. admittens nexum substantialem inter materiam, & formam distinctū, potest admitti in via Arist. & D. Tho. & puto S. Doctorem potius esse nobiscum, vt Complut. Defendunt, & in illis locis, vbi tollere videtur aliquod medium inter materiam, & formam, exponendus est, quòd locutus fuerit de aliqua forma absoluta, non rela-

relatiua. Sed decisio huius veritatis clarius patebit ex articulis in hac disp. immediatè sequentibus.

Obiectiones.

Ob. 1. Auth. Arist. 8. Meth. tex. 15. & 2. de anima tex. 2. vbi docet materiam, & formam immediatè vniri, quia sunt per se actus, & per se potentia, ex quibus fit vnū per se, & nō meminit vnionis substantialis, rōne cuius fiat per se vnū, immò substantiā diuidens, solùm recenset materiam, formam, & compositum, nullum de vnione sermonem faciens, ergo. ℞. Arist. non dixisse, materiam, & formam immediatè vniri, sed ex eis fieri per se vnum, quia hoc est per se actus, illud per se potentia, quod planè verum est, nec talis nexus, seu vinculum immediationem tollit inter partes, quia non mediat inter extrema vt Quod, sed solum vt Quo, & ratione formali vniendi, hæc autem non tollit immediationem rerum, quæ per illam vniuntur, sicut oculus videns parietem, licèt mediet visio, non tamen illum videt mediatè, nam visio non mediat, nisi vt ratio formalis videndi; & Aris. diuidendo substantiam, non meminit vnionis, quia reuera vnio non est substantia, sed accid. licèt substantialis dicitur à terminis, si hi sunt substantiæ.

Ob. Si hæc sent. esset vera, sequeretur, quòd etiam iste modus vnionis alio medio vniri deberet partibus, quòd si seipso vniri potest, hoc etiam dicendum erit de materia, & forma, quæ vtiq. maiorem proportionem inter se habent, quàm cum ipsa vnione. ℞. Neg. sequelam, & ratio est, quia extrema non indigent, vt ad inuicē proportionentur, sed vt formaliter dicantur vnita, quod. n. est alteri ratio formalis essendi tale, ipsum non est tale vt Quod, sed tm̄ vt Quo; sic actio non agit, motus non mouetur, Vbi non est in loco &c. quia sunt rōnes formales, quia igitur vnio est ratio formalis, qua materia, & forma vniantur, se ipsa vnitur illis, & ità docuit Scot. in 4. d. 12, q. 1. vbi loquens de vnione accid. ad subiectum, ait quòd se ipsa vnitur, & inhæret, & non media alia inhærentia.

Obijcit fortius Rubion in 4. sent. d. 12. q. 1. art. 2. vbi licèt loquatur de forma accidentali, ratio tā vrget etiā de forma substantiali, cum vtraq. per nos aliquid extremis superaddat, sic igitur vrget: Vnio hæc vel præcedit formam in materia, vel est simul natura cùm ea, cùm incipit esse in subiecto, vel est posterior, primum, & secundum dici non potest, cùm. n. vnio sit respectus, debet extrema præsupponere, si est posterior, & supponit formam in subiecto, ergo superflua omnino censetur. ℞. Cum Mastr. & Bell. quod vnio supponit formam in materia prioritate naturæ, sicut vniuersaliter relatio supponit extrema, sed quia in priori signo non dicuntur vnita, nisi fundamentaliter, ideò in posteriori signo resultat vnio inter illa, rōne cuius dicuntur formaliter vnita, sicut à pari, substantia in priori signo intelligitur existens, & non subsistens, nisi fundamentaliter, & radicaliter, in posteriori deinde resultent in ea subsistentia, rōne cuius dicuntur formaliter vnita, sicut à pari substantia in priori signo intelligitur existens, & non subsistens, nisi fundamentaliter, & radicaliter, in posteriori

steriori deinde resultent in ea subsistentia, rõne cuius dicitur formaliter subsistens, quod cõe est omnibus extremis relationum conceptis, præcisa relatione, sic .n. duo alba dicuntur fundamentaliter similia antecedenter ad relationem similitudinis, & in posteriori signo naturæ formalem denominationem similis suscipiunt, vt diximus in illa famosa controuersia de relatione disp. 13. art. 4. contra Nominales, & eorum sequaces.

Ob. Materia est immediatius perfectibilis per formam substantialem, quàm per accidentalem, ergo non immediatius attingitur ab vnione, quàm à forma. ℞. Vnionem non impedire, quin materia immediatè perficiatur à forma substãtiali, quia vnio non est id, quod recipitur in materia, sed quo aliquid recipitur, & denominatur receptum, & vnitum. Ex quibus colligitur, quòd sicut paries v.g. dicitur præcedere albedinem fundamentaliter, & subiectiuè, & albedinem præcedere album, quia album est effectus formalis albedinis, à qua denominatur albus; & album præsupponitur fundamentaliter similitudini, & similitudo est prior formaliter simili; cum simile sit effectus formalis similitudinis, à qua dicitur simile; sic materia, & forma præcedunt fundamentaliter vnionem, vnio autem præcedit vt causa formalis vnitum, quia ab ipsa vnione denominatur formaliter tale.

Ob. P. Guar. C. Reg. loc. cit. Vnio inter modos numeratur, sed modus nõ distinguitur à re cuius est modus, ergo neq. vnio à materia, & forma. ℞. vt diximus in Logica disp. 10. art. 5. fol. 411. quòd modi sunt in duplici differentia, quidam intrinseci, quatenus scil. intrinsecè rem determinant, vt existentia determinat essentiam, finitas creaturam, & similia; quidam verò sunt modi extrinseci, quia extrinsecè tãtùm, & accidentaliter rem determinant, vt sessio respectu sedentis, figura respectu quantitatis, vnio respectu vnibilium, & cõiter relationes prædicamentales, quæ etiam modi appellari soleat iuxta placitum Doctorum; Sicut igitur modi non dicuntur res, & entia in recto, cùm seipsis existere nequeant in rerũ natura, sed semper petunt affixi esse rebus, ità neq. propriè formalites diei possunt, q̃a nõ possunt seipsis cõcipi, sed concipi petunt cum re, quã modificant; vnde sicut distinctio rei, & modi eius intrinseci poni debet formalis, licèt quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis a vera ratione formalitatis, & appellari debet formalis modalis, cùm tales modi identificẽtur realiter cum ipsis rebus, quarum sunt modi; sic distinctio rei, & modi eius extrinseci, quia non identificantur cum ipsis rebus, poni debet distinctio realis, estò quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis à vera ratione rei; ideò dici debet distinctio realis modalis, ne confundantur termini de distinctione modorum, in quo sensu maior argum. est falsa, ideo nihil. Deinde in alio argum. Guarin. supponit, quòd vnio sit quid substantiale, quod non asserimus, cum sit verè accid. vt art. sequenti patebit, & sicut actio inter causam agentem, & effectum;

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid sit vnio substantialis, & quomodo à partibus distinguatur.

SCot. dubium hoc manifestè resoluit in 3.d.1.q.1.§. *De Primo dico &c.* & d.2.q.2.lit.F.in fine,& in 4.d. 12.q.1. §. *Ad 4. dubium &c.* lit. N. & alibi. Ostendimus in præcedenti art. Vnionem esse aliquid in rerum natura vltra partes, seu demonstrauimus quia est, modò ordo doctrinæ postulat, vt inuistigemus quid ipsa vnio sit, & duo examinantur. Primū quid ipsa vnio sit, an scil. aliquid absolutum, an verò pura relatio: Secundum, quomodo à partibus vnitis distinguatur. Quantum ad primum, Recentiores ferè omnes affirmant, vnionem esse modum quemdam absolutum substantialem, quo materia, & forma inter se substantialiter vniuntur, differunt tñ in modo explicandi; nam Aliqui volunt esse entitatem absolutam, quæ sit terminus actionis vnitiuæ, quam postea consequitur relatio accidentalis vnionis, per quam partes denominantur vnitæ, & videtur esse opinio Murc. 1. Phys.disp.2.q.3.qui alios citat. Alij verò volunt, vnionem esse modum substantialem essentialiter relationis trascendentalis, & est communior, quam sequuntur Suar. disp.15.Meth. sec.6. Vasq 3 p.disp.19.Ruu.1.Phys. tract.2.q.6.Amic.1.Phys.tract.11.q. 10.dub.2.art.3.Auersa,Hurt.& Alij, quibus etiam adhæret Carpened.lib. 1. suæ Philos. tract.5. q.2. Alij verò asserunt, vnionem esse relationem prædicamentalem mutuam in vtroq. extremo, qua mediante,materia dicatur vnita formæ, & forma materię, & est aperta Scoti sent.loc.cit. vbi etiam docet esse relationem prædicamentalem illius ordinis,quæ præsertim in schola nostra extrinsecus aduenientes appellantur, & sequuntur Scotist.cōiter, vt Bassol. in 2.d.12.q. 2.art.4.Faber in 3. disp.3.cap.2. Rada 3.p. controu. 3.art. 4. quam sent. Lorca putat probabilem in 3.p.disp. 15. nu. 8. Quo ad 2. certum est apud omnes, vnionem ità à partibus distingui, quod partes sine illa existere possint, & non est contra; hinc aliqui volunt esse modalem, non realē; Alij verò esse realem, non modalem, quæ lis est de nomine, vt infra patebit.

Conclusio.

Dicimus,Vnionem materiæ,& formæ, non esse entitatem quamdam absolutam substantialem, aut essentialiter relatiuam, sed esse merum respectum extrinsecus aduenientē de genere actionis,vel passionis,vel potius habitus ab extremis realiter,vel modaliter distinctum, sm variam acceptionem modi, & distinctionis. Est Scoti,quam amplectuntur ex Recentiorib.Scotist.Mastr.& Bell.in Phys. disp.5.q.9. Ponc.lib.1. Phys.disp.5. concl.2.& Alij, & quòd vnio non sit entitas absoluta substantialis, patet ex 2. de anima tex.2.& 8.Meth.tex. 15. vbi diuiditur substantia in materiam, formam, & compositum, nulla facta mentione de vnione. Probatur etiam rōne;nam vel hæc vnio ponitur entitas substantialis, vt extrema substantialiter vniat;vel ad determinandam actionem vnitiuam, quæ est actio substantialis, atq. ideò terminum substantialem habere debet, sed nullum illorum videtur sufficiens motiuum ad affirmandum, vnionem esse

esse entitatem substantialem, ergo maior patet, minor probatur à simili, nam sicut actio productiua termini substantialis est entitatiuè accid. denominatur tñ substantialis à termino producto, qui est substantia, sic vnio dicitur substantialis, quia vnit substantias, vt ex Doct. colligitur in 3. d.7.q.1. D. ratio est, quia vnio substantialis, sicut, & accidentalis, non dicitur talis, quia est modus substantialis, vel accidentalis, vt Aduersarij autumant, sed ea tm̃ rõne, quia sunt ad substantiam, vel accid. qui modus denominandi vniones obseruatur etiam in alijs, vnde non dicitur vnio Hypostatica, quia est Hypostatis scil. personatio, vel spectat ad prædicamentũ personæ Diuinæ, sed quia terminatur ad personam, qua etiam rõne dicitur substantialis; nec pariter vnio dicitur spiritualis, aut corporalis, quia est entitas, vel modus spiritualis, vel corporalis, sed quia est ad formam spiritualem, vel corporalem; quia igitur vnio versatur inter materiam, & formam substantialem, ex quibus coalescit vnum substantiale completum per se, ideò substantialis appellatur.

Amic. Auers. Hurt. Resp. falsum esse, vnionem extrinsecè tm̃, & terminatiuè dici substantialem, cũ etiã intrinsecè sic dicatur, quorum fundamentum est, quia partes non ordinantur ad compositum substantiale, vt terminum extrinsecũ, sed ad terminum, in quo essentialiter ipsa vnio includitur, & ideò esse debet sm̃ essentiam quid substantiale, quia accid. non potest includi in conceptu substantiæ. Non valet, nam falsum est vnionem includi in essentia compositi, quia natura V.g. hominis est absoluta, non relatiua, & perfectè, & essentialiter concipitur homo, si concipiatur ad se cum suis prædicatis essentialibus absolutis, & parũ refert, quod ad essentiam compositi præxigatur vnio, nam vt bene ait Scot. in 3.d.2.q.2. F. potest tota entitas absoluta esse, & tñ præxigere respectum velut conditionem necessariam ad eius constitutionem; sic etiam ad effectum, requiritur ordo, approximatio, & applicatio causæ, & tñ effectus est absolutus, non .n. quicquid ad aliud requiritur, est illud idem esse, ad quod requiritur. Tum quia vt Amic. ipse fatetur loc. cit. art. 1. Vnio specificatur ab extremis formaliter sumptis, non materialiter, cum .n. extrema possint vario modo vniri, inspecienda est ratio formalis, sm̃ quam vniantur, Vnde si materia V.g. vnitur tm̃ sm̃ locum, vnio erit accidentalis, quia vniuntur sm̃ rõnes accidentales, licèt sint substantiæ; si verò vniantur sm̃ rõnem actus, & potentiæ, vnio erit substantialis, quia fit sm̃ rõnes substantiales.

Neq. Vnio ponenda est substantialis, quia terminare debet actionem substantialem vnitiuam, nam hæc actio eodem modo non dicitur substãtialis intrinsecè, sed tm̃ extrinsecè eo modo, quo generatio dicitur substantialis, si terminus, qui generatur est substantia, aliter sequeretur, quòd materia prius mutaretur substãtialiter recipiendo in se talem actionem, vel vnionem, quam mutaretur per formam, quod falsum est in vera Philosophia, materia .n. non mutatur substantialiter, nisi per formam. Vnde etiam sequeretur, quòd in qua.

libet transmutatione vnius entis in aliud, duplex generatio substantialis interueniret, vna vnionis, altera formæ, item & duplex corruptio substantialis, vna vnionis, altera formæ, quod malè Philos. sentiunt.

Quod ad aliam partem, quòd non sit vnio entitas absoluta, sed merè respectus, docet Scot. in 3. d. 1. q. 1. & patet euidenter, vnio .n. non est ad se, sed ad aliud, vnio namq. dicitur vnitorum vnio. Tum quia intellecto in partibus quocumq. absoluto, non intelliguntur vnitæ, nisi post quã concipiamus habitudinem vnius partis ad aliam, ergo &c. Resp. Aduersarij, concedendo vnionem non esse entitatem merè absolutam, sed includere intrinsecè habitudinem trascendentalem ad res vnitas, quæ relatio potest esse de essentia absoluti.

Sed Contra est, vt diximus supra, illa .n. propositio, quòd respectus non potest esse de essentia absoluti, est vniuersaliter vera de quocumq. respectu, cum semper hæc contradictoria sequerentur, quòd idem esset sm̃ eamdem formalitatem ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud. Nec resp. valet, quod hæc enunciantur sub diuersis rationibus, nam est ad se quatenus entitas est absoluta, sed ad aliud quatenus entitas trascendentaliter relatiua, non valet; vnio .n. sm̃ suam totam entitatem relatiuam semper est ad aliud, & ad aliud refert, & implicantia est concipere vnionem in ratione vnionis ad se, & non ad aliud, ergo nullam realitatem absolutam includit. Tum quia quælibet res est in vltima, & infima specie cõstituta per vnicam, & vltimam differentiam specificam, nulla .n. res à duabus realitatibus specificis constare potest, à quibus duo prædicata contradictoria sumantur, vt patet de rationali, & irrationali, ergo impossibile est aliquam entitatem reperiri, quæ sm̃ rõnem suam specificam, quæ vnica est, sit ad se, & ad aliud. Tum quia sicut accidit Petro esse similem, sic materiæ, vel formæ esse vnitam, ergo non est relatio trascendentalis, sed prædicamentalis. Resp. quòd in relatione trascendentali considerari debet id, quod proximè, & immediatè denominatur ad aliud, non autẽ remotè, quia comparatione subiecti remoti etiam relatio trascendentalis dicitur subiecto accidere, sic scientia quia proximè, & immediatè refertur ad scibile, dicitur essentialiter referri relatione trascendentali, intellectus verò sciens, quia remotè denominatur ad aliud, accidentaliter tm̃ refertur, quatenus sibi accidit ipsa scientia, sic in proposito, licèt esse vnitum accidat subiectis remotis scil. materiæ, & formæ, non tamen subiecto relato immediatè, quod est ipsamet entitas absoluta vnionis.

Sed Contra, falsum est, vnionem esse relatã, sed ipsamet est rõ referendi extrema vnita, vnde cum eius subiectum proximum sit materia, & forma sub ratione potentiæ, & actus, & illis accidat, non minus quàm similitudo Petro &c. asserendum est, vnionem relationem esse prædicamentalem, non trascendentalem, per hoc .n. huiusmodi relationes differunt, cũ .n. trascendentales realiter identificentur cum subiectis, separari non possunt, prædicamentales verò penitus accidunt. Tum quia si vnio esset relatio trascendentalis, siuè materiæ,

teriæ, siuè formæ vnitæ, semper materia esset vnita tali formæ, & forma tali materiæ, ità quòd nec per potentiam Dei separari possent, patet sequela, quæ .n. realiter identificantur, per nullam possunt potentiam separari.

Prob. 3. quòd sit respectus extrinsecus adueniens ex Doct. in 4. d. 12. q. 1. N. nam hæc relatio vnionis non sequitur necessariò extrema iam posita in esse, qa potest Deus cõseruare materiam, & formam separatas absq. vnione, & vnio etiam per se terminare potest actionem vnitiuam agentis, seu vnitionem, vt expræssè Scot. docet in 3. d. 1. q. 1. §. *Ad Illud &c.* ergo non est relatio intrinsecus adueniens, cum ad nullam talem sit motus ex 5. Phys. tex. 10. Ad quod autem genus illorum sex prædicamentorũ vnio spectat, Doct. in 4. d. 12. q. 1. C. innuere videtur, quòd ad genus actionis, & passionis sm̃ diuersam considerationem. At Bassol. in 4. d. 12. q. 1. articul. 1. satis probabiliter putat spectare ad prædicamentum habitus, & ratio est, quia talis habitudo est de relicta aliquo modo ex adiacentia formæ ad subiectum, vel est ipsamet talis adiacentia, quam doctrinam amplectuntur Bell. Mastr. & Ponc. & deducũt ex ipso Auctore sex Princ. qui in eo prædicam. posuit album esse, & quantum esse, quod non est, nisi habere quantitatem, & qualitatẽ inhærentem.

Et Quòd Diuus Bonau. nostræ fuerit sententiæ, clare colligitur ex 1. sent. d. 22. q. vlt. quicquid dicat Carpened. vbi Seraph. Doct. ait: *quædam dicuntur relatiuè, quia claudunt in suo significato interius relationem, vt dicitur Incarnatus, sensus .n. est, idest carni vnitus, vnio .n. dicit relationem.* Nec loqui potest de relatione trascendentali, aliter sequeretur, quod natura assumpta sẽper fuisset Verbo vnita, nec posset à Verbo separari, cum huiusmodi relatio sit realiter identificata cum suo fundamento.

Quòd tandem distinctio vnionis ab extremis possit appellari realis, vel modalis, est quæstio de nomine ex Doct. in 2. d. 1. q. 5. §. *Quod si adhuc &c.* D. vbi ait: *Qui contendunt relationes qualis est vnio, appellare modos, & non res, contendunt de nomine rei, & modi, licèt .n. modus non sit ità res, sicut illa, cuius est modus, non tamen nulla res est, quia tunc nihil esset.* Pro cuius decisione recurrendum est ad Log. disp. 10. art. 5. de distinctione Formali, & iam art. præcedenti declarauimus, *Ly .n. modaliter*, coniungi põt cũ distinctione reali, & formali; & modi intrinseci distinguuntur modaliter formaliter, modi verò extrinseci, de quorũ numero est vnio, distinguũtur realiter.

Obiectiones.

Ob. 1. quòd modus vnionis sit substantia, non accid. si vnio esset formaliter accidens, accidentaliter vniret, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Neg. sequelam, qñ extrema vniuntur sub rõne substantiali, nam vnio, vt diximus dicitur substantialis, ex eo quia est ad substantiam sub rõne substantiæ, & accidentalis, quia est ad substantiam sub rõne tamen accidentali, vel ad ipsum accidens. Neq. ex hoc sequitur, quòd causa formalis producat effectum se perfectiorẽ, nam effectus formalis vnionis est præ

cisè

cisè vnire, quòd autē vniat substantialiter, vel accidentaliter, potius oritur ex natura extremorum, quatenus quædam nata sunt vniri sub rōne aliqua substantiali, vt est de materia, & forma, vel accidentali, vt de subiecto, & accidenti, ex quibus ipsa vnio denominationem accipit.

Ob. Substantia non potest constitui in esse substantiæ, nisi per entitatem substantialem, sed vnio est huiusmodi, per eam .n. verè substantiale cōpositum constituitur, ergo verè erit substantia, & modus substantialis. ℞. Neg. mi. nam vnio tm̄ præexigitur, aut coexigitur, vt necessaria conditio ad compositi constitutionem, & eius conseruationem, hinc non dicere solemus compositum constituitur ex vnione, sed ex partibus, præuia vnione.

Ob. Terminus formalis generationis substantialis debet esse substantia, sed vnio est huiusmodi, ergo &c. mi. patet saltem in hominis generatione, vbi nec materia, nec forma generātur, sed solùm vnio, & ex hoc dicitur hominem generare hominē, quia talem vnionem attingit. ℞. Neg. mi. quia vnio non est terminus generationis, neq. Quod, neq. Quo, sed terminus Quod generationis est ipsū compositum, terminus Quo, est forma, vnio verò est terminus actionis distinctæ, quæ dicitur vnitiua, in generatione hominis dicitur hominem generare hominē, quatenus per eius actionē substātialem introducit formam mixti, seu corporeitatis in materia, quæ est vltima dispositio, ad quam necessariò sequitur animæ infusio. An verò homo attingat etiam animæ vnionem, videbimus in lib. de anima.

Ob. Vnio intrinsecè includitur in aliquo composito, ergo si erit accid. aliquod accidens erit per se de conceptu substantiæ, quod est falsum. ℞. Vnionem non includi in composito tanquam partem, sed vel tanquā causalitatem, vel tanquam vinculum ipsarum, quo sensu negatur consequentia, nam talis vnio estò coexigatur, vt partes formaliter vnitæ dicantur, non tū est de conceptu intrinseco substantiæ, vt dictum est.

Ob. Vt copulentur partes integrales substantiæ, præter relationem vnionis ponenda sunt indiuisibilia positiua, & absoluta, & substantialia, ergo vt materia, & forma copulentur, præter relationem vnionis poni debet aliquod substātiale positiuum. ℞. Quicquid sit de anteced. de quo suo loco, negando conseq. & ratio est, quia partes integrales ità copulantur, vt esse possint extra se inuicem, non obstante sua copulatione, & non se inuicē tāgunt immediatè vt Quod in sent. Aduersariorum, & consequēter necessariò assignari debet aliquid aliud, quod tangant vt Quod immediatè, at materia, & forma immediatè se tangunt vt Quod, non mediante aliquo tertio vt Quod, quia vnio est ratio, qua formaliter partes denominantur vnitæ, non aliquid medians vt Quod, nec possunt partes extra se inuicem esse dum coniunguntur, atq. ideò non est idem iudicium ferendum de partibus essentialibus, & integralibus.

Secundò Ob. Quod vnio nō sit purus respectus prædicamentalis: Relatio non præsupponitur ad substantiam, sed sequitur, nec est ad eius esse necessaria, sed vnio est necessaria

ad esse

ad esse compositi, ergo non est relatio. ℞. Cum Scot. distinguendo maiorem, relationem non præsupponi ad substantiam, nec esse necessariam ad eius esse, vt causam, & principium constitutiuum illius, concedo; non præexigi, & coexigi, vt necessariã connexionem, nego. in quo sensu vnio est necessaria ad compositum.

Ob. omnis relatio prædicamentalis fundata est super vnum, & multa, aut super actionem, & passionem, aut super mensuram, & mensurabile ex 5. Meth. tex. 20. sed hæc vnio in nullo istorum fundatur, vt patet, ergò non est relatio. ℞. ex Bassol. quem sequuntur hic Mastr. & Bell. maiorẽ intelligendum esse de respectu intrinsecus adueniente, non de extrinsecus adueniente. posset etiam dici, ꝙ fundatur super potentiam actiuam, seu informatiuam formæ, & passiuam materiæ.

Tertiò, Auersa q. 21. sec. 3. loquẽdo specialiter de inhærentia, quæ est vnio formæ accidentalis vult, quòd vnio formæ ad subiectum non sit in aliquo determinato prædicamento, & præsertim, quòd non sit in prædicamento actionis, vel passionis, vel habitus, vnde sic arguit. Actio, vt ex ipso nomine constat solùm denotat operationem agentis, Passio consistit solum in fieri correspondens actioni agentis; non autem in facto esse per inhærentiam permanentẽ post transactam actionem, ergo constitui nequit in prædicamento actionis, vel passionis; Neq. in prædicam. habitus, qa hic tm̃ cõsistit in denominatione consurgente à vestibus, & similibus, & qñ etiam diceret modum positiuũ distinctum, esset vtiq. ille, qui resultaret ratione vestis circa corpus; non formæ circa subiectum. ℞. Scot. in 4. d. 12. q. 1. C. fuisse dubitatiuè locutum, dicens: *Si quæras ad quod genus pertinet Vnio &c.* & resp. forte ad genus passionis, si passio dicat non tm̃ respectum passi ad agens, sed etiã ad formam, vel ad genus actionis, si actio dicat non tm̃ respectum agentis ad patiens, sed formæ informantis ad illud, quod informatur, Auersa autẽ accipit actionem prout dicit simpliciter respectum agentis ad patiens, & passionem prout dicit respectum passi ad agens, ideò nil contra nos. Ad aliud de habitu dicimus, quòd hoc prædicamentum non solùm consurgit ex adiacentia vestis circa corpus, sed ex adiacentia etiã cuiuslibet formæ importatæ per habitum, & Auct. sex Princ. non solùm dat exemplum de vestibus, quod manifestius est, sed etiam de alijs formis, dicens: *album esse, quantum esse &c.*

Ob. tandem, quòd distinctio vnionis à partibus non possit dici realis, sed modalis ex illo principio, quod illa distinguuntur realiter, quorum vnum existere possit sine alio, & è contra, sed partes existere possunt sine vnione, & non è contra, ergo &c. ℞. Hanc doctrinam, quæ cõis est apud Recentiores esse omnino volũtariam, & falsam, sufficit .n. ad distinctionem realem, quod vnum existere possit sine alio, etiam si hoc sine illo existere nequeat, vnde rectè dicimus creaturam à Deo realiter distingui, licèt existere non possit sine Deo; & relationem realiter distingui à fundamento, quamuis sine eo existere non possit; accidentia realiter à substantia distingui, etiò saltem naturali-

turaliter existere non possint sine ea; vnde impossibilitas illa ex parte vnius extremi existendi sine alio, solùm facit, quod illa extrema non sint mutuò separabilia, licèt adhuc realiter distinguantur, vt diximus art. præcedenti ad arg. Guarini.

Ex his rectè deducitur, quid sit vnio, quæ sic à Scotistis describi solet: *Vnio est respectus extrinsecus adueniens, quo formaliter extrema dicuntur vnita, spectans ad prædicam. actionis, vel passionis, vel habitus iuxta variam acceptionem rei, & modi*, cuius particulæ patent ex dictis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Vnica Vnio sufficiat inter materiam, & formam ad constituendum compositum.

SCot. de hac quæst. differit in 2. d. 1. q. 5. lit. S. vbi omnes respectus, quos ponit inter materiam, & formam, affirmat esse mutuos, & expræsè ibi loquitur de vnione, quam ibi significat per respectum subiecti ad formam, quibus verbis ostendere voluit duas esse vniones; & clarius id docet in 4. d. 12. q. 1. lit. C. ponés vnā ex parte formæ, quæ dicitur informatio, alteram ex perte materiæ, quæ dicitur receptio. Antiquiores Sholastici, quia putauerant vnionem esse relationem prædicamentalem, supponebant duas esse vniones inter materiam, & formam. Recentiores autem, qui nouos modos substantiales inuenerunt, diffident inter se, quidam.n. asserunt vnicam vnionem sufficere, ità Suar. in Meth. disp. 13. sec. 9. Vasq. 3. p. d. 19. Murc. 2. Phys. disp. 3. q. 5. Ruu. 1. Phys. tract. 2. q 6. Auersa q. 18. sec. 6. Complut. 1. Phys. disp. 6. q. 3. Carpened. in sua Philos. lib. 1. tract. 5. q. 3. Arriag. disp. 4. Phys. sec. 2. Tellez. Cabero, & Alij. Aliqui verò duas requirunt vniones, vnam in materia terminatā ad formā, aliam in forma terminatam ad materiam, ità Hurt. disp. 5. Phys. sec. 7. Amic. 2. Phys. tract. 2. q. 10. dub. 4. art. 2. Ares. 1. de gen. disp. 2. q. 16. & Alij. Inter Auctores primæ sent. est adhuc contentio de subiecto vnionis, nam Suar. & Vasq. eam ponunt subiectatam in materia, & terminatam ad formam. Ruu. verò, Murc. & Auersa ponunt eam subiectatam in forma, & terminatam ad materiam. Alij tādem cum Complut. ponunt eam subiectiuè in vtroq. extremo. P. Guerinus disp. 4. expens. 2. in calce hoc dubium tangens, ait: melius est omnes modos superadditos negare, quàm in has difficultates incidere.

Conclusio.

Dicimus inter materiam, & formam totum componentes, duplicem dari vnionem, vnam in materia terminatam ad formam, alteram in forma terminatam ad materiam. est Scot. loc. cit. & sequuntur Scotis. cōiter, vt videre est apud Fuent. 1. Phys. q. 5. diff. 2. art. 3. Sghem. 1. Phys. digres. 7. q. 8. Mastr. & Bell. disp. 5. Phys. 1. q. 10. Ponc. lib. 1. Phys. disp. 5. q. 3. & Alij cum Doctorib. secundo loc. cit. Probatur 1. auct. 5. Meth. tex. 20. vbi Arist. distinguit tres modos relatiuorum. Relationes primi modi fundantur super vnum, & multa. Secundi modi super potentiam actiuam, & passiuam. Tertij modi super mensuram, & mensurabile, & præsertim illud discrimen ponit inter relationé primi, &

mi, & secundi modi ex vna parte, & Tertij ex alia parte, vt Scot. pluries aduertit, quòd illæ primæ sunt mutuæ, & mutuò extrema referuntur ad inuicem, per relationes reales hinc inde fundatas, istæ verò non, sed vnum extremum dicitur referri ad aliud, quia illud ad ipsum: sed vnio vel est relatio primi modi, quia ponuntur ōnes relationes æquiparantiæ, quæ scil. eodem nomine nominantur, vt simile simili simile, quo etiam nomine nominantur extrema vnionis, vt vnitum vnito vnitum; vel & fortè melius est relatio secundi quatenus informatio, quæ non est, nisi vnio formæ ad subiectū diuiditur in actiuam, & passiuā, ità vt vnio q̄ se tenet ex parte formæ fundatur super potētiā informatiuā, & quasi actiuam formæ, vnio verò, q̄ se tenet ex parte materiæ fundatur super potētiā passiuam eiusdem, & nullo modo ad 3. membrum reduci potest, ergo vnio erit relatio mutua in vtroq. extremo, & non tantùm in vno, quòd si inter naturam assumptam, & Verbum non est vnio realis mutua, hoc oritur, quia Verbum non est potentiale, & subiectum capax nouæ relationis in tempore; at quia in casu vtrumq. extremum limitatum est, & capax relationis, statim in materia, & forma relatio mutua resultabit. Tum quia eadem rōne qñ sunt duo similia sibi inuicem, si vnum ex ipsis dicatur simile per vnum respectum superadditum, alterum dicetur etiam simile per alium respectum. Tum quia non est maior ratio, cur poneretur in vno vnus respectus subiectiuè, quàm alius in altero extremo, nec idē respectus in vtroq. extremo poni potest, cū idē accid. numero subiectari non possit in subiectis realiter distinctis, ergo in vtroq. extremo geminari debet.

Resp. Arriag. non esse parem rōnem inter similia, & vnita, nam vnita sunt in eodem loco, similia verò in diuersis locis. Sed contra, si per impossibile poneretur vnica tm̄ relatio similitudinis ex parte vnius extremi distantis, adhuc illa extrema essent similia ex eius principijs, licèt essent in diuersis locis, ergo non rectè negatur paritas ex idētitate loci. Resp. 2. disparitatem esse, quia extrema similitudinis sunt omninò eiusdem rōnis, & consequenter non est maior ratio, cur similitudo ponatur potius in vno, quàm in altero, & ideò duplex poni debet respectus, extrema verò vnionis Physicæ, de qua loquimur sunt diuersæ rōnis, ideòq; benè possit excogitari ratio cur potius in vno, quàm in altero extremo poni debeat.

At Contra, licèt extrema similitudinis sint eiusdem rōnis V.g. duo alba, duo nigra &c. tamen extrema dissimilitudinis sunt diuersæ rōnis, V.g. album, & nigrum, & tñ hoc nō impedit quin duæ relationes ponātur, ergo vana est euasio Arriag. ex rōnibus disparitatis.

Tum quia omnis relatio habet correlationem sibi correspondentem in termino, si nihil obstet. sed nihil impedit, quin relatio vnionis posita in materia habeat aliam correlationem sibi correspondentem in forma, quæ est terminus eius; sicut nihil obstat si ponatur in forma quin aliam correlationem sibi correspondentem habeat in materia, ergo duæ sunt relationes vnionis inter materiam, &

formam, vna subiectata in materia, & terminata ad formam; alia subiectata in forma, & terminata ad materiā, quæ duæ relationes sunt ibi inuicem correlationes. Dixi si nihil obstet, propter impedimentum, quod oriri potest, vel ex incapacitate termini, vt in Misterio Incarnationis, propter immutabilitatem Verbi; vel ex defectu rōnis fundandi, ex cuius defectu in pariete viso non ponitur correlatio correspondes visioni, quæ ponitur in oculo. *Obiectiones*.

Ob. Vnio essentialiter est duorum vnio, est vinculū, & nexus duorū, & ꝓrsus incapibile est vnionē vnire, & nō vnire duo, seu vnū alteri, ergo sufficit vnica vnio ad vniendum duo, si vnum namq. ex duobus est coniunctum alteri, prorsus necesse est, hoc quoq. esse coniunctum illi. ℞. Quòd si hæc ratiò aliquid valeret, probaret etiam, quòd in duobus similibus non esset geminanda relatio similitudinis, nec in duobus æqualibus relatio æqualitatis, sed vnica sufficiet, nā etiam similitudo est essentialiter duorum assimilatio, sicut vnio duorum nexus, & prorsus impossibile est similitudinem assimilare, & non assimilare duo, & tū omnes concedunt relationes similitudinis, & æqualitatis geminari, ergo id etiam asserendum erit de vnione, ideòq. rationabiliter negatur conseq.

Ob. In rebus naturalibus vnū punctum coniungit, & vnit duas partes lineæ, vnum gluten duas partes tabulæ, vna funis vnit, & ligat duo corpora, ergo à pari idem asserendum erit de vnione. ℞. Neg. paritates assumptas, est .n. dispar ratio de vnione essentiali, & de integrali, quæ .n. essentialiter vniuntur immediatè inter se vniuntur, quæ verò integraliter, vt partes lineę, tabulæ &c. non vniuntur immediatè adinuicem, sed vniuntur in aliquo tertio, cui tanquā termino cōi copulantur ex prædicam. Quantitatis.

Ob. Si alia vnio inesset formæ, ipsa forma se haberet vt medium inter materiam, & vnionem, quia mediante forma in materia recepta, ipsa quoq. vnio eidem materiæ inesset, & ità magis proximè, & immediatè inesset materiæ forma, quàm vnio, at hoc est falsum, vnio .n. est nexus, & vinculum, quo mediante materia, & forma vniuntur, ergo sufficiet vnica vnio ex parte materiæ, qua mediante forma ipsi materiæ vnitur. ℞. Ex Doct. in 2. d. 1. q. 2. D. argum. procedere ex falsa imaginatione, q̃ Aduersarij habent de his, & similibus respectibus, quos putant verè mediare inter causam, & eff ctum, quod etiā asserunt de causalitate; & falsa imaginatio ex eo procedit, quòd concipiunt vnionem substantialem, vt medium quoddam materiale, & absolutum inter materiam, & formam, sicut est punctum inter partes lineæ, & gluten inter partes tabulæ, quod falsum est, alia est .n. ratio de vnione partium essentialium, nam illæ vniuntur in tertio, istæ vniuntur omninò immediatè per seipsas, ità quod vnio intercedens inter formam, & subiectum non sit quid interiectum in quo quasi in tertio vniantur, sed potius est relatio subsequens partes prius natura inter se materialiter, & fundamentaliter vnitas, vt illas postea denominet formaliter tales, sicut similitudo sequtur albedines fundamētaliter si-

ter similes, vt illas denominet formaliter tales. prius igitur natura ponitur forma in subiecto, & statim sequtur relatio vnionis in forma, per quam denominantur formaliter vnita; hinc cùm dicimus, formam media vnione vniri subiecto, non est sensus, quòd vnio sit quoddam medium materiale, & absolutum ad modum glutinis, sed ista, & similes locutiones faciunt sẽsum formalem, quòd scil. forma denominatur formaliter vnita subiecto per relationẽ vnionis resultantẽ expositione materiali ipsius in subiecto. Si igitur in priori signo cõsideratur forma in subiecto, praecedit relationem vnionis, at si consideretur in signo posteriori, relatio pcedit ipsã quatenus vnitam, sicuti vniuersaliter forma suũ praecedit effectũ formalẽ, ideò nihil.

Ob. Ruu. Vnio partium ordinatur ad vnitatem compositi, ergo cum in composito non sit nisi vna vnitas, non erit inter partes, nisi vna vnio. ℞. Cũ Scot. in 2. d. 12. q. 1. & in 3. d. 2. q. 2. non esse idem vnionem, & vnitatem, nam vnitas importat negationem plurium, vnio verò importat plura inuicem vnita; vnitas pertinet ad compositum, vt eius passio, vnio spectat ad partes vt earum nexus, atq. ideò ex vnitate totius, non benè arguitur vnica vnio inter partes.

Vrget: Si essent duae vniones, per eas non perfectè vnirentur partes, quia non potest aliqua vnio vnire duo, nisi vtrumq. attingat, at si essent duae, vnaquaeq. suum extremum attingeret, in quo est, & non aliud, ergo non bene vniret partes. ℞. Negãdo assũptũ cũ sua pbatione, singulę n. vniones attingũt vtrũq. extremũ, vnum subiectiuè, alterũ terminatiuè itá vt ambo fundando proprias vniones, dicuntur formaliter vnita.

Ob. Si vnio est duplex, poterit vna corrupta, alia remanere, aut saltem haec praecisio vnius ab alia fieri potest per intellectum. Tũc petimus, an ex illa, quae remanet, resultet vnũ compositum, vel nullum, non secundum, quia ibi sunt partes vnitae, & ideò necessariò totum componunt; si primum, ergo illa alia vnio erat superflua. ℞. Casum esse impossibilem, nam in relatiuis mutuis ob dependẽtiam essentialem vnius ab alio, vna relatio non potest ab alia separari; & casu admisso, extrema remanerent vnita, & compositum constitutum, sed non eodem modo sicut prius, nã primò ambo extrema erant vnita intrinsecè, & vtraq. participabat cõem perfectionem totius, in casu autẽ manerent vnita, vnum vt subiectum, alterum vt terũs, vnum intrinsecè, alterum extrinsecè, & ità compositum non constitueretur cum mutatione, & perfectione vtriusq. extremi, sicut modo naturaliter constituitur.

Carpened. noster sic arguit: Dicunt Theol. quod Spiritus sanctus est nexus Patris, & Filij, quis autem audebit asserere duos esse nexus, aut duas vniones? Non placet, nam potius Filius dici deberet nexus Patris, & Spiritus sancti, nam prior origine intelligitur Pater, postea Filius, deinde Spiritus sanctus, ergo Filius, vt media persona dici deberet nexus, & vnio inter Patrem, & Filium, non Spiritus sanctus, qui est extrema persona. Tum quia omnia, quae sunt in Deo, vel sunt essentialia, vel relatiua; si hic nexus esset essentialis, non minus conuenire deberet Spiritui sãcto,

cto, quàm Patri, & Filio, cùm essentialia omnibus trib. Personis conueniant, vt patet de conceptu bonitatis, sapientiæ &c. Si esset relatiuus, seu relatio, Doctrina est contra seipsum, quia omnes relationes Diuinæ geminantur, vt euidens est de generatione actiua, & passiua, & de spiratione actiua, & passiua, de relatione similitudinis, æqualitatis &c. Si per talem nexum non intelligit relationem, sed personam relatiuam, sic potius Filius appellandus est nexus, quem Spiritus Sanctus supponit iam genitum, quàm Spiritus sanctus, qui est extrema Persona, vt diximus. Si per hunc nexum intelligat Amorem, quo Pater, & filius se diligunt, neq. est benè dictum, quia in illo priori, antequam intelligatur Spiritus sanctus productus, adhuc oportet intelligere Patrem, & Filium se diligentes. Tum quia Pater, & Filius communicando simul, vt duo spirantes omnia, essentialia Spiritui sancto cōmunicauerunt etiam voluntatem, & Amorem, quomodo ergo Spiritus sanctus est nexus inter Patrem, & Filium? Solùm igitur appropriatè Spiritus sanctus dicitur nexus Patris, & Filij, quatenus procedit, vt Amor p actum voluntatis, & ille amor, quo se diligunt, dicitur nexus amborum appropriatè.

ARTICVLVS QVARTVS.

An materia, & forma simul vnitæ constituant ens per se vnum.

Scot. de hoc art. disertè agit 8. Meth. q. vlt. & in 4. d. 11. q. 3. lit. Y. & in 2. d. 12. q. 1. D. & alibi. pro cuius decisione præmittimus ex 5. Meth. 13. & Scot. declarat in 1. d. 2. q. 7. lit. Hh. quòd vnitas, à qua dicitur vnum, varijs modis accipitur, scil. vno modo pro vnitate aggregationis, quæ est in aceruo lapidum: alio modo pro vnitate ordinis, qualis est in exercitu: alio modo pro vnitate accidentali, quæ interuenit inter substantiam, & accid. & nullo ex his modis in præsenti accipitur, quia sunt modi vnitatis sm̄ quid, & per accidens, sed sumitur pro vnitate per se, & simpliciter, quæ arguit naturam vnam, & essentiam vnam, vnica definitione explicabilem, à qua dicitur vnum compositum per se.

Et quidem quo ad rem, nulla est inter Philos. controuersia, omnes. n. affirmant ex materia, & forma fieri vnum per se, quia materia est per se potentia, forma per se actus, vt Arist. manifestè docuit 2. de anima tex. 7. & 5. Meth. loc. cit. tex. 15. & seq. sed solùm dubium remanet quo sensu hæc propositio intelligatur, & quare ex materia, & forma fiat vnum per se, non autem ex subiecto, & accidente.

Aliqui dixerunt, ideò materiam, & formam constituere per se vnum, dici per se potentiam, & per se actū, non verò accid. & subiectum, quia forma substantialis aduenit materiæ, quæ est ens in potentia, accid. verò aduenit composito, quod est ens in actu, ex duob. autem entibus in actu non fit vnum per se ex 7. Meth. 49. & est consuetus modus explicandi Thomist. vt videre est apud Caiet. p. p. q. 76. art. 1. Capreol. Iauel. Sonc. & Alij, sed non placet, q̄a per talē modum non satis explicant Thomistæ, quomodo intelligatur materiam esse in potentia, si. n. intelligant, quòd sit in pura potentia obiectiua, ità vt nec actum entitatiuum habeat, nec pro-

propriam existentiam, hoc falsum esse ostendimus disp. 3.art.2. & 3. Si verò intelligant, formam aduenire enti in potētia subiectiua, scil. materiæ existenti in potentia ad ipsam formam, benè dicunt, sed in hoc sensu etiam accidentia aduenirunt enti in potentia, cum aduenirant subiecto existenti in potentia ad formam accidentalem. Tum quia licèt verum sit ex duobus entibus in actu completo, & perfecto non posse fieri vnum per se, ratio tñ cur accid. vnum per se non constituat cum subiecto, non est quia illud subiectum est ens in actu completo, quia si accid. immediatè reciperetur in materia prima, vt Multi sentiunt, adhuc cum ea faceret vnum per accid. vt etiā Ipsi Thomist. fatentur.

Alij affirmant, materiam, & formam habere rationem per se potentiæ, & per se actus, ex quibus fiat cōpositum per se vnum, quia sunt potentia, & actus eiusdem ordinis, & prædicamenti, & hac de causa accid. & subiectum non faciunt ens per se vnū, q.a sunt res diuersorū gen. quē dicendi modum sequitur Suar. disp. 16.Meth.sec.1.cum Alijs, & isti cautius procedunt, & talis modus dicendi insinuatus fuit à Scoto in 3.d. 12.q.1.lit. F. absolutè tñ, nisi melius explicetur, non satisfacit, & ratiò est, quia etiam potentia, & actus sunt in eodem genere qualitatis sūripsum Suar. & Aliquos Thomist.s.potentia vitalis, & actus vitalis, & talis potentia ordinatur ad talem actum, ergo ex eis fieri deberet vnum per se, q est falsum. Alij variè, & diuersimodè explicant, sed bona pace, semper insufficienter, nec rationem à priori assignant, nos sic explicamus.

Conclusio.

Dicimus, materiam, & formam, vt principia in facto esse constituere compositum materiale per se vnum, ea ratione à priori, quia materia est per se potētia, forma verò p se actus. Est Scot.loc. cit. ex Arist. & omnium Peripat. & patet experientia, videmus .n. ex materia, & forma substantiali fieri omnia composita substantialia, vt hominem, aquam, ignem &c. ratio autē à priori assignatur à Doct. in 4.d.11.q.3.lit. Y. vbi inquit, formam substantialem in hoc ab accidentali secerni, quia illa est actus primus, nempè nata dare esse simpliciter, & primum, quale est esse substantiale; istà verò est actus secundarius, idest nata dare esse sm̄ quid, & secundariū, quale est esse accidentale. Esse simpliciter, est primum esse naturale; esse sm̄ quid, est esse secundum naturale, quia natura dat primum esse per se subsistens, & perfectum, quod dicitur esse substantiale, deinde dat alia consequentia ad tale esse, quæ dici possunt esse secundaria naturalia. Dicitur igitur forma substantialis per se actus, quia nata est dare esse primū, & simpliciter; & è contra materia prima dicitur per se potentia, quia veluti essentialiter, & simpliciter incompleta respicit actum dantem esse simpliciter, & primum; Forma vero accidentalis dicitur actus per accid. quia nata est dare tantùm esse sm̄ quid, & secundarium; & subiectum ideo dicitur potentia per accid. quia respicit actum dantem esse secūdarium, à quo spectat perfici in esse secundo. Quòd si quæras, quare forma substantialis est actus primarius, seu

seu natus dare esse primum; & simpliciter, actus verò accidentalis tantùm secundarium,& sm̃ quid? Resp. Scot. aliam rõnem assignari non posse, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud.

Hinc colligitur ex Doct. in 2. d. 12.q.1.D.& in 3.d.22.q.vn. B.quòd tres conditiones præsertim requiruntur, vt vnum per se Physicè constituatur: Prima est, quòd constituentia sint entia essentialiter incompleta: Secunda, quòd sint inter se ordinata per modum actus, & potentiæ: Tertia,quòd ad idem pertineant prædicam. Ratio primæ conditionis est, quia si non essent entia incompleta, haberent singula rationem specificã prædicamentalem, ideoq.ex eis non posset fieri per se vnum, qua rõne quantitas, & quodcumq. aliud accid. non potest cum materia facere vnum per se,quia quodlibet accid.est completum in suo genere, & directè cõstituitur sub aliquo determinatò prædicam. forma autem substantialis, sicut,& materia prima, quia sunt essẽtialiter partes, & incompletæ respectu compositi, quod debent constituere, tantùm indirectè sin prædicamento ponitur. Ratio secundæ conditionis est, quia duæ formæ substantiales disparatæ, vt forma plantæ,& lapidis sunt vtrq.entia substantialiter incompleta, sed quia non sunt inter se subordinata in rõne potentiæ, & actus, ideò per se vnum constituere non possunt, nam præter incomplementum essentiale, requiritur etiam vnibilitas constituentium, ità vt vna concurrat vt actus, alia vt potentia. Ratio tandem tertiæ est, quia si illa duo ad diuersa prædicam. pertineãt, iam habebunt diuersas species,& cõsequenter naturas determinatas in specie prædicamentali, ideòq. conuenire non possunt ad faciendum vnũ per se.

Obiectiones.

Ob. Quantò magis aliqua distant, tantò minus nata sunt facere per se vnum, sed materia, & forma maximè distant, cum sint alterius, & alterius rõnis, & vnum habeat rationem potentiæ, alter actus, ergo &c.℞.Ex Doct. in 2.d.12.q.2.§. *Ad argum.*E. quòd duplex est vnitas.quædam vnionis, quædam identitatis, & licèt illa maior sit vera de vno,vnitate identitatis, quomodo passio, & subiectũ sunt vnum, non tũ est vera de vno vnitate vnionis, sicuti est compositũ, in tali .n. constitutione non requiritur similitudo in natura, sed proportio conueniens, talis autem adest, cũ vnum habet rõnem actus, alterum potentiæ.

Ob. Forma accidentalis est imperfectior substantiali, ergo si forma substantialis rõne suæ incompletionis potest cum subiecto constituere vnum per se, ità, & tantò magis forma accidentalis.℞.Cũ Mastr. & Bell. loc.cit.negando sequelam, nam estò forma accidẽtalis sit imperfectior substantiali imperfectione simpliciter, quia substantia à toto genere simpliciter est perfectior accidente, potest tũ forma accidentalis dici perfectior substantiali sm̃ quid, quatenus in suo genere est ens completum, quod non habet forma substantialis.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

An materia, & forma remaneant in composito secundum proprias Entitates.

SCot. de hoc dubio agit in 2.d.12. q.1.& in 1.d.1.q.1.H.& quol.9. K. & alibi. Communis sent. tàm distinguentium totum à partibus vnitis, quàm non distinguentium affirmat materiam, & formam sm̃ proprias entitates manere in composito, solus Faber in sua Philos. Theor.21. cap.3.& 4.& in 3.sent. disp.9.cap.3. singularem habuit opinionem, autumans partes vnitas dum compositum constituunt in tertiam entitatẽ prorsus pertransire, ità quòd amittentes proprias, fiant penitus illud tertium, quod ab ipsis sic in tertiam entitatem transactis, nulla ratione realiter distinguatur, quæ opinio, vt bene Mastr. & Bell. aduertunt fuit Aliquorum priscorum Theologorum, quã Basol. in 2.sent.d.12.q.1.art.1. refert, & reijcit. Vult igitur Faber, quòd in compositione, partes ità transeũt in totum, quòd non maneant sm̃ esse compositi. Hinc in cap.3.relato ait: *partes desinunt esse, & tamen manent in composito, desinunt esse in suo esse, quod prius habebant & manent in esse; & entitate compositi in quod ab agente mutantur*, & infra repetit: *manent ergo, & non manẽt, non manent in priori esse, manent in esse compositi*, & in 3. disp. 9.nu.23. ait: Materia, & forma cum ingrediuntur compositum, non corrumpuntur quò ad entitatem, sed quo ad esse, quod prius habebant, & recipiunt esse perfectius in toto. Quam sent. deinde amplexus est ex nostris P. Victorius à Panormo in suo manuscritto, vir vtriq. temporibus illis doctrinæ fama celeberrimus, & satis doctrinæ Fabri coniunctus, & familiaris in omnibus, ex qua doctrina sic explicata ansam arripuit Carpened. noster in sua Philos. lib.1.tract. 6.q.9. asserendi, hanc esse Scoti, & Scotistarum opinionem; & esse eamdẽ cum opinione Diui Bonau. à quo Scot. mutuauit: sed tñ abest, quod subtiliss. Doct. huius fuerit opinionis, cũ potius oppositũ manifestè docuerit, vt modò patebit. *Conclusio.*

Dicimus materiam, & formam sm̃ suas proprias entitates in composito remanere. Est ad mentem Scoti, & tradita in terminis à Mastr. & Bell. disp. 5. q. 9. art. 2. & Ponc. 1. Phys. disp.6. & directè contra Fabrum, & iuxta principia Arist. 1.Phys. vbi docet materiam, & formam non solùm esse principia in fieri, sed etiam in facto esse, quia remanent in composito, & quia priuatio non remanet, ait, Priuationem esse principium tm̃ in fieri; & 2.Phys.tex.10. & 28. loquens de causis intrinsecis, ait: Materiam esse, ex qua in existente res fit, & 8.Phys. ostendit, quædam à principio intrinseco moueri, quod est forma, quædam ab extrinseco; & 1.de gen.tex.23.docet materiam eamdem manere in genito, & corrupto, quomodo ergo partes in toto amittunt esse proprium, & transeunt in tertiam entitatem, si materia est incorruptibilis, & remanet etiam in toto de nouo genito?

Prob. 2. euidentissimis Scoti testimonijs in 2.d.12.q.1. docet in composito reperiri materiam, & formam habentes proprias entitates ab inuicem realiter distinctas, & in 1. d. 1. cit.

cit. lit. H. in fine, ait: materiam naturaliter quiescit sub forma, & non poterat loqui de illo primo instanti, in quo vniuntur, tunc .n. materia non potest quiescere sub forma, cùm tunc fit principium in fieri, sed tm̃ in tempore sequenti, qñ iam intelligitur compositum, & in 2. d. 15. q. vn. docet: idcirco mixtum fieri ex elementis, veluti ex termino à quo, & non vt ex partibus, quia non manēt formaliter in mixto, sicut sunt partes in composito Physico, & tandē quol. 9. cit. art. 3. K. manifestè docet, animā, & cæteras formas materiales manere in composito sm̃ proprias entitates, & ibi habere proprium esse diuersū ab esse totius, dicens: *dico ergo quòd esse animæ manet idem, dum anima manet in illo esse, & hoc siue sit cōmunicata, siue separata, & infra: videtur ergo ista neganda quod esse animæ est idem quod esse totius.*

Probatur tandem rationibus. Tum quia quicquid dicitur de definitione, dicitur etiam de definito, cùm sint idem formaliter, vel saltem realiter, & dicuntur ad conuertentiam, sed definitio animæ est, quod sit actus corporis Physici organici &c. Ergo si anima in composito desinit esse partem, seu actum, desinit esse animam, quod est error in fide. Tum quia de fide est, Verbum assumpsisse carnem, & animam, & non assumpsit eas separatas, sed totum hominem Physicè compositum, ergo etiam de fide est animam in composito retinere esse animæ quo ad suam entitatem. Tum quia anima rationalis est incorruptibilis, & immortalis, materia etiam est incorruptibilis in vera Philos. & reperitur in genito, & corrupto, ergo in constitutione compositi non pereunt, & amittunt proprias entitates, vt Faber imaginatur. Tum quia non daretur materia prima in rerum natura sm̃ propriam suam rationem, quia non datur de facto, nisi in aliquo toto, ergo si in toto perdit propriam naturam, & induit naturam alterius, non datur de facto sm̃ proprium suum esse. Tum quia alioquin sequeretur totum Physicum non esse compositum, in tantum .n. dicitur cō positum, in quantum continet partes, ergo si partes desinunt esse partes, & transeunt in totum, tunc totum non esset cōpositum. Hinc. Pōc: loc. cit. concl. 3. vocat hanc Fabri opinionem, chymericam, & sine fundamento excogitatam.

At Resp. Faber præsertim ad arg. de anima, in 3. disp. 9. c. 3. nu. 23. q. & si anima rationalis sit incorruptibilis sm̃ substantiam, tamen est mutabilis, vnde aliud esse habet in corpore, aliud extra corpus, in corpore, dat esse corpori, & facit vnum per se, extra corpus nullum horum facit, & ideò mutatur quo ad esse substantiale, licèt non quo ad substantiam suam. responsio verbalis, cōtra quam bene vrgent Bell. & Mastr: esse nō distinguitur ab entitate, ergo si materia, & forma in generatione totius corrumpūtur quo ad esse, quod prius habebant, corrumpuntur etiā quo ad entitatem, quam prius habebant. Et quid quæso intelligit Faber, cùm dicit animam in generatione hominis mutari quo ad esse substantiale, non autem quo ad substantiam suam? Amice, sicut esse non distinguitur realiter ab entitate, ità nec esse substantiale à substantia; at si enti-

si entitas maneret, & esse non maneret, substantia remaneret, & esse substantiale non maneret, distinguerentur realiter, quia non est maius signum distinctionis realis, quàm separatio ex 7. Topic. cap. 1. loc. 17. Neq. per hoc, quòd anima extra corpus non informat corpus, & in corpore ipsum informat, ideò quo ad esse substantiale mutatur, nam hæc est quædam mutatio extrinseca, & accidentalis, quatenus acquirit, vel amittit vnionem, quæ non est, nisi quidam respectus extrinsecus aduenięns ex dictis, cæterum sicut immutabilis, & incorruptibilis manet quo ad substantiam suam, ità quo ad esse substantiale.

Obiectiones.

Faber obijcit quemdam locũ Scoti in 1.d.17.q.3.§. *Supposito Charitatẽ &c.* vbi circa medium sic ait: *Concedo ergo conclusionem istarum rationum, & quòd realitas illa positiua, quæ est in charitate realiter minore maneat in eadem charitate realiter maiore, nec corrumpitur, nisi quantũ ad esse, quod habuit primò per se, & manet in alio, vt pars in toto, exemplum de materia per se, & forma per se, quæ non corrumpuntur, vt sunt in toto, sed manent perfectius in toto, quàm quando habuerunt esse per se.* Sed bona pace, hęc Authoritas potius est contra seipsum, quia Scot. non dicit charitatem in augmẽto corrumpi quantum ad esse, quòd prius habuit absolutè, & simpliciter, sed quo ad esse, quòd habuit prius per se, & sic etiam loquitur de materia, & forma, qñ sunt in composito, per quod significare voluit, quòd qñ partes sunt in composito amittunt perseitatem tertij modi, quod est habere rõnem totius, & solitariè existere, quam vtiq. perseitatem non retinent in composito, quia non solitariè existunt, sed vt partes in toto, quo sensu Scot. ait, formam in composito non habere esse, nisi per accidens, loquendo de entitate per se, quæ competit composito. hinc in 2.d.17.q.1. A. ait: *forma, quæ producitur in esse, non nisi productione totius, non producitur nisi per accid. quia non nisi productione totius, nec etiam est nisi per accidens, loquendo de entitate per se, quæ competit composito.* Quibus verbis Doct. manifestè ostendit formam mutari quo ad perseitatem, non quo ad esse simpliciter, & absolutè qñ est in toto. Vnde Quol. 9. K. cit. ait: *videtur ergo ista neganda, quod esse animæ est idem quod esse totius,* & parum infra loquens de formis materialibus ait: *formæ materiales non manent in suo esse, corrupto toto, non quia esse earũ non fuerit aliud ab esse compositi corrupti, sed quia ipsæ corrumpuntur per accid.* Ergo sensus Scoti est, quòd dum partes sunt in toto retinent proprium esse aliud ab esse totius, licèt ad corruptionem compositi etiam ipsæ corrumpantur per accid. & benè ait Doct. loco adducto pro Fabro, *quòd materia per se, & forma per se non corrumpuntur, vt sunt in toto.* Quomodo ergo amittunt esse?

Obijcit in 3. cit. materia, & forma constituunt compositum, quia sunt ipsum, ergo transeunt in eius entitatem. ℞. Neg. assumptum, falsum est .n. quòd partes sunt compositum, sed ex partibus fit compositum, & ità Arist. loquitur, & satis differunt, di-

cere hoc fit hoc, seu transit in hoc; & dicere ex hoc fit hoc, per primum modum dicendi significatur versio, & transubstantiatio, per secundum significatur generatio ex suis partib⁹, hinc Arist. non dixit potentia, & actus fiunt vnum per se, sed ex potẽtiá, & actu fit vnum per se.

Ob. Materia, & forma sunt idem essentialiter composito, & in eo intrinsecè continentur, ergo in eius entitatem transeunt, propriam amittentes, probatur consequentia, quia vnum ens reale non est intrinsecum, & essentiale enti reali distincto realiter ab ipso, Sortes .n. non est quid intrinsecum Petro, quia est aliud ens realiter ab eo distinctum. ℞. Negando assumptum pro prima parte, nam partes Physicæ estò componant essẽtialiter compositum, non sunt tñ idẽ essentialiter, sicuti sunt partes Methaphysicæ cũ suo constituto; & ideò Scot. in compositione Physica pónit tertiam entitatem distinctam realiter à suis partibus, quod non asserit de toto Meth. alia pars anteecedẽtis, est vera; sed consequẽtia est falsa de partibus incompletis, licèt .n. sint intrinsecæ, & de essentia compositi, non tñ sequitur, quòd sint compositum, sed quòd remanere debent in composito, ad differentiam causæ extrinsecæ, quæ remanet extra compositum; sic etiam fundamentum, & terminus sunt de intrinseca ratione relationis, non tñ fiunt relatio. Exemplum adductum de Sorte, & Petro, quæ sunt entia completa, non est dignum tanto Viro.

Obijcit: Si partes manerent in toto, vtiq. diuersam haberent entitatem à toto, sed hoc dici non potest, quia tunc totum esse posset sine illis, & illæ sine toto, quia hæc est regula diuersitatis realis, quòd vnum esse possit sine alio. Nec respondere iuuat, totum esse non posse sine partibus ob realem dependentiam ab illis; Tum quia talis dependentia à Scoto nullibi ponitur; Tum quia saltẽ partes vnitæ poterunt esse sine toto, cùm sint natura priores. ℞. Neg. mi. cum vtraq. probatione, & responsio iam est assignata inter arguendum, totum .n. estò à partibus realiter distinguatur, non potest tñ esse sine illis, propter dependentiam essentialem ab illis; & nescio qua licentia dixerit Faber, talem dependentiam à Scoto nullibi poni, nam in 3. d. 2. q. 2. F. manifestè docet totum non solùm necessariò coexigere partes, & à partibus depẽdere, sed etiã præexigere & dependere à partiũ vnione, & ità cõiter resp. Scotis. ad arg. hoc Aduersariorum; partes verò vnitæ, & si natura priores, nequeunt tñ esse sine toto, nam earum causalitas est intrinseca, ideòq. à Deo suppleri, & impediri non potest; & quamuis separatio sit maximum distinctionis realis signum, non tñ est adæquatum, & conuertibile, vt diximus in log. disp. 10. art. 4. quare licèt separatio semper inferat distinctionem realem, nõ tñ distinctio realis semper infert separationem. Alia argum. adducit Faber contra Scot. quæ cum argum. Thomist. soluentur art. sequenti.

DVBIVM.

An tam materia, quam forma sint de essentia, & quidditate compositi Physici.

AVerr. 7. Meth. tex. 21. & 34. & 35. cũ Themist. Achillin. simpl. Ale-

Alexand. Albert. 2. Phyſ. tex. 28. Iand. Sueſſ. Mercen. Zabarell. Baccon. & Alij, aiunt, quòd ſola forma eſt tota eſſentia compoſiti naturalis, materia verò non eſt pars eſſentiæ totius, ſed concurrit vt ſubiectum, & vehiculum ipſius formæ, ſiue vt deferens quidditatem compoſiti. Alij verò ex oppoſito, vt Galenus, Riccardus, Aureol. & Alij affirmant, quòd ſola materia eſt tota quidditas, & eſſentia compoſiti, quia forma ſubſtãtialis, aut non datur in ſent. Galeni, vel ſi datur, ſolùm eſt terminus extrinſecus materiæ. Sed in contra ſũt cæteri Philoſ. cõiter cum D. Tho. 1. p. q. 71. art. 4. & de ente, & eſſentia cap. 2. D. Bonau. in 3. d. 2. art. 2. q. 1. 2. & 3. & Scot. in 3. d. 22. q. vn. & 7. Meth. q. 16. vbi cũ Neuthericis õibus. docet materiale compoſitum includere directè in ſua eſſentia, & quidditate materiam, & formam, licèt cum aliquali analogia, quatenus forma eſt principalior, & præcipua pars quidditatis, materia verò minus principalis. patet ex 2. de anima tex. 2. & 7. Meth. 34. & 36. vbi Ariſt. docet quidditatem compoſitorum eſſe per ſe vnam, quia conſtat ex actu, & potentia, id eſt materia, & forma, & 2. Phyſ. tex. 18, & 19. & 6. Meth. ait, materiam poni debere in definitione rerum naturalium, & 8. Meth. commendat Architam definientem res naturales per materiam, & formam. Nec reſp. valet materiam põni in definitione rerum naturalium, ſolùm vt vehiculum, & ſubiectum quidditatis, quia Philoſ. loc. cit. vult materiam ingredi definitionem rerum naturalium, vt partem definitionis, vt Doct. aduertit in 3. cit. lit. C. Tum quia, vt notauit Baſſol. ſubſtantia completa non definitur per additamentum, ac propterea ſi materia ingreditur conceptum eſſentialem cõpoſiti, ponitur, vt pars intrinſeca ipſius, non vt vehiculum.

Probatur etiam rõne: Subſtantiæ materiales, & compoſita Phyſica nõ ſunt ſimplices entitates, ergo eorum quidditas eſt cõpoſita, quod eſſe non poterit, niſi materia eſſet pars intrinſeca illius. Tum quia ſubſtantiæ materiales per materiam, quidditatiuè ab immaterialibus ſecernuntur. Addit tñ Scot. loc. cit. K. quòd eſtò vtraque pars per ſe, & directè pertineat ad quidditatem materialis ſubſtantiæ, principalior tñ pars quidditatis eſt forma, Vnde D. Aug. 19. de Ciuit. Dei cap. 3. ait: hominem non eſſe animam ſolam, vel corpus ſolùm, ſed vtrumq. meliorem tñ partem hominis eſſe animam. qua rõne Ariſt. 2. Phyſ. inquit formam eſſe magis naturam, quàm ſit materia, & hac etiam rõne formam appellat abſolutè, & ſine addito quidditatẽ compoſiti materialis, materiam verò ſubiectum huius quidditatis, & ſic etiam ſe videtur explicare Auerroes 7. Meth. com. 3. Tum tandem, quia forma eſt actus, materia eſt potentia, actus autẽ ex ſuo genere nobilior eſt potentia.

Ad pleniorem tñ ſolutionem plurium argumentorum, quæ Auerroiſtæ congerunt, libet cum Scot. & Scotiſtis de duplici materia, & duplici forma diſtinguere. Forma duplex eſt, alia eſt forma partis, & Phyſica, quæ cum materia partis conſtituit compoſitum; alia eſt forma totius, & Metaphyſica, quæ eſt integra eſſentia, & quidditas reſultans ex forma, & mate-

materia vnitis: Duplex est etiam materia, scil. materia partis, & materia totius; materia partis est, quæ cũ forma partis constituit compositum, materia totius est differentia indiuidualis, contrahens naturam cõem ad esse hoc, vel illud, & dicitur materia, quatenus constituit rem in suo vltimo esse subijcibili, quæ distinctio cõiter à Recentiorib. amplectitur, quicquid Mercenarius reclamet, cui adamussim resp. Faber Theor. 28. cũ igitur Arist. ait: formam esse quidditatem, & quod quid esse rei, intelligendus est de forma totius, nam hæc reuera est tota essentia, & quidditas rei. Vel si loquitur de forma partis, loquitur per antonomasiam, illam nominãs quidditatem, quatenus est principalior, & potior pars quidditatis; qñ autem excludit materiam à quidditate, vel loquitur de materia totius, quæ est hæcceitas, & est extra quidditatem rei, cùm species sit tota quidditas indiuiduorum, vel loquitur de materia partis, & illam excludit, quatenus est pars minus principalis, & deterioris conditionis, quàm forma.

Dices, quod ponitur in definitione, debet definitum ab alijs distinguere ex 6. Top. & idem est principium constitutiuum, & distinctiuum ex 7. Meth. 41. sed composita distinguuntur per solas formas, quia materia est cõis, & eadem omni indiuiduo, ergo composita per solas formas constituuntur. R. Negando minorem, tota .n. definitio, & non aliqua eius pars debet definitum distinguere ab omni quod non est ipsum, atq. ideò sic distinguit forma, vt etiã materia, quod etiam euidenter patet de compositione Methaphysica, vbi licèt genus sit cõe omnibus speciebꝰ quas continet, est tñ prædicatum essentiale, bona .n. definitio exprimere debet, non solum id, quod est ipsi proprium, sed etiam id, in quo conuenit cum alijs, hinc non benè definiretur homo Physicè, dicendo homo est quid constans anima, nisi addatur, & corpore; sicut nec benè definiretur homo Methaphysicè, dicendo est rationalis, nisi poneretur, & animal. Tum quia etiam adhuc materia distinguit substantias materiales ab immaterialib. & hæc sufficiãt, quia temporib. istis veritas hæc non ponitur amplius in controuersia, & curiosi abundè recurrere possunt ad Mastr. & Bell. d. 5. q. 12. art. 1.

ARTICVLVS SEXTVS.
An Vnio sit de essentia compositi Physici.

SCot. de hoc dubio disertè agit in 3. d. 2. q. 2. F. vbi ait: *Ad esse quidem totius necessariò præexigitur vnio partium, nec tamen illa vnio est illud esse, quia vnio est respectus, & esse illud est absolutum*. Idem habet in 4. d. 43. q. 1. ad vlt. H. sequuntur Scotistæ cõiter, & ex Exteris Soncin. 7. Meth. q. 14. art. 1. Vasq. 3. p. tom. 1. disp. 19. & Alij. Oppositum tñ autumant Auersa q. 19. sec. 7. Rùu. 1. Phys. q. 6. Amic. 1. Phys. tract. 11. q. 10. dub. 2. art. 3. Hurt. in Phys. disp. 6. sec. 3. Arriag. disp. 5. Phys. sec. 1. & Alij. *Conclusio.*

Dicimus, Vnionem non esse de essentia compositi, sed tñ conditionẽ simpliciter necessariam, tum ad eius constitutionem, tum ad eius conseruationem. Est Scot. loc. cit. prob. 1. illa

illa rõne generali, quia respectus nõ est de essentia absoluti, alioquin absolutum esset ad se, & non ad se, sed vnio est respectus ex dictis hic art. 1. & 2. ma. est vniuersaliter vera de omni respectu tam prædicamentali, quàm trascendentali, vt alibi pluries inculcatum est, ergo esse non potest de essentia compositi absoluti. Tum quia si dicatur hominem, leonẽ &c. esse entia essentialiter relatiua, amplius assignari non poterit quænam entia sint absoluta, & quæ relatiua, quod absurdum inferebat Arist. 4. Meth. 26. aduersus Heracl. & Cratil. qui ponebant omnia quidditatiuè ad aliquid, vt Doct. aduertit in 2. d. 1. q. 5. P.

Amic. tract. 14. q. 10. art. 4. Resp. hoc argum. probari, nec etiam materiam, & formam esse de essentia substantiæ compositæ, cùm etiam hæ sint relatiua trascendentalia; vnde sicut non est absurdum huiusmodi relationes trascendentales includi in substantia compositi, ità neq. vnionem, quæ est trascendentalis quiddam ordo. addens adhuc in rerum naturis, alia includi explicitè, alia inplicitè, hinc in specie substantiali v. g. hominis, leonis &c. licèt non includatur explicitè vnio, & compositio, aut alia trascendentalis relatio, includuntur tñ implicitè cùm sint substantiæ compositæ. non valet, quia iam ostendimus loc. cit. neq. relationes trascendentales in essentia absoluti includi; neq. materiam, & formam esse tales relationes in primo modo, sed esse simpliciter entia absoluta, includentia tñ illas in secundo modo. Et qñ naturæ substantiales hominis, leonis &c. cõcipiũtur quidditatiuè, vt substantiæ compositæ, non innoluitur in tali conceptu respectus ille vnionis partium adinuicem, sed consideratur sola materialis inclusio partium in toto, vt melius infra patebit.

Confirmatur, quia vnio non est in composito, sed in partibus, quia partes denominat vnitas, non totum, quod potius dicitur vnum, ab vnitate, quæ illud consequitur, vt propria passio, ergo vnio non est de essentia compositi: Tum quia si vnio est de essentia compositi, & intrinsecè ad eius constitutionem spectat, tunc tria essent principia in facto esse scil. materia, forma, & vnio, quod est falsum. Resp. Auersa, vnionem non concurrere ad constitutionem totius per modum partis, sed per modum nexus, & vinculũ earumdem, non habere autem rõnem principij in facto esse, nisi id, quod concurrit per modum partis ad constitutionem cõpositi, & ex quo compositum constare dicitur. Non satisfacit, nam illud reuerà censetur principium in facto esse compositi, quod illud intrinsecè, & essentialiter constituit, siuè illud sit per modum partis, siuè alio modo, ergo si vnio est de essentia compositi, necessariò illud constituit, vt tertium principium. Quod deinde concurrat, vt nexus, non vt pars, ex hoc bene deprehenditur non esse de essentia totius, non .n. omnia illa, quæ aliquo modo concurrũt, & necessariò ad constitutionem alicuius, omnia de essentia illius censeri debent.

Obiectiones.

Obijcit Hurt. compositum, & vnitum sunt formaliter idem, sed vnio est de

est de essentia vniti, ergo & de essẽtia compositi. Confirmat, si vnio non est de essentia compositi, ergo est extra eius essentiã, demus ergo existere illam essentiam sine vnione, certè talis essentia erit simplex. ℞. cùm Bassol. Mastr. & Bell. neg. maiorem, nam esse vnitum est effectus formalis vnionis receptus in partib. & illas afficiens, partes .n. sunt, quæ reuera vniuntur, & vnitæ appellantur, esse autem vnum est effectus formalis vnitatis receptus in composito, nam cõpositum est illud, quod propriè dicitur vnum; quare sicut vnio, & vnitas non sunt idem, quia vnio est distinctorum, vnitas autem aliquius in se indistincti, & indiuisi, ità compositum, & vnitum non sunt idem. Ad confirmationem ℞. Quod estò vnio non sit de essentia compositi, est tñ conditio necessariò requisita, tum ad constitutionem compositi, tũ ad eius conseruationem, & hac de causa dari non potest compositum, imò nec concipi sine partium vnione.

Ob. Compositum non potest concipi sine vnione, magis quàm album sine albedine, vel animatum sine anima, ergo sicut albedo est de essentia compositi albi, & anima animati, ità vnio est de essentia compositi. ℞. Per hoc argum. probari, vnionem esse de essentia compositi etiam vt compartem, sicut albedo est de essentia compositi albi, veluti pars, & anima est pars animati, quod neq. ipsi admittunt. Causa igitur deceptionis horum Authorum est, quia putant, compositionem passiuam, à qua totũ denominatur compositum, esse idem quòd vnio, quod tñ fallum est, quia vnio est in partibus, non in toto, totum .n. non dicitur vnitum, sed vnũ.

Dices, ergo saltem compositio passiua erit de essentia compositi. ℞. Admittendo sequelam de composito formaliter sumpto, prout scil. substat illi denominationi relatiuæ compositionis, sicut .n. vnio est de essentia vnitorum, cùm sit eorum causa formalis, ità compositio est de essentia compositi, vt eius causa formalis relatiua, constituens formaliter causatum, non autem de composito materialiter sumpto scil. pro illa tertia entitate, cuius tantum sunt de essentia eius partes componentes, non compositio, quia hæc est respectus, qui nõ potest esse de essẽtia absoluti.

Vrgebis iterum, compositum pro tertia entitate non potest concipi quidditatiuè sine vnione partium; ergo vnio est de eius essentia. ℞. Concedendo assumptum diuisiuè, non autem præcisiuè, nam hoc modo potest totum essentialiter concipi, non considerando illum respectum inter partes, sed tantùm considerando inclusionem partium in toto, hoc .n. est quod repugnat scil. intelligere totum sine partibus, licèt vnio partium præsupponatur; at non omne illud, quod præsupponitur essentiæ alicuius, est de eius essentia, & tantò magis hoc fateri debent illi, qui negant vnionem, aliquid reale superaddere partibus.

Obijcit Amicus; materia, & forma sunt de essentia compositi, & quidem vt vnita, non vt separata, quia separata destruunt compositum, ergo vnio est de essentia compositi. consequ. probatur, quia partes vnitæ, & vnio partium non differunt, nisi vt concretum, & abstractum. ℞. Cum

Bell.

Bell. & Mastr. assumptum esse verum specificatiuè, non reduplicatiuè, & tunc conseq. est falsa; sicut neq. valet, voluntas non fertur in obiectum, nisi vt cognitum, ergo cognitio est de essentia amoris, quia *ly vt*, sumitur specificatiuè, & cognitio non est ratio amandi, sed tm̄ conditio sine qua non; quæ instantia afferri potest de omnibus conditionibus. V.g. causa extrinseca non causat, nisi vt approximata, ergo approximatio est de essentia effectus producti, negatur consequentia.

Iterum vrget: Vnio vt se tenet ex parte compositi est termin⁹ Quo, seu formalis, ergo includitur in essentia cōpositi, quia terminus Quod, seu totalis includit essentialiter terminum Quo. Nec resp. valet terminum formalem esse formam, quia aliquando forma non attingitur per generationem, vt patet in homine. ℞. Negando assumptum, nullo .n. modo vnio est terminus generationis, nec Quod, nec Quo, sed terminus formalis, & quo est ipsa forma; & ad illud, quod anima rationalis non attingitur ab homine in generatione, dicimus sufficere, quòd homo per generationem attingat formam mixti, ad quam necessariò sequitur infusio animæ à Deo, & hac rōne benè dici potest, quòd homo generat hominē; vel quòd homo attingit vnionem hominis, non vtiq. vt terminum formalem generationis, sed vt conditionē simpliciter necessariam ad constitutionem hominis.

Arguit Arriag. sola ablata vnione inter animam, & corpus, omnibus alijs per possibile, & impossibile manentibus, non manet homo, ergo sine vnione non manet essentia hominis, ergo vnio est aliquid de eius essentia. Responsio patet ex dictis, non .n. omne illud, quod necessariò praexigitur alicui est de eius essentia, quia etiam approximatio est necessaria ad generationem ignis, & intellectio obiecti ad amorem eliciendum, & tū nec approximatio est de essentia ignis, nec intellectio de essentia amoris, ideò falsa consequentia, & error oritur, quia confundunt essentialia cum conditionib. & si vnio esset de essentia hominis, deberet etiam in eius definitione poni, iuxta regulas bonæ definitionis, & per hæc etiam satis fit Carpenedol. qui pluribus in locis vnionem cum vnitate confundit, & tract. 5. q. 1. nu. 4. ait, quòd vnitas est effectus formalis vnionis, quam iam supra falsum esse ostendimus.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An Totum Physicum distinguatur realiter à suis partibus simùl vnitis.

SCot. celeberrimam hanc controuersiam resoluit S. Meth. q. 4. & in 3. d. 2. q. 2. vbi communiter eius Expositores. Pro cuius intelligentia notamus, quòd totum est quoddam nomen æquiuocum, & aliquandò accipitur pro Toto logico, quod dicitur superius respectu inferiorum, & appellari solet Vniuersale in prædicando; alio modo accipitur pro toto ex natura rei, & hoc duplex est scil. vel per se, vel per accidens; Perse, est quandò coalescit ex partibus eiusdem generis, & habet vnicam essentiam, vnica definitione explicabilem; Peraccidens est, quandò constat ex partibus diuersorum generum, ac proindè non habet essentiam, vnicam defini-

definitione explicabilem, sed plures. Item Totum perse, aliud Methaphysicum, quod constat ex genere, & differentia, aliud Physicum, quod cōstat ex materia, & forma. Item aliud integrale, quod constat ex partibus dissimilaribus, si est Ætherogeneum; aliud quòd constat ex partibus similaribus, si est Homogeneum; aliud per aggregationem, vt aceruus lapidum &c. Hic non loquimur de Toto Logico, nequè Methaphysico, neq. Integrali, nequè Accidentali, nequè de Toto per aggregationem, sed de toto essentiali. Nequè controuersia proponitur de partibus diuisim, & seorsim sumptis, sic.n. omnes concedunt quodlibet compositum à singulis partibus per se sumptis realitèr distingui; quia præter hanc partem V.g. materiam, includit etiam formam, à materia realiter distinctam, & idem asserendum erit de alijs totis siuè Homogeneis, siuè ætherogeneis, siuè Integralibus, siuè per aggregationem, quodlibet .n. Compositum ratione vnius partis distinguitur ab alia parte singillatim sumpta, quam distinctionem vocant inadæquatam.

Quantum ad Totum Essentiale, de quo in præsenti loquimur, tres extant sententiæ. Prima est in tali Cōposito nullam posse assignari tertiam entitatem à materia, & forma vnitis distinctam, sed Compositum nihil aliud esse, quàm ipsæ partes vnitæ; ità ex Græcis Themistius, Philop. Simplic. & Alexander. Ex Latinis Nominales, Aureol. Gregor. Durand. Ægidius, & sequuntur Recentiores ferè omnes, Suar. in Met. disp. 36. sec. 3. Ruu. 1. Phys. c. 3.q.1. Amic. tract. 11.q. vlt. dub.4. & tract. 14. dub. 4. Auers. q. 19. sec. 8. Hurt. in Phys. disp. 6. sec. 1. Arriag. d. 5. sec. 1. Tellez. disp. 20. Phys. sec. 3. Ouied. controu. 5. punc. 1. Tolet. 1. Phys. q. 6. Complutēses hic disp. 6. q. 4. & Alij, quibus adiungitur Carpenedolus noster in sua Philos. lib. 1. tract. 6. q. 9. qui multa dicit in hac quæstione, tandem concludit cum Neuthericis, totum non distingui realitèr, sed solùm ratione à partibus, & quod peius est, imaginatur hanc esse Scoti opinionem. Imò Auersa, Hurt. & Arriaga addunt, nec etiam ratione totū à partibus vnitis distingui, sed solùm vocibus, & grammatico discrimine, non Philosophicè, scil. solùm secundum diuersum modum concipiendi eamdem rem, quatenus eamdē prorsus entitatem concipimus implicitè sub nomine totius, explicitè sub nomine partiū vnitarū, & Arriag. se exēplific. de Diffinito, & Diffinitione, vt de Animali, & Rationali in Homine.

Secunda sententia Opposita distinguit realiter Totum à suis partibus vnitis, veluti effectum à suis causis productum, quæ à Scotistis vocatur tertia entitas, illas partes intrinsecè includens. Ità Scot. loco cit. quem sequūtur Scotistæ cōmuniter, Mayr. in 3. d. 1. q. 10. lychet. in 3. d. 2. q. 2. Bassol. in 2. d. 12. q. 2. Ant. Andreas 7. Meth. q. 18. Sghemma 1. Phys. digres. 3. q. 4. Mastr. & Bellut. in Phys. d. 5. q. 13. art. 1. Ponc. hic disp. 6. q. 1. concl. 2. & Alij, & ex exteris, Thomistæ potiores, Caet. 3. p. q. 6. art. 5. Capreol. in 3. d. 2. q. 1. Ferrar. Contra gentes cap. 81. Iauellus, Ioannes de Napoli quol. 2. q. 7. D. Thom. in 3. sent. d. 2. q. 1. Mazziotta q. 7. Pereira l. 7. c. 18. Fons. c. 5. Meth. c. 2. q. 2. sec. 2. Vasq.

2. Vasq. 3 p. disp. 19. c. 2. & nouissimè ex PP. societ. Lynce' l. 2. Phys. tract. 9. cap. 1. fol. 52. & alij, qui asserunt pro hac sententia stare D. Thomam. Conimbr. in 1. Phys. c. 2. q. 1. licèt problematicè vtramquè sententiam defendant, se tamen protestantur in decursu cômentationum Arist. Scoti opinionem sequi, quæ aliquantò verior, & ad alios Philosophiæ locos explicandos expeditior videtur, & citant etiam pro hac sententia Scot. Auicen. lib. 3. Met. cap. 4. & alios Doctores.

Alij verò Thomistæ volunt Sanctû Doctorem stare pro parte negatiua, quòd scil. totum non distinguatur realitèr à suis partibus. Scotistæ etiam interse non conueniunt, nàm quidam volunt hanc distinctionem realem nô esse mutuam, quia licèt partes vnitę realiter distinguantur à toto, non tñ è contra: Ità Trombet. tract. formalit. art. 4. Aretin. 3. sent. d. 2. ar. 2. q. 2. & Alij. Canon. verò 1. Phys. q. 5. art. 2. quamuis concedat distinctionē realem esse mutuam inter totum, & partes, negat tñ de distinctione essentiali, quia partes sunt de essentia totius, & consequenter quidditatiuè, & essentialiter cum ipso identificantur. Alij tandem defendunt vtramq; distinctionem, scil. tàm realem, quā essentialem esse mutuam, ex diuersitate enim reali necessariò sequitur distinctio essentialis, cùm quælibet res singularis suam propriam habeat essentiam, & hæc sententia est tenenda. Faber Theor. 21. c. 3. vt relatas sententias oppositas reconciliaret, & pondus rationum pro vtraquè sententia euaderet, affirmauit partes vnitas compositi substantialis posse in duplici statu considerari, primò in illo signo primo naturæ quando inter se vniuntur antequam per generationem transeunt in tertiam entitatē cōpositi; secundò postquàm illæ partes vnitæ transeunt in totum: in illo primo signo partes distinguuntur realiter à toto, & essentialiter; in secūdo minimè, dicere .n. tunc totum distingui à partibus sic transactis, est ac si diceretur totum distingui realiter à seipso. Fuent. etiam 1. Phys. q. 6. nu. 18. inquit totum esse partes actualiter causantes, & nihil partibus vnitis superaddere, nisi solùm causalitatē, quæ Doctrina est directè contra Doctorem, qui non causalitatem, sed terminum huius causalitatis appellauit Totum, vt clariùs infra patebit.

Hinc apparet quantus sit huius cōtrouersiæ Gordianus nodus, & laberynthus, saltèm extrinsecè, cū vtraq; sententia Patronos famosos, & potiores pro qualibet parte habeat, & Thomistas apertè Angelicum in dubium reuocare, & aliquos Scotistas à subtilissimo recedere.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, Totum, & partes vnitas plusquam ratione distingui. Est directè contrà Recentiores plurimos, asserentes ad summum distingui tm̄ ratione ratiocinante, vel ratiocinata, quibus adhæret Carpenedolus noster loc. cit. Probatur: Partes vnitæ, & totum fundat contradictionem sine vllo ordine ad Intellectum, aut purè negotiantem, aut inadæquatè concipientem, ergo nedum per intellectum, sed etiam à parte rei vnum non est aliud, conseq. est clara ex illa regula Formalist. quòd

Contradictio semper infert distinctionem inter illa, de quibus verificatur, cùm de vno, & eodem plura verificari non possint, & eodem modo, quo verificatur; Si contradictio est solum per intellectum, infert distinctionem rationis; si est à parte rei, nullo intellectu cogitante, infert distinctionem ex natura rei, assumptũ patet, quia sine vllo ordine intellectus partes vnitæ constituunt, & causant totum, non solùm distributiuè, sed etiam collectiuè acceptæ, vt mox probabitur, totum verò constituitur, & causatur; at constituens, & constitutum, causans, & causatum, esse principium, & principiatum fundant contradictionem sine ordine ad intellectũ, ergo &c. Itẽ Materia, & forma à parte rei sunt plura, subst***ant, & terminant vnionem, compositum verò est vnum, non plura, nec terminat, & subiectat vnionem, sed includit materiam, formam, & vnionem, & hæc à parte rei, independenter ab intellectu, ergo &c. Et licèt in abstractis à materia singulari idem sit quodquid est, cum eo cuius est ex 7. Meth. cap. 4. vnde homo, & humanitas sunt omninò idem ex natura rei, & cum dicimus, hominem includere humanitatem, & non è contra, hæc prædicatorũ diuersitas pendet præcisè ex diuerso modo concipiendi idem omninò obiectum; in casu tñ cùm dicimus totum includere partes, & non è contra, & partes causare totum non seipsas, loquimur de ipsis rebus singularibus, vt sunt à parte rei, & non quia ità nos cogitamus.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Totum essentiale, & partes simul vnitas distingui realiter vt res à re, est Scot. & Scotist. & etiam D. Thom. vt mox patebit. Probatur ex doctrina Scoti: omnis entitas realis ab aliquibus realiter causata, est ab eis realiter distincta, sed entitas cõpositi substantialis est realiter causata à materia, & forma, vt à causis intrinsecis, ergo &c. patet ex conceptu ipsius causæ sm̃ cõem Philos. ac Theolog. intellectũ, causa n. est id ad cuius esse sequitur aliud, vel quæ influit in aliud, & per hoc distinguitur à principio, quia principium rigorosè sumptum, non dicit alietatẽ naturæ respectu principiati, & ideò in Diuinis datur principium, & non causa; minor patet ex 2. Phys. 23. & seq. vbi Arist. vocat materiam, & formam causas intrinsecas, & in facto esse compositi, quod etiam repetit 5. Meth. ergo &c.

Resp. Aliqui maiorem valere de causis extrinsecis, quòd producunt effectum extra seipsas, non de intrinsecis, quæ ex modo causandi, quem habent remanent in effectu, quem constituunt. Sed contra, implicat, quod idẽ influat realiter in seipsum, siuè per modum causæ extrinsecæ, siuè intrinsecæ, sed materia, & forma verè influunt in causatum, dantes illi esse, ergo &c. Tũ quia inter causã, & effectum est relatio realis, sed hæc exigit extrema realiter, seu ex natura rei distincta per Scot. in 3. d. 31. §. *Ad quæstionem &c.* ergo. Tum quia quilibet effectus vniuersaliter est posterior natura sua causa, & per se ab ea dependens, at idem non potest esse posterius natura seipso, neq. à seipso dependens in quocunq. genere; vel ergo negandum est materiam, & formam verè esse causas intrin-

intrinsecas compositi, vel inter ipsa distinctio realis est admittenda. Hinc Hurt. vi argum. pressus, negat causas intrinsecas causare propriè effectum suum, sed potius illum constituere, ei intrinsecè se communicando.

Sed Contra, idem non potest constituere seipsum, sed partes verè constituunt totum, ergo aliquid ab illis distinctum constituunt, idem .n. non potest esse constituens, & constitutũ. Tum quia inter quatuor genera causarum enumerantur etiam materia, & forma; & compositum non minus pendet à causis intrinsecis, quã extrinsecis. Tum quia cùm partes applicãtur, vel causant aliquod tertiũ, vel seipsas, vel vnionem; non seipsas, quia nihil potest causare seipsũ, & est contra Principiorum Definitionem traditam ab Arist. 1. Phys. quod scil. principia sunt illa, quæ non fiũt ex alijs, &c. neq. vnionem, quia hæc non est composita ex materia, & forma, vt est compositum Phys. de quo loquimur, ergo aliquod tertium, quod ponit Scot.

Resp. Aliqui concedendo, quòd partes vnitæ verè sint causæ compositi, & quatenus vnitæ, non quatenus diuisæ, vel per se sumptæ, sed partes vnitæ dupliciter accipi possunt, scil. vel ambæ vnitæ collectiuè, vel vt ambæ vnitæ distributiuè; in primo sensu inuoluitur cum partibus ipsa partium collectio, in secundo sensu vna singillatim accipitur, vt alteri vnita. Compositum aiunt causatur à partibus vnitis, non in primo sensu, quaten⁹ ipsa partiũ collectio aliud q̃d piam causet, nempè aliam tertiam entitatẽ; sed in secundo sensu, quatenus quælibet sm̃ se causat, non nisi tñ vt est alteri vnita, materia scil. vt informata, & forma vt vnita materiæ, & ipsa collectio est, quæ causatur, & componitur. Ità Ruu. & Auers. quæ doctrina ab Hurt. exemplificatur exemplo aceruì, quem nullus distinguit ab omnibus partibus, omnes siquidem lapides aceruati non sunt causa acerui, sed aceruus ipse, omnes autem lapides simul adunati, sed singillatim sumpti, vnus in ordine ad alium componunt aceruum, nam collectim sumpti sunt aceruus ipse.

Sed Contra, materia, & forma non sunt integra causa compositi substantialis, nisi, vt vnitæ, & collectiuè acceptæ, ergo non est collectio, quæ causatur, sed alia tertia entitas, quæ partes, cum collectione includat. probatur anteced. partes vnitæ, sed singillatim sumptæ, non sunt causæ compositi, nisi partiales, & collectiuè acceptæ integrant vnã causam totalem, ergo si compositum est effectus causatus ab eis collectiuè sumptis, erit etiam quid realiter sic ab illis distinctum.

Hurt. ipse fatetur hanc impugnationem esse difficilem, pro cuius solutione multa dicit, sed duo præsertim, vnum, quòd materia, & forma non sunt propriè causæ compositi, sed illud constituũt intrinsecè se illi communicando, quod non est pro propriè causare, quia per hoc non influunt esse in aliud; alterum, quòd materia, & forma vnitæ, & si sumptæ singillatim sint causæ partiales compositi, tñ collectiuè sumptæ non constituunt causam totalem, quia causa totalis, & adæquata dicit ordinem ad effectum distinctum, sed vna pars alteri

alteri vnita non conficit causam totalem in ordine ad alium effectum, sed ipsum totum constituit.

Sed primum dictum iam supra impugnatum est, cum .n. effectus non minus essentialiter pendeat à causis intrinsecis, quam ab extrinsecis, negari non potest causas intrinsecas habere veram rõnem causæ, quòd si ad libitum nostrum licebit distinctiones machinari, & dicta Philosophorũ interpretari ad eludenda argumẽta, licebit etiam nobis negare causas extrinsecas esse verè causas, sed illas esse verè, & propriè causas, quæ intrinsecè se communicando, & influendo cum ipso effectu actuali permanent. hic est mos Neuthericorum, vt suas defẽdãt ãbages. Alterũ dictũ est etiam falsum, nam causa partialis, vt partialis respicit totalem, & causa inadæquata respicit causam adæquatam, sed forma vnita materiæ est causa partialis, & inadæquata compositi, sic etiam materia vnita formę, ergo simul, & collectiuè sumptæ integrant vnam causam adæquatam, & totalem.

Resp. Hurt. quòd causa partialis respicit totalẽ in causis extrinsecis, at in causis intrinsecis causa partialis non respicit aliam totalem, sed aliam compartialem, quæ collectiuè sumptæ non integrant vnam causam totalem, sed totum ipsum constituunt, non propriè causando, sed intrinsecè se ei cõmunicando. Sed Contra, ego dicam, quòd causa partialis respicit aliam totalem in causis intrinsecis, sed in causis extrinsecis causa partialis non respicit aliam totalem, sed aliam compartialem &c. & quòd causatum distinguitur realiter à causa intrinseca, non à causa extrinseca, & ità oporteret noua figmenta fingere, semper principium in discursu petendo. Dicunt, quòd rõnes nostræ non conuincunt, sed neq. Argumenta ipsorum demonstrant, vt patebit ex solutione Argumentorum. At saltem nos discurrimus in sensu Philosophorum, admittentes quatuor genera causarum cum tota Schola Paripat. & omnibus Priscis Theol. D. Thom. Alens. D. Bonau. Scot. &c. at ipsi quia ad libitum suas opiniones fundare volunt, negant materiã, & formam esse veras causas compositi, vt verbis ludendo vim argumentorum declinent. Iudicent Docti, si licèt cum huiusmodi viris disputare, dum prima principia, quæ in scientijs supponuntur, absolutè negant. & per idem patet ad Arriag.

Probatur 2. & est argum. Scoti: cõpositum substantiale per se primò terminat generationem, & corruptionẽ ex 1. Phys. 64. & 7. Meth. 27. totum .n. est illud, quod propriè, & primò per se generatur, aut corrumpitur, cui etiam per se primò, & adæquatè conueniunt passiones, & operationes propriæ speciei, & quod per se directè ponitur in genere, ergo est aliqua substantia præter partes etiam simul sumptas, antecedens patet. conseq. probatur, quia nec partes sunt adæquatus terminus generationis, vel corruptionis, nec eis, vt sic conueniunt passiones, & operationes speciei, nec etiam vt sic in prædicam. ponuntur. Neq. etiam vt simul vnitæ, quia licèt hæc vnio dicatur substantialis, hoc tñ est extrinsecum, & tm̃ terminatiuè ex dictis, sm̃ se tñ est accid, & relatio prædicamentalis.

Resp.

Resp. Aduersarij, omnia hæc attributa competere partibus vt vnitis, vnde generatur, & corrumpitur totum compositum sm̃ coniunctionem, & dissolutionem partium, & hoc manifestè colligitur ex 7. Meth. 27. vbi habetur, totum fieri per hoc, quòd fiat forma in materia, siue per hoc quòd fiat copulatio formæ cum materia. hoc etiam expræssè habetur ex D. Dyon. cap. 4. de Cælesti Hyerarch. vbi ait: mortem in nobis non esse substantiæ consumptionem, sed vnitorum separationem. Passiones, & operationes licèt immediatè vni tm̃ parti conueniant, denominant tñ ipsum totum, vnde dicimus homo videt, licèt tñ sm̃ oculos videat, sic homo intelligit, etiò tm̃ sm̃ animam intelligat. Ità Auersa. Tandem in prædicamento ponuntur partes rõne vnionis, quia cum illud coniunctum sit ex per se actu, & per se potentia optimè reponitur in genere. Apparentes solutiones.

Sed Audiant Eminentiss. Bassol. in 2. d. 12. q. 2. §. *Contra &c.* quem sequuntur Mastr. & Bell. Per respectũ nihil per se constituitur in genere absoluti, nec per se generatur, nec per se corrumpitur, nec per se habet propriam passionem, sed vnio est respectus, ergo &c. Tum quia per generationem substantialem aliquid accipit esse simpliciter, quamuis vtraq. pars præexisteret, at hoc esse non potest sola vnio, vt etiam Hurt. fatetur loc. cit. §. 17. & Auersa in fine sectionis, nam vnio ad summum est terminus formalis, & Quo, per ipsos &c. Nec terminus totalis, & adæquatus est ipsum vnitum, quia per talem vnionem partes non fiunt simpliciter, sed fiunt vnitæ, vt etiam Ipsemet Hurt. cócedit, ergo pręter vnionem, & partes vnitas debent admittere aliquod tertiũ, quod simpliciter fiat vt Quod. Ad Arist. 7. Meth. cit. cum ait formã non fieri, sed copulationem, Alia versio copulationem ponit sub nomine *Synodi*, & per Synodum Expositores cõiter, & præsertim Scot. ibi intelligunt compositum, quia reuera vnio etiam sm̃ Aduersarios non fit vt Quod. Tum quia sic etiam in corruptione aliqua substantia perire debet vt Quod, & hoc non est materia; neq. forma, quæ aliquando remanet, vt Anima rationalis; neq. Vnio, quia sicuti non est Quod in gen. ità neq. in corruptione.

Ad Diuum Dyon. ℞. quòd loquitur contra quosdam, qui putabant in hominis morte animam desinere, sicut euenit in corruptione aliorum viuentium ex Bassol. loc. cit. Ad Auersam dicimus Scot. non loqui de passionibus, & operationibus, quæ competunt toti mediante rõne partium, sed de his, quæ formaliter, immediatè, & per se primò consequũtur speciem, vt ridere, & posse ridere, flere, & posse flere in homine &c. vt notauit Lych. in 3. d. 2. q. 2. quæ passiones, & operationes debent quoq. habere suum vnicum, immediatum, & adæquatum subiectum, & hoc esse non potest solum corpus, q̃a sine anima non ridet, nec esse potest sola anima, quia neq. hæc separata ridet. Nec esse possunt ista duo, vt simul vnita, quia vt benè aduertunt Bell. & Mastr. nullum accid. & tantò minus proprietas poni potest in subiectis realiter distinctis, sed materia, & forma etiam vt vnitæ distinguuntur

guuntur realiter, quia vnio ectò vniat partes, non tñ illas identificat, ergo risibilitas non potest materiæ, & formæ etiam vt vnitis competere, quod etiam concedit Auersa q. 19. sec. 6. concl. 2. de vnione, quam cùm ponat vnicam inter partes, non vult tñ in vtraq. simul reperiri, sed tm̃ in vna. Nec etiam partes rõne vnionis directè in prædicamento reponi debent, quia etiam adhuc sub tali vnione materia, & forma remanent distincta entia partialia, vnitum .n. semper dicit plura, ergo vt sic poni non potest in recta linea prædicamentali. Neq. etiam rõne modi si esset substantialis in eorum sententia, quia potius modus reponitur in prædicamento rõne rei, cuius est modus, quàm res rõne modi.

Probatur 3. ex regula distinctionis realis, illa .n. distinguuntur realiter per Scot. in 2. d. 2. q. 2. A. quorum vnum est, vel esse potest separatum ab alio, vel proportione correspondent his, quæ possunt separari, ità vt sufficiens, & adæquatum signum distinctionis realis sit separatio, aut actualis, aut potentialis, aut proportionalis, qualis cadere nata est inter ea, quæ nec separata sunt, nec separabilia, ex suis tã rõnibus, & muneribus correspondent his, quę verè separabilia sunt, vt scil. si se habeant veluti producens, & productum, causa, & causatum, aut vnum ad aliud dependentiam habeat, aut sunt in diuersis subiectis distinctis, in quibus non habent sufficientem causam identitatis, ergo cùm compositũ substantiale, & partes eius vnitæ proportione correspondeant ijs, quæ separabilia sunt, quia inter se habitudinem habent causæ, & causati, & totum essentialiter à partibus dependeat, consequens est, vt inter ea distinctio realis intercedat.

Probatur 4. ex Canon. omnis per se vnitas habet aliquam per se entitatem propriam, tamquam proprium fundamentum, & subiectum diuersũ à quibuscumq. alijs, sed vnitas compositi per se vnius, est vnitas per se vna, ergo habet aliquam propriam entitatem pro fundamento, sed tale fundamentum non possunt esse entitates partium, etiam vt vnitæ sunt, quia propria vnitas requirit vnam entitatem, partes autem etiam sub vnione non sunt vna entitas, sed plures, & vt sic fundant vnionem, non vnitatem, ergo præter partes vnitas, dari debet tertia entitas tanquam fundamentum eius vnitatis, cum qua identificetur. minor est clara, maior patet, quia omnis propria passio requirit proprium subiectum, cum quo identificetur, & cum quo sit conuertibilis, at partes vnitæ non possunt esse huiusmodi, cum etiam vt sic distinguantur realiter, ergo vnicam propriam per se entitatem expostulat. Respondent, quòd vnitas per se compositi respicit entitates partium vnitas per modum per se actus, & per se potentiæ, quæ vt sic sunt vna entitas vnitate per se compositi, & sicut compositum non est ens simplex, sed compositum, ità eius vnitas non est simplex, sed composita: Sed contra, vt benè arguit Bassol. sicut alia est vnitas vnionis, alia vnitas identitatis, nam illa arguit duo indiuisa, sed distincta, hæc arguit vnum in se indiuisum, & indistinctum, ità quoq. arguũt diuersa subiecta, ac propterea

cum

cum vnitas vnionis fundetur in partibus, vnitas identitatis in toto, hoc vtiq. erit diuersum à partibus. Nec vnitas cõpositi, p hoc q distinguitur ab vnitate simplicis, plura dicit adæquatè, & formaliter per se conũcta, nam in hoc sensu compositum substantiale diceretur tñ per se vnũ vnitate vnionis, non autem vnitate identitatis; quare vnitas identitatis composita, vt à simplici distinguitur, significat, quòd illud, quod dicitur sic per se vnum plura partialia includit in sua entitate per modum per se actus, & per se potentiæ, attamen sicut hæc tertia, quæ ex partibus resultat est vna entitas, ità vnitatem tanquam propriam passionem sibi idẽtificatam habet, & destructa hac tertia identitate destruitur eius vnitas, & viceuersa, quæ doctrina non militat de vnione, quia hac corrupta, non corrumpuntur partes in quibus subiectabatur; & sicut hæc tertia entitas est indiuisibilis, ità, & eius vnitas. Tum quia vnitas vnionis, & vnitas identitatis sunt diuersæ realiter vnitates, vt etiam ipsi Aduersarij fatentur, ergo non est idem à parte rei dicere, compositum est per se vnum, & partes sunt per se vnitæ, quia illud denotat vnitatem identitatis, hoc autem vnitatem vnionis. Tum quia semper Arist. ait ex materia, & forma fieri per se vnum, in sensu causali, nunquam in sensu formali, materiam, & formam esse per se vnum, signum euidens, quod hæc non sunt idem à parte rei. Tum tandem hoc manifestatur exemplo de aceruo, q a .n. aceruus non est totum à partibus distinctum, neq. est verum totum ex his, sed communiter cum his, ideò rectè dicimus, lapides vnitos esse aceruum, & aceruum fieri ex lapidibus vnitis, at quia totum substantiale est verè compositum ex his, scil. ex materia, & forma per veram causalitatem intrinsecam, ideò semper dicimus cum Arist. compositum fieri ex his tanquam ex actu, & potentia.

Probatur tandem plurimis Arist. sent. nam 2. de anima tex. 2. & 7. Meth. c. 3. diuisit substantiam in materiã, formam, & compositum, easq. asseruit tres substantias. Nec valet dicere, quòd per compositum intellexerit, materiam, & formas vnitas, nam esset manifesta nugatio, si .n. illud compositum aliud non est, quàm materiam, & formam simul, non debet ab ipsis condistincta substant a poni. Tum quia vnio, cum sit accid. vel modus, non multiplicat substantias, sed tñ substantias separatas vnit. neq. hęc tertia substãtia erit vnio, etiam per ipsos, quia Arist. ait, esse compositum. Item 8. Meth. tex. 15. inquit: omne quod plures partes habet, & non est totum, quasi coaceruatio, ipsum totum est aliquid aliud præter partes, & 7. Meth. tex. vlt. ait, quòd caro non solùm est ignis, & aqua, ex quibus componitur, sed etiam aliquid aliud.

Quòd etiam D. Thom. huius fuerit opinionis, est clarissimus textus cap. 3. de ente, & essentia lit. F. vbi assignãs discrimen inter compositionem Meth. ex gen. & differentia, & compositionem Phys. ex materia, & forma, ait, *quod ex ista resultat tertia entitas ex duabus rebus, & ex illa solum resultat tertius conceptus, seu intellectus ex duobus intellectibus*. En quomodo S. Doctor clarissimè

rissimè

rissimè ponit tertiam entitatem, ex materia, & forma distinctam, & illã distinctionem assignat inter partes, & totum Physicum, quam negat in toto Methaphysico; sed inter hoc, & partes Methaphysicas ponit distinctionẽ ex parte intellectus, ergo inter totum, & partes Physicas ponit distinctionem ex parte rei. Idem habet S. Doct. quol.2.q.2.art.3. *Ad primum.* vbi ait: *Dicendum, quòd aliquando ex his, quæ simul iunguntur, relinquitur aliqua res tertia, sicut ex anima, & corpore constituitur humanitas quæ est homo, vnde homo componitur ex anima, & corpore, aliquando autem ex his, quæ simul iunguntur non resultat res tertia, sed resultat quædam ratio composita, sicut album componitur ex eo, quod est album ex albedine.* En quomodo iterũ S.Doct. illam tertiam entitatẽ astruit inter partes, & totum per se, quam negat inter partes, & totum per accid.

Magist. Iacob. Brun. in sua Phys. q.6.art.2. explicare nititur D.Tho. esse, quòd totum realiter non prædicatur de partibus, quia ab eis realiter differt, vt includens ab incluso, quod dici non potest de toto Methaphysico, vbi compositio est per conceptus. Sed bona pace istius Doctoris, etiam sic dicendo, nostram confirmat opinionem, s.n. partes Physicæ realiter distinguũtur à toto, quia se habent, vt includens, & inclusum, & hoc dici non potest de toto Methaphysico, vbi compositio est per conceptus, ergo illam distinctionem realem assignare debemus inter totũ Physicum, & eius partes, qualem vtraq. Schola negat inter totum, & partes Methaphysicas. Et sicut ex cõpositione Meth. quæ per ipsos est per conceptus, resultat tertius conceptus, ita ex compositione Physica, quæ est per res, resultat tertia res. Nec D.Thom. loquitur de modo prædicandi, sed absolutè de modo essendi, dicens: *ex ista resultat tertia entitas ex duabus rebus &c.* non.n. debemus ad libitum verba textus explicare.

Ad aliam Auct. Resp. quòd intentio D.Tho. est, quòd ex anima, & corpore relinquitur alia res tertia, non per modum effectus, sed per modum vnius per se conceptus, cæterum ex subiecto, & accidente non resultat res tertia per modũ effectus, nec per modum conceptus. Non placet, & est manifesta extorsio textus sanc. .n. Doct. non ait, quòd ex partibus essentialibus Physicis, vt sũt anima, & Corpus resultat tertius cõceptus, quia hoc solùm asseruit de toto Meth. composito ex conceptibus, sed aperte ait, quòd relinquitur res tertia, & se exemplificat de re, non de conceptu, ait .n. *sicut ex anima, & corpore constituitur humanitas, quæ est homo.* quis autem diceret, quod homo ex huiusmodi partibus constitutus non sit res, sed conceptus mentis nostræ? Deinde respondendo ad primum Argum. quod est Scoti multa dicit, & tandem solutionem Neutralium amplectitur, distinguendo de causis collectiuè acceptis, vel diuisiuè &c. ad quod sufficienter prouisum est, & quidem satis miror, quòd Recentiores Thomistæ viam Poriorum Thomist. relinquentes, nugis Neuthericorum adhęreant. Verum, quia rõnes pro nostra

sent.

sent. habent euidentiam, tandem nobis assentitur; quærens .n. num contraria opinio distinguens realiter totum Physicum à partib. vnitis, & collectiuè acceptis, posset probabiliter defendi in via Arist. D. Tho. & SS. PP. & resp. affirmatiuè, ob tres rõnes. Prima, quia posita distinctione reali inter totum, & partes, melius saluatur terminus generationis, & corruptionis, nam cùm fit, vel desinit totũ, non fit, vel desinit sola vnio. 2. posita tali distinctione, melius saluatur ratio vnius per se, quia vt vnitæ dicunt pluralitatem, quæ nullatenus potest constituere vnitatem, quia illi opponitur 3. quia absolutum non potest constitui per respectiuum, sed totum dicit naturam absolutam, partes vnitæ dicunt respectum, ergo &c. deinde ad Auct. SS. PP. resp. eodem modo, quo Scot. atq. ità Doct. iste reuera satis eruditus concordiam restituit.

Faber ex nostris ait, quòd fundamentum, quo Veteres Scotistæ moti sunt ad ponendam distinctionem realem positiuam inter totum, & partes vnitas fuisse, quia sũt causæ intrinsecæ compositi, & effectus distinguitur realiter à causis, at hoc fundamentũ (ait) est falsum, nam quòd effectus distinguatur à causa verificatur solũ in causis extrinsecis, & ità amplectitur solutionẽ Scoti q. 3. ad 1. Lisbon. q. 6. art. 2. ad 1. Lermæ 1. Phys. q. 17. & Aliquorum Thomist. Recent. & tñ hoc fuit argum. Scoti in 3. d. 2. q. 2. quo vtitur ad inferendam distinctionem realem totius à partibus intrinsecis Physicis. Carpened. multa dicit in hac q. & tandẽ concludit cum Neuth. totum Physicum non distingui realiter, sed solùm rõne à suis partibus, & quod peius est imaginatur hanc fuisse Scoti opinionem.

Obiectiones.

Ob. 1. præsertim Hurt. & Auersa, quòd totum, neq. rõne à suis partibus vnitis distinguitur: Totum quidditatiuè concipi non potest, nec diuisiuè, nec præcisiuè sine partibus, ergo neq. per intellectum ab eis distinguitur. ℞. Neg. conseq. quia nec etiam vnum relatiuum quidditatiuè concipi potest sine correlatiuo, & tñ non sequitur, nec etiam rõne ab eo distingui, cùm etiam inter ea distinctio realis reperiatur.

Sed contra Ob. in hoc relatiua ab absolutis distinguuntur, quòd relatiua intelligi nõ possunt sine alijs, absoluta autem, bene intelligi possunt, q. a sicut absolutum habet entitatem ad se, ità & intelligibilitatem, sed totũ est entitas absoluta, ergo cum sine partibus intelligi non possit, asserendum erit, partes vnitas non esse aliud ab eo. ℞. Relatiuum ex hoc distingui ab absoluto, quòd relatiuum coexigit aliud ad sui intellectionẽ, quod non est de eius essentia; sed absolutum, vel nullum coexigit, vel si aliquid realiter distinctũ coexigit, hoc erit de essentia illius, neq. per hoc relatiuum euadit, sed adhuc eius intellectio est ad se, cum non coexigat aliquod extrinsecum.

Sed Contra vrgent: Si totum coexigit partes ad sui intellectionẽ, q. a sunt de essentia totius, ergo realiter ab eo non distinguuntur. Probatur conseq. essentia non distinguitur, nisi rõne ab eo, cuius est essentia, sed tota hominis essentia sunt partes vnitę, ergo &c. maior est euidens, minor

probatur; definitio dicit totam rei essentiam, & est conceptus adæquatus definiti, sed definitio Physica non continet, nisi partes vnitas, ergo partes vnitæ sunt tota essentia hominis. ℞. Neg. conseq. & ad probationem, negatur minor, ratio est, quia tota essentia hominis in recto est tertia entitas, includens partes vnitas, partes autem sunt de essentia hominis in obliquo. Ad probationem, dicimus maiorem esse veram qñ definitio accipitur in recto, vt patet in definitione Meth. vt cum V. g. definitur homo, quòd sit animal rõnale, non qñ accipitur in obliquo, vt est in casu de definitione hominis Physicè, ꝙ sit quid compositum ex anima, & corpore. Ad mi. resp. Bassol. quòd anima, & corpus, materia, & forma non sunt tota definitio compositi, sed sunt partes definitionis, non.n. bene explicatur, in petitione quid sit homo? dicendo, quod est corpus, & anima in recto, sed sumi debent in obliquo, scil. homo est substantia composita ex anima, & corpore.

Dices, benè explicatur Methaphysicè dicendo in recto, homo est animal rõnale, ergo & bene explicatur Physicè, homo est anima, & corpus. ℞. Neg. parit. nam animal, & rõnale cum ponuntur in concreto, & in recto, dicunt totam essentiam, & quidditatem definiti, non sic partes Physicæ, cum in recto poni non possit, quod etiam patet de partib. definitionis, etiam seorsim sumptis, nam partes Meth. benè prædicantur de toto definito per modum totius habentis; vnde ista est bona prædicatio, homo est animal homo est rõnalis, non autem ista, homo est corpus, homo est anima, signum euidẽs, quòd istæ partes non dicunt essentiã, nisi tantùm in obliquo.

Instat Hurt. Vnitum idem est re, & rõne quòd compositum, ergo cõpositum nihil addit supra vnionem, & partes, nec differt à partibus vnitis, nisi vocibus, & grammatico discrimine. probatur anteced. quia vnitum dicit partes simul sumptas cum vnione, hoc autem formalissimè est compositum, quia compositio est simul positio, vel coniunctio plurium rerum, ergo compositum erit partes illæ tali cõpositione affectæ. ℞. Neg. assumptum ex dictis, cum maxima sit differentia inter vnionem, & vnitatem, nam vnio est partium, recipitur in partibus, & illas denominat vnitas; vnitas verò est compositi, in illo recipitur, vt eius propria passio, & denominat illud vnum, scil. indistinctum in se, & distinctum ab omni alio, quod non est ipsum; vnio est accid. & relatio prædicamentalis, vnitas verò est passio Methaphysica realiter identificata cum composito. Itẽ compositio est duplex, actiua, & passiua; compositio actiua est causalitas actiua, quã partes causant totum, recipitur in partibus, & illas denominat componentes, & causantes, & terminatur ad totum, non ad partes, sicut vnio; hæc est respectus extrinsecus adueniens, causalitas respectus intrinsecus adueniens; Compositio passiua est compositi, recipitur in composito, & illud compositum denominat. Ad probationem, dicimus, nos hic non accipere compositionem grammaticaliter, sed Philosophicè, pro intrinseca causalitate, qua vnum verè causat, alterum verò causa-

causatur, non pro coniunctione aliquarum rerum, ità Mastr. & Bell.

Ob. Omne absolutum quod est res, potest esse sine eo, à quo realiter distinguitur, sed totum esse non potest sine partibus vnitis, nec è contra, ergo &c. R. Ex Doct. in 2. d. 1. q. 5. M. maiorē esse veram quandocunq. illud est prius, & non adest essentialis dependentia, totum autem dependet essentialiter à partibus & est posterius illis, & ideò nec separari, nec concipi potest sine illis, cum sint de essentia eius.

Sed instat Auersa: Accid. est posterius substantia, essentialiter ab illa dependens, & tñ potest ab ea separari, ergo sic etiam, & totum, si à partib⁹ realiter distinguitur. R. Neg. parit. nam accid. non dependet à subiecto, vt à causa intrinseca, sicut cōpositum dependet à partibus, sed à causa extrinseca, sicut forma dependet à materia in gen. causæ materialis extrinsecæ, & ideò potest ab ea separari.

Sed adhuc insurgit Auersa, ergo saltem partes vnitæ, quia non dependent à toto, & sunt priores toto, possunt separari, & existere sine toto. R. Cum Lych. ex hoc capite non implicare, sed ex eo implicat, quòd habent necessariam connexionem cum effectu, cùm sint causæ intrinsecæ; & licèt Deus impedire possit effect⁹ causarum secundarum, non tñ intrinsecarum, sicut etiam nec effectus per resultantiam possunt à Deo impediri, vti est V. g. relatio similitudinis, posita hac, & illa albedine, nec effectus formalis formæ in subiecto positæ &c.

Quæres, an saltem partes vnitæ cōcipi possīt sine toto? R. Distinguē pō posse, præcisiuè posse, cùm .n. partes vnitæ sint adæquata causa totius, possunt dupliciter in tali statu considerari, nempe materialiter, & formaliter, sicut etiam, & de quacumq. alia causa ad suum effectum comparata; si primo modo considerentur, sic præcisiuè concipi possunt sine toto, & tunc erit concipere omne id, quod concurrit ad constituendum totum, & hoc modo omnis causa dicitur prior natura suo effectu; si secundo modo, nec etiam præcisiuè concipi possunt, non concepto toto, quia sic sub relatione causæ cōsiderantur, vt dicunt correlationem ad effectū, & relatiua sunt simul natura, tempore, & cognitione.

Vrget adhuc Auersa: hoc aggregatum, nempe partes vnitæ, vt sic cōcepta pcisè nō est ens per accid. sed per se vnum, constat .n. ex per se potentia, & per se actu, vt partib. & causis intrinsecis, ergo non differunt à toto, hoc .n. nihil erit, nisi ens per se vnum, ex actu, & potentia. R. Hoc aggregatum, neq. esse vnum per accid. neq. vnum per se, sed erunt duo per se vnita, nā partes fundant vnionem, non vnitatem. Falsum est etiā, quod illud aggregatum constet ex materia, & forma, vt causis intrinsecis, nam illud vnitum non est causatum, sed sunt causæ, quæ causare debent intrinsecè causatum.

Ob. Vel hæc tertia entitas est aliquid additum materiæ, & formæ, illas excludendo à sua entitate, vel illas includendo; non primum, quia sic esset entitas simplex; si secundum, ergo non potest vt sic ab illis distingui, quia tunc sīt quod includit ma-

 teriam,

teriam, & formam, distingueretur à materia, & forma, quòd implicare videtur. ℞. Hanc tertiam entitatem esse aliquid additum materiæ, & formæ illas includendo, Ad prob. negatur conseq. quæ solùm valeret, si nos diceremus hanc tertiam entitatem distingui à partib. inclusis Syncathegorematicè, quomodo supponit pro omni, & qualibet parte totius, quod nos non asserimus, sed affirmamus totum distingui à partibus suis vnitis se toto cathegorematicè accepto, quatenus hæc tertia entitas est seipsa distincta à suis partibus.

Sed Contra Vrget Ruu. hæc tertia entitas cathegorematicè sumpta, vel includit partes, vel non, si primum, ergo adhuc cathegorematicè sumpta, non distinguitur ab illis realiter, quia ea, quæ distinguuntur aliqua distinctione non se includunt sm̃ eamdem distinctionem, vt si aliqua duo distinguantur rõne formali, non possunt se formaliter includere, ergo ea, quæ distinguntur realiter, non possunt se realiter includere. ℞. Neg. conseq. cum sua probatione, illud .n. quòd distinguitur ab alio per modum includẽtis, & inclusi quomodo distinguitur totum à suis partibus chategor. non obstante tali inclusione, adhuc realiter distinguitur, cum .n. sit alia ẽtitas, habet aliã vnitatẽ & distinctionẽ q̃ sũt passiones ẽtis. Sic etiam mixtũ includit elemẽta in sent. illorũ, qui ponunt inclusionem formalẽ, & substantia includit accid. & tñ non per hoc negatur distinctio realis inter includens, & inclusum.

Ob. Contra, additum aliquibus, non includit illa, quibus superadditur, idem .n. non numeratur contra seipsum, nec sibi ipsi superadditur, ergo si totum cathegor. sumptum partibus superadditur, illas realiter non includit. ℞. Cum Bassol. loc. cit. art. 4. assumptũ valere de addito per modum partis alteri comparti, non de addito per modum totius, quia hoc necessariò includit illa, quib. superadditur, nec sequitur idem sibi ipsi superaddi, quia totum non super additur sibi, sed suis partib. & per hoc satisfit etiam argumento Arriag. disp. 6. sec. 1. vbi sic arguebat: vel id, quod addit cõpositum supra partes, & vnionem est aliquid compositi, vel non; si secundum, impertinenter ponitur, si primum, ergo iam est pars compositi, & sic supra partes, & vnionem nihil addit, & ℞. Hoc additum supra partes non esse aliquid compositi, sed totam eius entitatem, quia non additur per modum partis, sed per modum totius.

Ob. Saltem hæc tertia entitas integrabit cum partibus, quib. additur aliud compositum, quia ex vnione rerum distinctarum consurgit compositum, & ità dabitur processus in infinitum. ℞. Neg. conseq. quia tertia illa entitas non additur partibus per modum entitatis partialis, sicut forma additur materiæ, sed est entitas totalis resultans ex illis, ac proinde dum partibus superadditur, non debet dici vniri partibus, sed ex illis constitui. Ità Doct. in 3. d. 2. q. 2. E. & sequuntur Regent. Parisiens. 1. Phys. q. 4. ad 4.

Dices, si hæc tertia entitas non informat partes vnitas, ergo saltem faciet aggregationem cum ipsis. ℞. Cum Bell. & Mastr. neg. conseq. sicut .n. compositionem non facit, quia non

non est pars, eadem rõne non facit aggregatum, sed est entitas tota ex partibus resultans, à quibus ipsa essentialiter dependet, quod non euenit in aggregatis.

Ob. Quòd saltem faciet ens per accid. cum ipsis partib. vnitis, nam ꝙ aduenit enti in actu est accid. & cum eo facit ens per accid. at hæc tertia entitas ponitur aduenire materiæ actuatæ per formam, ergo &c. ℞. Neg. conseq. & sensus illius dicti est, quod aduenit materiæ actuatæ, vt informans, & actuans, est accid. sed hæc tertia entitas non sic aduenit materiæ, & formæ vnitæ, quia non est eius forma informans, vel actuans, sed resultat, vt tota quidditas, & forma totius, qua totum dicitur quidditatiuè tale, vt Scot. docuit loc. cit. E. & est expressa sent. D. Thom. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. per quã doctrinam soluuntur argum. quæ contra nos congerit Ioan. de S. Thom. q. 6. Phys. art. 2.

Ob. adhuc Ex Auers. & Hurt. ꝙ additur partibus, & vnioni, vel spectat ad hominis essentiam, vel non, & si pertinet, vel est tota essentia, vel pars; si primum, ergo corpus, & anima non sunt de essentia hominis, q̃a hæc ponitur existere in sola integritate distincta à materia, & forma; si secundum, ergo hæc integritas, & tertia entitas, simul cum corpore, & anima hominẽ cõstituit, atq. ità nõ erit totũ, sed pars totius. ℞. Quod additũ partibus vnitis est tota essẽtia hominis, & conseq. neg. licèt. n. directè hominis essentia cõsistat in illa tertia ẽtitate, q̃ est humanitas, indirectè tñ, & in obliquo, etiã corpus, & anima spectãt ad hominis essentiã veluti partes intrinsecè eã cõstituẽtes. Ad ꝓbatione cõseq. dicim⁹, ꝙ licèt hominis essẽtia in recto cõsistat in illa sola integritate à materia, & forma distincta, cũ hac tñ distinctione à parte rei stat inclusio earũdẽ à parte rei; & in hoc Aduersarij decipiuntur, q̃a putant distinctionem realem duorum necessariò inferre exclusionem vnius ab alio; quod tñ falsum est; vt patet de toto continuo, vbi vna pars proportionalis cum alia communicans, ponitur realiter distincta ab illa, quam tñ includit.

Ob. Vel hæc tertia entitas est spiritualis, vel corporalis; si primum, ergo non potest recipere quantitatẽ; si secundum, ergo non potest exercere actum intelligendi; si competunt tertiæ entitati, & partibus simul, tunc idem accid. esset in subiectis realiter distinctis. ℞. Quasdam operationes competere immediatè, & formaliter toti, de quib. viget ratio Scoti, quasdã verò ĩmediatè partib. & rõne partiũ ipsũ totũ denominãt, sic se habent intelligere, vel esse quãtũ, quia illud conuenit homini rõne animæ, hoc rõne corporis; Vnde hæc tertia entitas in homine, estò sit corporea, potest tñ adhuc denominari formaliter intelligens rõne animæ, sicut quanta rõne corporis; operationes tñ materiales, quales sunt omnes sensationes, vt visio, risibilitas, flebilitas &c. immediatè conueniunt tertiæ entitati, hinc Arist. 2. de anima docet, ꝙ sensationes sunt totius coniuncti in rõne principij, & subiecti, quia in ipso recipiuntur, & ab ipso eliciuntur. Imò Aduersarij reuera ponunt huiusmodi operationes simul in duobus subiectis realiter distinctis, si. n.

sunt

sunt in toto consiũcto ex Arist. & hoc nõ est, nisi partes vnitæ, iã idẽ accidi erit in duobus subiectis distinctis rea liter, cum sic partes distinguantur.

Ob. Si hæc tertia entitas in viuentibus est corporea, in quolibet viuẽte duo essent corpora, corpus, scil. pro altera parte, & corpus totum, quod satis absurdũ videtur. ℞. Neg. seq. quia hæc tertia entitas non dicitur corporea, & extensa rõne quantitatis sibi formaliter inhærentis, sed rõne quantitatis inhærentis corpori, vt Doct. docet in 3.d.22.q.vn. R. prope finem, eo modo, quo Auerroist. dicunt formam extendi in materia per quantitatem materiæ inhærentem, sic dicimus in casu de hac tertia entitate in viuentibus, quòd scil. sit corpus de gen. substantiæ distinctum à corpore pro altera parte, non tñ habet quantitatem diuersam à quantitate corporis pro altera parte, sed extenditur per quantitatem eius.

Ob. ad constitutionem hominis, non minus anima conuenit, quàm corpus, ergo non est maior ratio, cur hæc tertia entitas in homine dici debeat corporalis, quàm spiritualis. ℞. Rectius dici totam corporalem, quàm spiritualem, quia includit partem corpoream, spiritus autem excludit omnem molem, & partem, potest tñ dici cum veritate natura humana media inter merè corporalem, & Spiritualem, quia verè componitur ex parte purè corporea, & alia merè spirituali, & incorporea.

Ob. Partes definitionis cõiter idẽtificantur cum definito, cum prædicentur in primo modo, & implicare videtur aliquid esse intrinsecum, & essentiale alicui, & ab eo realiter distingui, sed materia, & forma, corpus, & anima sunt partes definitionis compositi Physici, sicut animal, & rõnale sunt partes definitionis cõpositi Methaphysici, ergo sicut animal, & rõnale identificantur realiter cum definito, sic etiam, & materia, & forma cum toto Physico. ℞. Negando maiorem vniuersaliter, & paritas assumpta de animali, & rõnali in homine non est ad rem, duplex est .n. rei definitio, sicut duplex est constitutio scil. Phys. & Methaphys. cõstitutio Phys. totius, fit ex rebus per verã, & propriã causalitatẽ, constitutio verò Methaphysica fit ex realitatib⁹, non per rigorosam causalitatem, sed per quamdam quasi naturalem emanationem, quomodo passio fluit ab essentia subiecti, cum sola ab eo distinctione formali; primo modo partes definitionis sunt res, vt corpus, & anima respectu hominis, secundo modo sunt realitates, vt animal, & rõnale respectu ipsius hominis, partes definitionis Meth. non distinguũtur realiter à definito, non quia sunt de conceptu formali illius, & eius integrant essentiam, sed quia sunt realitates, Methaphysico modo illam constituentes, & non cum vera, & propria causalitate, vt sunt partes Physicæ, & inter effectum, & veram causam semper distinctio realis interuenire debet.

Ob. Partes essentialiter identificãtur cum toto, ergo etiam realiter, assumptum patet, nemo .n. negaret partes Physicas esse de essentia totius, conseq. probatur, quia essentia non est aliud, quàm ipsa realitas rei, ergo non possunt res realiter distincta habere indiuisam essentiam in-

crea-

creatis, si ergo tertia entitas non habent aliam essentiam ab essentia partium vnitarum, neq. habebit distinctam realitatem.

Quia hoc argum. satis frequens est apud Recentiores, & fallacia oritur ex varia acceptione vocabuli essentiæ, ideò ad pleniorem doctrinam notamus ex Doct. quòd identitas, & distinctio essentialis tripliciter sumi solet: Primo modo ea dicuntur idē essentialiter, quæ habent vnicam essentiam, vel quæ sunt idem vni essentiæ singulari, & è contra illa dicuntur essentialiter diuersa, quæ non sunt idem vni essentiæ singulari, sed diuersas habent essentias; & in hoc sensu identitas, & distinctio essentialis est mutua: Secundo modo, illud est idem essentialiter alteri, quod illud alterum includit in sua essentia, tanquam sui constitutiuum, & è contra, illud distinguitur essentialiter ab altero, quod illud in sua essentia nō includit, vt sui constitutiuum, in quo sensu locutus fuit Scot. de identitate essentiali sub nomine identitatis formalis in 1. sent. d. 2. q. 7. lit. Hh. Tertio modo, illud dicitur idem essentialiter alteri, quod constituit eius essentiam, & è contra illud distinguitur essentialiter ab alio, quòd non constituit essentiam eius, & hic est modus cæteris frequentior, & traditur à Doct. quol. 1. D. iuxta primum modum, totum est essentialiter distinctum partibus, & partes essentialiter distinctæ à toto, sicut .n. partes, & totum sunt tres res, & tres substantiæ, ità tres habent essentias inter se distinctas, quarum duæ priores dicuntur incompletæ, tertia verò ex his coalescens completa. Iuxta Secundum modum, partes vnitæ distinguuntur essentialiter à toto, & non è contra, quia totum includit partes in sua rōne formali, & quidditatiua, non autem partes includunt totum. Iusta tertium modum, qui est frequētior, totum distinguitur essentialiter à suis partibus, partes verò identificantur essentialiter cum toto, & est cōformis Doctrinæ traditæ ab Arist. 7. Meth. tex. 7. vbi docet, quòd principia intrinseca sunt constitutiua essentiæ totius, eamq. definiunt, & ideò illi essentialiter identificantur; in hoc igitur sensu partes sunt idem essentialiter cum toto, & non è contra, & vniuersaliter inclusum cum includente, & non è contra. Ex qua doctrina decisa remanet inutilis illa cōtētio inter Veteres Scotistas de idētitate essentiali inter gradus Methaphysicos superiores, & inferiores apud Formalistas, his habitis. ℞. Ad argum. si assumptum accipiatur primo modo, est falsum, nam in tali sēsu sicut partes, & totum realiter distinguuntur, sic etiam essentialiter; si accipiantur in tertio sensu, sic antecedens est verum, sed consequentia est falsa, estò .n. sic partes identificentur cum toto, cum ipsum totum essentialiter constituant, non sic totum distinguitur à partibus, cū non non sit causa essentialiter constituens partes, atq. ideò cum non sit hæc identitas essentialis mutua, remanet, quòd partes sint eædē essētialiter toti, totū autē nō sit idē essentialiter partibus, sed ab eis essentialiter distinctum.

Ob. Tandē Aduersarij plurib. SS. PP. & Philos. testimonijs. D. Aug. 3. de Trinit. cap. 4. inquit: homo nihil est aliud, quam anima, & corpus:

Athan.

Athan. in Symb. sicut anima rõnalis, & caro vnus est homo. Boet. de Trin. cap. 3. ait: omne totum est partes suas coniunctas. D. Damas. Verbum, ꝙ semel assumpsit, nunquam dimisit; si autem daretur hæc tertia entitas distincta, iam illam in triduo dimisisset. Arist. 4. Phys. ait: totum nihil a liud esse præter partes, & alia loca afferunt, in quib. videretur Philos. sentire totum non esse, nisi partes vnitas. R. Faciliter aliquas harum authoritates bene explicari in sensu causali, vt etiam Aliqui Thomistæ amplectuntur, vt videre est apud M. Iacob. Brun. loc. cit. in fine, idest in constitutione hominis, non requirũtur aliæ partes essentiales, nisi corpus, & anima, & solùm hæc in hominis definitione ponuntur, ità etiã D. Aug. Boet. & Athan. Damasc. verò loqbatur de partibus principalioribus ex Scot. vt etiã sequitur Amic tract. 11. q. 10. dub. 1. art. 4. vel ꝙ Christ. non dimisit aliquid, quod assumpsit post resurrectionem, & docuit etiam D. Thom. 3 p. q. 50. art. 5. Ad Arist. dicimus non ibi negare distinctionẽ totius à partibus, sed indicare voluisse, totum non esse præter partes, idest non esse separatum à partibus, quia est in illis, aliæ auctoritates, quæ afferri solent Arist. ab Aduersarijs facilè explicantur in sensu causali non solùm à Scotis. sed etiam ab Exteris.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An totum integrale, & totum per accid. distinguantur realiter à suis partibus.

SCot. de toto integrali differit in 4. d. 12. q. 4. lit. I. vbi loquens de constitutione totius continui docet, quòd in diuisione continui nulla quãtitas diuersa à quantitate partium deperditur, sed solùm continuitas, & habitudo vnitorum ad inuicem; & similiter in appositione, non acquiritur noua quantitas, sed noua continuitas, & habitudo vnitorum; at si totum continuum à suis partibus vnitis realiter distingueretur, vtiq; in continuatione partium noua quantitas totalis acquireretur, sicut in diuisione corrumperetur. De toto per accid. discurrit in 3. d. 2. q. 2. Communis sent. est, quòd totum integrale non distinguitur realiter à suis partibus simul vnitis, sed inter Scotis. est aliquod dissidium, nam Aliqui volunt eodem modo distingui, ac totum essentiale, ità Tatar. 1. Phys. q. 2. dub. 2, fol. mihi 15. & seqtur Sghẽ. 1. Phys. digres. 3. q. 4. Rocc. 1. Phys. q. 6. & Alij, saltem de aliquo toto integrali; ex opposito Alij Scotistæ absolutè negant de quocumq. toto integrali, ità Trõb. fuent. Mastr. & Bell. Disp. 5. q. 13. art. 2. Ponc. & Alij. De toto verò accidẽtali, Aliqui Pauci affirmãt, etiam à suis partibus distingui, sicut totum essentiale, communior tñ sent. negat.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, nullum totum integrale, siue discretum, siuè continuũ, siuè homogeneum, siuè Æthcrogeneum à suis partibus simul sumptis, & vnitis, realiter distingui. est Scoti loc. cit. & Plurium Scot. & ex Exteris sequuntur Ferrar. Zinar. Fõsec. Lync. loc. cit. c. 11. nu. 136. M. Iacob. Brun. q. 6. Phys. art. 2. & Alij, & probatur 1. de toto integrali continuo, de quo magis videtur esse distinctum. Si totum integrale distin-

singueretur realiter à suis partibus, materia esset generabilis, & corruptibilis, sed hoc est falsum, ergo &c. seq. patet ex Doct. in 2.d.12.q.2. vbi docet materiam, habere suas partes entitatiuas, & integrales, ergo in diuisione materiæ corrũperetur tertia entitas illius totius integralis, & in continuatione denuo generaretur. Tum quia addendo guttam aquæ mari, generaretur noua entitas substantialis per totum mare diffusa, etiam in remotioribus partib. & eam auferendo similiter corrumperetur tertia entitas totius maris, quod absurdissimum, & mirabile censetur. Tum quia sequeretur eamdem numero entitatem pluries, & pluries naturaliter reproduci, si .n. aliqua tota aqua in duas diuidatur medietates, tũc iã corrumperetur compositũ, ꝙ ex illis cõstabat quæ rursus vnirẽtur idem totum rediret, cum essent eędẽ partes, & ità quoties diuiderentur, & reunirentur toties peribit, & redibit naturaliter idem indiuiduum aquæ. Tum quia sequeretur, quòd plus ponderarent duæ libræ coniunctæ, quàm diuisæ, quia coniunctæ causant tertiam entitatem, quæ haberet suam grauitatem distinctam à grauitate partium, quod tñ est contra experientiam. Resp. Tatar. duas libras coniunctas non plus ponderare, quàm qñ sunt diuisæ, quia alia libra, quæ additur ex coniunctione ipsarum illas duas includit, & in hoc sensu ait, non esse inconueniens, pondus duarum librarum esse æquale põderi trium, qñ tertia includit duas partes. Non valet, vt benè Bell. & Mastr. vrgent loc. cit. nam vel tertia libra resultans ex duab. coniunctis, & ab eis realiter distincta, habet aliã grauitatem à grauitate illarum, vel non; si secundum, ergo non est alia ab illis; si primum, ergo plus ponderabunt coniunctæ, quàm diuisæ, & probatur à simili de toto essentiali; nam etiam hoc totum includit partes essentiales, sed quia distinctam entitatem ponit ab illis, consequenter etiam non obstante tali inclusione habet tales passiones, & operationes, quæ nõ conueniunt partibus diuisim sumptis, ergo pariter in proposito si totum integrale aliam dicit entitatẽ à partibus realiter distinctam, aliquã passionem quoq. & operationem habere debebit, quæ non competeret partibus singillatim acceptis, quæ in casu proposito alia esse non posset, nisi distincta grauitas, & quia eã nõ experimur in duabus libris coniunctis magis, quàm in diuisis, hinc rectè arguimus coniunctas non facere totum ab ipsis realiter distinctum. & quòd hæc fuerit mens Arist. patet ex 1. Phys. tex. 17. vbi ait: *continuum esse multa*. idest multas partes vnitas: patet etiam de integrali discreto, scil. numero, nam Arist. 3. Phys. 68. appellat numerum vna plura, non vnum quod, & 10. Meth. tex. 4. ait, non posse dici numerum esse vnum ꝙ, sed esse quasi congeriem. Tũ quia numerus non est verè ens per se vnũ, sed potius aggregatum quoddam, per accid. esto per rõnem consideretur à nobis per modum vnius, nec consequenter habet veras species, vt diximus in Log. in prædicam. Quãtitatis art. 1. ergo non distinguitur realiter à suis partibus, quia tunc verè vnum ex multis constituitur, qñ illa se habent vt actus, & potentia.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. totum per accid. vt est V.g. homo albus, non distingui realiter à suis partibus simul vnitis. Est Scoti in 3. d. 2. q. 2. §. *Quantum ad tertium &c.* lit. E. & sequuntur Scotist. cōiter, & ex Exteris Vasq. disp. 13. tertiæ p. cap. 2. nu. 26. Ricard. Lync. lib. 2. Phys. tract. 9. cap. 9. & Alij, probatur: hæc tertia entitas ex subiecto, & accid. constituta, & ab eis realiter distincta, vel est substantia, vel accid. at neutrum dici potest, quia neq. accid. esse potest pars substantiæ, neq. substantia accidentis, & tñ totum per accid. ex vtrisq. coalescit. Tum quia si ex substantia, & accid. resultat tertium compositum, hoc erit perfectius substantia, & accid. quia omne totum est perfectius sua parte, atq. ità dabitur entitas perfectior substantia completa, & subsistente, accid. n. aduenit enti in actu completo &c. *Obiectiones.*

Contra primam arguit Tatar: totū integrale componitur ex suis partibus, vel igitur totum hoc supponit pro aliquo alio à suis partibus, & sic habetur intentum, vel pro suis partibus simul sumptis, & tunc idem componeretur ex seipso, idest partes ex partibus. ℞. Cum Mastr. & Bell. totum integrale distingui ab omnibus suis partibus diuisim, & distributiuè sumptis, non collectiuè simul cum vnione, quia sic sunt ipsum totum, vndè sensus est, ꝙ singulæ partes vna alteri coexistens, componunt totum integrale; & hac rōne totum integrale potius dicitur cum his, quā ex his. Multa alia congerit Tatar. quæ facilè à cit. Doctorib. soluuntur.

Ob. Aut. Arist. 7. Meth. tex. vlt. vbi ait, Syllabā B A. non esse B. & A. sed esse quid ab ipsis distinctū, quib. verbis motus Doct. ait in 2. d. 16. q. vn. F. quòd præter partes integrales, oportet dare aliquid tertium, quia semper partes integrales faciunt aliquod totum, aliud à qualibet partiū, quod probat exemplo Syllabæ B A. ab Arist. adducto, & 5. Meth. differens Philos. de toto integrali discreto, ait, sex non esse bis tria, sed semel sex, qua auctoritate motus Scot. in 3. d. 22. q. vn. L. docet, quòd quinarius non est vnitates quinq. sed est illud totum, quod resultat ex quinq. vnitatibus, aliter si esset illæ vnitates, esset vnum, sicut aceruus. ℞. Ad 1. auct. sensum illius esse, quòd totū integrale distinguitur à suis partibus singillatim sumptis, quia totum integrale non est solùm hæc pars, vel illa, sed simul omnes vnitæ. Ad aliam auctorit. solùm innuere voluit Arist. senarium componi ex sex vnitatibus vnitis, & non ex duobus ternarijs, qui sunt duo numeri, & quòd essentia numeri consistat in ipsa totalitate numeri, qualiscumq. illa sit, aliæ verò comparationes, & proportiones, quæ per comparationem partium numeri ab Aritmeticis fieri solent, magis ad qualitatem numeri, quàm ad substantiam spectant; & appellauit magis vnum, quàm sit aceruus, quia integrale discretum habet vnitatem ordinis, qua aceruus caret, nec aliam vnitatem super aceruum Arist. in numeris affirmare intendit, quomodo etiā intelligēdus est Scot. in 3. d. 22. q. vn.

Ob. Specialiter de toto Ætherogeneo, quod si non esset quid vnum à partib. distinctum, non seruaretur

vnitas animalis, sed potius esset congeries quædam plurium specie distinctorum, ossis, carnis, nerui &c. ℞. Neg. seq. nam ad saluandam corporis animalis vnitatem, & bene informari possit ab anima, non requiritur vt totum corpus importet aliquid à suis partibus realiter distinctum, sed sufficit, vt partes corporis inter se continuentur saltem sm̃ aliquas partes, ossa .n. continuantur carni per quosdam nexus, vel apparentes visibiles, vel occultos propter paruitatem vt, in lib. de anima patebit.

Ob. Tandẽ de toto discreto, nẽpe numero, si .n. non esset quid vnum à suis partibus realiter distinctum, tũc vnus numerus specie non differret ab alio, nam si numerus V. g. ternarius non esset, nisi tres vnitates, quaternarius verò quatuor, esset eadem ratio vnitatum, quæ differentiam specificam non infert, nam maius, & minus non differunt specie. ℞. Quòd sicut numerus deficit à vera, & per se vnitate, & entitate, ità etiam deficit à vera rõne speciei, hinc plures, vel pauciores vnitates certè non differunt, nisi quatenus ab intellectu accipiunt certam collectionem, & ordinem, quare à parte rei, seclusa intellectus operatione, datur numerus tm̃ quo ad materiale, quia dantur multa entia numerabilia, quæ ab intellectu in vnum colligi possunt, ideòq. quo ad formale non datur numerus, nisi per intellectum.

Contra 2. arguit Fuent. ex Doct. in 3.d.2.q.2.§. *Quantum ad primum &c.* vbi manifestè docet, vnum per accid. non esse suas partes, sicut vnũ per aggregationem. Et ex Arist. 7. Meth. 11. probat hominem album esse vnũ aliquid, ergo. ℞. Doct. ex Arist. asserere totum per accid. esse magis vnum, quàm vnum aggregatione, vt aceruus, quia vnitas aggregationis est infimus gradus vnitatis, cui vnum per accid. addit vnitatem informationis, vt innuit in 1.d.2.q.7. Hh.

Ob. rõne, ex contradictorijs, quæ de illis inferuntur, nam partes vnitę constituunt totum, non è contra. partes fundant vnionem, non vnitatem, totum fundat vnitatem, non vnionem &c. sed hæc omnia interueniunt in toto per accid. & eius partibus, ergo. ℞. Cum Bell. & Mastr. ex Canon. 1. Phys. q. 4. art. 4. neg. minorem, nam duplex est compositio Physica, vna cum his, alia ex his, inter quas hoc est præsertim discrimen, quòd in prima compositione idem est componens, & compositum, minimè verò in secunda; in prima .n. non interuenit vera causalitas in ordine ad totum, sed bene in secunda, subiectum .n. & accid. non propriè vnam rem constituunt, sicut faciunt materia, & forma substantialis, sed potius subiectum qualificatur. Ex quo oritur, quòd prædicata illa contradictoria verè à parte rei enunciétur de partibus, & toto essentiali, cum in vera, & reali causalitate partium fundentur, quæ causalitas deficit in toto integrali, & per accidens, & de istis solùm enunciantur per quamdã analogiam ad partes Physicas verè componentes; Vnde diuersitas illa procedit omnino ex diuerso nostro concipiendi modo, hominem, scil. & albedinem vel per modum vnius, vel plurium, nam concipiendo per modum vnius, dicimus album constare ex subiecto, & accid. cõcipiẽdo

per modū pluriū, dicimus albedinem cum subiecto constituere album, quo modo etiam concipiendo totum per aggregationem, dicimus lapides adunatos constituere cumulum, & cumulum constare ex lapidib. vnitis, & nō è contra, & tñ ex hoc non arguitur in aceruo tertia entitas à partib. distincta, vt etiam ipsemet Fuent. fatetur. Hinc notamus, quòd estò mutatio accidentalis dicatur etiam suo modo per se vna, sicut compositum accidentale dicitur suo modo terminus per se vnus, valde tamen differunt, nam mutatio accidentalis non dicitur per se vna à termino primo, & adæquato, vt mutatio substantialis, sed à termino formali, quod est accidens in concreto, quod de sua rōne formali vnum per se dicit V. g. calorem, aliud verò connotat scil. subiectum, & ità deficit à vera rōne termini per se vnius, quod non militat de termino generationis substantialis.

DISPVTATIO IX.

DE CAVSIS EXTRINSECIS.

Vbi etiam De Actione, & Passione.

De Causis intrinsecis Corporis naturalis hucusq. egimus, quæ ipsum essentialiter, & quidditatiuè componunt; sed quia nunquam compositum sine causis extrinsecis coalescere potest, ideo meritò etiam de ipsis agendum erit, & primò de causa Efficiēte, quæ omnibus notior est. Multa in hac disput. scitu digna considerãda veniunt, quorum tñ multa ad Meth. spectant, quæ hic à Recentioribus examinantur. Nos tm̄ illa afferemus, quæ pro nostro instituto magis propriè ad rem Physicam attinere videntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex sit causa Efficiens.

Scot. de hoc art. differit in 2. d. 37. q. vn. lit. V. & d. 1. q. 5. lit. S. & sæpè alibi. pro cuius intelligentia præmittimus, Arist. 2. Phys. tex. 29. & 5. Meth. tex. 2. sic causam efficientem definire scil. *est id, vnde principium mutationis primum, aut quietis*. quã Alij sic claritatis gratia eam formãt: *est principium primum, vnde est mutatio, aut quies*. Dicitur *Principiū*, loco generis, quo conuenit cum omnibus causis. dicitur *Primum*, non simpliciter, & absolutè vt est Deus, sed in proprio genere, vt competit etiam causis secundis, & significat vel primitatem principalitatis respectu causæ instrumentalis, quia instrumentum non agit principaliter, & propria virtute, vel primitatem perseitatis, vt excludantur causæ per accid. vel tandem significat proprium causandi modum, cæteræ n. causæ non

non dicuntur primæ. non Finis, quia solùm in intentione dicitur prima causa, non in executione. non Forma, quæ se habet vt terminus mutationis. nec Materia, quæ licèt præsupponatur causalitati agentis quo ad entitatem, loquendo tñ de actuali causatione, ideò materia recipit, quia agens agit, quare influxus agentis debet absolutè dici omnium primus primitate naturæ. Dicitur 3. *Vnde*, pro particula à quo, per quam distinguitur tàm à materia, & à forma respectu totius, quod propriè non dicitur fieri à materia, & forma, sed ex illis coalescere; quàm à causa finali, quæ propiè non est id, à quo motus, sed cuius gratiam fit motus. Dicitur 4. *mutatio*, quæ sumi non debet sm̃ latam acceptionem, sic .n. mutatio, vt ex dicendis in proprio loco patebit, potest etiam creationi accommodari, sed accipitur rigorosè pro transitu in subiecto, siue substantialis sit, siue accidentalis, quæ dicitur Physica mutatio, Arist.n.non cognouit temporaneam creationem; & tandem dicitur *quies*, seu *quietis*, quæ particula ab Aliquib. explicatur, vt significat terminum mutationis. Alij verò dicunt, & fortè melius, quòd per mutationem, non solùm intelligi debet mutatio pro formali scil. transitus ille, sed etiam pro materiali, qualis est res in fieri, & per quietem res in facto esse, qñ in tali statu à causa dependet, vt causam conseruantẽ etiam comprehendat; & quia quæ est causa in fieri, non est semper causa in facto esse, & conseruans, propterea particula *aut*, accipienda erit disiunctiuè.

Quia ẽt causa efficiens ad duo potest comparari ex Doct.in 2.d.1.q.5. lit. S. & in 4.d. 13. q. 1. F. nempè ad effectum, qui recipit de nouo esse simpliciter à causa efficiente; & ad passum, seu subiectum, quod recipiendo formam ab agente, perficitur, & transmutatur; hinc causa efficiẽs duo respicit correlatiua scil. terminum productum, & subiectum, quod transmutatur. Respectu primi dicitur producens, respectu secundi dicitur agens, vel transmutans, qua rõne potentia actiua ab Arist.5.Meth.17.definitur, quòd sit principium transmutandi aliud in quantum aliud; & ab Auth. sex Principiorum, *actio est secundum quam in illud, quod subijcitur agere dicimur.* Vnde Philos. post quam causam efficientem, definiuit, explicans subdit: *& omnino faciens facti, & mutans mutati.*

Ex his deducitur, hanc definitionem esse rectam, constat .n. ex proprio genere, & propria differentia, vt ex dictis euidenter patere potest. Solùm dubitari poterit de Natura, quæ etiam describitur Principium motus; & de Conditionibus sine quibus non, à quib. etiam videtur esse motus. Sed quo ad Naturam Resp. quòd aliqñ efficiens, & natura coincidunt, aliqñ differunt, atq. ideò vnaquæq. diuisim definiri debuit, nam Principiũ in definitione naturæ supponit pro passiuo, & actiuo, non quocumq. sed immanenti, & substantiali, at in definitione causæ efficientis supponit pro actiuo, siue immanenti, siue transeunti, siue substantiali, siue accidentali. Conditiones non dicuntur propriè principia, quia non habent virtutem producendi effectũ, & ideò motus ab illis dicitur pende-

re, non

re, non vt à causis. Cæterum, vt appareat quomodo hæc definitio causis effectiuis conueniat, aliquas, & præcipuas huius generis diuisiones recensere libet.

Primò igitur causa efficiens diuiditur in Primam, & Secundam. Prima est, quæ prorsus independenter operatur, vt Deus, qui tempore, perfectione, & dignitate omnes alias causas antecedit. Causa secunda est, quæ ab alia dependenter agit, vt sunt omnes creaturæ, quæ à Deo in agendo dependent.

2. Diuiditur in causam per se, & per accid. Causa per se illa est per Scot. in 1.d.2.q. 2.I. quæ sm̄ propriā naturam, & non sm̄ aliquid sibi accid. causat, vt Ædificator per se ædificat &c. causa per accid. est, quæ licèt concurrere videatur ad effectum, non est tn̄ necessaria, nec effectus vi illius accipit esse, sic cùm Musicus ædificat &c. ad hanc reuocantur conditiones, sine quibus non, vt sunt causa applicans, remouens prohibens, non impediens &c.

3. Diuiditur in Physicam, & Moralem. Physica, seu realis causa est, quæ verè, & realiter influit in effectum, vt ignis causans ignem &c. Moralis est duplex, vel .n. dicitur moralis moralitate libertatis, quomodo distinguitur à causa Physica necessaria, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, non potest non agere, moralis autem etiam positis omnibus requisitis potest non agere, vti est voluntas, hinc actus liberi, morales appellari solent; quæ causa coincidit cum Physica, & reali, quia voluntas verè influit in actus liberos; vel dicitur moralis moralitate imputationis, in quo sensu à causa Physica, & reali distinguitur, & est cui sm̄ rectam prudentum æstimationem imputatur effectus, in quem ipsa non influit, tali æstimatione præcisa, & tales sunt iubens, consulens, consentiens, & aliæ de quibus agunt Canonistæ, quæ omnia in agentib. liberis reperiuntur; & præsertim etiam causa moralis dicitur illa, quæ est ratiò cur alia causa operatur ex aliquo pacto, sic Sacramenta dicuntur causæ morales gratiæ, quia ad eorum positionem Deus nobis gratiam elargitur; & opera nostra bona dicuntur causæ meritoriæ nostræ salutis, quibus mediantibus dat Deus præmium vitæ æternæ, quæ causa reduci solet ad causam Physicam per accid.

4. In causam Efficientem principalem, & instrumentalem. Principalis est, quæ propria virtute attingit effectum principaliter intentum, & nulli famulatur; Instrumentali est, quæ non attingit actiuè talem effectum, sed solùm dispositiuè causę principali inseruit, vt infra.

5. Diuiditur in Remotam, seu mediatam, & in Proximam, seu immediatam. Remota est, quæ aliquo mediante ad effectum concurrit; Proxima est, quæ nullo medio effectum producit. Item mediatio, vel immediatio causæ, duplex est, alia Virtutis, alia suppositi, & huius alia in essendo, alia in causando. Causa efficiens immediata immediatione virtutis est, quæ agit per virtutem sibi inexistentem, vt calor calefacit &c. ex opposito causa efficiens in hoc sēsu mediata est, quæ agit per virtutē à se diffusam, vt dum lapis mouetur sursum, proijciens ipsum mouet per impul-

impulsum in lapide productum. Causa efficiens immediata immediatione suppositi in essendo est, quæ loco nõ distat à suo effectu, ità quod inter ipsam causam, & effectum, nullum suppositum mediet, sic Deus in hæc inferiora agit, quib. est intimè, & immediatè præsens; è contra causa efficiẽs mediata est, quæ loco distat, vt sol in visceribus terræ mineralia producens. Causa efficiens immediata immediatione suppositi in causando est, quæ immediatè producit effectum, vt cum sol producit mineralia, quæ productio à virtute solis immediatè prodit; & è contra causa efficiens mediata in hoc sensu dicitur illa, quæ non sua virtute effectum attingit, sed medio ab ipsa procedente, vt cùm ignis calefacit aquã medio calore, q̃ est virtus ab ipso igne proueniens.

6. In causam totalem, & partialẽ, & vtraq. duplex est. vna dicitur totalis totalitate causæ, alia totalis totalitate effectus. Causa totalis totalitate causæ est, quæ sola sufficit ad ponendũ effectum absq. alia, vel simpliciter, vt cùm omnem alium excludit, quomodo Deus totaliter Angelum, vel Animam creat; vel in genere, vt cùm omnem aliam excludit eiusdem generis, vel ordinis, sic ignis dicitur causa totalis alterius ignis; & licèt etiam materia concurrat, hoc est solùm in genere causæ materialis; & quamuis etiam Deus ad ignem efficienter influat, est tñ alterius ordinis, est. n. causa supernaturalis. Causa totalis totalitate effectus est, quæ ità influit in effectum, vt nulla sit pars effectus, in quam causa non influat, ità duo trahentes nauim, dicuntur Causę totales totalitate effectus. Sic etiam diuiditur causa partialis, nam alia dicitur partialitate causæ, quæ nempe cum alia eiusdem generis, & ordinis producit effectum, vt obiectum simul cum intellectu respectu notitię; partialis verò partialitate effectus, dicitur illa, quæ partem vnam effectus producit, altera reliquam partem, vt cùm duo Artifices eamdem nauim, vel domum fabricant.

7. Diuiditur in Causã vniuersalẽ, & particularẽ. Vniuersalis est, q̃ concurrit vel ad oẽs effectus, vt Deus; vel ad plures vt Cęli. Particularis est, q̃ ad aliquẽ certũ, & determinatũ effectum concurrit, vt sublunaria.

8. In efficiens Quod, & efficiens Quo; Causa efficiens Quod, est suppositum quod agit, scil. Petrus, vel ignis &c. Causa efficiẽs Quo, alia est principalis, & est principiũ, seu forma substantialis, alia minus principalis, seu instrumẽtalis, & est principiũ, seu forma accidentalis, p q̃ suppositũ agit, vt in igne, efficiens Quo principale, est forma substantialis ignis, principium Quo instrumentale, est calor, vel siccitas.

9. Diuiditur in causam efficientem vniuocam, & causam efficientem æquiuocam; Vniuoca dicitur illa, quæ effectũ sibi similem in natura, & eiusdem rõnis producit, vt ignis generat alium ignem, & homo generat hominem, qua rõne dicitur continere effectum formaliter; æquiuoca est, quæ effectum alterius rõnis, & naturę producit, vt sol ad plures effectus in sublunarib. in plantis, in viscerib. terræ &c. quæ si erit totalis, semper erit suo effectu perfectior, si est partialis, hoc non erit necessarium.

10. Alia dicitur causa præcisa, alia non

non præcisa. Præcisa est illa, quæ posita, necessariò ponitur effectus, & qua ablata remouetur, vt humanitas est causa præcisa risibilitatis, nam ipsa posita, ponitur risibilitas, & ipsa remota, quibuscumq. alijs positis, remouetur. Non præcisa est illa, qua posita, non ponitur effectus, licèt si remoueatur, remouetur etiam effectus, sic animal non dicitur causa præcisa hominis, quia ex positione animalis, non ponitur necessariò homo, licèt non posito animali, tollatur etiam homo.

11. Tandem, Alia dicitur causa efficiens sm̃ extrinsecam denominationem, Alia sm̃ intrinsecam. Prima est illa, quæ ideò dicitur formaliter causa, quia tantum modo terminat dependentiam effectus ad ipsam, non per quamdam relationem causæ in illa existentem, sic Deus dicitur omnium causa, quia terminat omniũ dependentiam, quia non potest de nouo relationem aliquam ad creaturas fundare; Causa per intrinsecam denominationem est, quæ realiter refertur ad effectum relatione reali, sic se habent producens, & productum, causa, & causatum.

Ex his deducitur, quòd allata definitio causæ efficientis non conuenit vniuocè causis per se, & per accid. sed quadã proportione, neq. causis Physicæ, & morali sm̃ imputationem sed per q̃dam proportioné. Ratio est, quia causa per accid. & morales sm̃ imputationem, solùm sm̃ aliquid rationis dicuntur causæ, quia non fundant relationem realem ad effectum, at causæ per se, & Physicæ sunt tales sm̃ aliquid reale; & idem asserendum erit de causis intrinsecæ, & extrinsecæ denominationis, Deus .n. dicitur formaliter causa, vel per realem terminationé effectus, vel ꝑ relationem rõnis in ipso receptã, causa verò intrinsecæ denominationis, dicitur talis per relationem realem.

Dices, Deus verè, & realiter dicitur causare, sicut ignis realiter dicitur ignem producere. Item Sacramenta, quæ sm̃ Doct. moraliter causant gratiam propriè, & verè sm̃ cõcilia, & PP. dicuntur causæ gratiæ, ergo potest ab omnibus istis abstrahi conceptus cõis vniuocus. ℞. Vt sæpè dictum est, Deum dici realiter causam, quia realiter terminat depédentiam, quæ ratio est communis Deo, & creaturis, quatenus istæ etiã realiter effectuum relationes terminant, non tñ vt relationé causæ fundant; & si hoc modo definitio causæ explicatur potest vtriusq. esse vniuoca. Sacramenta dicuntur etiam propriè causę gratiæ, nam in genere moris habentur tanquam causę per se, estò in genere Physico reducantur ad causam per accid. quomodo etiam consulens homicidium in genere moris, & sm̃ prudentum æstimationem, habetur pro vero homicidio, licèt dicatur causa per accid. in gen. Physico.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Effectus causæ efficientis recensentur

Scot. de his diserè agit in 2.d.25. q.vn.C.& d.1.q.5.lit.S. & pluribus alijs in locis. Diximus art. præcedenti ex Arist. & Scot. causam efficientem duo respicere scil. terminum productum, & subiectum transmutatum, modo determinandũ erit, an tàm subiectum, quàm quilibet ter minus

minus habeat rõnem effectus respectu talis causæ. Pro cuius intelligentia notamus, quòd res quæ sub causatione Physici agentis numerantur, aliæ dicuntur fieri per resultantiam, & emanationem, aliæ per simplicem efficientiam, aliæ respiciunt efficiens non tm̃ in fieri, sed etiam in conseruari, & in facto esse.

Quo ad res per resultantiam productas, sciendum, quòd res illæ resultare dicuntur, quæ proueniunt à principijs intrinsecis, seu essentia subiecti, & in eodem recipiuntur, & per modum permanentis se habent, & quasi connaturales subiecto, ità se habet frigiditas in aqua, quę proprijs viribus ad pristinam se reducit frigiditatem; hinc est, quòd licèt actus vitales, aut scientiæ ab anima proueniant, & in ipsa recipiantur, non tñ dicuntur ab ipsa anima emanare, quia non sunt permanentes in anima, ità vt ex propria natura tales qualitates in se semper exigat, sicut est frigiditas in aqua. Hoc autem tripliciter euenire potest, 1. Quòd effectus fluat à sua causa tm̃ Methaphysicè, & non per verum influxum Physicum, quod tunc est qñ id, quod resultat, non est realiter distinctum à sua causa, sed solùm formaliter, sic ait Scot. passionem emanare à subiecto 2. Qñ resultat res, quæ est à subiecto realiter distincta, & ità necessariò, vt nec à Deo impediri possit quin resultet; sic se habent relationes, maximè intrinsecus aduenientes respectu fundamenti, & termini, quæ resultantia ex Canon. 5. Phys. q. 5. duplex est, sicut duplex esse potest relatio, alia quæ est eff.ctus præcisè, nullo modo à natura instituta ad hoc, vt aliquid dicatur formaliter causans; cuiusmodi sunt relatio similitudinis, æqualitatis &c. alia, quæ præcisè est à natura instituta, vt aliquid per eam formaliter causans dicatur, vt est relatio causalitatis 3. Res aliqua Physica dicitur resultare ab essentia, & quandoq. etiam per veram mutationem, ità tñ quòd per absolutam Dei potentiam impediri possit; sic remota aqua ab igne, resultat in ea frigiditas, & in qualibet generatione rei naturalis dimanãt ab ipsa omnia accid. connaturalia, vt quantitas, & qualitates cõnaturales, quib. à Deo priuari potest; hinc resultantia, & emanatio prout à vera efficientia distinguitur, propriè sumitur primo modo scil. Methaphysicè.

Quæ igitur primò resultant, non agnoscũt propriè subiecti quidditatem, pro causa Physica, vt Thomistæ putant, asserentes passiones realiter à subiecto distingui, sed tm̃ pro causa Methaphysica, nos .n. defendim⁹, passiones solùm formaliter à quidditate subiecti distingui, vt decisum fuit in Logica disp. 7. art. 2. & effectus Physici propriè dicuntur, qui respiciunt causam Physicam, producentẽ entitatem subiecti, nam ab eodem efficiente Physicè producitur anima V. g. cum suis potentijs, & passionibus, cum hoc tamen adhuc stat, quòd anima erga potentias exerceat causalitatem Methaphysicam. Et quia passiones, & potentiæ sunt cum identitate subiecti realiter identificatæ, in hoc sensu poterunt etiam dici effectus veræ causæ efficientis, eiusq. actionem terminare.

Quæ secundo modo resultant, vt sunt relationes à natura institutæ ad

denominandum aliquid formaliter causans, estò Physicè resultent, non tñ rõnem effectus propriè habent, & ratio est, quia non proueniunt à fundamento per alium influxum, & causalitatem distinctam, aliter daretur influxus influxus, actio actionis, & causalitas causalitatis, & ita processus in infinitum; vnde Physicè fluunt quatenus verè, & essentialiter pendent à fundamento, non alia dependentia realiter distincta. Ratiò huius præcisa est, quia qñ aliquid est ratio alicui essendi formaliter tale, illud se ipso est tale, ne detur processus in infinitum, Quo .n. non potest esse Quod, sic quia albedo V. g. est qua paries dicitur albus, ipsa non potest dici alba per aliam albedinem, nam peterem de hac alia albedine, per quid dicitur alba, & ità processus in infinitum, & Quo mutaretur in Quod; Sic in casu, quia causalitas est, qua causa dicitur formaliter causans, non potest alia causalitate resultare.

Si verò sint relationes nõ institutæ ad denominandum aliquid formaliter causans, sic dicuntur veri effectus causati in genere causæ efficientis à proprijs fundamentis qñ sunt intrinsecus aduenientes, vnde existente albo hic Messanæ, ad productionem albi in Hispania, naturali necessitate in genere causæ efficientis dimanat ab albo Messanæ relatio similitudinis, ad quam solùm effectiuè concurrit fundamentum, non terminus, non .n. videtur possibile album Hispanum agere in tanta distantiã, sed satis est, vt concurrat in rõne termini. solet tñ dici relationem intrinsecus aduenientẽ effectiuè produci ab efficiente extrema, non quidem formaliter, sed radicaliter, quatenus producens album, hic, producit id, quod est radix, & veluti semen relationis; & ità intelligendus est Doct. in 2.d.1.q.5.lit. S. cùm ait, relationem intrinsecus aduenientem esse ab agente.

Dices, Ad relationem intrinsecus aduenientem, non est per se motus ex 5. Phys. ergo non datur propriè causa efficiens respectu illarum, quia hæc causa est principium cum mutatione, vt patet ex eius definitione. R. Causam efficientem dici principiũ per mutationem, non quia semper cum motu propriè agit, sed quia sẽper agit in subiectum, quod passum, & transmutatum dicitur, ideoq. licèt ad relationem non sit propriè, & per se motus, potest tñ respectu ipsius dari efficientia.

Quæ tandem tertio modo resultãt, habent etiam rõnem effectus, quia realiter à subiecto distinguuntur, & sunt quasi passiones cõnaturales Physicæ ipsius subiecti, nec videtur alia causa assignanda, quia non est generans, vt Aliqui putant, quia aqua propria virtute ad pristinam frigiditatem se reducit; quod inde patet, quia si Deus destructo generante ab aliquo subiecto, omnia accid. separaret, & postea concursum ad illa preberet, tunc subiectum verè ad illorũ productionem cõcurreret, ergo etiã in prima productione, id quod immediatè efficit, est subiectum, non generans.

Multòmagis rõnem veri effectus habent, quæ fiunt per simplicem efficientiam, quatenus verè terminant motum, & actionem per se agentis, & alia

& alia sunt composita substantialia, & formæ substantiales, item & accidentales tàm absolutæ, quàm respectiuæ, quæ propria acquisitione acquiruntur, vt sunt respectus extrinsecus aduenientes scil. Vbi, situs, vnio &c. vt infra, nam istæ non insurgũt, & possũt extrema actu reperiri absq. huiusmodi relationibus.

Quantum ad res dependentes, non solum in fieri, sed etiam in facto esse, & in conseruari, sciendumq; quòd dupliciter potest res aliqua conseruante indigere; primò, quia cum res habeat contraria, à quibus potest corrumpi, indiget aliquo, vt hæc cõtraria remoueat, ac eorum actiones impediat, & conducentia ad eius cõseruationem procuret, absolutè tñ si non essent contraria permaneret in esse, sic homo ab arte medica dicitur conseruari, sed sicut hæc non est vera, & per se dependentia, sed per accid. sic nec verè effectus conseruantis causæ dicitur; secundò, quòd à conseruante ità indiget, vt hoc deficiente, statim destruatur, vt est lumen respectu luminosi, & de istis ꝓpriè est sermo, quia in genere causæ efficientis continuata dependentia à sua causa dependent, quæ explicatur per habitudinem à quo aliud, non solùm in primo sui esse, verùm etiam in toto tempore quousq. durat in eo idem esse. Sunt etiam aliquæ formæ, quæ ex se dilabuntur, vt impetus impressus lapidi à proijciente, sonus productus in medio à corpore sonoro, species sensibiles odorum &c. nã istæ qualitates, quia non poterant habere semper influxum in suo efficiẽte ad finem, ad quem sunt institutæ, sed tãtũ debebatur illi existentia ad cõsequendum effectum per aliquod tẽpus, ideò tales naturæ à Deo conditæ sunt, vt sine contrario paulatim ex seipsis deficiant.

Et tandem inter effectus causæ efficientis, enumerari debet subiectum, non quidem sm̃ esse simpliciter, & absolutum, quia vt sic potius præsupponitur agenti, sed secundum illud esse, quod recipit à forma, sicut .n. subiectum numeratur inter effectus formæ, secundum esse specificum, & determinatum, quod in genere causæ formalis recipit à forma, ità quia tale esse recipit à causa efficiente, vt sic effectus eius dicetur, non vtiq. accipiendo efficiens, vt producens est, quia subiectum non producitur, sed vt transmutans, quatenus subiectum nouum esse recipit ab illo, quod prius non habebat. Alia solent hic à Philosophis agitari, quæ intentum huius operis transcendunt.

ARTICVLVS TERTIVS.
Quid formalis sit actio, & passio.

SCot. dubium hoc determinat in 2.d.19.q.5.ſlit. S. & in 4.d.13.q.1.E.& quol.13. D d.& sæpissimè alibi. Plures sunt opiniones. Prima asserit, Actionem formaliter non dicere, nisi entitatem absolutam scil. formam in fieri, sed quia hæc explicari non potest, nisi per aliquam relationem, hinc asserunt actionẽ respectum includere; addunt tñ talem respectum non esse, nisi extrinsecã quamdam denominationem in agente, desumptam à forma, quæ fit, sicut obiectum cognitum explicatur per relationem ad cognitionem, quæ tñ in eo est solùm extrinseca denomina

tio. pro qua opinione citantur Nominales, Heruæus, Iauell. & Alij. Secunda opinio vult actionem formaliter dicere q̄d absolutū, & respectiuū simul, saltem trascendentaliter, diuersimodè tñ à sectatoribus huius sententiæ explicatur, tum quoad absolutū, tum quo ad respectiuum; quod longum, & tediosum esset recensere.

Quo ad respectiuū, Aliqui dicunt solùm dicere relationem ad agens, à quo actio prouenit, & non esse de ratione actionis in cōi dicere respectum ad terminum, quia actio immanens, vt sunt omnes operationes vitales, nullum producit terminum, sed solùm præsupponit proprium obiectum, & tantùm actio transiens, aiunt dicit relationē ad terminum, ità Thomistæ. Alij affirmant esse de rōne actionis vtrumq. respectum scil. tàm ad agens, quàm ad terminum, vt Recentiores cōiter, sed non requiri ordinem ad subiectum, & hoc, vt sub rōne actionis comprehendant etiam creationem. Alij addunt etiam tertium respectum, sed nolunt terminū in instanti acquiri, sed successiuè.

Sic etiam magna est contentio de Passione, Aliqui .n. non distinguunt eam ab effectu, sed asserunt omnibus rebus conuenire, excepto Deo, quia ipsam eum productione passiua confundunt, & ex alio capite omnem tollunt relationem, ità Aurel. in 1. d. 30. p. 1. art. 3. Aresf. 1. de gen. q. 4. sec. 2. cum Alijs. Quidam ipsam passionem confundunt cum receptione formæ in subiecto. Alij eam conuertunt cum Actione, & solùm addere quamdam formalitatem diuersam, quæ denotatur per habitudinem essendi in, ità Conimb. & tandem Alij nullo modo ab Actione volunt distingui, nisi rōne.

Pro resolutione nostræ sent. præmittimus ex Scot. in 2. & 4. cit. in qualibet actione plura conuenire V. g. cum ignis producit calorem in aqua, adest ipse ignis, & virtus absoluta agendi, quæ est proprius calor, adest forma producta in aqua scil. caliditas, adsunt respectus illi, quib. ignis denominatur producens calorem, educens, & inducens, & tandem adest respectus, quo ignis respicit aquam, quo agere in aquam, & illam transmutare dicitur. Præter hæc omnia, Aduersarij admittunt etiā modum quemdam medium inter causam, & effectum, quo causa attingit effectum, & actu causans dicitur.

Not. 2. ex Doct. in 4. cit. H. actionem esse nomen æquiuocum, & multipliciter accipi 1. pro operatione, & sic omnis actus vitalis dicitur actio 2. p̄ productione, quæ sm̄ nos est respectus producentis ad productum, secundum Recentiores est modus absolutus, & causalitas agentis respectu compositi 3. pro eductione formę ab agente 4. accipitur pro respectu transmutantis ad transmutatum, idest pro illa relatione, quam dicit agens in ordine ad passum scil. pro re acta, & producta, vt tū includit respectū, qui exprimitur per esse ab alio, vt producente, vel educente; at si res acta consideretur, vt dicit ordinem ad subiectum, in quo est, sic dicitur passio, in quo sensu loquitur Arist. 3. Phys. tex. 18. & seq.

Item ex Doct. quol. 13. cit. Actio diuidi solet in immanentem, & transeuntem, quæ diuisio in vno sensu potest esse æquiuoci in æquiuocata, in

alio

alio ſenſu vniuoci in vniuocata. Equiuoci in æquiuocata tunc erit, qñ per actionem trãseũtẽ intelligitur actio, quæ terminum productum habet, per immanentem verò intelligitur ipſamet operatio, vt intellectio, volitio, viſio &c. quæ ſolùm dicitur actio grãmaticaliter, quatenus per verbum actiuum ſignificatur, in quo ſenſu actio in cõi non dicit, niſi vocem communem. Tunc erit vniuoci in ſua vniuocata, qñ per actionem intelligitur actio habens terminum productum, cum hac tñ differentia, quod ſi talis terminus manet in agente, vt cum aqua ſibi producit frigiditatem, dicitur actio immanens; ſi verò terminus tranſit in paſſum dicitur actio tranſiens; non quòd ipſa tranſeat in aliud ſubiectiuè, accid.n. non migrat de ſubiecto in ſubiectum, ſed ſolùm terminatiuè, quatenus ſcil. terminus actionis, qui V. g. eſt calor, recipitur in paſſo diſtincto.

Similiter Paſſio eſt nomen æquiuocum, & aliqñ ſumitur pro conceptu mentis, quo ſenſu voces dicuntur ſigna eorum, quæ ſunt in animo paſſiones; alio modo pro innata proprietate, ſic riſibilitas dicitur hominis paſſio; alio modo pro qualitate tertiæ ſpeciei de facili mobili, vt cùm diuiditur in paſſionem, & paſſibilem qualitatem; alio modo pro qualitate corruptiua, aut perfectiua quomodo Ariſt. ait intelligere eſſe quoddam pati; alio modo pro qualitate conſequente actum potentiæ appetitiuæ, ſic gaudium, & triſtitia dicuntur paſſiones; alio modo pro re acta, ſeu forma producta in paſſo, quo ſenſu calor productus in aqua dicitur paſſio ex 3. Phyſ. 18. & tandem ſumitur pro reſpectu actioni oppoſito, & ità in præſenti accipitur.

Concluſio Prima.

Dicimus Primò, Actionem formaliter non dicere aliquam abſolutam entitatem, neq. agentis, neq. effectus; neq. abſolutum, & reſpectum ſimul, etiam traſcendentaliter ſumptũ; neq. relationem effectus ad agens, ſiuè aliquem modum ad ipſum agens, vt ad principium; neq. relationem aliquã mediam inter cauſam, & effectum; ſed ſi cõiter accipiatur, dicere relationem producentis, vel educentis ad effectum, vbi nata eſt talis relatio inſurgere; ſi autem propriè, vt Quintum conſtituit Prædicam. ſic dicit relationem agentis ad paſſum inducentis in ipſo formam, ſiue tranſmutantis ad tranſmutatum, ſiue actio hæc tranſmutatiua ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, ſiue inſtantanea, ſiue ſucceſſiua, ſiue immanens, ſiue tranſiens, colligitur ex Scot. loc. cit. & præſertim in 4. d. 13. q. 1. & traditur in terminis à Maſt. & Bell. in Phyſ. diſp. 7. q. 3. art. 1. & omnia probãtur.

Primò, quòd nullam dicat entitatem abſolutam agentis: Actio eſt, qua agens denominatur agere, agens verò eſt quod agit, ergo agens non eſt actio, aliter eſſet quod, & quo. hinc Ariſt. 3. Phyſ. 18. docet, quod actio eſt exercitium potentiæ actiuæ, & agens eſt, quod per actionem exercetur, ergo actio non dicit entitatem agentis. Tum quia tranſacta actione, agens durat, ergo &c. Tum quia entitas agentis eſt in prædicamento ſubſtantiæ, vel qualitatis, actio verò conſtituit prædicamentum diſtinctum. Neq. entitatem dicit effectus, quia hic manet poſt actionem, iam corrũptam,

tam, & transactam. Neq. effectus est quintum prædicam. sed est in alijs. Tum quia ad effectum est actio, ad actionem non est actio, quia sic daretur processus in infinitum. Neq. includit simul absolutum, & respectiuũ, quamuis trascendentalem, quia includeret formaliter esse ad se, & esse ad aliud, & consequenter esset ad se, & non ad se, quod implicat.

Neq. vt dicit relationem effectus ad agens, vt ad principium, nã actio est ratiò, qua agens respicit aliud, siue passum, siue terminum, quia agẽs, vt agens respicit aliud non se ipsum, ergo actio non potest dicere formaliter relationem effectus terminatam ad ipsum agens. Tum quia ex 3. Phys. 20. agens est id, à quo aliud, passum verò quòd ab alio, sed relatio effectus formaliter non dicit hoc, quòd est à quo aliud, sed quod ab alio, ex Doct. in 4. d. 13. q. 1. ergo &c.

Neq. dicit relationem aliquam mediam inter causam, & effectum, vt Sghem. autumat, quia ex Scot. in 1. d. 30. G. & d. 35. L. & d. 43. C. ad absolutum in causa, ità immediatè sequitur absolutum in effectu, vt nihil inter ista mediet, sed in primo instanti naturæ est causa sub rõne absoluti, in secundo est effectus etiam sub rõne absoluti, & deinde sequuntur relationes, ergo actio non mediat, cùm sit de genere respectus, præsertim in sententia nostra.

Diximus, siue hæc actio sit successiua, siue instantanea, quia actio, & motus comitantur, ergo sicut datur motus instantaneus, ità etiam actio instantanea, & sicut datur motus successiuus, ità & actio. Tum quia actio instantanea non potest in alio prædicamento collocari, nisi in prædicam. actionis, Vnde Scot. in 4. d. 43. q. 5. G. & H. docet animationem fieri in instãti, & tñ ait ibi interuenire actionem de gen. actionis. neq. hoc est contra Scot. qui innuit actionem esse in continuo fieri, quia per hoc solũ significare voluit esse in continua dependentia ab agente quandiu durat, non tñ necessariò esse successiuam.

Ex quibus infertur, quòd actio dicat respectum aliquem de sua rõne formali consequentem entitates absolutas causæ, effectus, & subiecti, vt ex Doct. colligitur in 1. d. 3. q. 6. in fine, & lib. de anima q. 7. vbi etiã adducit auct. Boetij de Trinit. asserẽtis, septẽ prædicamenta esse relatiua, & tria absoluta; quandoq. tñ dicit respectum intrinsecus aduenientem scil. productionem actiuam, sed vt sic non constituit quintum prædicamentum, in quo reponuntur respectus extrinsecus aduenientes, ideòq. remanet, vt dicat respectum agentis ad passum, & quintum constituit prædicamentũ: ꝙ etiam Scot. docet in 4. cit. lit. G. ex Arist. 5. Meth. 16. vbi vult, quòd potentia est principium transmutãdi aliud in quantum aliud, ergo actio est transmutatio alterius in quantum alterum, quia est actus potentiæ actiuæ, respectus autem productionis, aut eductionis nõ sunt propriè transmutatio, quia non respiciunt aliud in quantum aliud, sed potius faciunt aliud. Probatur tandem manifestè ex definitione actionis tradita à Gilb. Porrec. qui ait: *Actio est secundum quam in aliud, quod subijcitur agere dicimur*: ergo actio propriè respicit passum, & Arist. de actione exemplificando ait: *vt cale-*

calefacere, & frigefacere, calefieri, & frigefieri, delectari, & tristari. ignis autem dicitur calefacere aquã, quod est passum, non calorem, quia aqua calefit, non calor; voluntas dicitur tristari, & delectari, & subiectum dicitur passum, non effectus; & passio in subiecto est, non in effectu, ergo agens, vt respicit passum, non dicit habitudinem productiui, sed potius transmutantis.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Passionem non dicere absolutum aliquod, neq; respectum productionis passiuę termini, vel receptionis formæ in subiecto, sed habitudinem subiecti transmutati ad agens transmutans. est Scoti sæpè cit. & probatur: non potest formaliter dicere absolutum ex dictis de Actione; neq. productionem passiuam, q̃a hæc est intrinsecus adueniens, passio verò extrinsecus adueniens: terminus dicitur productus, non passus; neq. dicit relationem subiecti ad formam receptam, quia hæc propriè ad prædicamentum habitus reducitur, & transacta passione permanet, ergo remanet, vt dicat relationem transmutati ad transmutans; & rationabiliter quidem, quia actio, & passio sunt respectus oppositi.

Obiectiones Contra Primam.

Ob. contra primam particulam, ad quas omnes Resp. Doct. faciliter. Primò, quòd actio dicat quid absolutũ, nam Aris. 9. Meth. distinguit actionẽ in immanentem, & transeuntem, & illam dicit esse operationem, quæ est qualitas, & accidens absolutũ. Resp. Scot. Actionem sic diuisam esse nomen equiuocum, & actiones appellãtur operationes tm̃ grammaticaliter, non Physicè, & propriè.

Ob. Perfectio operantis est quid absolutum, sed actio est finis, & perfectio agentis, ergo. ℞. Quòd actio pro re acta est finis, & perfectio operantis, non ipsa actio formaliter, nã agens pro fine respicit formam producendam, non suam actionem.

Ob. Si actio est solũ relatio, ergo agere est tantùm referri, sed hoc est falsum, ergo. Probatur mi. quia agere in Deo est velle formam in subiecto, & sic velle Dei esset solùm referri, quod etiam de agente creato asserendum erit ℞. Ex Scot. aliquid agere potest denominari, vel rõne principij formalis proximi, vel ratione formalis remoti, seu fundamentalis, agens formaliter dicitur agere relatione actionis, fundamentaliter tñ sua potentia actiua, & itã verum est, quòd agere sit referri in sensu formali, & agere in Deo sit formaliter relatio, non realis, sed rõnis, at fundamentaliter est velle Diuinũ; sic etiam in creatura, agere formaliter est relatio realis, fundamentaliter tñ est agere sua potentia actiua.

Ob. Arist. in cap. de *Agere*, enumerat *delectari, & tristari*; sed hæc dicunt entia absoluta, ergo. ℞. inter actiones illas, operationes vitales enumerasse, vel ob similitudinem, quã habent cum vera actione, vel quia in actibus vitalib⁹ semper reperitur actio propriè dicta, cùm potentia immutetur ab obiecto, & etiã ab actu producto. itã Bell. & Mastr.

Arguitur, quòd dicat respectum effectus ad agens, vt ad principium ex Arist. 3. Phys. 22. vbi distinguens actionem à passione ait, quòd actio, & passio sunt idem actus, sed dicitur passio prout est in passo, dicitur actio

prout

pne est in agente, ergo formaliter dicit respectũ ad agẽs, vt ad principiũ. Resp. Scot. ibi Philos. loqui pro re-acta, idest pro forma producta, quæ duplicem habet habitudinem, vnam ad agens, à quo prouenit, alteram ad passum, in quo recipitur, & sic nullum est inconueniens, quòd dicatur idem actus, licèt oppositas fundet habitudines, quia etiam idem potest esse Pater, & Filius respectu diuersarum relationum ad genitorem, & ad filium productum; vocauit autem formam actionem ex Doct. q. 7. de an. quia quando causa est immanifestior suo effectu, ipsam circumloquimur per nomen effectus, sicut è contra, sed quia in casu, actio quæ est relatio, est nobis magis occulta, quã forma, ideò ipsam explicamus per effectum, & quòd talis fuerit sensus Arist. inde patet, quia tex. 19. 3. Phys. volens probare, quod actio sit actus actiui, ait: *opus autem, & finis illius.* hoc autem cõuenit formæ productæ, quia hæc est finis agentis, non actio, vt diximus.

Ob. Sghem. quod actio sit quid præuium effectui ex Doct. tum in 4. d. 14. q. 1. B. vbi docet, ad relationem extrinsecus aduenientem esse motũ, talis .n. relatio semper sequitur aliquam actionem, ergo actio est causalitas præuia; Tum ex quol. 12. C. vbi vult, quod actio, & passio requiruntur, vt dispositiones præuiæ, ad hoc vt super potentiam actiuam, & passiuam fundentur relationes causæ, & effectus, ergo actio non est consequens absolutum effectus, sed præuia. R. Cum Mast. & Bell. ad 1. illã Scoti propositionem non esse vniuersalem, aliter ad actionem daretur actio, cum sit relatio extrinsecus aduenien, vt etiam ipsemet Sghem. fatetur; quare illa propositio est solùm vera de illis relationibus, quæ propria acquisitione acquiruntur. ad 2. intentionem Doct. esse quòd non potest agens naturale producere compositum, vel formam substantialem in materia, quin præcesserit actio alteratiua, & transmutatiua subiecti, in quo sensu nulla est discrepantia.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Subiectis Actionis, & Passionis.

SCot. de his determinat in 4. d. 13. q. 1. lit. D. & d. 43. q. 5. H. Aliqui Neuth. loquuntur cum distinctione, quòd actio dupliciter accipi potest, vel vt cõis est ad eductionem, & creationem, vel de eductiua tm̃; Primo modo de sua rõne formali nullũ exigit subiectum inhæsionis, sed solùm denominationis, quod erit agẽs, & adhæsionis, qui erit terminus, cui adhæret, non inhæret, etiam si creatio sit accid. & ratio est quia creatio est omnino independens à subiecto; Si verò est eductiua, quia terminus ipsius postulat subiectum, erit in subiecto sui termini, quod erit passum, si est actio transiens, vel agens si est immanens. ità Suar. disp. 48. sec. 4. Vasq. p. p. disp. 173. c. 2. Hurt. in Phys. disp. 12. sec. 4. & Alij. Addit adhuc Suar. quòd talis actio eductiua potest dupliciter considerari scil. vel sm̃ suam formalitatem, vel sm̃ id, cui realiter est vnita, in quo sensu est passio; vult .n. ipse, quod actio, & passio sit idẽ modus. Primo modo (ait) non exigit, subiectum, nisi denominationis, quia dicit rationem essendi

ab a-

ab alio, non in alio, & concipitur per modum egressus ab agente, at secundo modo rõne passionis est in subiecto, quam doctrinam accepit ab Aureolo in 1. d. 27. q. 1. art. 2. & à pluribus Nominalib. Alij verò cõiter asserunt, actionem de sua rõne formali habere subiectum, sed discrepant in assignatione, nam Quidam volunt esse terminum productum, vt Aresf. 1. de gen. disp. 5. q. 36. sec. 4. ad 4. Alij motum. Alij passum &c. Nos verò

Conclusio.

Dicimus cum Scot. loc. cit. Actionem rõne formali exigere subiectum inhæsionis, hoc autem non est terminus productus, vel motus, aut passum, sed agens ipsum, quæcumq. sit talis actio, passum verò erit passionis subiectum. sequuntur præter Scotist. Thomist. magni nominis, Caiet. p. 1. q. 25. art. 1. Zumel, Ripa, Nazar. Flādra, Ferrar. & Alij, licèt isti discrepent à Scoto, quoad formalitatem actionis.

Probatur 1. quòd actio de sua rõne formali exigat subiectum inhæsionis, quia quælibet actio non solùm eductiua, sed etiam creatiua est verè, & propriè accid. & non tm̃ analogicè, vt Ipsi putant, accid. n. diuiditur in illa nouem genera, ergo formaliter subiectum inhæsionis postulat; patet conseq. quia quodlibet accid. vel actualiter, vel saltem aptitudinaliter debet subiecto inhærere, per quod à substantia distinguitur, quia accidentis esse est inesse per Arist. & tantò magis hoc ostenditur de actione eductiua; sed ad hominē cōtra ipsos, nam ideo actio creatiua per Ipsos nō requirit subiectum, quia constituit rem independentem à subiecto, ergo quia actio eductiua constituit rem à subiecto dependentem, de sua ratione formali exigit subiectum.

Resp. Hurt. quòd essentia accidētis dupliciter intelligi potest, primò vt idem est ac adhærere rei constitutæ, & esse extra conceptum illius, & hoc modo conuenit accid. in cōi, & sic Creatio dicitur accid. Secundo modo pro dependere à subiecto, & hoc modo est falsum, quia etiā forma substantialis dependet à subiecto, vel si de dependētia inhæsiua loquamur, hoc erit verum de accidentib. absolutis, non de modis essendi.

Sed Contra, ergo existentia, subsistentia, & singularitas in substantijs, erunt accidentia, cum sint extra cōceptum essentiæ rei. Tum quia cōiter per hoc substantia ab accidente distinguitur, quòd substantia est ens per se prout inhærentiam etiam aptitudinalem excludit, accid. verò saltem aptitudinalem includit, vnde si iste modus nec etiam aptitudinaliter petit inhærere, ergo erit perfectior forma accidentali creata, quæ natura sua talem habet aptitudinem ad inhærendum. Quòd verò talis entitas sit modalis, potius nostram confirmat opinionem, nam si quod est perfectius, & magis ens, vt est forma absoluta, talē habet aptitudinē, multò magis ꝙ est imperfectius, & minus ens, vt esset huiusmodi modus, per regulam Topicam: Si de quo minus videtur inesse, & inest, ergo de quo magis. Tum quia hæc adhæsio, & intima afficientia intelligi non potest absq. vera informatione, vt alibi diximus.

Probatur 2. ꝙ tale subiectum non sit terminus, aut motus: Causæ, quæ ad cau-

ad causandum requirunt existentiã, non possunt esse sibi inuicem causæ quo ad existentiam, quia idem simul esset prius, & posterius, nam rõne qua causa, & existens, est prius;qua rõne causatur,& accipit existentiam, est posterius, sed actio per Aduersarios est causalitas agentis, & per ipsam tanquam per viam effectus accipit esse, vnde ponitur prior natura effectu, ergo subiectari non potest in ipso effectu, & termino, quia causa in causando prçsupponitur existens. Nec dicere valet actionẽ in illo priori non inhærere actu, sed aptitudine, & quando effectus est productus,tũc actu inhæret, & ideò non esse simul priorem, & posteriorem. Non valet, quia sic in qualibet actione esset miraculum scil. accid. sine subiecto in actu,aptitudo autem non tollit creationem, si .n. albedo crearetur, adhuc aptitudinem ad inhærendum haberet.

Quòd etiam non sit motus, inde patet, quia motus est respectus sm̃ quid realis, vt suo loco dicemus,ergo subiectare nequit ens reale simpliciter, vt est actio. Tum quia actio,& passio possunt esse sine motu,si .n. subiectum non præxisteret sub priuatione, vt patet in omni animatione, vbi corpus in eodem instanti, in quo completur, recipit animam, tunc nõ adesset motus, & tñ esset actio ex Doct. in 4.d.43.q.5.G.& H.

Tandè 3.quòd hoc subiectum non sit passum, itè probatur: Actio, ait Scotus secundum rationem formalem non denominat passum agere, quia passum vt passum non agit,ergo non subiectatur in ipso. Probatur consequentia,formam denominare subiectum est communicari subiecto, & subiectum informare, neq. potest à Deo impediri, cum sit effectus formalis formæ, non .n. albedo potest esse in pariete, & paries non dici albus. Resp. Aduersarij distinguendo, quòd forma aliquando denominat denominatione intrinseca, & tunc subiectum est subiectum denominationis, & inhæsionis simul, aliqñ verò denominat denominatione extrinseca, sicut est actio respectu agentis; dant exemplum de cognitione, quæ denominat Obiectum cognitum, non tñ in ipso subiectatur, sic actio estò agens denominet, non tñ subiectatur in ipso.

Sed Contra, forma, quæ extrinsecè denominat aliquod, etiam intrinsecè debet denominare subiectũ inhæsionis, sic quia cognitio extrinsecè denominat obiectum cognitum, intrinsecè denominat potentiam cognoscentem. Modò peto, quod nam erit hoc subiectum inhæsionis, quod intrinsecè actio denominat? non passum, quia hoc est effectus formalis passionis, & ab ipsa realiter denominatur, sicut album est effectus formalis albedinis, à qua paries realiter denominatur albus, ergo tale subiectum erit agens; sicut .n. passum dicitur formaliter tale passione, & album formaliter tali albedine, itá & agens formaliter tali actione. Tum quia, vt bene vrget M.Iacob. Brun. forma inhæret intrinsecè in illo subiecto, cui prius præbet suam denominationem, vt visio, quia prius denominat potentiam videntem, quàm obiectum visum, denominatio prima est intrinseca, sed actio transiens prius denominat agens in actu secundo, quàm

quàm præbeat alteram denominationem passo, vnde hæc causalis est vera, quia agens agit, ideò passum recipit, & effectus procedit, ergo actio prius denominat agens, & consequẽter hæc denominatio erit intrinseca, non extrinseca.

Si dicant, actionem nullam denominationem intrinsecam tribuere, quia præscindit à subiecto, vt actio formaliter est, quia subiectum non est capax. Contra est, quia cum sit accid. non potest à subiecto præscindere; Nec forma potest suum effectum formalem præbere subiecto, nisi sit vnita subiecto, vel per identificationem, vt actio Dei vnitur Deo, vel per inhærentiam, & informationem, vt albedo parieti, sed in creatis actio cõstituit agens in actu secũdo agens, ergo debet esse vnita agenti, nec per identificationem, quia accid. non potest identificari cum substantia, ergo per informationem, & inhærentiam.

Ex his sequitur quòd subiectum actionis erit agens, subiectum verò passionis passum. patet ex sufficienti diuisione, & probatur à Scot. ex 5. Meth. 20. vbi Arist. vult calefactiuũ, & calefactibile, calefaciens, & id, quod calefit, esse quædam relatiua, ergo calefactio actiua, & calefactio passiua, quæ sunt actio, & passio didunt illas relationes, & patet per locum à coniugatis, nam si similia sũt quædam relatiua, quæ inuicem referuntur, similitudo in abstractu erit illa mutua relatio inter ipsa. Hoc supposito, ità Doctor arguit: In eodem subiecto est relatio, & fundamentum proximum, seu ratio fundandi, V. g. in eodem pariete est similitudo, & albedo, sed fundamentum actionis, quæ est potentia actiua, est in agente, sicut fundamentum passionis, quæ est potentia passiua est in passo, ergo actio in agente, passio verò in passo subiectantur.

Carpened. sicut totis viribus Neuth. sententiæ se subscribit, sic nostræ declaratur infestus, & sicut cum illis negat respectus extrinsecus aduenientes, ità negat actionem esse huiusmodi respectum, & subiectari in agente. Sunt alij modi dicendi Recentiorum præsertim Thomist. quos refert M. Iacob. Brun. q. 13. art. 2. qui propriis locis videri poterunt ab his, qui longiorem orationem desiderant.

Obiectiones.

Ob. Ostendendo 1. quòd nullo modo actio exigat subiectum, nam actio significatur vt ab alio, ergo ex sua rõne formali nõ est in alio, quia *esse ab*, distinguitur ab *esse in*, primum conuenit actioni, secundum passioni ex 3. Phys. 18. & 22. ℞. Quòd actio formaliter dicit habitudinẽ à quo aliud transmutatur per receptionem formæ, & ità negatur conseq. Ad probationem, *esse in*, dupliciter sumi potest, vel prout dicit inhærentiam relationis in fundamento, quod est essentiale omni relationi creatæ, & per consequens etiam actioni, cum sit relatio, & accid. 2. pro receptione passiua formæ in subiecto, seu in passo ab ipso agente, & hoc conuenit passioni, non actioni, & etiam *esse ad*, & *esse in*, differunt, & tñ non per hoc, quod relatio est ad terminum, sequitur q non sit etiam in fundamento, tanquã in subiecto, cùm sit accid. ità in proposito &c.

Ob. Creatio est actio independēs à subiecto, ergo actio in cōi præscindit ab omni subiecto. probat Hurt. anteced. terminus creationis est independens ab ōni subiecto vt Quod; ergo ipsa est independens vt Quo. Resp. Mastr. & Bell. argum. supponere vnum falsum scil. creationem dicere quēdam modum ex natura rei distinctum, per quem res accipiat esse, quod tñ est falsum, nam creatio fundamentaliter dicit omnipotentiã Dei, formaliter verò, vel relationē rōnis, vel realem terminationem creationis passiuæ, quæ est dependētia creaturæ ad Deum, & relatio idētificata realiter creaturæ; falsum est etiam creationem, & actionem prædicamentalem vniuocè in realitate conuenire, cùm creatio formaliter sit relatio rōnis, actio verò relatio realis prædicamentalis.

Ob. Quòd sit in motu ex 3. Phys. 22. vbi Arist. ait: *omnino verò dicere est, quod neq. doctio cum disciplina, neq. actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc motus.* Resp. Scot. quòd ibi Arist. sumit motum non formaliter, sed materialiter pro forma fluente, non quòd actio, & passio sint in forma fluente, vt in subiecto, sed actio est in forma terminatiuè, quia terminatur ad passum, vt habens formam, & passio est in forma quasi subiectiuè scil. concomitanter, quia concomitantur in eodem subiecto.

Ob. Quòd sit in passo, vt in subiecto ex 3. Phys. 18. vbi Arist. ait, motum esse idem cum actione, motus autem est in mobili, hinc tex. 20. inquit non esse inconueniens, vt idem actus sit cōis duobus scil. agentis, & patientis, nam agentis est tanquam à quo, patientis vt in quo, vt est doctio, doctio autem est actio, & est in passo in sensu Philos. & tex. 22. declarare volens quomodo idem motus sit actio, & passio, ait motum esse actionem prout est huius in hoc, per quod ostendit, actionem esse subiectiuè in patiente. ℞. Vt supra, in 3. præsertim Phys. in allatis textib. loqui Aris. non de actione formaliter, sed pro re acta; vnde tex. 21. assimilauit actionem, & passionem spatio viæ ab Athenis ad Thebas, & è contra, sed subiungit: *At verò neq. si doctio, & disciplina sunt idem; & discere, & docere idem erunt, sicuti neq. si spatium vnum distantium sit, & distare hinc illuc, & illinc huc, vnum, & idem est.* Ecce quòd dum ait, actionem, & passionem esse idē, necessariò loquitur materialiter, quia si formaliter, sibi contradiceret, cùm ait quòd discere, & docere non sunt idem, quomodo .n. eadem res potest esse eadem, & non eadem. qñ igitur inquit, quod actio, & passio sunt idē, loquitur de ipsa doctrina, quę est vna, & eadem, & prout est à magistro dicitur doctrina, prout in discipulo recipitur dicitur disciplina, & hoc est verum; at docere, & discere non sunt idem in sensu formali, quia docere est actio Magistri, & subiectatur in magistro, & discere est receptio, seu passio, quæ subijcitur in discipulo, & per idem resp. ad plures Arist. auth. quæ contradictoriæ apparent.

Ob. Nullum mouens, ex eo quòd agit, mouetur ex 2. de an. 139. sed si agens, vt sic de nouo reciperet in se actionem, mutaretur, ergo &c. prob. maio-

maiorem, quia aliter agens esset patiens. Resp. Negando maiorem absolutè, & cùm etiam ipsi Aduersarij concedant, illam relationem de nouo aduenire agenti, quomodo negare possunt, quod agens aliter se habeat nunc intrinsecè, quã prius se habebat? cùm infertur, quòd agens, esset patiens, quia recipit aliquid de nouo, negatur sequela, q̃a non omnis receptio est in prædicaměto passionis, sed solũ illa, q̃ respicit agens distinctũ, neq. potentia receptiua conuertitur cum passiua semper, nam receptio potius spectat ad prædicamentum habitus, & quomodo idem possit dici agens, & patiens, & agere in seipsum, videbimus infra. auth. Arist. intelligenda est quo ad formam substantialem, & quo ad actũ primum, nõ quo ad actum secundum.

Ob. De rõne actionis trãseũtis est, q prodeat ab agẽte, & trãseat ab ipso in passum, ergo non subiectatur in agente. ℞. Actionem non emanare vt quid medium, transeundo ab agente in passum, hoc .n. procedit ex falsa nostra imaginatione, sed solùm resultat in agente tanquam principiũ formale denominandi, & ad rõnem actionis transeuntis, sufficit vt terminus producatur in subiectum distinctum.

Ob. Idem agens esset prius, & posterius, prius quia producit actionẽ, posterius quia sm̃ Scot. agens est formaliter agens per actionem sibi inhærentem, vnde actio est principium, quo agens, dicitur formaliter agens, principium verò semper est prius principiato. ℞. Nullum esse inconueniens subiectum esse absolutè prius forma denominante in gen. materialis causæ, & posterius eadem in gen. causæ formalis, quatenus scil. denominatum ab ea, hæc .n. est mutua causalitas quo ad diuersas rationes, quæ non repugnat; sic paries est absolutè priùs albedine, sed quatenus albus posterior ea.

Ob. Hurt. disp. 16. Meth. sec. 4. cũ Arriag. & Plurib. Neuth. Passio est in subiecto passo, actio est idem formaliter cum passione, ergo actio quoq. est in passo. Mi. prob. idem formaliter est agens agere, & efficere aliquid, & aliquid fieri ab agente, quia apud grammaticos istæ propositiones conuertuntur, ego visione video Petrum, & Petrus visione videtur à me, ego actione produco Petrum, & Petrus actione producitur à me; nam actiua, & passiua verba non differunt sm̃ rem significatam, sed solùm sm̃ terminationem vocis, vnde eadem visio est, quæ denominat potentiam visiuam, & obiectum visum, ergo eadem actio denominat agens, & passum. ℞. Neg. antec. quia sunt respectus oppositi, & in subiectis realiter distinctis. Ad prob. concedimus apud Grammaticos illas propositiones nõ differre, nisi in modo significandi, at non ità apud Phylos. quia vbi adest vera ratio Physica, ibi distinguunt vnam propositionem ab altera quo ad rem significatam, & per primam propositionem importatur relatio actionis spectans ad quintum prædicamẽtum, per secundam importatur relatio passionis attinens ad sextum prædicam. In actib. verò vitalib. nõ adest vera actio, sed similitudinaria, vt diximus, vnde Grammatici, qui non tam exactè distinguunt rerum formalitates eodem modo loquuntur de

opera-

operationibus, ac de actionibus, & visionem actionem appellant.

Instant: Non potest intelligi, ignē calefacere lignum, quin intelligatur lignum calefieri ab igne, sicut nequit intelligi oculum videre album, quin intelligatur album videri ab oculo, ergo eadem actio formaliter est, quæ denominat lignum passum, & ignem agentem: ℞. Neg. conseq. hoc est. n. proprium relatiuorum, vt vnum in conceptu alterius ingrediatur, non vt quod essentiale, sed vt quid extrinsecum, licèt necessario requisitum; sic intelligi non potest paries alteri similis, quin etiam concipiatur alter similis huic. Neq. intelligi potest in Diuinis Patrem generare Filium, quin intelligatur Filium generari à Patre, & tñ realiter personaliter distinguuntur, & distinctis relationibus cõstituũtur. Nec Resp. Hurt. valet, hoc peculiare esse in Diuinis, non in creatis, nam quod conuenit Diuinis Personis propter rõnes aliquas cões ipsis, & creaturis, cõuenit etiam ipsis creaturis, at hæc mutua illatio conuenit Diuinis Personis, quia relatiua sunt, vt relatio præscindit à creata, & increata, nam etiam in creatis inter Patrem producentē, & Filium productum resultat mutua relatio, ergo idem iudicium ferendum est hic, & ibi de relationibus.

Ob. Complut. Actio, passio, & motus in vna entitate identificantur, sed motus est in passo, ergo & actio. ℞. Neg. assumptum, sunt. n. omnes respectus realiter distincti. quod & fatetur M. Brun. loc. cit. q. 13. art. 4. ad quamdam Authorit. D. Tho. vbi ait. *Dico ergo intentionem D. Tho. esse concludere actionem, & passionem, non esse idem numero accid. sed duo accid. realiter distincta, vt vult Scot. siuè realiter formaliter, vel melius realiter modaliter, vt volunt Aliqui Thomistæ, quibus nos assentimus.* Sed quia hic Doct. q. cit. art. 3. in fine, in explicatione modorum, ait, quod hi possunt detinere, vel amittere esse, ipsa re permanente, cuius sunt modi, licèt non possint separatim existere sine re. Hic Doctor quantum ad substantiam doctrinæ est nobiscum, & solùm lis est de modo explicandi, q̃a etiam nos admittimus posse has relationes modos vocari, & etiam modaliter realiter distingui à rebus, quorum sunt modi, & signum distinctionis realis est, quia res potest esse sine modo, quòd deinde modus esse non possit sine re, solùm infertur, q̃ non sit mutua separabilitas, vt pluries dictum est.

Quod autem hæc sit expressa Diui Th. opinio deducitur euidenter ex plurib. locis. nam 2. c. gent. cap. 9. ait: *actio, quæ non est substantia agentis inest ei, sicut accid. in subiecto, vnde & actio inter nouem prædicamenta accidentis computatur,* & in 2. d. 1. q. 1. ad 11. ait: *agens agit actione media, & nouitas agentis facit aliquam mutationem in agente,* & etiã in 2. d. 40 q. 1. art. 4. inquit: *Dicendũ, quòd cùm actio sit in agente, & passio in passo patiente, non potest esse idem numero accid. quod est actio, & quod est passio, cum vnum accidēs non possit esse in diuersis subiectis.* Considerent quæso Thomistæ Nobiliores, si inter Angelicum, & Subtilem Doct. sit in hoc controuersia, an potius Scot. à S. Doct. suam mutuauerit sententiam.

DV-

DVBIVM.
De causalitate Agentis.

Ex his decisum remanet illud dubium, quid propriè sit causalitas agentis, vt producentis, & transmutantis. Aliqui dicunt causalitatem agentis consistere non in actione, sed in agere, efficere, & producere effectum. Fonseca ait consistere præsertim in influxu ab actione distincto, quo potentia actiua reducitur ad actum. Cõis opinio Recent. est, causalitatem in actione consistere. & ex Scotist. sequuntur Sghem. & Fuentes. Complut. asserunt, has opiniones non differre in re, melius tñ loquuntur Thomistæ, nam agens in actu est agens per exercitium actionis, quod rectius per hoc nomen concretum agere, seu efficere explicatur.

Nos, vt consequenter loquamur, distinguimus; nam vel sermo est de causa efficiente, vt producens est, & in ordine ad terminum productum, vel de ipsa, vt transmutans est, & in ordine ad subiectum transmutatum; si primo modo, sic quia causalitas causæ in cõi est relatio causæ ad effectum, vt diximus art. de causalitate, sequitur, quod causalitas causæ effectiuæ sit relatio eiusdem ad terminũ productum, quæ est intrinsecus adueniens, & spectat ad 4. Prædicam. & explicatur per habitudinem à quo aliud, seu vnde aliud productum est. Si verò consideretur causa efficiens in ordine ad subiectum, quia tunc ad ipsum solùm refertur relatione actionis de quinto Prædicam. quæ est extrinsecus adueniens, causalitas erit talis actio, quæ explicari potest per habitudinem à quo aliud transmutatum est. Rectius tamen hæc causalitas nomine actionis explicanda erit, quàm per agere; ratio est, quia causalitas, & causare differunt sicut abstractum, & concretum, ergo cum causalitas sit abstractum, potius debet nomine abstracto, qualis est actio explicari, quàm concreto, vt est agere, quia rectius loquimur dicendo albedo est qualitas, quàm albedo est quale.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Productio, & conseruatio eiusdem effectus sit eadem Actio.

SCot. de hoc Art. disertè agit in 2.d.2.q.1.E.& quol.12.art.2.A. & alibi. Duæ sunt opiniones; vna est Henrici quol.1.q.7. Aureol. in 2. d.1.q.vlt.art.2.q.6. & Greg. q. 6. & Aliquorum, asserentium conseruationem dicere diuersam actionem à productione. Alia est opinio Scoti, asserentis vnam tantùm esse actionẽ, licèt plures respectus rõnis interueniant. Procuius resolut. præmittimus ex Doct. quol. 12. art. 2. lit. E. quòd præter respectus reales simpliciter, qui in qualibet productione interueniunt, dantur adhuc plures respectus rõnis, seu reales sm̃ quid, & præsertim in proposito vltra respectus reales productionis, & producti, datur respectus ad non esse ipsius termini producti immediatè præcedens; & post productionem datur respectus ad esse præhabitum. Primus respectus importatur à productione, secundus à conseruatione. Productio igitur dicit duo, scil. respectum realem causæ ad effectum, & respectum rõnis ad non esse immediatè præcedens. Conseruatio etiam duo

duo dicit scil. respectum realem causæ conseruantis ad effectum conseruatum, qui est de secunda specie relationum, fundatus super potentiam actiuam, & passiuam, & respectum rationis ad esse eiusdem, vt præhabitum. Supposito itaq. quòd productio sit vnica actio, adhuc querendum remanet, an pro principali significato dicat respectum realem, & connotet respectum rõnis, an potius principaliter significet respectum rõnis, & connotet respectum realem, & similiter quæritur de conseruatione.

Conclusio.

Dicimus, eamdem omnino actionem esse, qua agens producit, & conseruat effectum in esse, & de principali significato dicere respectum illũ realem, connotare verò respectus rõnis ad non esse immediatè præcedẽs, & ad esse præhabitum, & consequẽter tm̃ extrinsecè, & connotatiuè inter se differre. Est Scot. loc. cit. & sequuntur, & defendunt mordicus Bas sol. in 2. d. 1. q. 6. art. 3. Vulp. 2. p. disp. 4. art. 4. Mastr. & Bell. in Phys. disp. 7. q. 3. art. 3. & ãplectũtur Recentiores cõiter, Suar. disp. 21. Meth. sec. 2. Auersa q. 26. sec. 1. & Alij. Probatur quo ad primam partẽ: Extremis ijsdẽ manentibus, eadem omninò manet relatio, sed in casu manet eadem omnino entitas causæ cum eadem potentia actiua, & eadem entitas effectus in potentia passiua, ergo & eadem habitudo inter illa. Supponimus tñ effectum non variari, aliter esset de numero successiuorum, & consequẽter semper noua actio esset ad nouam partem effectus.

Probatur quo ad 2. partem: Principale significatum alicuius nominis est illud, quod datur intelligi ex institutione nomen illud imponentis, connotatum verò est quod datur intelligi ex modo consignificandi principalis signiacati, vt diximus in Logica V. g. hæc nomina, *prandium*, *Cæna*, principaliter significant comestionem, quia ad hoc significandũ à primo institutore imposita sunt, sed qnia non eodem modo illa significãt, prandium. n. significat illam tali tempore scil. matutino, & cæna vespertino, ideò tempus matutinum, & vespertinum dicuntur connotata; sed productio, & conseruatio impositę sunt ad significandum respectum dependentiæ effectuum, non ad significandos illos respectus rationis, quia cùm denominant causam producentem, & conseruantem, primariò illam referre faciunt ad effectum, nõ ad non esse, vel ad esse præhabitum, ergo ille respectus erit principale significatum, isti verò respectus erũt connotati.

Obiectiones.

Ob. Contra 1. partem: Actio, quæ dat esse rei est subita, non permanẽs, at actio, q̃ cõseruat, permanet, ergo nõ est eadẽ actio. ℞. Ex Doct. quol. cit. ꝓductionẽ dici subitã, & cõseruationem permanentem, non sm̃ respectum realem, quem dicunt, sed secundum respectum rõnis ad non esse immediatè præcedens, & ad idem vt præhabitum.

Ob. Ex Sacra genes. Deus quieuit ab õni opere, ꝙ patrarat, idest ait D. Aug. quieuit, loquendo de creatione, & tñ sẽper operatur loquendo de cõseruatione, ergo sunt actiones distinctæ. ℞. Eodem modo, quòd Deus quieuit à creatione prout dicit respectum

pectum ad non esse, non tñ sm̃ respectum realem dependentiæ, quæ creaturæ dicunt ad ipsum Deum.

Ob. Variatio temporis arguit variationem actionis ex 5. Phys. sed inter productionem, & conseruationẽ adest variatio temporis, ergo. ℞. Qñ variatio temporis esset cum interruptione, tunc inferretur variatio actionis, non autem si erit idem tempus continuatum, vt infra proprio loco patebit.

Arguitur contra 2. partem, Productio, & Conseruatio distinguuntur penes illos respectus connotatos, ergo per istos quoq. constituuntur, cũ eadem sint principia constitutiua, & distinctiua, ergo isti respectus sunt principale significatum, ille verò respectus producentis, & conseruantis, connotatum. ℞. Neg. conseq. & ad probat. illa regula valet in absolutis, non in connotatiuis, quæ solùm differunt per extrinseca.

ARTICVLVS SEXTVS.

An existentia sit conditio necessaria causæ efficientis ad causandum effectum.

SCot. dubium hoc resoluit in 2. d. 2. q. 10. B. & in 4 d. 1. q. 5. A. vbi præsertim ex hoc capite ostendit Sacramenta moraliter tantum causare gratiam, cum .n. sint successiua, & in continuo fieri, gratia verò causetur in vltimo instanti, in quo verba non sunt, non possunt Physicè gratiam influere. Tres sunt opiniones; Prima asserit posse naturaliter aliquod agẽs non existens, dummodo tñ immediatè ante, ad productionem effectus extiterit, Physicè, & realiter ad talem productionem concurrere etiam si in instanti, vel tempore productionis non existat, & hoc præsertim, vt causalitatem Physicam Sacram. ergà gratiam defendant, ità ex Thomist. Nugn. Zamel, Cabrera, & Alij; Secunda asserit, hoc saltem supernaturaliter non implicare, ità Caiet. 3. p. q. 62. art. 1. Victoria ibidem, Medina q. 49. art. 6. Soto in 4. d. 9. q. 2. art. 7. & Alij; Tertia sent. est Scot. defendentis necessariò requiri in agente existentiam ad productionẽ effectus, quem sequuntur Scotistæ cõiter, cum Recentioribus ferè omnibus Suar. 3. p. disp. 8. sec. 2. Amic. tract. 12. q. 3. dub. 1. & 2. Hurt. disput. 8. sec. 5. cum Alijs.

Conclusio.

Dicimus, Existentiam ità necessariam esse causæ efficienti, vt sine ea neq. naturaliter, neq. supernaturaliter effectũ Physicè producere possit, est Scot. loc. cit. & quoad primam partem ità à Doct. prob. in 2. cit. ex 2. Phys. 37. & ex 5. Math. 3. causa, & effectus, simul sunt, & non sunt, ergo non potest dari effectus, quin simul sit causa efficiens causans. Tum quia imperfectius non potest perfectius se producere, sed ens non existens est imperfectius ente existente, ergo non potest hoc ab illo produci, patet mi. quia ens in actu præter essentiam, habet quoq. existentiam, qua ens in potentia caret. Tum quia causa, & effectus sunt relatiua, ergo &c. Tum quia si aliquid potest à non existente produci, ergo & non existente conseruari, probatur consequentia, quia productio, & conseruatio sunt eadem actio ex art. præced. sed hoc est falsum, quia causa conseruans est, qua destructa, destrui-

ſtruitur effectus, & ità filius conſeruaretur à patre defuncto. Tum quia quod non eſt, non producit aliquid in eſſe, nam nemo dat, quod non habet, at cauſa non exiſtens non habet exiſtentiam actualem, ergo non poteſt illam effectui tribuere. Tum quia vt ait Suar. tàm eſt omnino nihil, q non eſt, ſed fuit, quàm quod non eſt, nec fuit; & hoc quod eſt fuiſſe, ſolùm dicit quamdam extrinſecam denominationem, quæ nihil actiuitatis ponit in rerum natura; imò poteſt dici magis non ens res, quæ fuit, & non eſt, quam quæ nunquam extitit, quia hæc poteſt eſſe, at illa minimè regulariter, quia corruptum virib. naturæ reproduci non poteſt, ergo. Tum tandem, ſequeretur hominem in primo ſui non eſſe, poſſe mereri, vel demereri, quia poſſet in illo inſtanti, in quo primo homo non eſt, elicere actum contritionis ſi fuit in peccato, vel actum peccaminoſum ſi erat in gratia, cuius actus cauſa erit homo mortuus, poſſet etiam tunc aliquem occidere, & ſimilia cauſare, quæ monſtra cenſentur. P. Riccard. Lync. lib. 4. Phyſ. tract. 3. c. 2. fol. mihi 168. affert Auct. quamdam Gregor. diſp. de anima, vbi ait: *niſi fortè ità quis inſaniat, vt id quod non eſt, eius quod eſt cauſam eſſe aſſirmet.*

Hinc Arriag. diſp. 7. Phyſ. ſec. 5. Thomiſt. reprehendit, quòd hic cómittant circulum, nam probant Sacramenta operari Phyſicè gratiam qñ non exiſtunt, quia cauſa poteſt operari etiam ſi non exiſtat; & in præſenti probant cauſas poſſe operari etiam ſi non exiſtant, quia Sacramenta non exiſtentia, producunt Phyſicè gratiam.

Magiſter Iacob. Bru. q. 3. Phyſ. art. 5. fol. 105. ait allatas rõnes vrgere de cauſa efficiente, quæ cauſat in quantum eſt in actu, & præexiſtens, ſed non de cauſa materiali, & formali, quæ cauſant immediatè per ſuas proprias entitates, & eſſentias. ergo quã tum ad præſens hic Doct. eſt nobiſcũ de cauſa efficiente, de qua diſputamus. Quantum ad cauſam materialẽ, & formalem patet ex dictis in illa Controu. de actu entitatiuo, & exiſtentia materiæ, & iterum redibit ſermo (ſi Dño placuerit) in Meth. vbi ex profecto agemus de diſtinctione inter eſſentiam, & exiſtentiam, vt tollatur omnino effugium Thomiſt. & pro modo ſufficit quòd ſi forma dat exiſtentiam materiæ, hoc eſſe non poterit, niſi per informationem, at informatio tàm actiua, quàm paſſiua, cùm ſit actus ſecundus, ſupponit extrema exiſtentia; vanum .n. & ridiculum eſſet aſſerere, quòd aliq non exiſtens in rerum natura, informet aliquod ſubiectum, & quod aliquod ſubiectum non exiſtens informetur aliqua forma, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, ergo quantumcũq. per ſuas ẽtitates immediatè cauſent, ſemper in cauſando earum exiſtentia præſupponi debent, cùm cauſare ſit actus ſecundus, non primus. Ad rõnem, quam affert, quòd aliquid nihil recipit rõne actus, quem habet, ſed rõne potentiæ ad actum, quem non habet, parum nos vrget, quia nos aſſerimus, materiam non recipere actum entitatiuum, quem habet, ſed actum formalem, & determinantem, quem non habet, & ad quem eſt in potentia ſubiectiua.

Nec inſtantia Caiet. de ente, & eſ-

ſentia

sentia Cap.4.quam affert cõtra Scot. est ad propositum, quia nos hic loquimur de causis Physicis, quæ habent effectum realiter distinctum; At essentia non est causa Physica respectu existentiæ, sed Meth. ideò non oportet, vt præsupponatur existens ante existentiam, cùm non sit vera causa realis per influxum Physicum erga existentiam, sed sufficit, vt simul sint essentia, & existentia cum emanatione huius ab illa cum reali identitate.

Nec Scotist. ex Doct. 9. quol. 5. C. modos intrinsecos, de quorum numero est existentia volunt propriè pertinere ad 2. modum dicendi per se, in quo passio dicitur de subiecto, sed ad primum, quia aliquo pacto pertinet ad quidditatem rei, quatenus perfectè, & adæquatè quidditas concipi nequit, non intellecto modo intrinseco, estò non attineat ad primum gradum perseitatis primi modi, cùm intimiora sint prædicata qdditatiua, quàm modi intrinseci, ex qua doctrina sequitur, quod existentia neq. dici potest effectus per emanationem rigorosè, vt sunt proprietates, sed spectans ad primum modum, estq. actus, quo res extra suas causas, & existens posita dicitur, ideò potius est causa rei existentis in genere causæ formalis, quàm eius effectus, & cõsequenter instantia Caiet. nullam habet vim contra Scot. & Scotist. quæ .n. est paritas inter existentiam in sensu explicatam, & existentiam mendicatam à forma totaliter distincta, & disparata?

Cæterum ad rem ipsam reuertentes, Probatur quòd neq. supernaturaliter per eleuationem à Deo hoc fieri possit. Patet ex implicantia, q .n. actu causat, habet non solùm potẽtiã logicam causandi, sed etiam Phys. sicut Physicè causat; at q non est, non habet potentiam Physicam ad causandum, cum nullam entitatem realem habeat actualem, ergo admittere causam non existentem causare, est concedere causam habere simul, & non habere potẽtiam Physicam causandi. Est tñ aduertendum, quòd cum existentia sit modus rerum intrinsecus, potius dici debet ad complementum causæ in ordine suo pertinere, quàm vt mera conditio causam applicans ad agendum; & de ea, sub titulo de conditione agimus, quia sub tali titulo à Recentiorib. tractatur.

Obiectiones.

Ob. 1. Quòd non sit necessaria simultanea existentia cum effectu, nam non de rõne causæ realis in cõi, quia causa finalis est causa realis, & tñ nõ existit, neq. rõne causæ efficientis, quia in conceptu ipsius non includitur existentia, sed rectè explicatur esse id, à quo aliud, & si concipiatur immediatè ante fuisse, sicut concipitur priuatio principium generationis, cui præexistit, iam non coexisteret. ℞. existentiam esse de rõne causæ realis Physicæ, & hac de causa finis non dicitur verè, & propriè causa realis, sed Methaphoricè. Tum quia etiam causa finalis habet suam entitatem proportionatam, quia sicut Methaphoricè mouet scil. in intentione, ità etiam in intentione existit. Falsum est quoq. posse concipi causam à quo aliud, non concepta existentia, non .n. intelligi potest aliquid causare, & ab ipso aliquod essentialiter in esse dependere, & tñ non

non existere. Nec paritas de priuatione vrget, quia hæc principiat non influendo in generationem, sed eius ratio principiandi est in rõne termini à quo per modum recedentis, at efficiens causat influendo, vt à quo aliud accipit esse, & ideò intelligi debet vt existens.

Ob. Præsentia intima localis non est necessaria ad agendum, sed sufficit contiguitas, ergo idem etiam de præsentia in duratione dicendũ erit quod scil. sufficit, vt agens immediatè antè præcesserit. ℞. Neg. parit. & ratio est, quia contiguitas localis præsupponit in actu rationes formales agendi, & actus primos existentes, & ideò sufficit, at contiguitas in duratione non præsupponit actu rões causandi, & actus primos, cùm tunc causa non existat, actus autem secundus non potest dari sine actu primo.

Ob. Forma substantialis sequitur alterationes præuias, vt effectus, quæ tñ non sunt simul cũ forma, sed corrumpuntur ad corruptionem præcedentis compositi. Item forma mixti hoc modo ab elementis causatur, nã in aduentu talis formæ destruuntur, & maximè in sent. Scoti qui vult nõ remanere formaliter in mixto, ergo &c. ℞. Ad 1. formam substantialem non causari ab illis præuijs dispositionib. sed immediatè à causa efficiente substantiali, cùm accid. non possit substantiã producere ex infra dicendis proprio art. Ad 2. Elementa potius se habent, vt causę materiales, quàm efficientes in ordine ad mixtionem, efficienter verò concurrunt ad illam mutuam actionem, non tñ possunt simul se destruere, nam victoria in actione prouenit ex inæqualitate maioris actiuitatis, idest propter excessum vnius contrarij in aliud, & cõsequenter non possunt corrumpi, nisi adueniat aliqua tertia causa distincta inducens in materiam illorum elementorum formam condistinctam, & hæc erit causa efficiens formæ mixti, quæ vt plurimum est Cœlum in sent. Scoti.

Ob. Semen producit viuens, & tũ non est simul cum eo. Item Intellectio præcedens est causa volitionis subsequentis, ergo &c. ℞. Si semen ponatur Ætherogeneum, vt Scot. innuit in 3. d. 2. q. 3. ità habet partes actiuas, quæ permanent vsq. ad introductionem formæ corporis, & deinde vel per nutritionem conuertuntur in substantiam aliti, vel expelluntur foras; Si verò sit Homogeneum, vt asserit in 2. sic non erit actiuum, nec causa efficiens corporis, sed solùm causa materialis, in quam efficiens agit. Intellectio non est casa volitionis, sed tũ conditio prærequisita ex Doct. in 2. d. 15.

Ob. Tandem, quòd hoc esse poterit supernaturaliter: Potest Deus omnem causalitatem efficientis supplere, ergo multo magis conditionẽ sine qua non. ℞. Concedendo, quòd possit Deus supplere talem conditionem, quatenus potest se solo producere quicquid cum causa efficiente existente causaret, at supposito, quòd velit simul cum causa effectiua producere eff. ctũ, non potest sine causa existente producere, quia sic ipse solus esset efficiens, non cum causa secunda, quæ in casu reuera non esset.

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An idem possit agere in seipsum.

SCot. de hoc dubio differit in Meth. q. 14. & in 1. d. 3. q. 7. ad 4. M. & quol. 15. vbi docet, idem posse in seipsum agere. Negant Aliqui, nisi fortè per partes, quatenus scil. vna pars aliam mouet, ità Gotfred. quol. 6. q. 7. cum Multis ex Thomist. Capreol. Sonc. Ferrer & Multi etiam Arist. Interpretes super 7. & 8. Phys. ex illis verbis Philos. *omne quod mouetur, ab alio mouetur*. Ne in æquinoco laboremus, præmittimus difficultatem hanc posse dupliciter agitari, vno modo in vniuersali, quærendo, an sit de rône causæ efficientis distingui realiter à subiecto; altero modo in particulari descendendo ad aliqua specialia entia, nempè, an grauia, & leuia à seipsis moueantur, an aqua propria virtute se reducat ad pristinam frigiditatem &c. & vtroq. modo quæst. resoluit Doct. in Meth. cit. quia tñ in præsenti de causa efficiente in cõi agimus, quærimus in particulari, an ista distinctio inter agens, & passum sit necessaria conditio ad causam agentem in cõi, an tñ aliquib. in speciali, Insuper, quia hoc potest dupliciter contingere, scil. vel actione vniuoca, vt si calidũ formaliter seipsum calefaceret; vel actione æquiuoca, vt cum calidum virtualiter se reddit calidum formaliter; non loquimur in primo sensu, hoc .n. esset quærere, an simile agere possit in simile, de quo in lib. de gen. sed controuersiam agitamus in 2. sensu, an scil. possit aliquid saltem actione æquiuoca in seipsum agere.

Conclusio.

Dicimus, non esse conditionem necessariam agentis ad agendum, distinctionem à passo, sed idem posse in seipsum agere actione saltem æquiuoca. Est Scot. loc. cit. quem sequuntur cõiter eius Discipuli, & ex Exteris Greg. in 2. d. 6. q. 1. art. 3. Iandun. 8. Phys. q. 2. Suar. disp. 18. sec. 7. nu. 52. Hurt. disp. 9. Phys. sec. 8. Auers. q. 14. sec. 5. Moris. & Alij. Probatur ex diuisione generali actionis immanentis, & transeuntis tradita 9. Meth. at si agens ageret in passum distinctum, nulla daretur actio immanens. Tum quia grauia, & leuia à seipsis mouentur; & substantia est immediatè productiua accid. sibi connaturalium, vt infra patebit. Tum quia supra ostendimus resultantiam stare cum vera causalitate, excepta tñ emanatione Methaphysica.

Obiectiones.

Ob. Ex 8. Phys. tex. 40. vbi Arist. probat, omne quod mouetur non à seipso moueri, aliter sequeretur, ꝙ totum moueret, & moueretur, quod est falsum, quia sic ferret, & ferretur sm̃ eamdem lationem, & alterabitur, & alterabit, & docebit, & docebitur simul. Resp. Scot. proposit. illam valere de agente vniuoco, non æquiuoco, & colligitur manifestè ex sequentibus verbis, vbi ait: *similiter & aliorum vnum quodq. quorumcumq. mouens necesse est habere vniuocum*, & licèt se exemplificauit de latione, non tñ intelligendus est de motori localiter æquiuoco, quia sibi contradiceret, cum se declarauerit loqui de agente vniuoco, sed intelligendus est de mouente localiter vniuoco, ꝗa idem non se mouet ad alium locum, quem

quem habet tamquam per rationem agendi.

Ob. Ex 2. Phys. 70. materia, & efficiens nunquam coincidunt, ergo idē non potest in seipsum agere, sic .n. haberet rōnem materiæ, & efficientis. Resp. Scot. Arist. loqui de materia prima, non de materia secunda respectu accid.

Ob. Relatio realis est inter extrema distincta realiter, sed ex 5. Meth. 20. inter mouens, & mobile est relatio realis, ergo inter mouens, & mobile debet esse distinctio realis, ergo idem non potest mouere seipsum. ℞. Quòd triplex est relatio, vna quæ dicit dependentiam essentialem, vt causati ad causans, & hæ repugnant in eadem natura, & supposito; altera, quæ dicit tantum originationem, vt sunt relationes Diuinæ, & istæ pugnant in eodem supposito, non in eadem natura; alia verò dicit solùm dependentiam accidentalem, vt relatio mouentis, & moti, & istæ non repugnant in eodem supposito, quia idem potest in se ipso aliquam formā accidentalem causare, & ità non oportet, quòd inter hæc extrema intercedat distinctio realis, & maior solùm verificatur in primo, & secundo sensu. vel. ℞. Cum Lych. in 2. d. 25. quòd relatio realis est inter extrema realiter distincta, vel simpliciter, vel inter idē vt nō habēs aliquā formam realem, & vt habens illam, in quo sensu reduplicatiuè idem realiter à seipso distinguitur, sic mouēs, vt non habens formaliter formam, distinguitur à seipso vt moto, idest vt habente formaliter illam formam, quam prius non habebat. quomodo etiam resp. potest ad illud 5. Meth. 17. potentia actiua est principium transmutandi aliud in quantum aliud &c.

Hinc docet Scot. quòd esse in actu virtuali, & in potentia formali non sunt dispositiones prorsus inter se repugnantes, & incompossibiles, licèt aliquo modo opponantur, sed bene repugnat esse simul in actu formali, & potentia formali, nam quod est v.g. calidum formaliter, non potest esse in potentia formali ad calorem; at quod est calidum formaliter, potest esse frigidum virtualiter, seu in potentia ad frigiditatem, vt patet de aqua existente formaliter sub calore, quæ adhuc est in potentia ad frigiditatem, quam sua propria virtute, remoto extrinseco impediente, sibi producit.

Ob. Multa sunt agentia æquiuoca, quæ in seipsis non agunt, vt patet de sole, vino, &c. ergo iste actus virtualis, & potētia formalis, vel in ōnibus agentib. æquiuocis reperiuntur, vel in nullis, quia ex suis rationibus formalibus, non magis in vno repugnant, quam in alio. Resp. Scot. in 1. & 2. cit. in argum. committi fallaciam, quia redditur non causa pro causa, non .n. per hoc quòd aliquid est in actu virtuali ad aliquam formā, ideo est in potentia formali ad eamdem formam, sed hoc oritur ex propria natura; Vnde sol est in actu virtuali respectu caloris, non autem in potentia formali ad calorem, cùm non sit capax talis formæ, at animal est in actu virtuali respectu motus, & etiam in potentia formali ad talem formam, qua suo modo perficitur: Sed de his iterum redibit sermo in proprijs locis.

ARTI-

ARTICVLVS OCTAVVS.

An agens possit immediatè agere in distans.

SCot. Controu. hanc resoluit in 2. d. 9. q. 2. B & in 1. d. 37. q. vn. & in 4. d. 44. q. 2. Ad 3. *Principale & c.* Q. & alibi. Thomistæ cum D. Tho. 1. p. q. 8. art. 1. & 7. Phys. lec. 1. negāt, & sequuntur quāplures Neuth. suar. disp. 18. Meth. sec. 4. Ruu. 1. de gen. cap. 6. q. 1. Aresf. 1. de gen. q. 41. Hurt. disp. 9. Phys. cap. 2. & Alij. Vasq. cū Alijs hoc solùm negant de agente creato, non de agente increato. Auersa q. 14. sec. 9. hoc concedit de agente increato, & de causis Calestib. quo ad aliquos effectus, sed negat vniuersaliter de causis spiritualibus creatis, & de sublunaribus. Arriag. disp. 7. Phys. sec. 6. nu. 71. concedit agens naturale posse agere in distās ꝑ potētiā Dei absolutā, & Alij negāt. Scot. verò cū suis affirmat. Pro resolutione supponimus ex Doct. in 2. cit. lit. C. & in 4. cit. quòd contactus est duplex, vnus Mathematicus, seu formalis, & est quo duo corpora ità se tangunt, vt ipsorum extrema sint simul, & contigua; alter Physicus, seu virtualis, & est quo aliquid in passo potest esse terminus virtutis causatiuæ distantis; hoc autem potest dupliciter intelligi, vel quòd ità agit, vt virtus diffundatur per totum medium, vt Aduersarij prætendunt; vel quòd virtus non diffundatur per medium, sed remaneat in agente. Ad hoc autem vt agens agat non requiri necessariò contactum Mathematicum, sed sufficere virtualem, patet experientia, videmus .n. quod ignis calefaciat lignum, quod tñ non tangit. Item agens potest multipliciter in distans agere; Primò, quòd agat in distans per medium, ità quod passum immediatè, & proximè dicat relationem ad medium, ad agens verò remotè, & mediatè, quatenus est causans effectum aliquem in medium, qui sit ratio causandi ipsi medio; Secundò quòd etiam immediatè in distans agat, sed cum medio tanquam concausa; Tertiò quòd agat immediatè tanquam causa totalis in distās, sed per medium tanquam quid necessariò prærequisitum necessitate ordinis, ità vt in vtrumq. immediatè agat, sed prius in passum propinquū, quàm in remotum; Quartò quòd immediatè agat in distans, non agendo in medio eodem gen. actionis, sed diuerso; Quintò, quòd ità agat, vt in medium nihil prorsus causet, siue istud medium sit plenum, siue vacuū. Maior difficultas est de vltimo modo, & de hoc vrget præsertim Controuersia.

Conclusio.

Dicimus, Dari agens quatenus agens, siue Increatum sit, siue Creatum, siue Celeste, siue sublunare, siue spirituale, siue materiale, quòd agat in distans, non agendo in mediū, siue actione eiusdem rōnis, siue diuersæ. Est Scot. locis citatis in 1. d. 37. quem sequuntur Scotistæ omnes Bassol. Barg. Lych. Faber, Vulp. Mastr. & Bell. disp. 7. q. 4. art. 3. & ex Exteris Nominal. Gabriel. in 1. d. 37. q. vn. art. 3. dub. 1. Ocham ibidem, & Alij, & citantur etiam Amic. & Alexand. Aphrod. Moris. disp. 3. Phys. & ex parte Vasq. Auersa verò, Ouied. contr. 18. Phys. pun. 1. & Arriag. loc. cit. intrepidè asserunt non esse vsq. modo à priori demonstratum à Philoso-

losophis, quòd agens in agendo debeat tangere passum.

Et quidem de agente Increato est communior apud Recentiores, vt videre est apud rasq. 1.p.q.8. disp. 28. & Auersl.q.14.sec.7.& probatur, qa si per impossibile Deus nō esset vbiq. sed solùm in Cælo, vt multi Philos. tenuerunt, & infinitam virtutem agendi haberet, potuisset agere in quacumq. parte huius Mundi, etiam si non ageret in medio, hoc .n. cederet in maiorem eius perfectionem, vt etiam ipse D. Tho. fatetur quod. 11. Tum quia Deus operatur per suum velle, & statim ac quòd vult efficaciter aliquid, statim hoc accipiet esse existentiæ, ergo producere potest aliquid à se ipso distans, probatur conseq. quia obiectum voluntatis nō petit esse necessariò præsens.

De agente creato Spirituali patet, quia Angelus superior potest intuitiuè alterum cognoscere, ad quam cognitionem inferior Angelus immediatè concurrere debet, non per speciem, per hoc .n. cognitio intuitiua ab abstractiua distinguitur. Neq. oportet, vt Angelus inferior sit intimè præsens intellectui superioris, aliter si in eodē loco non essent, nunquam Angeli intuitiuè se cognoscerent; & idem afferendum est de cognitione intuitiua materialium, tàm ab Angelo, quàm ab anima separata.

De agente creato materiali, negari non potest quin sit difficilis resolutio, nulla .n. renera afferri potest ratio à priori id conuincens, sed solùm à posteriori ab experientijs, quæ tñ ab Aduersarijs facilè occurritur, licèt etiā quæ ab Ipsis obijciuntur, non minori facilitate à nobis diluuntur; Vnde quo ad hanc partem satis problematica videtur conclusio, vt etiam Ponc. fatetur in Phys. lib.7.disp.19. nu.30. Relictis igitur alijs experientijs minoris momenti, vrgentior experientia est de corporibus Cœlestibus, quæ generant substantiam mineralium in visceribus terræ, ergo Sol tunc agit in distans, nec recursus ad virtutem aliquam diffusam per medium ualet, nam accidens, vt videbimus non potest productionem substantiæ attingere; nec eis suffragatur dicere saltem illam virtutem disponere, & alterare passum, nam etiam hoc dato, non tollitur quin illa actio attribuatur agenti distanti, quia hoc vt Scot. docet est de per accid. quatenus agens creatum cùm sit imperfectum, natum est prius agere sm potentiam imperfectiorem, quæ est alteratiua, postea sm perfectiorem, quæ est generatiua, & si à Deo applicaretur subiectum vltimò dispositum illi agenti, statim generando ageret, non alterando. Tum quia Sol virtute sua producit calorem in hæc inferiora, & etiam in sublimi parte aeris sub concauo Lunæ, ergo agit in distans, Cæli .n. intermedij non sunt capaces caloris &c. Patet etiam de acu Nauticæ, quæ attritu magnetis ità disponitur, vt à stella polari distanti, non obstante quorumcumq. corporum interpositione ad se moueatur, & detinetur in certu situ, nec dici potest, quod stella polaris agat per totum aerē vsq. ad acum, experimur .n. quod etiam si ponatur acus ille in capsula vitrea, vel in alio loco tam occulto, in quem aer exterior penetrare non posset, adhuc à stella moueretur.

Hæ

Hæ sunt experientiæ potiores, q̃ conclusionē nostrā satis probabilem reddunt; nec valet effugium ad motū Cæli, quia cum motus sit forma respectiua, non potest esse de numero actiuorum. neq. possunt à lumine causari, quia luna in nouilunio non lucet, & tñ fluxum, & refluxum causat in mari, & attractio acus fit etiam in tenebris, nec lumen viscera terræ penetrat, vt possit materiam metallorum alterare; nec lumen est caloris productiuum, aliter maius lumen maiorem causaret calorem, & ità magis calefieret aer à lumine Lunæ, quā à lumine stellæ canicularis, quod tñ est falsum. Tum quia multa astra in hæc inferiora frigus causant, quod per lumen efficere non possunt; & q̃n etiam lumen esset productiuum caloris, non posset tū talis calor terram penetrare, nam experimur sole etiā maximè æstuante subterranea loca etiam prope terræ superficiem esse frigidissima. Ex quibus omnibus colligitur non esse necessarium ad hoc vt agens agat in distans, agere in medium actione, à qua dependet actio in distans, nam sol in Cælos agit per lucem, quæ nihil facit ad generationem mineræ.

Apparet etiam contra Ruu. & Molinam saltē hoc esse possibile per Dei potentiam, potest .n. Deus concursum potentiæ illius, quæ agit in medium suspendere, cum sit in gen. causæ efficientis, & creatura sit in potentia obedientiali ad Deum. Tum quia ista connexio actionum in medium, & in distans est de per accid. ex Doct. propter coincidentiam plurium potentiarum disparatarum in eodem. Tum quia maior connexio est, vel saltem æqualis inter motum in extremum per medium, quam inter actionem in distans per medium, sed potest Deus facere, vt aliquid moueatur de extremo ad extremum non transeundo per medium, vt de Corpore Christi patet, cùm è Cęlo in Hostiam descendit, ergo &c.

Resp. Thomist. vt videre est apud M. Bru. q. 22. art. 2. quòd planetæ Cęlestes operantur in sublunaribus immediatè, nō immediatione suppositi, sed immediatione virtutis, diffundunt .n. aliquas qualitates in orbib. intermedijs, quibus suos producunt effectus in sublunaribus, Saturnus .n. influit in orbib. intermedijs motum, & mediante motu influit in sublunaribus frigiditatem; similiter sol influit lucem, & mediante luce, influit calorem, vnde medio calore diffuso à luce generat in viscerib. terræ metalla. Sic etiam eodem modo resp. ad alias experientias, adducendo pro rōne, vel virtutem agentis distantis, vel lucem, vel calorem, vel motum. Quæ rōnes, vel potius fugæ allatas experientias non infringūt. Neq. n. nos negamus cōtactū virtualem, nā si in distans agit, per virtutem suam agit, at non oportet vt agens per talem virtutem, prius agat in medium, vt ipsi supponunt, & contra hoc argumenta nostra procedunt. Dicunt quod Planetę diffundunt aliquas qualitates in orbibus intermedijs, sed quales sunt istæ qualitates in orbibus intermedijs, præter lucē? est ne Cęlū receptiuū peregrinarum impressionum? Dicunt, quod Saturnus influit in orbibus motum, & mediante motu influit in sublunaribus frigiditatem;

tem; At motus non est causa caloris ex Arist. quomodo causat frigiditatem? dicunt, quod Sol influit lucem, & mediante luce influit calorem, & medio calore generat minoralia; At stella polaris non attrahit magnetem in tenebris? & viscera terræ non reperiuntur frigidissima? Melius ex Thomist. loquitur Masius, qui docuit Solem imprimere calorem, & Saturnum frigus in his inferioribus, absq. eo, quod aliquid influat in corporib⁹ intermedijs. Multas alias experiẽtias, & valdè curiosas affert M. Brun. quæ loc. cit. videri poterunt à curiosis.

Obiectiones.

Ob. Multa loca S. Script. & Patrũ ex quib. colligitur Immensitas Dei ab eius operatione vbiq. si .n. vbiq. operatur, ergo est immensus. ℞. Ex Scot. illam conseq. non esse formalem, sed materialem, & per locum extrinsecum à concomitantibus, q̃a .n. Diuina attributa sunt adinuicem connexa, vnum infert aliud, sic omnipotentia infert omni scientiam, & immensitatem essentiæ; at si per impossibile non esset Immensus, & esset omnipotẽs, adhuc in distans posset operari, aliter non esset omnipotens.

Ob. Ex Arist. 7. Phys. 9. & seq. vbi docet inter mouens, & motum nihil mediare, & 1. Metheor. c. 2. ait: *est autem ex necessitate continuus quodammodo mundus iste superioribus latio nib. vt omnis ipsius virtus inde gubernetur*. Resp. Doct. in 7. Phys. text. 9. non intelligendum esse de immediatione contactus Mathematici vniuersaliter, sed vel de Math. vel Physico, seu virtuali, quia etiam vt sic agens putatur præsens passo distanti per potentiam suam, non quòd potentia agentis sit ibi, sed quòd per suam potentiam possit ibi causare effectum, ac si ibi esset. Ad aliam ex Metheor. solùm vrget corpora Cælestia requirere medium, vt in hæc agant inferiora, non quidem quo ad omnes actiones, sed quo ad aliquas, & præsertim quo ad lumen, quo Arist. ptendebat corpora Cælestia plures eff. ctus causare, quod an sit verum, in lib. de Cęlo apparebit.

Ob. Molin. Arel. Alij: Nequit aliquis mouere corpus de extremo ad extremum, nisi per medium, ergo nequit agens agere in distans, nisi per medium. ℞. Neg. paritatem, nam corpus respectu omnium locorum eodem modo se habet, & illa loca respicit, vt medium eiusdem rõnis, & omnia sunt capacia talis corporis, ideòq. nequit transire ad extremum, nisi per medium; agens verò cum agit immediatè in distans non respicit medium, vt eiusdem rõnis cum extremo. Tum quia vt Auersa aduertit, idem corpus, quod est modo in vno extremo, erat in alio extremo, & ideò implicat naturaliter, quòd trãseat de extremo ad extremum non transeundo per medium; at actio quæ fit in dista s, non erat ante in alio loco, sed immediatè ibi primò fit.

Ob. Videmus, quòd si inter agẽs, & passum interponatur corpus opacum, & densum statim cessat agentis actio, vt patet si inter lucem, & nos interponatur paries, & cũ os clibani clauditur, cessat calor, signũ, q̃ nõ põt operari in distans, nisi operatur prius in medio, & est etiam argum. Arriag. ℞. Assumptum esse verum de agente, quod agit in medium eiusdem rõnis cum extremo, vt patet per exempla addu-

adducta; vel de agente immediatè in distans, sed in medium actione illi subordinata, vt est ignis respectu combustionis stuppæ, qui in aere medio agit, ipsum alterando, quæ actio aliquo modo subordinatur generationi ignis, quia si non calefaceret aerem, nec etiam stuppam calefaceret, non est tñ verum de omnib. quia sol producit calorem sub Cęlo Lunæ, non calefaciendo alios Cęlos, & producit in visceribus terræ mineralia absq. lumine, & qñ Luna non lucet, adhuc agit in humidis.

Ob. Ad hoc natura tantum respuit vacuum, vt agens superius agere posset in inferius, aliter non esset tanta necessitas. ℞. Potius præcipuam rõnem esse, quia natura semper ad vnitatem aspirat, quam per connexionem assequitur; licèt etiam concedamus, naturam vacuum respuere propter actiones præsertim sublunarium agentium, quæ per sensibiles, & contrarias qualitates vt plurimum agunt, quib. est necessarium medium, neq. Scot. hoc negauit, sed docuit etiam, quòd aliqñ potest dari agens, quod agat in distans.

Ob. Ex Ruu. Nullum agens potest operari, nisi in tempore existat ex supra dictis, & nequit operari in tali tempore, nisi in tali existat tempore, etiam si aliàs extitisset, ergo nequit agens operari, nisi in loco, & vt in tali loco agat, debet in tali loco existere. ℞. Cum Mastr. & Bell. ex Bassol. neg. parit. & ratiò est clara, nam quòd agens in hoc tempore agat, necessariò exigit existentiam in hoc tẽpore, & si illam non haberet nullo modo existeret; sicut etiam necesse est, quòd agens alicubi sit, quia si nullibi esset, non existeret, at non sequitur, quòd si non est in hoc loco, ergo nullo modo est, quomodo sequitur, quòd si non existat in hoc tẽpore, nullo modo existat. vel quòd argum. concludit de præsentia mathematica, non virtuali.

Ob. Ex Vasq. & Conimb. Si hæc doctrina esset vera, sequeretur agẽs in quacumq. distantia posse operari, quia non requiritur maior virtus ad operandum in maiori, vel minori distantia, si agens immediatè agat in distans, at hoc est falsum, quia sic argueretur in creatura infinita potẽtia, ergo. ℞. Ex Doct. & sequitur Auers. neg. sequelam cum sua probatione, quia cùm agens creatum sit finitum, & limitatum, limitatam etiam, ac determinatam suæ virtutis sphæram postulat, & consequenter maiorem virtutem exigit ad agendum in maiori distantia, quàm in minori, quæ sphęra non solùm prouenit ex resistentia passi, sed etiam, & potius ex limitatione agentis, nam luminosum, non ex eo quòd passum ei non resistit potest agere in quamcumq. distantiam.

Ob. Quod agit per virtutem in se retentam, & non per medium diffusã, necessariò agit immediatè immediatione suppositi, sed per Scot. Sol non diffundit suam virtutem per medium, ergo deberet esse in loco distanti immediatè immediatione suppositi, at hoc est falsum, quia sol non est hic, neq. in visceribus terræ, ergo. Prob. ma. quia virtus agentis debet attingere effectum, sed non potest ipsum attingere, nisi sit vbi est effect⁹, ergo si non diffunditur per medium, tale agens deberet esse ibi immediatione suppositi. ℞. Maiorem esse ve-

ram, vel de immediatione suppositi in essendo, vel in causando, sol agit in distás imediatè imediatione suppositi in causãdo, nõ in essendo, quatenus in passo distanti, aliquid potest esse terminus virtutis causatiuæ in agẽte existentis, ità Bell. & Mastr. loc. cit.

ARTICVLVS NONVS.

De Causa Instrumentali.

SCot. de hoc Art. agit in 4. q. 1. Dd. & q. 5. F. & d. 6. q. 5. E. & in 2. d. 3. q. 8. E. & sæpissimè alijs in locis, Et quidem quòd detur causa instrumentalis, distincta à principali, patet ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. vbi vocat Baptismum causam gratiæ instrumentalem, & sess. 7. cap. 4. negat hominem in operibus se habere, vt animæ instrumentum. Cæterum Controuersia hæc reducitur reuera ad quæst. de nomine, pendet .n. ex varia acceptione causæ principalis, & instrumentalis. Primò igitur instrumentum accipitur pro omni causa, quæ in actione agit dependenter ab alio, quo sensu, omnis causa secunda erit instrumentalis, & solùm prima dicitur principalis, cùm hæc tm̃ independenter agat 2. sumitur pro parte aliqua totius, cui primò competit esse principium actionis, toti verò non, nisi per illam partem, & in hoc sensu partes animalium, quib. varias operationes vitaliter exercent, organa sensuum, & animæ instrumentum vocantur à Philos. 2. de an. 16. totum verò operans dicitur agens principale, & de instrumento in allatis sensibus non loquimur in præsenti, nam hæ principales causę verè dici possunt, cùm virtutem causandi in esse quieto habeant. 3. sumitur propriè prout, scil. inseruit principali agenti ad producendum terminum ab ipso intentum, & in hoc sensu loquimur, quod adhuc triplex est scil. supernaturale, naturale, & artificiale. Supernaturale, quod sm̃ Scot. dicitur morale est illud, ꝙ agenti supernaturali inseruit ad aliquod opus efficiendum, cui non ordinatur ex propria natura, sed solùm ex dispositione Diuina, sic Sacramẽta causæ instrumentales gratiæ dici solent. Naturale est, quòd naturali agenti famulatur respectu alicuius operis naturalis, cui ex propria natura proportionatur, sic calor dicitur instrumentum naturale ignis ad producendum ignem. Artificiale, à quo propriè nomen instrumenti deriuatum est ex Doct. in 4. d. 1. q. 5. F. inseruit principali agenti ad efficiendum opus aliquod artificiale, non per aliquam virtutẽ præcisè innatã, alias ignis, aqua, & huiusmodi dici possent artifici instrumẽta, dũ ab ipso assumũtur ad aliꝗ opus peragẽdũ, vt ignis V. g. liquefactioni metallorũ, Aqua marmorũ sectioni &c. ꝙ falsũ est. Sed inseruire debet ꝑ aliꝗd receptũ ab extrinseco, vnde serra, malleus &c. ꝓpriè instrumenta dicuntur, quia inseruiũt ꝑ ꝓpriã duritiẽ, grauitatẽ, figurã, & ꝑ actualẽ agẽtis motionem.

Supponimus 2. Quòd instrumentum aliud dicitur coniunctum, aliud seperatum, & vtrumq. dupliciter, scil. coniunctum sm̃ esse, & coniunctum sm̃ causalitatem, & separatum sm̃ esse, & separatum sm̃ causalitatẽ. Instrumentum tunc dicitur coniunctum sm̃ esse, quando agenti principali est aliquo modo realiter coniunctum, vel per contactum, vel per aliquam præsentiam, & vnionem realem,

lem, vt calor igni, calamus scribenti &c. & è contra tunc instrumentum dicitur separatum sm̃ esse, quando per nullam præsentiam realem est coniunctum agenti principali, vt semen iam decisum, sagitta emissa &c. Instrumentum verò coniunctum sm̃ causalitatem, est cùm in suo famulario concursu indiget actuali, & proprio influxu agentis principalis, sic est etiam calamus, qui scribenti non inseruit, nisi qñ in scripturam influit. Instrumentum separatum sm̃ causalitatem dicitur, cùm in suo cursu licèt agenti principali inseruiat, non indiget tñ actuali influxu eiusdem agẽtis, vt calor disponit materiam ad formam ignis propria virtute etiam si ignis actu non influat ad illam dispositiuam actionem; vnde instrumentũ sm̃ varias acceptiones dicitur coniũctum, & separatum, nam calor in igne est instrumentum coniunctum sm̃ esse, & separatum secundum causalitatem, semen est vtroq. modo separatum, calamus vtroq. modo coniunctum. D. Tho. 3. p. q. 62. art. 5. se exemplificat de baculo, & manu, baculus est instrumentum separatum, manus instrumentum coniunctum, & 2. de an. lec. 9. de manu, & timone, nã Gubernator nauim gubernat manu, vt instrumento coniuncto, & timone, vt instrumento separato.

Supponimus 3. Quòd artificiale instrumentum ad tria præsertim inseruire potest, scil. ad expulsionem alicuius corporis, vt patet in diuisione ligni, quæ fit per expulsionem ligni ab illo Vbi, ad quod serra mouetur ab agente ex Doct. in 4. d. 1. cit. 2. ad deferendum, vel coniungendum vnum corpus cum altero, sic calamus, penniculus, & trulla ædificatoris inseruiunt. 3. ad causandum collisionem duorum corporum, vt sonus efficiatur varius, & regulatus, vt organa, & similia, loquimur in præsenti de instrumento siue naturali, siue artificiali (quia de supernaturali aliqua tm̃ tangemus, cùm de potentia obedientiali erit sermo, cum sit res merè Theologica) & quærimus tria, primò an huiusmodi instrumenta aliquã habeant actiuitatem. 2. in quo formalitas instrumenti consistit, per quam à causa principali distinguitur. 3. ad quod genus causæ reducitur.

Multæ sunt opiniones. Plures Thomistæ cum Neut. asserunt, Instrumẽtum esse actiuum, & quasi semper attingere terminum principalis agẽtis, vt à causa principali eleuatum, licèt deinde in explicatione huius eleuationis discrepent, nam Aliqui cum Suar. in Meth. disp. 17. sec. 2. & to. 1. in 3. p. disp. 31. sec. 5. volunt fieri per concursum concomitantem principalis agentis in eumdem terminum; Alij per receptionem alicuius qualitatis; Alij vtroq. modo. Inter Scotistas est etiam aliqualis discrepantia, vt videre est apud Sghem. & Vulp. Item Suar. in Meth. loc. cit. & Hurt. disp. 9. Phys. sec. 12. affirmant causam principalem esse, quæ virtutem nobiliorem, vel æquè nobilẽ cum effectu in eum influit, instrumentalem verò, quæ influit vtiq. in effectum, sed per virtutem inferioris ordinis, & hinc est quòd agit dependenter à principali iuxta mensuram virtutis, & eleuationis principalis agentis.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, nec omne instrumentum actiuum esse, nec quod est actiuum

actiuum attingere terminum principalis agentis, siue propria virtute, siue vt eleuatum ab agente, aut per receptionem formæ præuiæ, aut per concursum concomitantem agentis principalis in effectum. Est ad mentem Scoti quo ad omnes partes, & magis cõis inter Scotis. quas Vulp. explicat tom.1.p.2.disp.2.art.2.& sequuntur Mastr. & Bell. disp.7. Phys. q.5. Prima pars, quòd non omne instrumentum sit actiuum, docuit manifestè Scot. in 4. d. 1. q. 5. F. quod probat de instrumentis artis, à quib. primò instrumentum nomen accepit, hæc.n.instrumenta, vel assumuntur ad eumdem effectum principaliter intentum ab agente, vt calamus simul cum manu attingit scripturam, sigillum attingit formam impressam in cera &c. at quomodocumq. se habeant, nunquam actiuè concurrunt, quia instrumenta hæc, non habent in se, nisi quantitatem, figuram, duritiem, & motum localem, quæ nullam dicunt actiuitatem. De quantitate, & figura est clarum; motus localis est respectus, qui est de geñ. sterilium; durities apparet principium agendi, sed est solùm in apparentia, ex eo quod est quædam impossibilitas resistens corrumpenti, vbi autem est formalis incompossibilitas in creatura, vnum illorum non expellit aliud actiuè, sed formaliter; at agens inducẽs vnum effectiuè, expellit aliud effectiuè, sic calor receptus in subiecto, non actiuè expellit frigus, quia expellit communicãdo seipsum, quod est proprium formæ, calor verò in igne existens actiuè expellit frigus in subiecto existens.

Secunda pars, quod scil. instrumenta actiua non attingant terminũ principalis agentis, est Doct. in 4. d. 6.q.5.& alibi, vbi licèt videatur ponere discrimen inter agens principale, & instrumentale, ex eo, quòd illud habet formam in esse quieto, qua attingit effectum, istud verò in actuali motione, hoc tñ semper dubitatiuè, & conditionaliter profert, simpliciter tñ, & absolutè conformius est eius principijs asserere nullo modo posse instrumentum attingere terminum principalis agentis, quam doctrinam sequitur Hurt.loc.cit. & ratio est, quia vel ista eleuatio fit per concursum concomitantem principalis causæ in effectum, sine quo instrumentalis esset insufficiens estò in se haberet virtutem attingendi effectũ, & ità non differet à principali partiali, quia hæc idcirco non producit effectum, quia licèt habeat virtutem aliquam, est tñ inproportionata, & insufficiens se sola; vel talis eleuatio fit per virtutem aliquam infusam à causa principali, non quidem in esse quieto, sed in actuali motione, sed hoc est falsum, nam virtus hæc non potest dari in accid. respectu substantiæ, quia hęc virtus esset etiam accid. atq. ità semper inproportionata. Tũ quia, vt bene vrgẽt Mastr.& Bell. vel instrumento præsupponitur aliqua proportio, & actus primus licèt insufficiens, quod per istam virtutem compleatur, & sic erit causa principalis virtualis; vel non præsupponitur, & sic quodlibet posset admitti ad producendum quodlibet, etiam improportionatum, & contrarium, vt aqua ad producendum ignem, cùm .n.hęc virtus sit materialis, & accidẽtalis, aqua habebit capacitatẽ ad illã.

Ad 1.

Ad 1. Resp. Suar. causam principalem partialem differre ab instrumētali, quia illa dicit habitudinem ad compartialem eiusdem rōnis, & ordinis, ità vt neutra alteri subordinetur, sed ex vtraq. coalescit vna totalis causa eiusdem ordinis; at instrumentalis habet quidem virtutem, sed alterius ordinis, & rōnis, quia est imperfectior effectu, & essentialiter est virtuti principalis agentis subordinata; & licèt hoc conueniat causæ secundæ respectu primæ, non ob id tñ illa instrumentalis dicetur, quia non est cum effectu improportionata, sicut est causa instrumentalis in ordine ad effectum principalis agentis.

Sed Contra, subordinatio vt sic, non constituit causam instrumentalē, aliter omnes causæ secundæ essent instrumentales; neq. improportio cum effectu, quia etiam causa principalis partialis est improportionata, & insufficiens cum toto effectu. Tum quia species sensibilis concurrit partialiter cum oculo ad visionem, & tñ visio est perfectior tali specie, ergo nō est de rōne causæ instrumētalis, quòd sit imperfectior effectu, vt aduertit Ponc. Tum quia malleus est instrumentum eiusdem rōnis, & perfectionis cum clauo, qui est effectus.

Ad 2. Resp. Fuentes cū Ioan. Martinez 2. Phys. q. 13. cum Aliquib. Thomist. quòd virtus causæ partialis est permanens in esse quieto, instrumentalis verò consistit in actuali motione. Non valet, nam ad causationem parum refert, quod causa ante, vel post causationem permaneat, sed sufficit, vt sit dum actu causat. Tum quia Paulus in raptu vidit per modū causæ principalis Diuinam Essentiā, & tñ per lumen gloriæ transiens ex D. Tho. Ex his decisū remanet quid sit propriè causa instrumentalis, quæ sic describi solet ad mentem Scoti.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Causam instrumentalē esse, *quæ principali famulatur, & in seruit pro assequendo fine, & effectu principali, non quidem attingendo actiuè terminum principalis agentis, sed vel dispositionem vltimatè ordinatam ad talem terminum, vel famulatur, quia est susceptiua effectus præuij, & vltimò ordinati ad effectū principalem, vel tandem, quia est ipsamet dispositio ad effectum principalem*. Est Scoti quo ad omnes partes. Prima pars scil. quòd non attingat terminum principalis agentis, patet ex conclusione præcedenti. Quòd attingat dispositionem, vt sunt accid. in ordine ad substantiam est Scoti in 4. cit. lit. F. Quòd aut famulatur, quia est susceptiua effectus præuij, vt serra recipiens motum localem ad formam arcæ, est Doct. in 4 d. 1. q. 4. & d. 13. q. 1. Ff. Vel tandem quòd sit dispositio ipsa, vt sectio venæ, motio serræ &c. quia sectione venæ animal sanatur, & per motionem serræ lignū diuiditur, est etiam Scoti loc. cit. Si verò instrumentum attingat terminū principalem, de quo Doct. in 4 d. 1. q. 1. E. hoc non erit effectiuè, sed potius formaliter, vt cùm fit per expulsionem alterius corporis, sicut est in sigillo, vel materialiter si inseruiret ad coniunctionem duorum corporū, vnum illorum deferendo, vt est in calamo respectu scripturæ, ità quòd habitudo famulatiua causę instrumentalis in cōi, vt notauit Bassol. explicari

cari poterit, *per quod aliud*. Et è contra Causa principalis erit, quæ in sua actione nulli alteri famulatur, propriumq. effectum assequitur effectiuè, per propriam virtutem, ità vt causalitas eius in abstracto explicari poterit per habitudinem, à quo aliud.

Quantum deinde ad alium punctũ scil. ad quod genus causæ reducatur, Scot. in 4.d.12.q.3. D. docet reduci ad genus causæ efficientis, quòd patet ex 5. Meth. cap. 2. & 2. Phys. vbi Arist. ad hoc genus reducit; & ratio est, quia instrumentum propriè dicitur inseruire, & famulari agenti, à quo assumitur ad productionem effectus, ipsiq. subordinatur, ergo propriè ad tale genus spectabit, vt aliqd illius. Quòd si instrumentum consideratur, vt causat aliquid formaliter, vel materialiter recipiendo, tunc nõ habet rõnẽ instrumenti, *vt per quod aliud*, sed potius rõnem causæ principalis in illo genere. Potest etiam largo modo instrumentum extendi ad alia genera, si hoc, quod est famulari extendatur ad media, nam etiam media dici possunt inseruire fini, dispositiones materiæ, & formæ in productione compositi &c.

Obiectiones.

Ob. Contra primam, de qua est maior difficultas. Phantasma actiuè attingit productionem speciei intelligibilis vnà cum intellectu. Semen productionem fœtus, accid. generationem substantiæ, intellectus productionem actuum supernaturalium, & tñ instrumentaliter concurrunt, quia agunt, vt eleuata, ergo instrumentum propriè attingit effectum principalis agentis. ℞. Neg. assumptum, nã phantasma, & intellectus sunt causæ principales partiales propter innatã virtutem quam habent. Semen dicitur instrumentum non respectu formæ corporeitatis, quam attingit, quia vt sic est causa principalis, sed respectu animationis, ad quam concurrit, non effectiuè attingendo, sed disponendo, vt in lib. de an. patebit, & idem de accidente infra dicemus. Eleuatio non est de rõne instrumenti, sed potius spectat ad causam principalem partialem, & solùm eleuari dici poterit, quatenus assumitur in ordine ad effectum nobiliorem.

Ob. Instrumentum vt instrumentũ est actiuum, quia pertinet ad genus causæ efficientis, at non potest esse actiuum effectus præuij, quia vt sic se habet vt causa principalis, ergo respectu effectus principalis agentis. ℞. Instrumentum dici actiuum tantùm in obliquo, quatenus est aliquid causæ efficientis, per quod tanquam per causam dispositiuam efficiẽs propria virtute causat effectum.

Ob. Ridiculum est asserere gladiũ non incidere dum penetrat viscera, malleum non frangere dum imminuit aliquod corpus, &c. sed hæc omnia dicunt actionem, ergo. ℞. Nec gladium propriè incidere, nec malleum frangere, sed efficiens hæc omnia efficere, fractio .n. & incisio dicunt actiones, quæ in potentia actiua agẽtis fundantur, dicuntur autem exercere actiones illas, quatenus per illa proueniunt ab agente.

Ob. Si hæc doctrina esset vera, ergo quodlibet posset assumi pro instrumento. ℞. Neg. sequelam, cum .n. instrumentum sit famulatiuum agentis principalis, debet ei aliquo modo proportionari, nec quodlibet artifi-

ciale

ciale habet illam quantitatem, & figuram proportionatam, vt sit recta dispositio pro tali effectu intento ab agente.

Ob. M. Iacob. Brun. q. 24. Phys. art. 2. de rõne instrumẽti est operari, vt motum à principali agente, non quomodocumq. sed ministrando, & seruiendo, sed ministrare est de se propriam virtutem exercere, ergo instrumentum in agendo aliquid virtute propria operatur. ℞. Hunc esse præcipuum punctum in hac lite cum Thomistis, quia Ipsi tenentur explicare quænam sit hęc virtus instrumẽto indita ab agente principali; Aliqui .n. eorum dicunt non esse qualitatem, sed solùm motum virtuosum, quo moueatur à principali agente, ità Caiet. 3. p. q. 6. art. 4. Sot. Ledesma, Nazar. cũ Aliq. b. Alij verò, vt Capreol. Palud. Arau. Lisbon. Ioã. Martin. ex D. Tho. q. 27. de ver. art. 4. volunt, quòd eleuatio instrumenti fiat non sola motione causæ principalis, sed simul cum illa, & ex illa deriuatur quædã qualitas, quæ non habeat esse quietum, & permanẽs sicut calor in igne, sed incompletum, & citò transiens, quasi motionaliter, & intentionaliter, & quòd hæc virtus directè non sit qualitas, sed reducitur ad genus, & speciem sui principij scil. qualitatis, cuius est defluxus, & participatio. Sed quomodocumq. hanc actiuitatem explicent, semper ardua moliuntur, & maioribus se ingerunt difficultatibus, vt ex dictis patet, & clarius in proprijs locis ex dicẽdis apparebit. In forma igitur arg. negatur ma. quod scil. de rõne instrumenti sit operari, cum potius eius sit operanti seruire, & ministrare, cum dicunt ad mi. quod ministrare est propriè virtutem exercere, negatur; instrumẽta .n. dicuntur seruire, & ministrare, non prout dicunt actiones, quia actio fundatur in potentia actiua agentis, sed dicuntur actiones illas exercere, quatenus per instrumenta tales actiones proueniunt ab agente, sine quibus non vtiq. prouenirent.

ARTICVLVS DECIMVS.

An tàm Secunda quàm Prima Causa actu efficientes dicantur, & An Deus conturat immediatè ad effectus omnes creaturarum.

SCot. dubium hoc resoluit in 1. d. 7. q. vn. & in 2. d. 37. q. vn. P. & in 4. d. 43. q. 3. supra E. & quol. 7. & alibi. Fuit Quorumdam opinio, quòd causa secunda nullam actiuitatem habeat in operibus suis, sed solus Deus agit, dicuntur eñ etiam ipsas agere, quatenus Deus ad illorum præsentiã tales producit effectus, & illis remotis, regulariter non producit; sic ignis calefacere dicitur, non aqua, quia Deus calorem producit ad præsentiam ignis, non ad præsentiam aquæ. ità Petrus Aliacens. in 4. d. 1. art. 1. & probabilem putat Gabriel in 4. d. 1. q. 1. art. 3. dub. 3.

Durand. in 2. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1. affirmat Deum non immediatè concurrere cum causis secundis ad illarum actiones, sed mediatè, & remotè quatenus ab Initio virtutem ad agendum Deus reb. communicauit, & eamdem in ipsis adhuc conseruat. Hurt. disp. 10. Phys. sec. 1. ait, quòd licèt de facto Deus immediatè in omnes influat effectus, & oppositum asserere sit valde temerarium, non videtur

detur tñ manifestũ absurdũ cõcedere, posse Deũ ex sua libertate nõ cõcurrere ad effectus, & actiones causarũ secundarũ, sed eas solùm permittere, quam opinionem refert, & reijcit Rubion in 2.d.34.q 2.art.1. Alij eliò concedant Deum immediatè concurrere ad effectus, tamen limitant, hoc esse solùm immediatione virtutis, nõ suppositi. *Conclusio Prima.*

Dicimus 1. Causas secundas verè efficientiam habere in proprios effectus tàm liberos, quàm naturales. Est Scoti loc. cit. & cõis, & quoad actus liberos videtur esse de fide, & iuxta sens. Concil. Trid. sess.6. can. 4. vbi ait: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, assentiendo excitanti Deo, sed veluti quoddam inanime nihil omnino agere, mereq. passiuè se habere, anath. sit.* Tum quia voluntas non esset libera in suis actibus, quia libertas non consistit in passione, & receptione, sed in elicitione libera suæ operationis, vnde etiam sequeretur, quòd nos non possemus aliquid mereri, & demereri, neq. peccare, cum ad hæc omnia requiratur actio libera, & in nostra potestate.

Quo ad actus naturales, est etiam manifesta, tum ex PP. tum ex Sacra Scrip. plurib. in locis, in genes. c.1. *germinet terra herbam virentem*, & luc. 21. *videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt ex se fructus, scitis quia propè est æstas.* patet etiam ad sensum, quia videmus semper ignẽ calefacere, & semper aquam refrigerare, nec vlla posset assignari ratio, cur ad præsentiam ignis Deus semper produceat calorem, & non ad præsentiam aquæ &c.

Ob. ex 1. Corinth. 15. *Deus operatur omnia in omnibus*, & Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & proficere pro bona voluntate*, ergo &c. ℞. Per hæc, & similia verba demonstrare concursum Dei immediatum in omnes effectus; vel ꝙ in operibus gratiæ, & supernaturalib ad quæ non habemus, nisi potentiam remotam, principalius sunt à Deo excitante, & præueniente cum auxilio præuio, & simul cum auxilio speciali concurrendo.

Ob. Deus sufficiente concursu in effectus influit, ergo omnis alia causa superfluit. ℞. Neg. seq. nam estò concursus Dei sit sufficiens sm̃ rem, non tñ sm̃ modum, atq. ideò causa secunda non superfluit.

Ob. Causa prima prius agit, quàm secunda, & in illo priori attingit totum effectum, ergò secunda nihil influit. ℞. Cum Scot. in 2.d.37. lit. V. Causam primam agere prius prioritate à quo, quia independenter, & perfectius agit, non prioritate in quo ità vt prius attingat effectum, quàm causa secunda.

Ob. Multi effectus in conseruari nõ dependent à causis secundis, ergo neq. in fieri. ℞. Quòd multi sunt effectus, qui sicut in conseruari pendent à causa secunda, ità etia in fieri, quod sufficeret pro nostra conclusione; negamus tñ absolutè consequentiam & ratio est, quia à causa secunda effectus non dependet essentialiter simpliciter, sed essentialiter secundum quid, ex Doct. in 4.d.12.q.1. ad 2. cur autem aliqua tantùm in fieri dependeant, minimè verò in conseruari, alia non potest assignari ratio,

tio,

tio, nisi à posteriori, & experientia.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Causam primam in omnes effectus causarum creatarum concurrere immediatè immediatione, non solùm virtutis, sed etiam suppositi. Est cōis, & receptissima apud omnes Theol. vt videre est apud D. Tho. 1.p.q.105.art.5.& in 1.d.35.art. 1.ad 4.Scoti loc.cit. & præsertim in 1.d.8.q.1.in fine, vbi ponit ordinem essentialem inter causam primam, & secundam, itaut hæc nihil ageret, illa non causante, & Recentiores ferè omnes cōtra Durand. & Ludouicum nostrum Adola disp.de modo coniūctionis concursuum Dei, & creaturæ ad suos effectus, Qui hanc Durandi sent.à Scholis iam eliminatam nuper suscitauit. Patet ex plurib. Sacræ Script.locis, vt est illud Isa.26.*omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. Per ly *opera nostra*, explicatur concursus causæ secundæ. per ly *operatus es*, explicatur concursus causæ primæ, & Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus &c.* quæ, & similes auctoritates de immediato concursu productiuo, & conseruatiuo rerum intelligi debēt ex D. Aug. 5. super Gen.cap.20. & D. Gregor. 16.Moral.c. 18. vbi ait: *omnia, quæ creata sunt per se nec subsistere, nec moueri posse*, & colligitur etiam ex Arist.7.& 8. Phys.& 2. Meth.cap.2.

Prob. rōne: Ens creatum dependet à Deo immediatè in conseruari, ergo etiam in fieri, probatur anteced. vnum est ens in actu independens, non plura, at multa dantur entia, quæ in conseruari à causis secundis non dependent, & si causa secunda fuerit destructa, non poterunt dici dependere à Deo mediante causa secunda, ergo si actu dependent, hoc erit immediate à Deo; sic esset lux, si à Deo conseruaretur, aere destructo. Conseq. est clara, quia conseruatio, & productio sunt eadem. Tum quia cum Deus annihilat, vel impedit actiones creaturarum; vel hoc efficit per subtractionem sui concursus, vel per concursum positiuum, cùm omnis actio ad aliquod esse necessariò terminari debeat; non secundo modo, quia sic non posset aliquid annihilare, vel corrumpere, nisi aliquid de nouo producendo, vt fit in qualibet naturali corruptione, ergo primum, & ità immediatè concurrit ad actionem creaturarum, si eius suspēsio facit, vt non amplius operari possint. Totum hoc patet ex miraculo in fornace Babilonis, vbi actionem ignis impediuit, si .n. hoc fecisset per actionem positiuam, & non per simplicem subtractionem concursus, debuisset producere frigus (quia contraria habent fieri circa idem subiectum) & intensum, vt ad resistendum igni sufficeret, & ità Pueri illi non minus à tanto frigore, quam à calore interfecti fuissent, & tantò magis, qa tale frigus debuisset puerorum corporibus inhærere ad impediendam actionem talis caloris. Tum quia essentialior est dependentia creaturæ ad Deum, quàm ad aliam creaturam, quia sine hac existere potest, non autem sine Deo, sed creatura aliqua immediatè ab alia dependet in fieri, & conseruari, vt lumen à sole, ergo multo magis à Deo.

Dices, Creaturas pendere in suis operationibus tanquam à cōditione

sine qua non à permissione Dei, quod oritur ex subordinatione creaturæ ad Deum, quæ intelligitur etiam sine immediata cooperatione Dei, vnde eo ipso, quòd nollet Deus causas secundas operari, illæ non operarentur defectu conditionis, sicut ignis non potest comburere defectu approximationis. Non valet, nam permissio Diuina est respectu malorum, vt mala sunt, operatio verò est respectu bonorum, ex Treden. sess. 6. c. 6. Tum qa si causa pendet à Deo cõseruãte eius virtutem, hoc ideo erit, quia est ens dependens, & creatum, ergo quia actio secundæ causæ est etiam ens creatum, immediatè quoq. à Deo dependere debebit, vt effectus, quia actio non est perfectior sua causa.

Probatur tandem conclusio rõnibus Scoti in 2. d. 37. de actibus nostræ voluntatis, ad quos si immediatè Deus non concurreret, nec esset Omnisciens, nec omnipotens. Probat primum, quia in tantum Deus cognoscit certitudinaliter futura contingentia, quia nouit determinationem voluntatis suæ respectu eorum, ad quæ voluntas sua est immutabilis, & in impedibilis, at si voluntas creata est totalis causa actus, & contingens, poterit voluntas creata aliter velle, quàm Diuina determinasset, ergo non sequitur certitudo ex cognitione determinationis voluntatis Diuinæ. Secundum probat, quia omnipotentis voluntas, qñ aliquid vult producit in esse, non .n. est alius actus voluntatis Diuinæ respectu entis creati, quo producitur in esse, ergo si non attingit immediatè volitionem creatam, iam haberet velle erga aliquod ens, & illud non produceret; imò stante hoc velle, quia voluntas creata est libera, & totalis, posset oppositum euenire.

Quòd tandẽ Deus agat immediatè immediatione suppositi in causando patet, qa sic est attingere ꝓprio influxu effectũ productũ, immediatè verò agere immediatione suppositi in essendo, est effectum attingere, à quo, loco non distet, sed ipsi est intimè præsens, at Deus omnibus his modis influit, vt patet, ergo &c. & quæ contra hæc ingerunt Hurt. & Arrig. videri poterunt apud Mastr. disp. 7. q. 6. art. 1. 83. & 84. cum suis solutionib.

Obiectiones.

Ob. Auctorit. Sac. Scrip. quæ præsertim de actib. liberis nostræ voluntatis loquens, tribuit totam causalitatem arbitrio nostro, non Deo, vnde Eccles. 15: *Reliquit Deus hominem in manu consilij sui &c.* ℞. Per hæc, & similia verba solùm affirmari concursum immediatum, & liberum voluntatis creatæ in actibus suis, non tñ denegari concursum immediatum primæ causæ, vt ex alijs locis colligitur.

Ob. Causæ secundæ, vel sunt æquiuocæ, vel vniuocæ respectu eorum effectuum; si primum, licèt perfectionem effectus excedere debeant, non tñ infinitè; si secundum, satis est, vt æqualem habeant perfectionẽ, ergo immediatus concursus Dei erit superfluus. ℞. Quòd causa secunda neq. excedit, neq. necessariò exceditur à suo effectu, at si effectus esset à Deo independens, excederet suam causam, cùm ipsa dependeat immediatè à Deo, non autem effectus.

quia

quia igitur tota perfectio hæc est creata, dicet immediatam à Deo dependentiam in omnibus necessariò, adeòq. consequentia est falsa.

Ob. Materia, & forma sunt entia creata, & tñ cum materialiter, & formaliter causant, non indigent Deo materialiter, & formaliter causante, sed totaliter in suo genere causant, ergo Deus non concurrit immediatè cũ omnibus causis secundis. ℞. Quòd estò materia, & forma independenter causent in proprio genere, non tamen simpliciter, sed dependenter à Deo in alio gen. scil. causæ efficientis.

Ob. Axioma vniuersale est, quòd Deus agit medijs causis secundis, vt suos motus agere sinat, ergo. ℞. hoc intelligendum esse simul cum ipsis, q̃a non solus, sed etiam ipsas assumit ad earum operationes, & ex hoc non sequitur, quòd non agat immediatè etiam cum ipsis immediatione, & virtute, & suppositi.

Ob. Ex Doct. in 2.d.37.L. vbi adducit rõnes pro sent. Durandi, & nõ soluit, qua ratione pro hac sententia citari solet, & in 3.d.17. soluens principale, affert quamdam solutionem fundatã in hac sententia. Duæ rõnes Theolog. à Scot. assumuntur. Prima, si Deus ad omnes effectus in indiuiduo immediatè cõcurreret, esset causa materialis peccati. Secunda volũtas nostra non esset libera in actibus suis, si n. dependenter à Deo agit; & sine Deo non potest in actum exire, aget iuxta determinationem Diuinam. At hæ difficultates satis præsens institutum trascendunt, & est negotium merè Theologicũ. Quantum ad opinionem Scoti, licèt in 2. cit. rõnes illas insolutas relinquat, adducit tñ duo argumenta in contrarium, & protestatur se potius hanc sent. sequi, & in 3. cit. dat aliam solutionem magis suis principijs conformem. Videtur tñ in sent. Durandi inclinare, vt P. Vulp. notat. 2.p. disp. 5. art. 1. & ãplectuntur Mast. & Bell. ad euitandum errorem illorum hæreticorum ponentium Deum totalem causam nostrarum actionum, siue bonæ sint, siue malæ, quia via deueniendi ad medium est ad alterum extremum inclinare, quod multoties in simili casu Sancti Patres fecerunt, vt etiam ipse Doct. fatetur in 2. d. 33. *Ad primum Arg.* lit. C. ex D. Bonau. in 2.d.33.art.3.q. 1. Ad 1. Arg. §. *Ad illud ergo &c.* quæ doctrina fundata est in sent. Arist. 2. Eth. vide Doct. loc. cit. quantum ad 1. longiorem petit discussionem, pro qua remittimus lectorem ad Mastr. in Meth. disp. 5. de Passionib. entis q. vlt. nu. 331. fol. mihi 596. vbi diffusè hanc difficultatem prosequitur. Pro modò dicimus, Deum concurrere ad substratum peccati etiam sm̃ vltimam formalitatem positiuam, non tñ esse causã peccati, quia non euenit iuxta eius intentionem, sed quasi præter intentionem, & potius contra ipsius voluntatem, cùm intendat fugam ab omni peccato, & minetur pœnas, & supplicia æterna peccantibus, causa autem per se est, quæ cum intentione agit, vt infra dicemus. Ad 2. dicimus, concursum Dei ex libero eius decreto esse õnibus paratũ, ità vt voluntas nostra operari possit q̃n vult, & quomodo vult. An verò determinetur antecedenter, vel concomitanter spectat ad Theol. in tractatu De cõcursu

Dei

Dei cum causis secundis, & in misterio Prædestinationis, & Diuinorum auxiliorum, vbi fusius, & exactius difficultas hæc examinatur.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An substantia creata sit immediatè actiua alterius substantiæ, seu an accid. possit substantiam producere.

SCot. Controu. hanc dirimit in 1. d.37.q.vn.& in 4.d.12.q.3.& d. 1.q.1.M.vbi immediatum influxum vnius substantiæ in aliam concedit. Negarunt Aliqui substantiales formas à creata substantia produci, sed immediatè à Deo, quod probabile putauit Aref. 1. de gen.q. 20. sec.4. Alij fieri à substantia quadam spirituali, siuè hæc sit intelligentia aliqua separata, vt Auic. siue quædam virtus in omnibus corporibus diffusa, vt Auicebron. Alij affirmarunt à corporibus Cælestibus solùmmodò pro duci, vt Ragus. Alij concedunt à substantijs sublunaribus produci, sed principium quo principaliter talem productionem attingunt, esse accid. ità Maior, & Perer. Thomis. cum D. Tho. 1.p.q.54.art.3. volunt, quòd substantia alteram producat per propriam formam substantialem tanquã per principium quo principale, non quòd immediatè formam genitam attingat, sed medio accidente tanquam instrumento, & virtute substantiæ generantis, & sequuntur ex Recentiorib.Conimb.2.Phys.Rub.tract.4.q. 5. Moris. Auers. Vasq. Mazzior. & Alij. Scot. verò defendit vnam substantiam aliam immediatè producere, & attingere, quẽ sequũtur Scotis. ônes, & ex Exteris Nomin. Durand. Iandu. Valles. Suar. Hurt. Amic. Arriag. disp. 11. Phys. sec.2. & subsec. 4. Philipp. Spinula, & Alij. Carpened. postquam aliquas admittat limitationes, tãdem in D. Thom. opinionem incidit.

Supponimus ex Doct. in 1. d. 7.q. vn. V. quòd non potest certa ratio, & à priori assignari cur aliqua forma sit actiua, alia verò non, hoc .n. maximè deduci deberet ex perfectione, vel imperfectione formæ, & tñ videmus, ait Scot. formas aliquas imperfectiores esse similium productiuas, non verò perfectiores, sic formæ elementorum, quæ sunt imperfectiores, sunt actiuæ, non tñ omnes formæ mixtorum inanimatorum; formæ animatorum sunt communicatiuę sui, at substantiæ Cælestes, & Angeli sibi similia non producunt, cuius ratio à priori esse non potest, nisi qa hoc est hoc, & solùm ab effectu, & à posteriori ostendi potest; hinc probare non intendimus omnem substantiã esse alterius substantię productiuam, vel eiusdem, vel alterius speciei, sed quòd non solùm substantiæ Cælestes, sed etiam aliquæ sublunares alias substantias producunt, & hoc patet experientia, ignis .n. non tm̃ calefacit, sed etiam comburit, & generat ignẽ, & arbores, & plantæ suos proportionatos reddunt fructus, vnde Luc. 21. dicitur: *videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt ex se fructus, scitis quia propè est æstas*; at quis negabit, quod producere fructus nõ sit actio substantialis?

Dices ex D. Aug. 5. de Ciuit. Dei c. 9. habetur: *Corporeæ causæ non debent inter efficientes connumerari, ergo &c.* R. 5. Doct. non loqui de causis efficientib. vt sic, sed de causis liberis,

libris, quæ operantur per intellectum, & voluntatem, quorum effectus sunt intellectio, & volitio.

Ais pro Auic. Multa corporalia generantur ex putrimateria, quorũ causæ non possunt alia materialia etia assignari, neq. Cæli quia cùm non sint animati, nõ erunt immediatè causæ illorum. R. Ex Scot. 3. d. 18. concedendo illa à Deo generari, ex hoc tñ non debet fieri vniuersalis inductio; & aduertimus hic non controuerti, an vna substantia creata possit alteram totaliter producere, constat n. ex dictis omne agens creatũ præexigere materiam ad agendum, aliter crearet, nõ generaret, sed quærimus an vna substantia creata sit immediatè pductiua alterius, per ppriam essentiam, tanquam principio quo.

Conclusio.

Dicimus, substantiam immediatè, & sua substantiali virtute attingere productionẽ alterius substantiæ, nullo medio accidente. Est Scot. loc. cit. præsertim in 4. d. 12. q. 3. à quò ità probatur: nullum imperfectius potest esse causa alicuius pfectioris, sed substãtia est pfectior quocũq. accid. ergo nõ accid. sed substantia est p se, & immediatè causa alteri⁹ substãtiæ, maior, in qua tota vis cõsistit, ab Aliquib. reuocatur in dubium, ab Aliquibus verò glosatur de causa vt q, non de causa vt quo, sed sufficere q causa q̃ agere denominatur sit æquè perfecta cum effectu, non tñ requiritur, vt id, quo causa principaliter agit sit æquè cum effectu perfecta, quia non est continens, sed ipsa continentia.

Sed Contra, probatur maior tàm de causa vt quod, quàm de causa vt quo. De causa vt q patet ex Doct. quia aliter dici posset totum vniuersum à musca esse productum. Tum quia si forma causæ equiuocæ daret esse formaliter alicui, non posset date esse perfectius se, quia nemo dat quod non habet, ergo à fortiori neq. effectiuè, quia dando esse formaliter se totam communicat, non autem efficiendo. De causa vniuoca etiam patet, quia hæc cum sit eiusdem speciei est etiam eiusdem perfectionis cum termino adæquato suæ potentiæ, sed accid. non est huiusmodi respectu substantiæ, ergo &c. Quòd etiam propositio verificatur de causa vt quo, probatur, quia causa in tantum actu causat, quia habet virtutem causandi sufficientem, & si talem virtutem non haberet, non causaret, cùm actus secundus actum primum supponat, sed ratio qua spectat ad actũ primũ, ergo si causa non habet rõnem causandi perfectiorem effectu, non poterit illum causare, licèt effectus ex se aliam perfectionem excedentem includeret, quia si hæc non est ratiò influendi in effectum, impertinẽs est, & per accid. se haberet ad illum effectum.

Sed ad hanc rationem instat Amicus: Causa constituitur in esse causæ per virtutem actiuam, quæ non erit tota substantia causæ, quia substantia non est tota potentia, nec sm̃ omnes gradus est actiua, ergo cum illa potentia sit quædam realitas, necessariò erit imperfectior suo effectu, qui erit ens quoddam completũ, & Physicè compositum; sic animal dicitur generans aliud animal per potentiã generatiuam tanquam per principiũ quo, quæ tñ est animali imperfectior; sic etiam

sic etiam vna species per differentiã est alia perfectior, & tñ differentia non est illa specie perfectior.

Non valet, nam substantia non producit aliam substantiam per distinctam potentiam, sed seipsa sm totam suam entitatem producit, sicut seipsa tota distinguitur ab alia specie, dicitur tñ differre per differentiam, & formam, quia sunt principia radicalia magis principalia, sic etiam dicimus de materia, quod facit suo modo compositum essentialiter differre, ad exemplum de potentia generatiua animalis. ℟. Quòd animal producitur ab alio animali per suam substantiam, & potentia generatiua præsertim concurrit ad formationem corporis mixti, & seminis ità Mastr.& Bell. loc.cit.sed de hoc fusius in lib.de gen.vbi ostendemus, non in qualibet substantia potentias debere esse realiter ab ipsa distinctas.

Resp.Moris. Materia est imperfectior forma,& vtraq.est imperfectior composito, & tñ sunt causæ compositi, ergo imperfectius potest perfectius se causare. Addit, quòd licèt forma substantialis excedat accid.q̃a per se existit non inhærendo, tñ accid.ad productionem formæ substantialis concurrit cum materia, vnde totum aggregatum ex materia,& accidente non exceditur à forma substantiali.

Non placet, quia nos loquimur de causa efficiente, non de causa intrinseca, quæ semper est effectu imperfectior, nec causæ intrinsecæ sũt simpliciter causa adæquata effectus, nam requiritur etiam extrinseca, à quà effectus recipere debet totum id in quo causas intrinsecas excedit, ne illud excedens omnino incausatũ remaneat. Ad additionem.℟.Per idẽ, nam concursus materiæ non est in genere causæ efficientis, ergo excessus perfectionis in forma, ne improductus dicatur, habere debet causã effectiuam, quæ non potest esse accid. quia nemo dat, quòd non habet. Tum quia compositum substantiale, quod propriè dicitur productum, satis excedit aggregatum ex materia, & accid. vt euidenter apparet.

Resp. Aliqui quos sequitur Perer. Accid.esse imperfectius respectu entitatis substantiæ, sed esse perfectius in ratione agendi.

Sed Contra, perfectio in agendo arguit perfectionem in entitate supra effectum productum, aliter dicere possemus, Deum esse quidem perfectissimum in rõne agendi, sed ex hoc non sequitur quòd sit perfectissimus in entitate. Tum quia si accid. vt arguit Ponc.est perfectior in rõne actiui,quàm substantia, nihil impedit quo minus possit producere substantiam tanquam causam principalem, quod est contra Aduersarios.

Caiet.dat quamdã Resp.quæ neq. à suis accipitur. dicit, quòd forma substantialis non fit distincta actione ab alteratione,sed est terminus huius saltem secundarius, & quia idem est principium viæ, & principium termini viæ, ideò accid. quod est principium alterationis, erit etiam principium formæ substantialis.

Sed Contra, generatio est motus distinctus ab alteratione ex 5. Phys. 8. & ex 3. Phys.4. & differentes habent quidditates, & definitiones, ergo & distinctos terminos. Tũ quia forma

forma substantialis est realiter distincta ab accid. ergo distincta, & diuersa actione petit fieri. Tum quia sequeretur, vt supra, quòd imperfectius possit esse ꝑ se causa ꝑfectioris.

Videntes igitur Thomist. minimè defendi posse, accid. vt agens principale virtute propria producere substantiam, accuratius procedentes, fatentur accid. principaliter, & propria virtute substantiam attingere non posse, benè tñ instrumentaliter, & in virtute substantiæ, non quòd admittant cum influxu accid. influxum quoq. substantiæ, velut agẽtis principalis, nam in productione volunt solum accid. operari, sed inde dicunt operari in virtute substantiæ, vt instrumentum eius, quia est principium primum, & radicale à qua accid. ipsa virtutem producendi substantiam habuerunt, vnde volunt substantiam semper sistere, & perpetuo otio dormire, nec aliquid operari, nisi ministerio seruorum suorum, quę sunt accid. hinc ad argum. principale aiunt, maiorem esse veram de causa principali, non de instrumentali, quale est accid. quòd cùm sit virtus substãtiæ, pôt substãtiã attingere, non principaliter, & ꝑpria virtute, sed instrumẽtaliter, & virtute substãtię, q̃ doctrina variè à Thomist. explicatur.

Capreol. explicat, quòd accid. in agendo accipiat formam quamdam à substantia per modum transitus, & fluxus, per quam proportionatum redditur ad substantiam, quæ doctrina reiecta fuit à Scoto in 4.d.12.q.3. cit. §. *Hic est opinio &c.* nam hæc virtus de nouo in accid. recepta non est substantia, quia accid. non sustentat substantiam; si est accid. iam non erit nobilius priori accidente, & dato quòd sit nobilius, adhuc improportionatum erit, & imperfectius substantia.

Caier. quem ferè Recentiores omnes sequuntur, explicat, quòd accid. esse virtutem substantiæ, non sumi debet transitiuè scil. quod sit aliquid de nouo in accid. receptum, sed intrãsitiuè, idest agit per ꝓpriam entitatem, quæ est virtus substantiæ. Sed hic modus dicendi etiam impugnatur à Doct. quia accid. vt est virtus substantię producere substantiam in hoc sensu, est accid. sm̃ suam entitatẽ, quæ est quædã virtus substãtiæ ĩsita à natura cõcurrere ad ꝓductionẽ substantiæ, sed sic reddit primum argum. quia adhuc est improportionatum effectui, nam hoc totum nihil aliud dicit, nisi accidentis entitatem cum illa subordinatione, & habitudine ad substantiam, cuius est virtus, sed hæc subordinatio, non auget virtutem actiuam accid. nec perfectiorem reddit ipsius entitatem, cum sit merè respectus, ergo vanꝰ discursus.

At Resp. Ruu. quòd accid. vt virtus est subst. altioris est ordinis, & aliquid substãtiæ, ideòq. effectui proportionatum, quòd non est, si sm̃ entitatem suam consideretur. Non satisfacit, vt benè vrgẽt Bell. & Mastr. nã adhuc sub isto respectu, est imperfectius effectu, quia adhuc non est substantia, & parum accidenti proderit, quod agat nomine substantiæ, vt ei subordinatum, si vires ab ea non recipit ad productionem substãtiæ. Tum quia si productio substantiæ tribuitur accid. quia est virtus, & instrumentum substantiæ, quare non tribuitur ipsimet substantiæ? Tum

quia instrumentum, vt sic non attingit terminum principalis agentis ex dictis, ergo &c.

Complut. recurrunt ad quamdam eleuationem, quatenus scil. accid. habitualiter eleuatur ad productionem substantiæ. Ludunt verbis, & semper difficultatib. anguntur. quid .n. erit hæc eleuatio? est ne substantia, vel accidens? si substantia, ergo hæc attingit substantiam, non accid. si est accidens, ergo estò sit eleuatum, semper est intra sphæram accidentis, & semper reddit idem arg. Scoti, quòd nullum imperfectius potest esse causa perfectioris. Tum quia per Thomistas accid. quæ in passo recipiuntur, se habent vt principia actiua, & tñ cùm subiectantur in composito in instanti generationis non sunt, cùm etiam per ipsos detur resolutio vsq. ad materiam primam, ergo non possunt actualiter substantiam causare, sed tm̄ disponere subiectum pro eius productione.

Fortè dicent, quod accid. non est causa principalis totalis, & adæquata substantiæ, sed est causa partialis minus principalis, quæ potest esse imperfectior suo effectu, vt patet de albedine respectu intellectionis. Nō eis suffragatur, quia illa maior perfectio, quæ in effectu reperitur, refunditur in ipsum intellectum, vt causam partialem magis principalem, quæ etiam immediatè agit ad intellectionem. Neq. etiam eis effugium ad principium, vt quo, in accidente respectu substantiæ prodest, quia cùm fateantur accid. separatum posse substantiam generare, sic non solùm vt principium quo, sed etiam vt principium quod ponunt productiuum substantiæ.

Prob. 2. Conclusio ex opposita sent. nam sequeretur, quod substantia non esset causa principalis productiua alterius substantiæ, at hoc est contra Thomist. qui volunt substantiam esse causam principalem respectu alterius substantiæ, accid. verò instrumentalem, ergo &c. probatur seq. non potest dici causa principalis illa, à qua effectus immediatè non producitur, sed effectus sm̄ Aduersarios nō oritur immediatè à substantia, sed ab accid. ergo accid. erit causa principalis, non substantia, patet maior, aliter Auus esset causa pricipalis Nepotis, non Pater ipsius, quia Auus mediatè influit, quia influit in Patrem.

Resp. Paulus Aref. 1. de gen. q. 20. sec. 4. quòd cùm accid. operetur nomine substantiæ, benè potest assurgere ad producendam subst. Sed quid est (ait Arriag.) accid. assurgere? nunquid dormiebat accid. aut iacebat in lecto? aut dum assurgit, induit nouam essentiam, qua diuius factum iam possit substantiam producere? Si nihil substantiæ recipit, semper erit pauper, caduca veste accidentis indutum. Et quid pauperem subditum iuuat, vt sui Domini nomine magnificos sumptus faciat, si ipse neq. alicuius minimi nummi poss. ssor euaserit? ità parum proderit accid. ad substantiæ productionem, quatenus substantiæ famulus operatur, si nihil substantiæ in ipsum deriuetur.

Confirmatur 3. Conclusio ex Arrig. disp. 11. Phys. subsec. 4. qui Scotista euadens, sic arguit: Magis proportionata est substantia ignis cum altera substantia ignis, quam calor cum igne, ergo potiori iure ignis imme-

immediatè producit alium ignem, quàm calor. Confirmat. quia inter duas res, quarum vna est proportionata cum effectu, alia verò non, nequit sine fundamento productio immediata effectus ascribi causæ minus proportionatæ, & negari magis proportionatæ, sed nullum est fundamentum ad concedendum productionem substantiæ accidenti, & non substantiæ; neq. experientia nobis ostendit, ignem procedere à calore, & non ab ipsa forma ignis; cur ergo si nec proportio inter causam, & effectum iuuat, nec experientia contrarium docet tam violenter contra naturas rerum negant substantię virtutem productiuam alterius substantiæ, & eam concedunt accidenti? Confirmat 3. & coincidit cum arg. Scoti: Causa totalis debet continere formaliter, vel eminenter eff ctum, nemo .n. dat quod non habet, sed accid. non præcontinet substantiam, nec formaliter, quia non est substantia, nec eminenter, quia non est perfectius, sed multò imperfectius illa, ergo non potest esse causa adęquata substantię. hæc Arriag.

Obiectiones.

Ob. Thomist. plura Arist. testimonia adducentes. 1. de gen. ait quòd actio est inter contraria, vt sunt qualitates. lib. de sensu cap. 4. inquit, nihil agere, aut pati quatenus ignis, aut aqua, sed quatenus contrarietatem habent, & 2. de anima tex. 50. docet animam calore naturali agere. Ex quib. deducunt, accid. immediatè agere, & substantias non, nisi mediante accidentib. R. Quòd si relata verba accipi debeant, vt sonant, nec substantia posset produci ab accid. quia accidens nõ contrariatur substantię, nec substantia posset producere accidens, nec actus habitus, nec voluntas Amorem, nec intellectus intellectionem &c. q̃a hæc nõ cõtrariãtur. quare relati textus intelligẽdi sũt de prima radice operationis substãtialis, vt etiã aduertit Arriag. q̃a vna substantia semper incipit aliam debellare, producendo accidentia illis contraria, cum hoc tñ stat, quòd postea expulsis iam cõtrarijs accid. vna substantia immediatè producit aliam. Sic etiam intelligendum est, quòd substantia non est immediatè operatiua, idest non est primò operatiua extra se, quia prius producit aliqua accidentia, & deinde aliam substantiam immediatè. Vel Arist. in lib. de gen. loq̃tur de cõtrarietate largè sũpta, quæ etiam inter duas formas substantiales disparatas reperitur. In lib. de sensu loquitur de actione intentionali in sensum tactus, quomodo ignis agit solùm vt calidus, cùm substantia non sit per se sensibilis. In 2. de an. Resp. Doct. in 4. cit. quod in nutritione dantur duæ actiones, & duo principia; respectu alterationis præuiæ, principium est calor; respectu formæ carnis inducendæ, principium est anima, Arist. loquitur de prima actione, vel si de secunda loquatur, intelligendus est dispositiuè quatenus scil. calor concurrit disponendo, non attingendo substantiam.

Ob. ex 7. Meth. 31. & ex 2. de anima 10. semen est instrumentum, quo vnum animal efficit aliud, sed virtus seminis est accid. & animal in generat. nihil agit immediatè, quia potest esse corruptum, ergo solùm agit in virtute seminis, & tamen animal est

causa principalis,aliter non esset verum dicere hominem ab homine generari, nec inter illos essent relationes geniti,& generantis.℞.Ex Doct. in 3.d.2.q.3 & in 1.d.5.q.2.H.quòd generans nullam aliam actionem immediatam habet præter seminis decisionem, cætera verò agit mediante semine;at in viuiperis,& animatis mater non solùm agit per semen, sed etiam immediatè propria virtute formationem corporis attingit, imò & animationem,præter quam in hominis generatione: dicitur verò semen instrumentum generationis,non quòd sit verè, & propriè instrumentum, nam potius est agens principale,sed ideò,quia est quoddam ens institutum à natura, vt vices generantis suppleat. Falsum est etiam, quòd virtùs seminis sit accid. sed est aliqd substantiale scil.partes illæ subtiliores agentes in grossiori, cùm non sit corpus homogeneum,sed & æthero-geneum ex Scot. in 3. cit. licèt in 2. d.18. secutus fuerat alteram opinionem de seminis homogeneitate, negando semini actiuitatem, vt Mastr. & Bell. Aduertunt cum Gratiano,de quo fusius in lib. de an. Semen igitur non attingit animam, sed solùm formam corporeitatis; neq. adhuc se habet vt causa totalis, nam etiā concurrunt Cęli, & in viuiperis potentia generatiua matris; dicitur autem animal ab animali generari, nō quòd reuera fundetur in generante relatio productionis actiuæ, quia per accid. est quòd in instanti generationis reperiatur generans, sed quia aliqd generantis est in genito, & quia etiā generans per decisionem seminis cōpositum producere intendit, quòd si non producit, nisi medijs illis mutationibus,hoc euenit ex imperfectione agentis,ait Doct.

Ob. Experientia constat, substantias creatas non agere, nisi mediantibus accid.ergo accid.attingunt productionem substantiæ.℞. Tanquam principijs disponentib. est verum assumptum; tanquam immediatè attingentibus substantiam est falsum; sic etiam ad consequens,dispositiuè cōcedimus, immediatè, & formaliter negamus.

Ob. Accid. attingit vltimam dispositionem formæ generandæ, ergo erit causa formæ, patet sequela,quià ex Doct.in 2.d.18. in tantum viuens dicitur causa alterius, quia attingit vltimam dispositionem formæ viuētis. ℞. Neg. sequelam, & ad probationem negatur paritas, nam dispositio, quam attingit viuens est forma substantialis permanens, accid.verò solùm attingit dispositionem accidētalem, quæ ad destructionem formæ corrumpendæ destruitur.

Sed Contra, cuius est disponere materiam pro forma introducenda, eius est expellere formam contrariā, & propriam inducere,sed accid.disponit materiam, ergo &c. ℞. Maiorem esse veram respectu eiusdem agētis, in quo vtraq. virtus disponendi, & generandi reperitur,quatenus idē agens disponit, & generat, non de vnica virtute, quæ est tm̄ dispositiua, & inferioris ordinis.

Ob. Ergo calidum in summo,non posset corrumpere frigidum vt duo; & si gutta aquæ poneretur in sphæra ignis, in qua solus calor reperiretur, nunquam posset destrui.℞. Cū Doct. lit.P.concedendo sequelam, nō vtiq. ex se,

ex se, sed ab extrinseco, propter resistentiam aquæ, vel alterius corporis frigidi; ad id de gutta aquæ in maximo calore, ait quod corrumperetur, non à calore, sed ab agente vniuersali scil. à Cęlo, ad quod est fuga naturalium, cùm forma inducenda est perfectior, quòd si esset perfectior cælo, vt est anima, ad Primam causam simpliciter recurrendum est.

Sed instat Auersa, valde inconueniens est ad Deum recurrere in operib. quæ tàm ordinariè fiunt. Sed q.d tàm communius, & vniuersalius, quã ordinaria, & quotidiana mors animalium, & plantarum? Et tñ Thomistæ in qualibet horum morte recurrunt ad causam vniuersalem, vel ad Deum, vt assignent causam productionis formæ cadaueris, & sine vlla vrgente necessitate.

Ob. Ille concursus, quo Deus suppleret defectum causæ secundæ, vel esset naturalis, vel supernaturalis, & miraculosus; non primum, quia Deus nihil agit naturaliter tanquam causa particularis; neq. secundum, quia sic miraculosè producerentur ranæ ex putri materia, & similia, quod absurdum videtur. ℞. Concursum illum esse naturalem, sicut est concursus, quo Deus producit animam rõnalẽ, quia est iuxta connaturalem exigentiam creaturarum; an deinde dici debeat causa particularis, vel vniuersalis talis effectus, est quæstio de nomine, & eodem modo respondendum esset, quomodo ipsi responderent si à nobis quæratur, quomodo Deus concurrit ad productionem animæ rõnalis, vel formæ cadaueris &c.

Ob. ex Ioan. de S.Tho. si forma substantialis esset immediatum principium operationũ, sequeretur, quòd habens formam, semper haberet operationem in actu, sicut habens animam, est semper viuens, sed hoc est falsum, vt experientia constat, ergo &c. prob. seq. quia in quantum forma, est actus, non ordinatur ad alium actum, sed in quantum actus non est principium operans, aliàs esset operans, & non potentia, ergo rõne alicuius superadditi. Resp. Mastr. & Bell. hoc arg. retorqueri contra arguentem, nam etiam si forma accidentalis esset principium immediatũ operatiuum, sequeretur, quòd habens talem formam, semper haberet operationẽ, sed hoc est falsum, ergo. sequela probari posset eodem modo, & parum refert, quòd forma accidẽtalis sit actus substãtialis, vel actus accidentalis ad propositum. ℞. Igitur neg. seq. ad probationem, forma, in quantum forma est actus, non ordinatur ad alium actum primum, sed seipsa actuat materiam, at est potentia respectu actus secundi, quem potest producere; sic etiam de forma accidentali, albedo est in actu, seu actus reddens parietem album, sed potentia ad disgregandum visum; habens animam est viuens quo ad actũ primum, sed potentia quo ad operationes vitales, & actum secundum; ideò nihil.

Ob. Imperfectius potest corrumpere perfectius, nõ solùm dispositiuè, sed etiam formaliter, & immediatè, minima .n. causa nociua, estò inanimata potest animal occidere, ergo potest etiam producere perfectius, nam corruptio vnius, est generatio alterius. Resp. Scot. in 4.d.12.q.3.lit. N. & X. in illo extra, quòd estò sit vniuer-

vniuersaliter verum, quòd nullum imperfectius potest producere perfectius, non est tñ vniuersaliter verũ, nullum imperfectius posse corrumpere perfectius, sed solùm verum est de imperfectiori actiuo sm̃ genus, quale est accid. respectu substantiæ, non de imperfectiori actiuo secundum speciẽ, quales sũt substantiæ, q̃a substantia, vt substantia à toto genere perfectior est omni accidenti, substantia verò dicitur alia imperfectior, non vt substantia est, sed vt talis substantia, & ideò vna dicitur alia imperfectior sm̃ speciem, & rationem huius assignat Doct. nam agens naturale non potest corrumpere, nisi generando, quia non potest annihilare, nec potest materiam nudam omni forma substantiali spoliare, hinc sequitur, quòd corruptio vnius, sit generatio alterius; Nec potest creatura in accid. per se existens corrumpere, sed oportet, vt corrumpat in substantiam, itá vt in fine corruptionis, aliquod substantiale relinquat, ne detur annihilatio. Cùm ergo substantia possit aliquod substantiale producere, quod non potest accid. sequitur, quòd agens substantiale potest substantiam corrumpere etiam perfectiorem, quatenus potest producere in subiecto dispositionem aliquam incompossibilẽ cum forma substantiali; ex hoc tñ nõ sequitur, quòd possit etiam perfectius producere, quia vt Scot. docet in 4.d.43. *ad secundum principale &c.* Potens in processum resolutiuum, non necessariò potest in compositiuum, possum .n. diuidere solidum, non tñ partes diuisas iterum continuare; & in 3.d. 16.q.2.F. ait Scot. quòd plus requiritur ad construendum, quam ad destruendum.

Quæ doctrina est cõis etiam in sent. Thomist. vt videre est apud M. Iacob. Brun.q. 10. Phys. art. 4. vbi Resp. ad hoc arg. potens corrumpere, potest generare, sed accid. de se corrumpunt formam substantialem, ergo de se possunt formam substantialẽ producere. Resp. Præfat. M neg. maiorem, quia Angelus potest corrumpere leonem, non tñ leonem generare; curruptio ergo cùm sit malũ, ex defectu vnius potest accidere, sed generatio cùm sit bonum ex integra causa debet resultare, hæc relatus Doct. Subdit Scot. in 4. d. 12. q. 3. ꝙ duæ substantiæ, licèt vna sit alia perfectior, formaliter tñ, & directè opponuntur saltem disparatè, propter quam repugnantiam, vna potest alteram corrumpere, at inter substantiam, & accid. est repugnantia virtualis, & indirecta, sicut prius opponitur posteriori, vnde videmus, quòd substantia est aliquo modo compossibilis cum aliquo gradu accidentis contrarij, non tñ cum aliqua forma substantiali.

Ponc. in Phys. disp. 9. q.2.nu.18. ad allatũ arg. quòd imperfectius potest corrumpere perfectius, ergo & generare, respuit solutionem Scoti assignatam, tum quia est satis obscura; tum quia additiones ad Scot. non sunt magnæ auctoritatis; vnde breuiter negat conseq. quia ad destructionem vnius sufficit productio alterius incompossibilis; hinc cum forma ignis sit incompossibilis cum forma viuentis, quicumq. potest producere formam ignis, potest corrumpere formam viuentis. Deinde subdit

potest

potest bene destrui viuens per virtutem accidentis vnius, aut plurium, quia licèt non sit formalis repugnantia inter formam viuentis, & accid. potest tñ esse formalis repugnantia inter dispositiones necessarias ad formam viuentis, & dispositiones contrarias destructiuas, vnde si istæ producerentur, destruerentur dispositiones necessariæ pro forma viuentis, & consequenter hæc destrueretur; & sanè hoc modo destruuntur vniuersaliter animalia scil. vel ꝑpter excessũ aliquorũ accid. vel ꝑpter defectũ, & tã excessus, quã defectus iste oriri verisimiliter potest, ob virtutẽ aliorũ accid. applicatorũ hęc Pōc.

Et quidem quantum ad primum, non negamus eius responsionem esse breuiorem, sed non assignat rõnem, sicut facit Doct. pro adæquata responsione; quia .n. agens naturale non potest corrumpere, nisi generando, cùm non possit annihilare, nec materiam nudam omni forma substantiali spoliare, benè sequitur, ꝙ accid. nequeat substantiam corrumpere. Quantum ad secundum, quòd accid. potest destruere dispositionem necessariam ad formam viuentis, & quod itá sæpius destruuntur animalia, vel per excessum, vel per defectum caloris, frigoris &c. satisfacimus modo argumenta pro Thomist.

Ob. Thomist. ex Arist. de longitudine, & breu. vitæ, vbi ait, quòd causa vitæ est calor, & humiditas, causa mortis frigus, & siccitas ergo &c. ℞. Communiter cũ Scotist. ꝙ si Philos. loquitur de illis accidentib. tunc intelligendus est tanquam dispositionibus præuijs; si verò loquatur de humoribus correspondentibus illis qualitatibus, concedimus, sed nil contra nos, cùm sint substantiæ.

Sed Contra, substantia non potest naturaliter conseruari spoliata omnib. accidentibus sibi cõnaturalibus, vt aqua sine omni frigiditate, sed potest accid. V.g. calor omnem gradum frigoris propria virtute ab aqua destruere, ergo & ipsam aquam. Maior est clara, minor probatur, quia omnes illi gradus sunt eiusdem rõnis, ergo si potest habere actionem corruptiuã respectu vnius, poterit etiã habere respectu alterius & sic de reliquis; & ꝙ hoc efficeret ꝑpria virtute, inde patet, quia si calor esset separatus, vel in subiecto alieno, vt in aqua, tunc se solo ageret, non virtute subiecti. Tum quia illi gradus non poterunt corrumpi à generante, vt generans est, quia sic respicit subiectum, ergo ab alterante, vt alterans est, quæ doctrina fauet Ponc. ℞. Ex Scot. in 4. d. 12. q. 3. O. neg. minorem, nunquam .n. potest alterans inducere gradum incompossibilem alterabili, ad prob. ait Doct. lit. N. quòd estò omnes illi gradus sint eiusdem rõnis, si in se spectentur, quia tamen aliqui sunt simpliciter necessarij ad conseruationẽ formæ substantialis, sine quibus consistere non potest, alij verò sunt sũ quid necessarij, & ad bene esse, hinc respectu substãtiæ, cuiꝰ sũt dispositiones necessarię, cẽsẽtur alterius rõnis, non ꝙ in seipsis non sint accid. sed ꝙ substantia pro illis pugnat, & resilit, maior autem est cõcursus substantiæ, quam accidentis, & hac rõne calor propter hoc auxilium substantiæ, nũquã potest corrumpere gradus, quos substantia pro sui conseruatione sibi vendi-

vendicat; quare illi gradus vltimi corrumpuntur à substantia corrumpente aquam concomitanter.

Quòd autem hoc sæpè eueniat in morte animalium, quæ per excessum caloris, vel frigoris, vel per defectũ moriuntur, intelligendum erit dispositiuè, vt dictum est, quatenus vna substantia aliam debellando, vtitur dispositionibus contrarijs, & hoc nõ sæpius euenit, sed semper, nunquam .n. moritur animal, nisi propter excessum, vel defectum prauium inductum à corrumpente per humores cõtrarios, & incompossibiles; ità Scot. in 4. cit. O. *Dico ergo, quòd nulla substantia corrumpi potest, nisi à substantia; sicut nec oppositum substantiæ corrumpendæ, potest induci nisi à substantia, vt superius probatum est, à quali autem contrario non corrumpitur substantia, nisi dispositiuè, quia ad illam alterationem sequitur generatio*. Hæc Scot. manifestè asserens, quòd à quali contrario non corrumpitur substantia, nisi dispositiuè, ergo non formaliter, vt Ponc. autumat.

Suar. disp. 18. Meth. sec. 2. Cum Ruu. Conimb. & Aliquib. concedit substantiam immediatè operari, at nõ solam, sed cum immediato partiali concursu accid. & ità arguit: Accidentia non sunt data substantijs solũ pro ornamento, sed etiam vt ijs mediantibus omnes suas operationes exerceant, ergo concurrunt ad productionem substantiæ. ℞. Neg. anteced. nam prima productio ipsorum accid. non fit mediantibus alijs accidentibus, ergo non oportet, vt omnes productiones substantiarum fiant mediantibus accidentibus. ℞. 2. disting. assumptum, ijs mediantibus tanquam immediatè concurrentibus ad generationem substantiæ, negatur; tanquam mediatè, vel immediatè dispositiuè concurrentibus, conceditur, & negatur consequentia.

Ob. Substantia est de se indeterminata ad hanc, & illam formam substantialem producendam, ergo debet determinari per accid. & consequẽter accid. debet concurrere immediatè ad productionem substantialem. ℞. 1. neg. anteced. absolutè sumptũ, quia ignis V.g. est de se determinatus ad producendũ ignem, non aquã; sicut ad producendum calorem &c. ℞. 2. distinguendo primum consequens, debet determinari per accid. dispositiuè, concedimus; tanquam per aliquod comprincipium immediatè concurrens, negamus; quotiescumq. n. aliqua substantia est indeterminata ad plures effectus substantiales, determinatur ad vnum præalio per dispositiones prauias, exigentes connaturaliter potius vnã, quã aliam formam; & hoc est tantùm dispositiuè, quod nos concedimus.

ARTICVLVS DVODECIMVS.
An substantia sit Immediatè actiua accidentium.

SCot. dubium hoc examinat in 2. d. 16. q. vn. & in 4. d. 12. q. 3. E. vbi determinat substãtiam immediatè aliqua accid. producere. Pro cuius solutione præmittimus, duo præsertim posse circa hoc quæsitum inquiri; Primum, an substantia immediatè possit in se ipsa aliqua producere accidentia; Secundum, an possit illa producere non tantùm in seipsa, & actione immanenti, sed etiam in subiecto distincto, & actione transeunti.

Quo

Quo ad primum, est opinio Aliquorum Thomist. negantiū omninò substantiam productiuam esse accidentium, sed hęc medijs potentijs efficere, quę potentiæ non ab essentia, sed à generante formam volunt produci, colligunt ex D. Tho. 1. p. q. 54. art. 3. vt videre est apud M. Iacob. Brun. in Phys. q. 10. art. 3. qui etiā citat Vasq. Mazziet. & Aliquos Recent. Communior tñ concedit hanc actiuitatem substantiæ, licèt sit deinde discrepantia in assignatione horum accid. circa quæ substantia hanc exerceat causalitatem. Quoad secundum est etiam inter Doctores aliquod dissidium, vt videbimus in 2. Conclusione.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. substantiam immediatè aliqua producere accidētia. Est Scot. loc. cit. & sic absolutè prolata est cō is contra Thom. qui vniuersaliter negant substantiam per semetipsam immediatè producere vera, & reali productione vllum accid. siue in se, siue in subiecto alieno, vt notatū est apud Cōpl. disp. 10. nu. 92. & præter Scot. sequuntur Neuth. ferè omnes, Suar. disp. 14. Meth. Hurt. disp. 9. Phys. Arriag. disp. 11. Phys. sec. 2. subsec. 1. Auers. disp. 11. sec. 8. & Alij.

Prob. Scot. ex 7. Meth. 32. vbi Arist. docet, quòd adhuc vt substantia fiat, est necesse aliam substantiam pręexistere, quo producat; sed adhuc vt quantum, & quale producatur, non oportet aliquod quantum, vel quale præexistere, nisi potentia tantùm. Ergo si aliquod, quod non est actu quantum, vel quale potest esse principium productiuum immediatum quanti, vel qualis, iam substantia talia accid. producet; & Arist. ibi loquitur de vera actione, vt ex textu constat, sicut vera actione substantia præexistens aliam substantiam producit.

Probat Scot. 2. rōne: In efficientibus, & effectibilibus, omnis ordo accidentalis efficientis, & effecti in eadem specie redigendus est in aliquam causam essentialiter perfectiorem, sed cum vnum accid. fit ab alio in eadem specie V. g. hic calor ab hoc calore, datur ordo accidentalis in efficiendo, ergo redigendus est in aliam causam essentialiter perfectiorē, quæ, vel est accid. vel substantia; si hæc habetur intentum; si primum arguitur eodem modo, quousq. deueniatur ad substantiam tanquam ad perfectiorem causam immediatam, cùm in essentialiter ordinatis non sit processus in infinitum. Tùm quia etiam in sent. Thomist. substantia immediate producit substantiam, cur ergo non poterit sic accidentia producere, quæ sunt imperfectiora, & nobiliori modo continentur in substantia, quæ est ordinis superioris?

Confirmatur de aqua calida reducente se ad pristinam frigiditatem, quæ non producitur à generante, quia potest esse corruptum, vel distans; Neq. à residuo frigore in aqua relicto, vt putabat Auerr. quia idem intenderet seipsum actione vniuoca, quod est inconueniens, vt lib. de gen. patebit; Neq. ab aere circumstante, vt autumabat Tolet. nam aqua semper frigidior fit, quam aer; Neq. ab aliqua qualitate virtuali occulta, vt asserunt Thomistæ, licèt deinde discrepēt, quòd aliqui volunt hanc virtutem esse immediatè à substantia, aliqui à generante impressam. Tum

quia intellectus immediatè producit intellectionē, sed intellectus est substantia, ex dicendis lib. de an. ergo. Tum quia nulla ratio assignari potest, cur accid. producat accid. non autem substantia, cùm hæc sit à toto genere perfectior. Tum quia virtus hæc occulta, cùm sit qualitas suscipit magis, & minus, quæ est proprietas qualitatis in cōi, & consequenter omnibus qualitatib. conueniet tàm materialibus, quàm spiritualibus, tàm naturalibus, quàm spiritualib. quæ qñ remittitur à quo postea intenditur? non à seipsa, vt patet; Si à Deo, ergo idem dici posset de frigore absq. recursu ad hanc virtutem, ergo remanet, quòd intendatur ab ipsa aqua; hinc Arriag. loc. cit. concl. 1. quasi lepidè iocans dicebat: si tàm occulta est qualitas ista, vnde illam nosti?

Obiectiones.

Ob. Esse est prius, quàm posse operari, ergo posse operari est quid accidentale substantiæ. Sed Contra hoc arg. instat Arriag. ex hoc sequitur, quòd etiam in ipsis accidentibus V. g. in calore, virtus productiua sit aliq superadditum caloris. & sic in infinitum, quia etiam in calore prius est esse, quam operari, inde negat antecedens, quia nullo modo, vel apparenter potest suaderi. Sed dato etiā anteced. saltem quo ad prioritatem naturæ, negatur conseq. quia potentia ad operandum in substantia, identificatur realiter cum ipsa substantia. Tum quia & si prius sit esse, quàm operari, inde solùm colligitur, prius substantiam debere existere, quàm posse operari, non verò ex hoc infertur nō posse per se immediatè operari, in quo consistit punctus controuersiæ.

Ob. Sicut se habet esse ad essentiā, ità operari ad potentiam, ergo à cōmutata proportione, sicut se habet esse ad operari ità essentia ad potentiam, sed in creatis distinguitur esse ab operari, ergo essentia quoq. à potentia. ℞. Quòd neq. hoc argum. attingit punctum præsentis difficultatis, & antecedens est falsum, quia esse ab essentia non distinguitur realiter, sed tū formaliter, operatio verò, & potentia distinguuntur realiter.

Ob. Substantia creata est ens limitatum, & finitum, ergo non potest esse totale, & proximum principium actionis accidentalis, probatur conseq. quia maxima est distantia, & improportio inter substantiam, & accid. ergo cùm substantia creata sit limitata, non potest cum accid. coniūgi, nisi per aliquod proportionatum medium, qualis est potentia accidentalis.

Sed Contra, ista media potentia, quæ facit vniri substantiam cum accidente, iam est accidens per vos, ergo sicut substantia vnitur cum ista potentia, ità vniri potest cum alio accid. Tum quia si inter principium, & principiatum requiritur proportio, & ideò substantia non potest producere accidens, quomodo Aduersarij affirmant, quòd accid. potest producere substantiam? ℞. Igitur ad Arg. neg. conseq. & ad probat. dicimus nō requiri proportionem in entitate inter causas æquiuocas cum effectibus, sed actiui ad passiuum, quæ bene adesse potest inter substantiam producentem, & accid. productum.

Ob. Actus, & potentia pertinent ad idem genus ex 12. Meth. 20. & 26. ergo

ergo substantia nō potest producere accid. nisi media potentia accidentali. R. Hoc arg. etiam contra Ipsos retorqueri, nam quomodo ergo affirmant accid. separatum producere posse substantiam? hinc dicimus cum Scot. propositionem illam intelligēdam esse de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, non de potentia virtuali, & actu formali.

Ob. Actus semper nobilior est potentia ipsum respiciente, ergo potentia, qua substantia producit accid. non poterit esse ipsa substantia, sed aliud accid. R. Assumptum esse verum de actu formali, & potentia passiua, veluti est forma substantialis respectu materiæ primæ, non de actu producto, & potentia productiua, quæ sēper vel perfectior, vel æquè perfecta cum effectu esse debet.

Ob. Ex Auersa: species vini in Euchar. calefactæ redeunt ad pristinam frigiditatem, sed non à substantia vini, quia ibi non est, neq. ab aere ambiēte, quia hic potest esse calidior, ergo ab illa virtute accidentali inclusa in illis specieb. R. Illud frigus produci immediatè à Deo, ex vi antecedentis miraculi, vt fides locum habeat. Quod etiā fateri deberet Auersa, casu quò illa virtus remitteretur, cùm etiam sit qualitas remissibilis; & recursus iste ad Deum est rationabilis, & necessarius ad supplendū substantiæ defectum; at in casu nostro remanet eadem substantia aquæ, cui benè potest illa productio ascribi.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Accidentia, quorum substantia est in seipsa immediatè productiua, non solum actione immanēti, sed transeunti, posse quoq. transeunter à substantia illa probabiliter produci. Est ad mentem Scot. in 2. d. 9. q. 2. Q. vbi ait: *effectus simplicissimus potest causari à causis essentialiter ordinatis, quæ differunt genere, patet hoc de calore, qui gignitur à corpore Cælesti, & igne, vel à substantia, & qualitate*. Hæc Doct. sed calor à qualitate scil. ab altero calore non producitur, nisi actione transeunte in alienum subiectum, sicut etiam à Cęlo causatur, ergo verisimilius est Scot. vniformiter loqui quo ad omnia tàm de actione immanente, quàm transeunte. Confirmatur ex his, quæ habet Scot. loc. cit. §. *Ad Quæst. istam &c.* vbi docet intellectum posse producere intellectionem, non solùm in seipso, sed etiam in alio, quod sic probat: *Illud, quod sufficienter est in actu primo respectu alicuius effectus, potest illum causare in receptiuo proportionato approximato*. Addamus minorem ad propositū, sed aqua V. g. est huiusmodi scil. sufficienter in actu primo productiua frigoris, vt patet, & potest esse aliquod subiectum capax approximatum ad frigiditatem recipiendam, ergo &c. Tum quia minus videtur posse produci intellectio transeunter, quàm calor, vel frigus à forma substantiali, sed intellectio potest transeunter produci per Scot. ergo à fortiori calor, vel frigus &c. minor est Scoti, maior est euidens, quia intellectio cōiter appellatur actio immanens. Hanc Conclusionem sequūtur Maior in 4. d. 12. q. 2. concl. 3. & 6. Rubion in 4. d. 12. q. 6. art. 2. Mastr. & Bell. disp. 7. q. 6. art. 3. & Arriag. disp. 11. Phys. sec. 2. subsec. 1. concl. 3. saltem de possibili, & est contra

Auersam, Ponc. & Alios.

Diximus, quorum substantia in se ipsa est immediatè productiua, propter multa accidentia, quæ substantiæ insunt, sed dependenter ab alijs accid. ad quorum variationem variantur; signum, quòd non immediatè, & totaliter à substantia producuntur, sic se habent V.g. motus sursum, & deorsum in leuib. & grauib. qui non procedunt à formis substantialib. proximè, & immediatè, nisi vt principia prima, & radicalia sunt illorum motuum, proximè verò, & immediatè à grauitate, & leuitate &c.

Ponc. in Phys. disp. 9. q. 3 concl. 3. vult, quòd de facto productio qualitatum in alieno supposito, quæ sunt similes qualitatib. substantiæ, ad cuius præsentiam producuntur illę qualitates, non sit attribuenda ipsi substātiæ immediatè, neq. quidem partialiter, sed qualitatib. ipsius, & hoc non solùm de facto, sed neq. de possibili, sed quia maximè vrget paritas assumpta à Scot. de intellectione in subiecto alieno, sententiam Magistri in dubium reuocat, dicens. *si vera sit illa sententia*. Deinde ait: non est idem dicendum de intellectu in ordine ad producendum intellectionem in se, & in alio subiecto, ac de igne in ordine ad producendum calorem per suam substantiam in se, & in alieno subiecto. Sed nullam assignat disparitatis rationem.

Confirmans deinde suam opinionē vtitur exemplo vini, & piperis, quæ sunt capacia tanti caloris formalis quantum possunt producere in alio subiecto, & tamen non possunt tantū producere in semetipsis, vt patet experientia; Sic etiam consequenter, licèt ignis per suam substantiam possit producere in seipso calorem, non sequitur quod per eam possit producere calorē in alio subiecto. Nō valet, quia assumit exempla de agentib. tantum virtualiter, non de agentib. virtualiter, & formaliter simul, de quib. loquimur. Vinum, & piper recipiunt in se calorem formalem ab alio merè passiuè se habentes, & ideò non possunt in se ipsis talem calorem causare, quia natura sua non sunt formaliter calida, sed tm̄ virtualiter, & respectu alterius; at ignis non solum est virtualiter calidus, quatenus potest calorem producere, sed etiam formaliter per calorem in seipso à se metipso productum, vt eius qualitatem debitam, & connaturalem; Sic etiam aqua calida potest calorem producere in subiecto alieno, non tñ potest talem calorem in se ipsam causare, quia illam tm̄ ab extrinseco agente recipit, merè passiuè se habendo, at respectu frigiditatis, cuius est productiua, non tm̄ virtualiter quoad actum primum, sed etiam formaliter quo ad actum secundum, quatenus illa frigiditas est qualitas, ei connaturalis, sic bene illam sibi producit, remoto extrinseco agente, sicut potest frigiditatem in subiecto externo producere &c.

Dicit, quod maior Scoti est vera quandocumq. non sequitur inconueniens, non autem quando sequitur inconueniens. benè, sed quod est inconueniens, quod sequitur ponēdo ignē producere calorem in subiecto alieno? imò nos hoc putamus conuenientissimum. Et qñ etiā neq. nostræ, neq. suæ rōnes conuincerent, saltem pro nobis suppetit Scoti Authoritas, de in-

de intellectione causata in alieno intellectu.negat paritatem,sed non assignat rationem. Saltem Arriag. loquitur magis consequenter,quia negat intellectum suā intellectionem in alieno intellectu causare, at nos,qui Doct. sub. sequimur vestigia, non possumus hoc sine Magistri praeiudicio negare. Affert inconuenientia, quę sequerentur ex nostra Doctrina, sed audiamus quanti ponderis fuerit.

Obiectiones.

Ob. Ponc. Si substantia concurreret ad accid. producendum, iam superflueret accidens, quid .n. inseruiret V.g. calor in igne, si hic posset etiam calorem producere? sed hoc est falsum, ergo. ℞. Neg.seq.ad plura .n. inseruiunt accid. scil. ad substantiae perfectionem, vt citius agere possit,vt perfectius existat iuxta eius connaturalem statum, & vt perceptibilis sit à sensu.Contra hanc respōsionem insurgit Ponc. sed quàm fęliciter Iudicent Docti &c.

Ob. Denuo: Si aliud subiectum tàm calidum, quàm ignis V. g. aqua applicaretur tali modo stuppae,ipsam disponeret ad formam ignis,estò nullo modo esset productiua caloris per suam substantiam,neq. in se, neq. in alio, signum euidens, quòd concursus substantialis formae non sit necessarius ad talem dispositionem producendam.℞. Antecedens esse potius ad oppositū, vt bene aduertunt Bell. & Mastr.quis.n.vidit vnquam,aquam calidam quantumcumq.feruidam cōburere stuppam,imò potius stuppam, vel carbonem ignitum, aqua illa feruens extingueret.Vnde hoc? quia ille calor in aqua cùm non habeat pro sui defensione adiuuamen substātiae ignis, cui ille est amicus, & connaturalis non potest in illam materiā suum effectum producere, quod faciliter posset cum cōsortio ignis,etiam si cum lumine candelae adiungeretur. Ex quib.colligitur quàm necessarius sit ad talem dispositionem producendā concursus substantialis formae.

Argunt Alij: Si haec doctrina esset vera, sequeretur quòd citius calor cum igne ageret, & fortius, quàm ab igne diuisus, sed experientia est in contrarium, nam calor in aqua, vel in ferro fortius agit, si manus apponamus, quàm cum igne, ergo &c.℞. Neg.mi.& ad experiētiam, dicimus, id prouenire ex densitate materiae,in qua calor subijcitur, vnde si ponatur carbo ignitus, & stuppa ignita, fortius, & intensius aget carbo, quàm stuppa, & tū vterq. est ignis.

Ob. In Sacram. Euchar. eodem modo agunt accid. separata,ac quando erant coniuncta, & tū ibi nulla est substantia, ergo nihil substantia agit erga efficaciā caloris &c.℞.In tali casu substantiae causalitatem suppleri à Deo, vt miraculum non cognoscatur, & detur locus fidei.

D V B I V M.

De causa conseruatiua accidentis.

Solet hic dubitari, an substantia non solùm productiua sit accid. sed etiam eorum conseruatiua. Concedit Suar. in Meth.disp.18.sec.2 Mediant Scotistae, saltem de gradibus illis accidentalib. loquendo, quos sibi substantia determinat pro sui conseruatione cum Scot. in 4.d. 12.q.3.R. sic .n. non solùm est productiua, sed etiam

etiam conseruatiua, & quidem satis rationabiliter, nulla .n. alia causa secunda conseruatiua assignari potest conuenientius; nam sicut propriè à substantia accidentia illa in primo instanti producuntur, ità dependent in fieri in secundo instanti, cùm productio, & conseruatio, non sit nisi vnica actio. Accidentia verò destructiua substantiæ, non conseruantur ab illa, vt est V. g. calor ab aqua, quia talis substantia non habet virtutem productiuam ipsorum, imò potius destructiuam; & improbabile videtur, quòd idem subiectum habeat virtutem conseruatiuam, & destructiuam respectu eiusdem formæ, quòd autem aqua habeat virtutem destructiuam caloris, patet experientia, cùm ipsum destruat, frigus contrarium in se producendo.

Dices, non potest assignari alia causa conseruatiua illius caloris in aqua, ergo conseruabatur ab illa substantia. R. Cum Mastr. & Bell. neg. assumptum, nam conseruabatur, vel à causis superioribus, vel à Deo, vt ab Authore naturæ.

DVBIVM.

An Accidens sit causa principalis respectu alterius accidentis.

Fonseca, Conimb. Mazziot. volũt accidens non principaliter concurrere ad productionem alterius accid. sed tñ instrumentaliter, cõis tñ opinio est cum Scot. in 4.d.12.q.3. sæpè citat. quem ferè omnes Recentiores sequuntur. Suar. Ruu. Amic. Auers. & Alij, asserentes accid. respectu alterius accid. esse causam principalẽ, non instrumentalem. Respectu verò substantiæ producendæ, Aliqui dicũt esse causam principalem, Aliqui instrumentalem, quatenus eleuatum possit productionem substantię attingere, ità Thomis. Scot. verò in accid. concursum instrumentalem admittit in ordine ad substantiam, absq; eo tñ quòd substantiã attingat, sed tñ eius dispositionem, vt supra diximus, at in ordine ad aliud accidens, esse causam principalem, & hoc maximè quia accid. attingit terminum productum, quòd instrumento non conuenit ex dictis.

ARTICVLVS XIII.

An causa secunda possit cum Prima concurrere ad producendos effectus supra naturam, vbi de Potentia Obedientiali.

Scot. plurib. in locis hanc agitat quæst. vt videre est in 4.d.1.q.1. §. *Ad quæst. &c.* & ibidem *Ad vltimum &c.* & sæpè alibi. sensus art. est, an in causis secundis reperiatur aliqua innata potentia, qua possit opera efficere vires naturæ excedentia, supposito Dei speciali concursu; & potest controu. agitari tàm de potentia obedientiali passiua, qua scil. possit res aliquam formam recipere, quæ nec esset ipsi connaturalis, nec producibilis in ipsa naturaliter; quàm de potentia obedientiali actiua sũ quã aliquid posset producere aliud, quod naturaliter nõ posset producere.

Supponimus pro maiori intelligẽtia, quòd magis propriè loquendo nomine potentię obedientialis intelligitur subiectio tñ ad agẽs Increatum, sub cuius potestate, & imperio subiacent õnia, nõ vtiq. vt est Auctor naturæ, sed vt est agens supernaturale, &

le, & supra naturam effectus producens quomodo intelligēdus est Scot. in 3.d.1.q.4. A. & quol. 19. R. dum ait, quòd potentia obedientialis in creatura respicit efficientiam Primi efficientis, non aliam potentiam; hinc fit, quòd ad potentiam propriè obedientialem requiratur concursus specialis Dei, qui scil. debitus non sit ex lege naturæ, & itá sensus apud Doctores communiter inoleuit. Ex quib. deducitur, quòd potentia passiua obedientialis duo dicit, nempe ordinem ad Deum, vt ad Agens supernaturale; & entitatem subiecti potentem formam aliquam recipere.

Nec Doctrinā recipimus Conimb. 1.de Cęlo cap.11.q.4.art.2. asserentium hanc potentiam fundamentaliter dicere modum aliquem, quo natura, & essentia rei potens redditur, vt formam supernaturalem à Deo recipiat, nam ex Doct. in 3. humana natura non fundauit in se vnionem hypostaticam cum Verbo medio aliquo absoluto; neq. intellectus requirit nouam formam, qua potens reddatur recipere Beatificam visionem, & rōnem assignat q.1.prol. Z. quia iste modus ponitur præsertim, vt subiectū proportionetur formæ supernaturali, sed iste modus vel est ens naturale, vel supernaturale; si primum, ergo subiectum eodem modo cum ipso improportionatum erit respectu gratiæ, ac sine ipso; si secundum, ergo dari debet alius modus, quo subiectum potens reddatur recipere primum modum, & itá processus in infinitum; quare absolutè potentia passiua obedientialis, non est nisi entitas rei, agenti supernaturali subiecta, & materialiter coincidit cū potentia receptiua naturali, violenta, & neutra; formaliter verò coincidit cum potentia passiua supernaturali, quæ à Doct. sic dicitur, quatenus respicit agens supernaturale, & circa hanc Doctrinam non est dubiū, sed Controuersia principalis est de potentia obedientiali actiua, quæ est vis quædam insita rebus ad producēdum effectum aliquem supernaturalē cum concursu Dei speciali, an detur in creatis, & si datur, quid sit, & ad quos effectus se extendit.

Tres sunt sent. Prima est non dari in causis secundis potentiam obediētialem actiuam, benè tñ passiuam, itá Celebriores Thomis. quos sequitur, & refert Martinez.p.2.tom. 1. tract. de potentia obed. Caraf.de concur. disp.2.& Alij, quos etiam quam plures Scotis. sequūtur, Faber in 4. disp. 2.q.4. Aret.ibidem, disp.1.q 4.art.6. Vulp.tom.1.p.1.disp.23.art. 13. fol. mihi 274. Cartag. Iribar. Herrer. & Alij. Secunda est plurium Recentior. cum Suar.in Meth.disp.43.sec.4.& 3. p.tom.1. disp.31.sec.5. Hurt.disp.9. Phys.sec.14. & de Incarnat. disp.57. sec.3. Arriag. in Phys. disp.11.sec.6. subsect.1.& Alij, qui præter obedientialem passiuam in omnibus rebus respectu cuiuslibet formæ, ponunt etiam obedientialem actiuam in omnibus, qua quodlibet potest à Deo eleuari ad producendum quodlibet, quæ potentia sm̄ aliquos consistit in aliqua qualitate supernaturali, qua qualibet res eleuatur ad producendum effectum excedentem propriæ naturæ vires. Alij asserunt esse naturam ipsius rei connotantem extra ordinarium concursum Diuinum, qui etiam adhuc differunt inter se, nam qui-

quidam nullam actiuitatem in natura constituunt, sed solùm fieri actiuam per coniunctionem,& subordinationem Diuinæ omnipotentiæ,absq.eo, quòd aliquid de nouo in se recipiat: At Suar.& Hurt. admittunt quãdam actiuitatem ex parte naturæ, & addit Suar. quòd per hanc potentiam causa secunda non constituitur in rõne causæ principalis, sed instrumentalis. Tertia tandem sent.affirmat,dari potentiam obedientialem actiuam in aliquibus rebus ad aliquos effectus, non tñ in omni re, ad omnem effectum. Et hæc videtur magis ad mentem Scoti, & sequuntur Coninch.de Sacram. q.62.art.4.vasq.tom.2.in 1. part. disp. 176.cap.3. & 4. Turrian. Moris.& Alij.

Conclusio Prima.

Dicimus,1.dari in rebus creatis sal tem in aliquib.potentiam obedientialem actiuam.Est cõis apud Recentiores, quã amplectuntur Mastr.& Bell. in Phys.disp.7.q.6.art.5.& manifestè colligitur ex Scot.in 3.d.4.q.vn. vbi de Batis. Virg. in generatione Christi, duo dicit, primum quòd in Christi generatione actiuè se habuit per potentiam actiuam innatam, qua erat fæcunda; secundum, quòd per hanc actiuam virtutem potuit cooperari Spiritui sancto ad formationem corporis instantaneam, ità vt per illam virtutem, vt à Spiritu sancto eleuatam, habuit actionem, quæ sm̃ modum excessit vires naturæ, quia non præcesserunt illa media prærequisita ad formationem corporis. Hinc postea lit. E. ait: *sicut igitur natura, ad quam vt ad formalem terminum erat ista generatio,tantum erat in potentia obedientiali, vt vniretur Verbo, ità illa Mater tantum habuit potentiam obedientialem, vt esset mater Verbi*. Et postea infra G. asseruit Doct. quòd propter istam potentiam actiuam naturalem, qua operabatur, potest dici mater naturalis Christi,& tñ propter modum exequendi actum huius potentiæ potest dici,non naturaliter,sed miraculosè genuisse,quib. verbis euidenter ostendit Scot. huius fuisse sententiæ. Probatur etiam rõne. Potentia obedientialis actiua est virtus ad causandum aliquod excedens vires naturæ, ex dictis, ità quod adhibito Dei concursu miraculoso, & speciali illi potentiæ minimè debito, possit efficere aliquod supernaturale, vel quo ad substantiam, qualis ponitur visio beatifica, vel quo ad modum,qualis fuit generatio Corporis Christi in vtero Beatiss. Virg. sed in reb. creatis talis potentia datur, ergo datur quoq. potentia obedientialis actiua. maior patet,nã talis potentia subijcitur imperio Diuino, & Deum respicit vt agens supernaturale, in quo vera ratio potentiæ obedientialis consistit. minor est Scoti in 4.d.49.q.11.K.vbi docet intellectum habere potentiam actiuam remotã respectu Beatificæ Visionis, non propinquam, quia cõcursus Dei in rõne obiecti ad talem actum, non est sibi debitus, ergo talis potentia appellanda erit potentialis actiua. & adhuc probatur: Intellectus creatus habet virtutem actiuam in suo ordine producendi visionem beatificam, cæterosq. actus supernaturales, sicut voluntas respectu fruitionis Dei, ergo non potest in creatura talis potentia negari. Probatur anteced. nam visio beatifica duo habet scil. super-

natu-

naturalitatem,& vitalitatem, sed hæc haberi nequit ab aliquo habitu, sed ab ipso intellectu,quia lumen gloriæ non est principium vitale. Patet etiā quoad alios actus supernaturales elicitos mediante gratia author. Concil. Trid. sess. 6. c. 4. vbi habetur: *si quis dixerit liberum hominis arbitriū à Deo motum, & excitatum veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq.passiuè se habere,anathema sit.*

Resp.Thomis.conced. quòd intellectus verè actiuè concurrat ad visionem,non tā per virtutem ipsi connaturalem, sed per eam,quam accipit à lumine gloriæ, qui habitus datur ad simpliciter operandum, sicut cùm aqua calida calefacit,verè actiuè cōcurrit, non tū proximè, & per potentiam actiuam connaturalem, sed per formam ab extrinseco totaliter aduenientem, qualis est calor. Non valet, quia intellectus eodem modo se haberet,ac aqua calida respectu calefactionis, sed aqua solùm passiuè se habet recipiendo, & sustinendo calorem,& actiuè solum extrinsecè per quamdam denominationem respectu receptionis passiuæ caloris, ergo verè, & propriè intellectus esset solùm passiuus,sicut & voluntas,& velut inanime quoddam, concursus .n. receptiuus est mortuus,& materialis,quòd est directè contra Concil. Tum quia si habitus esset tota ratiò agendi, & non intellectus, & voluntas,ergo vbicumq. (ait Scot.) reperiretur habitus, ibi posset actus reperiri, patet sequela exēplo caloris, qui vbicūq. ponatur, semper calefacit, & ratio est, quia omnis forma, quæ est principiū agēdi totale, vt est in subiecto, si per se est pōt operari, q̃a solū existentiam requirit vt agat; & quia habitus separatus esse posset per potentiam Dei, posset tunc elicere actum videndi, seu fruendi, & merendi &c. & ità esset potentia, non habitus, quod falsum est. Tùm quia actus attritionis, non prouenit ab habitu charitatis, aut gratiæ habitualis in volūtate existente, saltem qñ homo non est in statu gratiæ, sed à Deo sm̄ veriorem sententiam cum auxilio speciali extrinseco concurrente simul cum voluntate, & tñ actus ille est supernaturalis etiam sm̄ substantiam per Thomis. ergo tunc vel actus tota liter ab extrinseco proueniret, & voluntas solum passiuè, & recipiendo se haberet, quod est contra Concil. vel immediatè concurreret, & est sententia nostra.

Conclusio secunda.

Dicimus 2. non dari in qualibet re potentiam obedientialem actiuam ad quālibet rem. est ferè omniū Scotis. vt videre est apud Mastr. & Bell. & Ponc. & Alios, & sequuntur Doct. tertiæ sent. contra Suar. Hurt. Arriag. & Alios, & Scot. expræsè docet in 4.d.1.q.1.5. *Ad quæst. ergo &c.* li. Be. vbi ait: & si posset Deus absolutè creare frigus, non tñ per calorem, ità quòd calor sit in aliquo ordine causa actiua respectu frigoris, & q.5. negat virtutem aliquam actiuam in Sacramentis ad producendam gratiā, & d.44.q.2. negat ignem inferni posse malignos spiritus cruciare. Probatur rõne: Si daretur potentia obedientialis actiua in omnibus rebus ad omnia producenda, sequeretur, q̃ aqua posset producere calorē, bruta, & lapidem eleuari posse ad produ-

ctionem beatificæ visionis, voluntatem elicere posse intellectionem, intellectum volitionem, oculum auditionem, auditum visionem &c. quæ omnia, vt euidentissimum est repugnant.

Resp. Aduersarij concedendo hæc omnia, sed modo mortuo, ità vt non possent postea per illos actus tendere in obiecta, quod requiritur adhoc, vt sequatur, bruta posse beatificari, oculum audire &c. assignant rônem, quia actus vitalis, vt talis petit determinatum obiectum, à quo essentialiter pendet, potentiæ autem in rône potentiæ specificantur ab actibus, vnde licèt oculus V. g. in rône causæ possit concurrere ad visionem Dei, vel auditioné &c. non tñ in rône potentiæ vitalis.

Sed Contra, ergo falsum est in quolibet reperiri potentiam obediétialem ad quodlibet, quia saltem in potentijs vitalib. non reperitur hæc in rône potentiæ, de qua est controuersia, quia de potentia obedientiali loquimur. Tum quia si modo mortuo se habent, quomodo fatemini agere vel partialiter, vel instrumentaliter ad effectus supernaturales, cũ mortui neq. etiam effectum minimum naturalem agere valeant? Tum quia hac rône cõiter quantitas, & materia prima sine actiuitate ponuntur, quia nullam potentiam actiuam habent. Cùm dicunt, potentiæ distinguũtur per actus, est contra Ipsos, qui volunt intellectum ex se non producere, nisi actus naturales, nullo modo supernaturales, imò in nullo sensu ponunt Deum obiectum naturale intellectus nostri, ergo sicut hoc non obstante, potest intellectus eleuari in rône potentiæ vitalis ad elicitionem visionis, ità etiam poterit eleuari oculus corporalis ad elicitionem visionis Dei, nec materialitas, vel spiritualitas officient, cũ possit per Ipsos talis improportio tolli per potentiã Dei. Vel saltem ex eorum doctrina poterit oculus ad auditionem eleuari, cum neq. auditio, neq. sonus sint res supernaturales.

Petes, in quo ergo consistet potentia hæc obedientialis actiua, & ad quos effectus se extendit? ℞. Quòd sicut solùm à posteriori possumus probare aliquam causam esse actiuam ex Doct. in 1. d. 7. q. vn. V. vt iam diximus supra, sic non nisi à posteriori arguere possumus aliquam causam actiuam eleuabilem ad effectus aliquos supernaturales; Vnde dicimus, illam tantum causam habere vim quamdam actiuam, vt eleuetur ad effectus supra naturam, quæ ex se aliquo modo saltem remotè sit proportionata cum effectu producibili à concursu Dei speciali, sic se habent intellectio Dei intuitiua, & abstractiua, quæ licèt vna sit supernaturalis, & alia naturalis, habent tñ ordinem, analogiam, & proportionem ad intellectum, quatenus non petunt produci ab alia causa, nisi ab intellectu, & relatæ intellectiones conueniunt saltè in ratione generica proxima intellectionis, quod asseri non potest de volitione, quæ nec cùm intellectione conuenit, nec ab eadem potentia petit produci, sed ab alia specie diuersa, nempè à voluntate. Idem proportionaliter asserendum erit de potentia obedientiali passiua, ità quod res illa solùm possit eleuari ad effectus aliquos supernaturales recipiendos,

quæ

quæ proportionem habet cum illis in rõne receptiui, & receptibilis, vt est anima intellectiua respectu gratiæ, oculus cæci nati respectu visionis, & similia. De anima patet, cùm.n.creata fuerit, vt supponimus de fide ad opera meritoria peragenda, quæ viua nuncupantur, estò ad talia opera sit necessarium donum gratiæ, quia tñ vitalia appellantur, reperitur in anima principium saltem inchoatum talis vitæ, ità vt illud opus quo ad substantiam actus ab anima productũ cum concursu Dei generali, & vt meritorium cum concursu Dei speciali ordinem, & proportionem habeat cũ potẽtia, à qua elicitur; Sic etiã de oculo cæci nati, quia estò ex defectu organi talis carentia visionis acciderit, habet tñ oculus suam innatam, & inchoatam virtutem ad talem visionẽ recipiendam, ità vt sublatis (Dei virtute) impedimentis, ipsam recipere possit tamquam actum connaturalem potentiæ suæ.

Iterum petes, quomodo talis potentia actiua à Deo eleuatur ad producendos effectus supernaturales? R. quia causa partialis est illa, quæ inadæquatam, & insufficientem virtutẽ habet respectu effectus producendi, talis virtus potest multipliciter compleri, vel scil. ab aliqua causa secunda, vt est virtus intellectus ad intellectionem, quæ per speciem obiecti completur, & de vno homine trahẽte nauim, qui ab alio completur, & hæc dicitur potentia naturalis; vel nata est compleri solùm à Deo, vt est virtus solis in productione ranæ, & tunc si attingit vltimam formam corporis, & homo vltimam dispositionem animæ scil. formam corporeitatis, adhuc talis potentia dicetur naturalis, quia à Deo suppleri petit, vt Author est naturæ, cuius est supplere defectus causarum secundarum; vel non attingit aliquam dispositionem ad effectum excedentem vires naturæ, sed omnino insufficiens æstimatur, ad quod Deus non tenetur de cõi præbere concursum, & tunc potentia obedientiali dicetur, & à Deo compleri petit; quod adhuc dupliciter esse potest, nam vel comparatur ad aliquem effectum excedentem vires naturæ quoad modum, non quo ad entitatem, vt fuit conceptio Christi instantanea in potentia generatiua B. Virg. Vel excedit effectus sm̃ entitatem, itàut quibuscumq. modis non possit causa secunda talem effectum ex se producere cum solo cõcursu generali Dei, vt sunt actus supernaturales, sed requiritur concursus Dei specialis, & in vtroq. sensu dicitur potentia obedientialis. Solùm dubium remanet apud Scotist. an respectu actus supernaturalis, petat potentia compleri, & eleuari per modum principij, an verò per modum concursus extrinseci, est res merè Theologica, & examinatur disput. de lumine gloriæ, & de causalitate gratiæ in Sacramentis &c.

Obiectiones.

Ob. 1. Contra primam concl. pro Thimist. & Aliquib. Scotist. probando, quòd non datur potentia obedientialis actiua: Si daretur in re potentia aliqua actiua remota, & inchoata ad producendos effectus excedentes proprias vires, ergo concursus Dei ad tales effectus cum illa causa erit naturalis, & debitus ex cõi lege; & ità B. Virg. naturaliter concepisset

set, non miraculosè etiam sm̃ modũ, quod est falsum. Probatur sequela, quia concursus respondens potentiæ actiuæ naturali est debitus ex cõi lege, quo Deus tenetur concurrere cum causa secunda. Nec suffragatur negare sequelam ex eo, quòd hæc potentia est tm̃ inchoata, & incompleta, nam Deus tenetur supplere omnem defectum causæ secundæ, vt patet de sole ranam producente, qui cũ nõ habeat virtutem completam producendi ranam, completur tñ à Deo concursu vniuersali, & naturali. ℞. Ex Doct. in 3. d. 24. q. vn C. neg. seq. ad prob. dicimus, tunc concursum Dei dici debitum ex cõi lege, qñ causa secunda ex se sufficiens, vt de sole respectu ranæ, potest tñ naturaliter inducere in subiecto dispositionem proximam ad illum effectum, quæ dispositio Deum cogit ex supposito Decreto concurrendi ad supplementum talis defectus; quando verò causa ex se non habet virtutem completam in ordine suo attingendi talem dispositionem, tunc nõ tenetur Deus concorrere, & si concurrat, erit concursus specialis, & miraculosus, non generalis; Vnde ex Scot. loc. cit. Deus specialiter, & supernaturaliter concurrit ad gratiæ infusionem, quia anima nec potest virib. naturæ gratiam producere, nec dispositionem aliquã ad ipsam inducere.

Ob. Saltem intellectui esset naturalis debitus concursus Dei ad visionẽ beatificam, quia iam haberet ad illam ex se sufficientem virtutem in ratione potentiæ; & licèt in statu isto non esset ei debitus, quia est alligatus sensib. esset tñ debitus animæ separatæ, quod est falsum. ℞. Neg. seq. estò.m̃ intellectus habeat virtutem actiuam completam in ordine suo, non tñ inde sequitur concursum ad visionem beatificam esse naturalem, & ratio est, quia adhuc sm̃ vnam opinionem intellectus intrinsecè petit compleri per modum principij, quia ex parte Dei requiritur præsentia obiectiua, quẽ concursum non exhibet, vt causa prima, & vniuersalis, aliter eodẽ modo cum omnib. causis concurreret, sed vt causa specialiter concurrens ad sui assimilationem intentionaliter, ideòq. dici non potest debitus, & naturalis.

Ob. Si intellectus eleuari potest ad productionem beatificę visionis, ergo etiam ad productionem gratiæ, sed hoc est falsum, ergo & id vnde sequitur. ℞. Neg. seq. seu paritatem, nam inter causam eleuatam, & effectum productum debet aliqua peculiaris proportio reperiri, vt diximus, quæ proportio reperitur inter intellectum, & visionem, cum intellectus sit potentia vitalis, & visio operatio vitalis, quomodo non est gratia, sed donum Dei gratuitum.

Ob. Ex Caraf. Naturale nequit dici supernaturale incompletè, quia sunt diuersi ordinis, sed hæc potentia obedientialis actiua est ipsum esse naturale creaturarum, ergo non erit supernaturalis incompleta. ℞. Cum Mastr. & Bell. quòd naturale solummodo extrinsecè, & terminatiuè potest esse ordinis naturalis, sicut potentia obedientialis passiua etiam in eorum sententia, intrinsecę est entitas ordinis naturalis, quia dicit V.g. animæ entitatem, sed dici potest supernaturalis extrinsecè respectu formæ supernaturalis recipiendę, & idẽ

erit

erit dicendum de potentia obedientiali actiua respectu formæ supernaturalis producendæ; Quæ doctrina est valde notanda in hac materia, per quam facilè possunt retorqueri argumenta Aduersariorum, cùm etiam Ipsi admittant potentiam obedientialem passiuam.

Ob. Superius non continetur in inferiori, neq. complete, neq. incomplete, ergo effectus supernaturalis nullo modo poterit in potentia naturali contineri. ℞. 1. neg. conseq. nam potentia obedientialis, vt eleuata est aliquo modo ordinis supernaturalis, ideò nihil. ℞. 2. neg. anteced. bene .n. potest supernaturale aliqualiter in aliquo ente naturalis ordinis contineri, neq. omne supernaturale est perfectius, & superius quolibet ente naturali, nam substantia, & potentia vitalis est perfectior quolibet accidēte etiam supernaturali in sent. Scoti.

Ob. Subijci est pati, non agere, sed obedientia dicit subiectionem superiori, ergo potentia obedientialis solùm dicit passiuitatem, non actiuitatem. ℞. Distinguendo maiorem, non semper .n. est vera, nam licèt ratio obedientiæ dicat subiectionem, & quamdam passionem ab imperio voluntatis, quæ est quædam extrinseca denominatio, non sequitur tñ quin intrinsecè actiua esse possit, & patet de seruo, qui estò imperetur à Dño ad agendum, tamen agere potest per propriam virtutem innatam, non ex imperio receptam; sic etiam aliæ potentiæ licèt à voluntate imperatæ, non ideò dicuntur passiuæ, estò voluntati subordinantur, sed verè actiuæ sunt quo ad munia sua.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, q potentia hæc naturaliter cōcurreret ad actus supernaturales, quod est falsum. Probatur seq. quia nil connaturalius alicui potentiæ, quam attingere suum actum eo modo, quo ab ipsa sm̄ suam naturā attingibilis est. ℞. Concedendo sequelam, prout naturale opponitur violento, non tñ prout opponitur supernaturali, quia concurrit vt eleuata per aliquod supernaturale, vel intrinsecum, vel extrinsecum.

Hinc Contra Aliquos Scotist. notamus, quòd cùm Scot. in 4. d. 49. q. 11. concedat intellectum habere potentiam actiuam innatam, & naturalem ad visionem beatificā, non possunt amplius oppositum defendere, sine rubore, & tanti Magistri nota. Appetit voluntas nostra naturaliter Beatitudinem, non tñ sequitur, quòd ei debeatur ex cōi lege, non .n. quod est obiectum naturalis inclinationis, debet esse etiam obiectum naturalis attingentiæ; Vnde Cartagena cum Alijs Scotist. nec Scoticè, nec consequenter loquuntur.

Contra 2. plurib. rationibus vrget Hurt. ostendens quòd hæc potentia sit in quolibet ad quodlibet, quib. omnibus adæquatè, & satis eruditè resp. Bellut. & Mastr. loc. cit. probat: Adest per nos in intellectu potentia aliqua ad actum supernaturalem visionis Dei, ergo etiam in igne ad producendam aquam, & sic de alijs, probat conseq. quia maior inproportio est inter intellectū, & visionem Dei, cum intellectus sit naturalis ordinis, visio verò supernaturalis, quàm inter ignem, & aquam, quæ omnia sunt eiusdem ordinis, ergo si per Dei potentiam potest inproportio illa

tolli

tolli, multò magis & ista. ℞. 1. Retorquẽdo argum. maior improportio est inter ignem, & aquam, quàm inter visum, & auditionem, nam saltem ista conueniunt in vitalitate, ergo si per ipsum nequit à Deo hæc inproportio tolli, neq. illa, vel saltem ambæ poterunt auferri, quod ipse non admittit. ℞. 2. neg. seq. cum sua probat. maior .n. proportio est inter intellectum, & visionem Dei, quàm inter ignem, & aquam, nam ibi est improportio potentiæ proximæ tantum, nam visio petit ab intellectu produci, & habet aliquam analogiam cũ effectu ab intellectu producibili, & intellectus creatus, & increatus non solũ in conceptu substantiæ vniuocè conueniunt, sed etiam in conceptu potentiæ vitalis; at inter ignẽ, & aquam adest improportio quoad potentiam proximam, & remotam, quia nec aqua petit ab igne produci, nec aliquam proportionem, & analogiam habet cum igne, imò oppositionem, & repugnantiam. Quòd deinde ignis, & aqua sint eiusdem ordinis naturalis, parum refert, quia non debemus attendere proportionem ordinis, & entitatis inter causam, & effectum, sed proportionem actiui ad passiuum ex Doct. in 4. d. 11. B.

Sed contra vrget: Talis proportio, quæ est inter intellectum, & visionem, erit vitalitas in vtroq. extremo reperta, sed vitalitas visionis beatificæ est ex se supernaturalis, vitalitas autem intellectus creati est naturalis, ergo adhuc improportionantur quoad proportionem assignatam. ℞. Vt supra non requiri proportionem quoad entitatem, sed quo ad actiuum, & passiuum; sic etiam materia, & forma valde sunt inter se in entitate dissimilia, cum vna sit potentia, alia actus, & tñ bene proportionantur ad constituendum vnum per se.

Vrget: Deus multa facit, quæ non exiguntur à natura, accid.n. petunt effici, & conseruari in substantia, & tñ Deus oppositum facere potest, ergo ex hoc, quod vnus effectus petat ab vna causa produci, non debemus implicantiam arguere, si ab alia causa produceretur. Sed Contra, si vnus effectus potest per potentiam Dei à qualibet causa produci, cur visio quæ petit produci à potentia visiua, non producatur etiã à potentia auditiua, olfactiua &c. hæc non admittit Hurt. cum Aduers. ergo eorum sent. est absolutè falsa, dum asserunt quod libet assumi posse ad producendum ꝗlibet. ℞. Modo ad arg. neg. seq. nõ .n. nos negamus, quòd vnus effectus possit ab alia causa diuersa produci, sed negamus eorum conclusionem sic vniuersaliter prolatam, & implicantiam colligimus ex absurdis, & contrarietate.

Ob. Arriag: Ponere huiusmodi potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet, cedit in maiorem perfectionem Dei, sic .n. magis dilatatur potentia Dei, in casu autem nostro restinguitur, cũ nõ possit ꝑ quascũq. causas effect⁹ quoscũq. ꝑducere, ergo &c. ℞. Quòd potẽtia extẽdi nõ debet, nisi ad res possibiles, quare prius inuestigandum est, an in creaturis, possibilis sit talis potentia, & deinde dilatanda erit talis potentia; & si tam cupidus, & deuotus est Doctor iste ad dilatandam Dei potentiam per orbẽ, cur etiam non dilatat in potentia vi-

siua

sitiua ad precipiendam auditionem, gustum, olfactum, & similia?

Vrget datur potentia obedientialis passiua in omnib. reb. ad omnes formas, ergo & potentia actiua ad omnes effectus, probat consequentiam, quia imperfectior modus dependendi est dependere à causa materiali, quam à causa efficiente. ℞. cum Mastr. & Bell. neg. anteced. plures .n. sunt formæ, quæ non possunt, nisi in determinatis subiectis recipi, neq. .n. sapientia potest in lapide recipi, nec albedo in Angelo. ℞. 2. cũ Poncio neg. conseq. quia de facto materia prima est receptiua omnium formarum materialium, & tñ nulla causa effectiua habet virtutem actiuam respectu omnium illarum, ergo facilius est dilatare potentiam passiuã, quam effectiuam, & consequenter non bene deducitur, quòd si aliquid habeat virtutem materialem respectu omnium, habeat etiam effectiuã respectu omnium, nec receptio in potentia passiua semper dicit dependentiam, nam anima rationalis recipitur in materia absq. dependentia ab ea.

Hinc notamus contra Arriag. & alios Aduersarios, quòd actiuitas circa obiecta non accipi debet ex quacumq. rõne generica, aliter sequeretur, quòd obiectum visus non solum esset color, sed odor, sapor &c. cum quilibet sit accid. sed accipi debet ex rõne generica, siue specifica contenta intra ambitum, & sphęram sui obiecti adęquati; & quia adęquatum obiectum intellectus nostri est omne ens, vt etiam Ipsi Aduersarij fatentur, sequitur quod obiecta actuum supernaturalium sint intra obiectum adæquatum intellectus, & ipsi actus intra sphęram actiuitatis eius, & consequenter quod possit tales actus producere, & in talia obiecta tendere, saltẽ supernaturaliter quo ad attingentiã, ad quos naturaliter, vt ad perfectiones proprię potentię tendit; ꝙ inde etiã patet, quia iã intellectus creatus virtutem naturalẽ habet attingendi Deum in obiecta supernaturalia per cognitionem abstractiuam, ac propterea non videtur difficile ipsum eleuari ad cognitionem intuitiuam eorumdem super naturaliter, cum vtraq. cognitio ab eadem potentia procedat; at calor V. g. nullo modo intra sphærã actiuitatis aquæ continetur, cùm sit actus contrarius, & aquæ destructiuus, atq. ideò benè eleuari potest intellectus ad videndum Deum, vt contentum sub obiecto adęquato entis, non autem aqua ad producendum calorem.

Ex his facile erit determinare q.d sit potentia obedientialis, quam sic cõmuniter Scotistæ describunt: *Potentia obedientialis est virtus ipsa actiua creaturæ identificata, quatenus potest cum auxilio supernaturali, & extraordinario concurrere ad effectum, quem sine tali auxilio non posset attingere.* Sequuntur Neutherici contra Thomistas illos, qui autumãt talem potentiam esse accid. quoddã superadditum, & de his satis pro modo, quia multa alia remanent in Theol. in proprijs locis discutienda.

ARTI-

ARTICVLVS XIV.
De Causa Ideali, seu exemplari, & præsertim an consistat in conceptu formali, vel obiectiuo.

SCot. de Ideis agit in 1. d. 35. q. vn. l. & in 4. d. 50. q. 3. D. & alibi. Quoad quid nominis, Idea est nomen Græcum, deriuatum ab Ido, q̃ est video, & latinè idem sonat, quòd exemplar, formam, & rõnem ex D. Aug. lib. 83. qq. q. 49. est .n. exemplar ad cuius similitudinem artifex operatur. Quoad quod rei, ità eam Scot. describit in 1. cit. ex D. Aug. *Idea est ratio in mente Artificis secũdum quam aliquid est formabile ad extra secundum propriam rationem eius.* Dicitur *ratio*, quia artifex operando rationabiliter agit, cũ habeat rationem sm̃ quam format. Dicitur *in mente artificis*, ad differentiam exemplaris externi. Dicitur *secũdũ quam aliquid &c.* ad explicationem formalitatis causæ Idealis, quæ consistit in respectu similitudinis, & imitabilitatis ad opus causatum ab artifice. Ex qua descriptione colligitur, Ideas solùm reperiri in agente intellectuali, vt sunt Deus, Angeli, homines, idea .n. vel est cognitio rei, vel est res cognita, qua inspecta agẽs exprimere intendit similitudinem in opere externo; at quæ nullam habent cognitionem, sic operari non possunt; & licèt animalia irrationalia aliquid cognoscãt, imperfectè tñ, & confusè, quia non distinctè apprehendunt effectum, quem debent producere, nec modum, nec media necessaria ad illum consequendum, sed re confusa apprehensa, statim ex impetu naturæ operantur.

Idea diuiditur à Doct. in internã, & externam, externa est, quam sibi agens ante oculos proponit, vt ad eius similitudinem aliquid efficiat, vt pictura, ad cuius similitudinem illam inspiciendo pictor depingit; Idea verò siue exemplar internum est idolum illud, quod artifex in mente sibi efformat, vt ad illius similitudinem ad extra aliquid efficiat, & de hoc propriè loquimur in præsenti, quod semper necessarium est ad operationem, & quærimus quodnam sit illud quod fundat relationem hanc Ideę, an scil. conceptus formalis, qui est cognitio, & species expressa, an verò conceptus obiectiuus, & res cognita per intellectum.

Plurium Thomist. opinio est, Ideã in conceptu formali consistere, non in obiectiuo, & sequuntur Suar. disp. 25. Meth. sec. 1. Ruu. 2. Phys. tract. 6. q. 2. Fonsec. 7. Meth. Carpened. 2. Phys. tract. 4. q. 2. ad cuius sensum trahit D. Bonau. in 2. d. 1. art. 1. q. 1. ad 3. sed ibi Sanctus Doct. solùm ait: *Agens per intellectum producit formas, quæ non sunt aliquid rei, sed ideæ in mente, sicut artifex producit arcam.* Ex quib. verbis nihil deducitur contra Scoti opinionem, quia per Ideas in mente, sicut intelligi potest cognitio rei, ità etiam res in mente cognita sm̃ esse obiectiuum, neq. .n. nos ponimus lapidem, & ferrum in mente artificis, sed illud idolum, & exemplar in eius mente, ad quod terminatur cognitio. Ex Scotis. etiã deuiant Herrer. disp. 16. q. 1. & Smisinch. tract. 3. disp. 2. q. 7. Alia sent. est Scoti in 1. d. 35. ponentis rõnem Ideę in conceptu obiectiuo, & maximè in creatis, & sequuntur Scotist. cõiter

ter Lych. Tatar. Vigcr. Bissol. Vulp. tom. 1. p. 1. disp. 29. art. 6. Sghem. digress. 14. Fuent. 2. Phys. q. 8. diffic. 2. Mastr. & Bell. disp. 7. Phys. art. 1. Ponc. disp. 10. q. 1. Trigos. q. 11. art. 3. Item Ocham cum Nominalib. Caiet. 1. p. q. 16. art. 2. Ferrar. 1. contra gent. Ægid. Conimb. Auers. Arriag. disp. 8. §. Octauo, & Alij; licèt inter istos sit aliqua controuersia, an scil. debeat esse conceptus obiectiuus eiusdem rei faciendæ, an alterius distinctæ, sed similis. Amicus omnes opiniones amplectitur, licèt magis in primam inclinare videatur. Molina, & Vasq. distinguunt, si de exemplari creato fiat sermo, consistet in conceptu obiectiuo; si verò de exemplari increato, in conceptu formali consistet.

Conclusio.

Dicimus, rōnem ideæ magis propriè loquendo conceptui obiectiuo conuenire, at magis latè, etiam conceptui formali adaptari. Est Scot. loc. cit. prob. quo ad 1. partem auct. D. Aug. lib. 83. qq. q. 46. vbi loquens de Diuinis Ideis ait: *tanta vis in ideis constituitur, vt nisi eis intellectis sapiens esse non possit*. Et 5. confess. de eisdem loquens, ait: *Beatus est, qui te, & illa nouit, nec propter illa beatior*; ergo si per D. Aug. Ideæ in Deo multiplicantur, & non spectāt ad obiectum beatitudinis, sequitur non esse conceptum formalem, quæ est Diuina cognitio, & non est nisi vna, & eadem cum ipso Deo. Prob. etiam auth. Arist. 7. Meth. tex. 26. vbi ait, sanitatem extra fieri ex sanitate intra, & domum extra, ex domo intra, at sanitas, vel domus efficienda non assimilatur cognitioni, sed illi exemplari in mente, ad quod talis cognitio terminatur, ergo.

Probatur etiam rōne: Idea est id, cui agens dum operatur intendit suū opus assimilare, sed agens intendit assimilare effectum, non suæ cognitioni, sed rei cognitę, ergo. Tū quia cognitio nō cognoscitur, nisi cognitione reflexa, nō directa, sed artifex experitur nō habere talē reflexā cognitionē, imò si nec posset habere, dūmodo perfectè cognoscat rē faciēdā, pfectè operaretur, ergo. Tū q. a agēs in agendo comparat suū effectum cū Idea, à qua regulatur, & dirigitur, sed non comparat cum conceptu formali, sed obiectiuo, sic. n. artifex discurrit, volo, vt domus sit tam ampla, tot habeat fenestras, tot cubicula &c. sed hæc ōnia nō cognitioni, quæ simplex, & indiuisibilis est qualitas cōueniūt, ergo rei cognitę, & tali Idolo sic ab intellectu efformato.

Resp. Suar. cognitionem esse similem effectui, non realiter, sed intentionaliter, & cognosci ab artifice saltem semper cognitione reflexa virtuali. Non valet, nam similitudo illa intentionalis nihil aliud est, quā repræsentatio effectus, sed agens non intendit assimilare domum suæ repræsentationi, sed domui repræsentatæ, ergo. Nec cognitio illa reflexiua virtualiter aliquid valet ad cognitionem ideę, nam idea debet esse cognita explicitè vt quod, non vt quo, cognitio autem est res, qua res efficienda percipitur. Verum est, quòd nisi idea cognoscatur, non poterit exercere suam causalitatem, & actu dirigere agens, sed talis cognitio cùm sit solùm actualis repræsentatio ideę, se habet tm̄ vt conditio sine qua non;

 sicut

sicut finis licèt causet solùm per suã entitatem,& bonitatẽ, nisi tñ cognoscatur, non potest causare.

Quòd ad secundam partem scil. ꝙ etiam idea adaptari possit aliquo modo conceptui formali, est Scoti in 4. d. 1. q. 1. Q. vbi docet, quòd domus in intellectu artificis, dicitur habere illud esse, quod formaliter habet ipsa cognitio domus,& domus extra fieri à domo in mente, quia fit à cognitione domus tanquam à principio formali, quam doctrinam etiam de mente Scot. amplectuntur Vulp. loc. cit. art. 5. concl. 2. fol. 453. Nolanus, Bell. & Mastr. cit.& ratio est, quia res cognita dicitur id esse participare, ꝙ formaliter habet cognitio, ergo ratio ideę saltem impropriè potest etiã cognitioni applicari, & controuersia euadit quasi de nomine, licèt magis propriè fuerit Scot. locutus, & Ricard. Lync. 4. Phys. tract. 11. c. 2. in fine, fol. 211. ait rõnem ideę non esse vnam, sed duplicem, & vtramq. propriam. *Obiectiones*.

Ob. Aduersarij plurib. auctoritatib. SS. PP. D. Dionis. c. 5. de Diuinis nominib. appellat Ideas Diuinas prædestinationes, & Æternas voluntates. D. Aug. lib. 83. q. 9. q. 46. vocat Ideas rõnes æternas, incommutabiles, permanentes, & quod istarum visione fiat anima beatissima, quæ munia non possunt creataris conuenire, sed potius intellectioni Diuinæ, & Alios Patres citant, qui huius opinionis esse videntur. ℞. Primò, quòd si allatæ auth. aliquid probant, secundæ parti nostræ conclusionis fauent. ℞. 2. D. Dionis. non debere intelligi formaliter, aliter sequeretur, quòd idea etiam ad Diuinam spectaret voluntatem, quod falsum est, sed explicari debet præsuppositiuè, quatenus creaturæ cognitæ præsupponunt in Deo actus intellectus, & voluntatis, vel terminatiuè, quatenus creaturas ab æterno intelligit, & vult; & eodem modo intelligendus est D. Aug. qa creaturę ab Æterno cognitæ nullum esse reale actuale proprium habuerunt, sed ab intellectione Diuina principiantur. Spectant etiam ad vitam beatam, non ad beatitudinem, quæ respicit obiectũ primariũ, sed ad illam beatitudinem totalem possibilem beato, quæ spectat ad obiectũ secũdariũ ex Doct. in 1. d. 35. q. vn. K. aliter. D. Aug. sibi contradiceret lib. 5. confess. vbi ait: *Beatus est, qui te, & illa nouit, nec propter illa beatior*, vt retulimus supra.

Ob. Rõne: Idea non constituitur per eam cognitionem, per quam inspicitur id, ad cuius similitudinem res fit, sed præsupponitur iam constituta, iuxta illud exod. *inspice, & fac secundum exemplar &c.* ergo res ex eo solùm, quòd cognoscitur non erit exemplar. ℞. Assumptum valere de exemplari externo, de quo ibi loquitur script. non de interno. Dicimus 2. cum Mastr.& Bell. vt etiam diximus in log. disp. de ente rõnis, quod fit cognitione quasi practica, & tunc ens rõnis accipit esse fictum, quod est proprium eius esse simpliciter, & deinde contemplatur cognitione, quæ dicitur speculatiua, & supponit primam; sic Idea primò fit cognitione quasi practica, qua producitur in esse obiectiuo, deinde cùm actualiter agens producit opus, recogitatur cognitione speculatiua.

Hinc

Hinc ad vberiorem doctrinam notamus, quod Ideæ Diuinæ non sũt causæ, quia non sunt practicæ, sed speculatiuæ, nam Diuina idea solùm habet repræsentare, non dirigire, & regulare ex Dect.d. 38. in calce, & hoc quia voluntas Diuina est prima regula factibilium ad extra, quorum cognitio in Deo non est practica, sed speculatiua; Ideę verò creatæ dicuntur causæ, non tñ reales, sed potius morales. Cùm impugnatur, quòd idem non potest esse causa suipsius, dicimus, id esse verum si eadem res eodem modo accipiatur scil. vel vtraq. in esse cognito, vel vtraq. in esse reali, at diuerso modo accepta re, nullum sequitur inconueniens idem esse causam suipsius, nam vt habet esse cognitum, potest esse ipsius causa, vt habet esse reale, & patet de causa finali, cuius bonitas vt cognita, est causa bonitatis in esse reali; hinc Seneca epist. 66. ait: *exemplar est, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit.*

ARTICVLVS XV.

An causa Idealis sit vera causa, & ad quod genus causę reducibilis.

SCot. de hoc art. agit in 4.d.1.q.1. Q. & R. & in 1.d.36.q.vn. B. & in 1.d.38. in fine, & alibi. Negarunt Aliqui Ideam esse causam, Quidam verò Platonici affirmarunt esse causam, sed distinctam à quatuor generib. causarum. Peripatetici cõiter ad vnum ex quatuor generib. reducunt, licèt discrepent inter se, nam Alij ad causam finalem deducunt, Alij ad formalem extrinsecam cum Caiet. 1. p. q.6.art.4. Scot. tandem in 1.d.36. B. cui etiam fauent D. Bonau. in 3.d.11. art.1.q.2.& Alens. 1.p.q.23. ad causã efficientem reducit.

Conclusio Prima.

Dicimu 1. Ideam neq. creatam, neq. Increatam exercere in effectum causalitatem Physicam, moralem verò solum causam creatam. Est ad mẽtem Scot. & sequuntur Mastr. & Bell. in Phys. disp.7.q.7.art.2.prob. prima pars: Effectus cognitus vt possibilis, nullum esse reale proprium habet, ergo realem causalitatem propriam exercere non potest. Si tñ illud esse cognitum consideraretur, vt participat esse intellectionis, sic dici potest influere in actionem eo modo, quo cognitio practica, & ars ponitur principium actionis ad extra, in quo sensu intelligendus est Scot. in 4. loc. cit. dum ait, quòd Idea sit ratio producendi effectum ad extra, & principium formale elicitionis.

Secunda pars probatur: ars in artifice est notitia practica, cuius est dirigere, & regulare voluntatem in actionib. sed idea in artifice spectat ad artem, ergo &c. hinc causalitas hęc explicari solet per habitudinem, à qua agens intellectuale ad operandum dirigitur, vt Scil. illud idem extra efficiat, quòd mente præconceperat, & ad eius similitudinem quantum potest res extra producatur.

Prob. tandem tertia, quod scil. in agente increato nullam habent causalitatem, neq. moralem, nam ideę in Deo spectant ad scientiam simplicis intelligentiæ, omnem actum voluntatis anteuertentes, & merè naturaliter repræsentant, q̃ scientia est merè speculatiua, q̃a nõ põt volũtatẽ Diuinã dirigere, cũ hæc sit prima regula contingentium, & errori non

 subia-

subiaceat, ergo. ità Scot.in 1.d.38. in fine. Neq. interest, quòd ideę Diuinæ dicantur spectare ad artem omnipotentis Dei, & esse rōnes ęternas, sm̄ quas Deus omnia format ad extra, nam ex Doct. loc.cit. ars Diuina diminutè tantùm dicitur ars, cùm non sit habitus regulatiuus, sed tm̄ apprehensiuus rectitudinis agendorum, quatenus nil volitum, quin præcognitum.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. ideam prout in ordine ad effectum consideratur, non constituere genus causæ à quatuor distinctum, sed reduci ad causam efficientem, at si ad intellectum artificis referatur, habet aliquo modo rationem causæ formalis. Est Scoti in 1.d. 36. cit. & 1. quòd non dicat genus causæ à quatuor distinctum, est omnium Perepat. quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Tum quia est quid complens causam agentem in esse causæ, spectans ad virtutem, & rōnem agendi, ergo non est genus omnino distinctum, quia ratio causandi est eiusdem gen. cum eo cuius est ratio; per quod etiam ostenditur, quòd spectat ad genus casæ efficientis.

Prob. etiam inductione, quia idea non reducitur ad causam materialē, quia hæc consistit in habitudine subiecti ex quo aliquid fit, ratio verò causæ exemplaris in habitudine eius, ad cuius similitudinem aliquid efficitur. Neq. reduci potest ad causam formalem, quia hæc siuè intrinseca, siuè extrinseca, causat per suimet exhibitionem, at idea non se communicat effectui. Neq. ad causam finalem, q̃a finis est, cuius gratia agens agit, & mouet agens propter eius acquisitionem, vt habet bonitatem, & consequenter respicit potentiam appetitiuam, non intellectiuam; at idea non est, cuius gratia, sed ad cuius similitudinem agens agit, spectat ad intellectum ipsum regulando, non ad voluntatem, & complet agens in rōne agentis, vnde qui perfectiorem habet Ideam, etiam perfectius agit. Remanet igitur vt ad causam efficiētem reducatur, & fauet Arist. 2. Phys. 33. vbi ait: Policletum, & Statuarium esse per se causam statuæ. At statuarius est per se causa per artem, quæ non est principium efficiens statuæ, nisi per ideam, quam continet, vnde per Arist. sicut agens naturale completur in rōne principij præcisè per formam naturalem, qua proximè agit, ità agens intellectuale in suo ordine complemētum agendi proximè accipit per exemplar, & à quo recipit determinationem quamdam ad talem effectum causandum, saltem sm̄ speciem. Sequuntur præter Scotist. Suar. in Meth. disp. 25. sec. 2. nu.8. Heru.q.1.& est magis cōis apud Recentiores.

Quòd deinde in ordine ad intellectum artificis dici posset causa formalis, innuitur ab Arist. 2. Phys. 28. & 8. Meth. 2. vbi enumerat ideam inter causas formales, & 7. Meth. ait esse formam in anima, sicut ars est forma animæ, & 12. Meth. 18. docet agentia naturalia producere sibi similia per formā, artificialia verò per Ideā, ergo sicut forma respectu agentis naturalis est causa formalis, idem de idea respectu agentis intellectualis asserendum erit, non quòd sit de essentia illius, sed vt quid complens in

rōne

rōne agentis; & hoc probant argumenta Thomist. vnde facile est circa hanc controuersiam Thomist. cum Scotist. conciliare. Carmelitæ, & quã plures Thomist. ideam reducunt ad causam efficientem, formalem, & finalem, quod non est ad modum improbabile, aliquib. limitationib. appositis.

Obiectiones.

Ob. Contra 2. probando, q; idea reduci debet ad causam finalē: Medicina, quæ est in mente medici, ipsũ mouet ad medendum, & vt ad eius similitudinem inducat sanitatem in ægroto, ergo idea, & finis coincidũt, quia sicut finis est effectus producendus, itá etiam idea. ℞. Quòd idem conceptus obiectiuus fundare potest rationem finis, & ideę sm̃ diuersas habitudines; est finis, vt habet esse amatum, & cuius gratia agens agit, & est idea, vt habet esse cognitum, ad quod aspiciens agens agit.

Ob. Res, vt habet esse intentionale, causat finaliter, ergo idea, quæ est res in mente ad causam finalem reducitur. ℞. Res vt habet esse intētionale amatũ, habet rationem finis, non vt habet esse præcisè cognitum; hinc Bell. & Mastr. docent, quòd finis, & idea coincidunt materialiter, non autem formaliter.

Ob. Ricard. Lync. lib. 4. Phys. tract. 11. cap. 4. Causa materialis, & formalis concurrunt intrinsecè constituendo, aut per modum subiecti, aut per modum formæ, causa efficiens efficiendo, causa verò finalis nec constituendo, nec efficiendo, sed dirigendo, & mouendo absq. effectione, at eodem modo causa exēplaris concurrit, ergo ad causam finalem reuocanda est. ℞. Ad mi. causam exemplarem concurrere practicè dirigendo, causam verò finalem speculatiuè ostendendo, finis mouet vt amatum, exemplar dirigit vt cognitum; vnde cum diuersum habeant modum causandi, licèt vtraq. intentionaliter, diuersum quoq. genus causæ sortiuntur; at quia effectus non solùm amari potest, sed etiam effici ad quem requiritur notitia practica dirigens, & ad hoc conducit exēplar, non finis, ideò rationabilius ad efficientem reducitur, quàm ad finalem; & licèt idea non sit principium vnde motus in recto, & est tñ principium saltem in obliquo, quatenus est aliquid illius, spectans ad eius complemen-

DISPVTATIO X.

DE CAVSA FINALI.

QVatuor sunt genera Causarum in vera sent. Philosoph. & hucusq. de materiali, formali, & efficiente egimus, modo de finali agendum remanet; & quia eius cognitio obscurior, ideò rationabiliter ab Arist. vltimò traditur. finis apud Latinos significat rei terminũ, quomodo mors dicitur finis omnium, punctum lineę, &c.

&c. Sed apud Philos. ac Theolog. significat id, cuius gratia aliquid fit ex 2. Phys. 29. & 31. itá sanitas dicitur finis deambulationis, non quia sit terminus istius, sed quia propter eã deambulatio fit. occurrunt aliqua dubia, quæ per sequentes art. resoluentur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An quilibet finis dicatur Causa.

SCot. de hoc dubio pluries differit, vt videre est q. 1. Prol. & in 4. d. 49. q. 1. & in 2. d. 6. q. 1. F. & alibi. Præmittimus, quòd finis multipliciter diuiditur, & Primò in finẽ cui, & finem Cuius. Ex primo de Anima 37. finis cuius, res illa dicitur, propter quam consequendam aliquis operatur, vt infirmus propter sanitatem consequendam sumit medicinam; finis Cui est ille, cui volumus rem, vt infirmus, cui volumus sanitatem, volitio terminata ad finem cuius, dicitur Amor, aut velle Concupiscentiæ, quia est velle propter aliud, non .n. amamus sanitatem propter se, sed in ordinem ad ægrotum, volitio finis cui dicitur velle, & Amor amicitiæ, quia est Amor alicuius propter se, vt Scot. docuit in 2. d. 6. q. 2. A. Secundò diuiditur in finem Quo, & in finem Qui, seu in formalem, & obiectiuum. Finis quo, & formalis est operatio, qua finis consequitur, vt Visio beatifica, qua consequimur Deum. Finis qui, & obiectiuus est, qui per dictam operationem assequitur, vt Deus &c. Vnde diuisio illa beatitudinis informalem, & obiectiuam in Theologia orta est. Tertiò in finem Operantis, & finem Operis; Primus est, quem sibi præscribit agens, vt si quis ob vanam gloriam, vel ad alios alliciẽdos daret eleemosynam; Secundus est, ad quem ex natura sua illa operatio ordinatur, vt eleemosynæ finis ex propria natura est subleuatio pauperis à miseria. Primus dici solet extrinsecus, secundus intrinsecus. Quartò diuiditur in finem vltimum, seu remotum, & in non vltimum, seu proximum, qui etiam appellari solet finis sub fine, & est ille, qui vtique appetitur propter se, sed adhuc ad aliud ordinatur, vt actus eleemosynæ, factus propter subleuationem pauperis, & adhuc ad impetrandam Dei misericordiam, seu remissionem peccatorum; vltimus est qui ita propter se appetitur, vt non ordinetur amplius ad aliud; qui adhuc duplex est, vel est simpliciter vltimus, & est ille, ad quem omnia ordinantur, vt Deus benedictus; vel est sm̃ quid vltimus, & est ille in quem agens vltimatè tendit, itá quòd vltimus actus non ordinetur ad aliud, licèt sit ex se ordinabilis, sic remissio peccatorum est finis vltimus facientis eleemosynam &c. Quintò tandem diuiditur in finẽ generationis, & rei genitæ; primus est, vel forma, vel Compositum, quòd per generationem acquiritur; secundus est, ad quem res genita ordinatur, iuxta illud Arist. quælibet forma est propter suam operationẽ. Hæ sunt potiores diuisiones, quamuis ab alijs aliæ assignantur. Difficultas solùm est de Prima, & Quarta diuisione. Nominales volunt, finem cui esse propriè causam finalem, finẽ verò cuius solùm se habere, vt instrumentum. Vasq. verò p. 2. d. 2. totum oppositum sustinet scil. finem cuius

cuius esse propriè finem, non finem cui, & sequitur Salas ibidem sec. 2. Similiter de Quarta diuisione Vasq. 1.p.disp. 82.c.2. negat illam diuisionem, quia putat nullum finem intermedium dari, sed omnem esse vltimum, vel simpliciter, vel secundum quid. Communis tamen opinio affirmat, tam finem cuius, quam finem cui, & finem vltimum, & non vltimũ esse propriè causam finalem.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, finem cuius, & finem cui esse propriè fines, ità vt ex vtroq. vnus fiat, eo ferè modo, quo ex obiecto materiali, & formali alicuius potentiæ fit vnum obiectũ completum, & ex fine formali, & obiectiuo vnus totalis finis integratur. est Scoti in 2.d.6.q.1. F. vbi ait voluntatem simul velle id, quod vult, & cui vuult; sequuntur Mastr.& Bell.disp. 7.Phys.q.3.art.1. & ex exteris Carmelitæ, Ruu. & M. Iacob. Brun. q. 11.Phys.art.1.qui alios Thomistas citat. Prob.rone: quia sanitas V.g. in tantum appetitur, quia est hominis perfectio, & homo intantum est finis cui, quia est per sanitatem perfectibilis, quam non respicit vt medium, sed vt perfectionem, & bonitatem ipsius, ergo ratio finis vtriq. conuenit, non separatè, sed coniunctim; & finis in communi non diuiditur in eos, vt in duos fines completos, sed quasi incompletos. Hinc Caet. p. 2. q.17 art.5 asserebat, non rectè dici, volo bonum propter Amicum, quia denotaretur, bonum non esse finem, sed medium, ideò rectius dici, volo bonum Amico, quia sic explicatur totale obiectum motiuum voluntatis.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. etiam finem intermedium, & non vltimum habere propriè rationem finis. est cõis cũ Scoto in 4. d. 14. q. 2. H. & R. vbi docet, quod voluntas imperat actum cuiuscumq. virtutis ex motiuo cuiuscumq. alterius virtutis, vtens se circulariter, ità vt idem actus possit habere bonitatem ex duplici imperio, & motiuo ex vno proximè, ex altero remotè. Hinc Morales vniuersaliter dicunt, quòd bonitas in actu prouenit, quando honestas obiecti amatur propter se, sic actus eleemosynæ factus ad subleuandam pauperis miseriam, erit in specie misericordiæ, q.a agens intendit subleuationem tanquam finem; potest etiam ab homine fieri ad consequendam peccatorum remissionem à Deo, quo casu, erit finis, & medius; neq.n. ordinatio ad vlteriorem finem tollit propriam finis rationem, cùm non tollat propriam bonitatem, qua propter se amatur. Tum quia vna bonitas non repugnat alteri, nec virtus virtuti, ergo si simul manent in eodem actu, idem obiectum habebit rationem finis, & medij. Confirmatur, quia aliquando ad assequendum aliquem finem, eligitur potius vnum medium, quàm aliud, quia aliquam amabilitatem in se continet propter se, quã non cõtinet aliud, & sequuntur Thomistæ communiter cum D. Thom. 1. 2.q.1.art.6.vt videre est apud M. Brunum loc. cit. qui ait, sicut causa secunda est vera causa, dicendo subordinationem ad Deum, sic finis proximus est verus finis, etiam si ordinetur, & subordinetur ad vlteriorem finem.

Obie-

Obiectiones.

Ob. Contra primam pro Nominalibus, probando, quòd finis cuius non sit finis ex Arist. 2. Meth. 8. habetur, finem esse id, quòd non est alterius causa, sed eius causa cætera, ergo tantùm finis cui est vera causa finalis, cuius gratia fiunt cætera. ℞. Vel Arist. loqui de fine vltimo, vel de quolibet fine, respectu mediorũ, non respectu alterius finis partialis, cuius est perfectio.

Ob. Illud propriè habet rationem finis, in quo consistit intentio agentis, at talis est finis cui, nemo .n. sanitatem intenderet, nisi propter hominem. ℞. Per hoc solùm probari dependentiam, & partialitatẽ finis cui⁹ cum fine cui, sicut .n. finis cuius est perfectio subiecti, sic subiectum est tali perfectione perfectibile.

Ob. Fnis amatur propter se, medium propter aliud, ille amore Amicitiæ, hoc amore Concupiscentiæ, sed finis cuius amatur amore concupiscentiæ, finis cui amore Amicitiæ, ergo &c. ℞. Quòd finis potest amari propter aliud, quando illi comparatur, non vt medium inseruiens propter illius assecutionem, sed vt perfectio illius, vt diximus de sanitate respectu hominis, quo sensu potest etiam amorem propter se terminare, quia amatur propter propriam perfectionem, non absolutè, sed vt bonam alteri; ideò non rectè dicitur, sanitas amatur propter hominem, sed amatur sanitas homini. Vel dici potest cum P. Lync. loc. cit. nu. 2. quòd finis cuius sit finis, sed minus principalis, finis verò cui principalior, & principalius amatur, quia ille quantumlibet propter se in suo genere ametur, tamen absolutè, & simpliciter propter finem cui amatur.

Contra Secundam instat Vasq. ex Arist. 2. Phys. 29. vbi docet, quòd de ratione finis est, vt omnia sint ipsius gratia, ergo nequit vlterius ad alium finem ordinari. ℞. Arist. vel loqui de fine vltimo, vel ly. omnia supponit pro omnibus medijs ad illum finem ordinatis in tali serie, ideò negatur consequentia.

Ob. Mediũ nõ potest appeti propter se, sed propter aliud, ergo non potest esse ratio, vt propter ipsum appetantur, & consequenter non potest habere rationem finis. Probatur Antecedens quia medium, vt medium solùm habet bonitatem vtilitatis, quæ non est ratio volendi propter se, sed propter aliud. ℞. Anteced. cum sua probatione esse verũ reduplicatiuè, non autem specificatiuè, ratio est, quia eadem bonitas potest esse in se honesta, vel delectabilis, & adhuc alteri vtilis, ideoq. potest esse ratio propter se volendi, & propter aliud, & patet exemplo de specie subalterna, quæ respectu diuersorum est simul genus, & species.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An bonitas sit ratio cõstitutiua finis.

Scot. pluribus in locis resolutionem huius dubij determinauit, vt videre est quol. 16. lit. E. & in 2. d. 43. q. 1. lit. D. & in 4. d. 49. q. 10. E. & F. imò & in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. & in 2. d. 43. q. 2. vbi multi Scotistæ adducunt Scot. pro contraria sententia. Vt ordinatè in hac re procedimus, Notamus primò quòd ad rõnẽ causæ

causæ duo requiruntur, primum est virtus, & actus primus, seu fundamentum causationis; Secundum verò est actus secundus,& causatio actualis, per quam dicitur actu,& formaliter causa,& refertur ad effectum;& quia finis est causa, & ponitur inter quatuor genera causarum, rationabiliter quæritur per quid cōstituitur in esse finis tamquam per actum primum, & fundamentalem rationem fundandi relationem causalitatis actualis. Item quia finis, vt finis habet mouere appetitum, vel liberum, & rationalem, vel naturalem ad sui amorem, & prosecutionem, & inter appetitus nobis notior est rationalis humanus, ideo præsertim de fine in ordine ad nostram voluntatem loquimur, vnde facilè erit percipere quo modo in ordine ad cæteros appetitus finis in esse finis constituatur respectu nostræ voluntatis, id est, an finis moueat voluntatem nostram per bonitatem, ita quòd si hanc non haberet, nullo modo mouere posset, vel appeti, An verò hac remota,posset adhuc dici finis, & à nostra volūtate appetibilis.

Adnotamus 2. quòd cùm bonum idem sit, quòd conueniens ex Doct. potest aliquid esse alteri conueniens dupliciter, vel scil. ratione alterius boni tantùm, & non per seipsum,& hoc dicitur bonum vtile, vel perseipsum præcisè,& hoc dupliciter,vel quòd sit ei conueniens in ordine ad delectationem,quam tale bonum secum affert, & dicitur bonum delectabile, vel absq. ordine ad delectationem, sed quia per se decens, & conueniens est, & dicitur bonum honestum, ità Scot.in 4.d.46.q.4.A.& quia quot sunt vera bona, tot esse possunt existimatione conficta, cùm in omni bonorum genere contingere posset error, & falsa existimatio,idcircò quodlibet horum bonorum diuiditur in verum, & apparens ex Scot.in 3.d.33.C.& alibi. bonum verum est, quòd in re est tale, sicut ab intellectu repræsentatur; bonum apparens, quòd solùm in æxistimatione est tale,& est error intellectus, & mera fictio; atq.ideò duplex finis dari solet, verus, & Apparens. Addit tñ Scot. in 1. d. 1. q.1.art.3.& 4. tertium bonum, seu finem, qui dicitur præfixus, seu præstitutus,& est quando obiectum præcisè est ab intellectu ostensum sub ratione mali, & Voluntas ex sua libertate sibi prę-figit tanquam finem,quòd non est intelligendum,quasi quòd voluntas verè tendat in malum sub ratione mali, sed quòd ostenso voluntati obiecto ab intellectu sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni, vel in se, vel in alio obiecto, potest voluntas ex sua libertate tribuere illi obiecto malo rationem boni in alio obiecto repertam, conficiens quoddam aggregatum, sicut facit intellectus, cùm concipit finem apparentē, quia obiecto ex se malo applicat bonitatem in alio inhærentē. Sic Scot. loc.cit.lit. E. cùm ait: *sed in fruitione finis præfixi ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti, ità vt talis finis præfixus actus terminat ipsum actū, quia voluntas appetendo illud propter se, tribuit sibi rationem finis*, & in 2.d.43.q. 2. loquens de odio Dei ostenso pręcisè sub ratione mali ait: *Si voluntas potest istud velle, patet*

propositum, quia nulla est bonitas in isto actu prior ipso actu volendi; si.n. assignatur aliqua bonitas propter actum volendi, hoc non est in obiecto, vt praecedit actum, sed est in ipso, vt sequitur actum volendi: Quibus in locis duo Scot. dicit, & quod obiectum non habet rationem finis praefixi, sed ab actu denuo accipit, & quod nullam habet bonitatem, sed illam recipit ab actu, confundens finem cum bonitate, ità vt in eius sententia finis praefixus sit ille, quem sibi praefigit voluntas, tribuendo illi bonitatem, quam tñ non habere obiectum prius intellectus ostenderat; ac propterea voluntas non tendit in talem finē sub ratione mali, ita vt malitia sit obiectum formale tendentiae voluntatis, sed sub ratione boni, non quidem ostensi ab intellectu, à quo solùm sub ratione mali praesentatum fuit, sed applicati, & tributi ipsi obiecto ab ipsamet voluntate, libertate sua, ita Bell. & Mastr. disp. 7. Phys. q. 8. art. 2. & Vulp. 2. p. disp. 59. art. 1. contra quamplures Scotistas.

Notam is 3. quòd bonum vtile nullo modo habere potest rationem finis reduplicatiuè, cuius ratio est, q. illud bonum habet rōnem finis, quod potest allicere voluntatem ad sui dilectionem propter se, absq. ordine ad aliud, finis.n. vt finis amatur propter se, medium, vt medium amatur propter aliud, ille terminat actum intentionis, istud actum electionis; Sed bonum vtile, ideo amatur, quia alteri inseruit, vt medium ergo medium, vt medium non potest esse finis, nec bonum vtile finem in ratione finis constituere potest; At bonum honestum, & delectabile faciunt, vt obiecta propter se amentur ex Doct. in 4. d. 46. q. 4. A. solùm igitur dubitari potest, An quodlibet bonum honestum, & delectabile, siuè verum, siuè apparens, vel praefixum possit habere rationem finis scil. allicere, vel terminare actum volitionis propter se; An verò non solùm haec bona, verùm etiam mala sub ratione mali, & indifferentia sub ratione indifferētiae; praescindēdo modo ab illa quest. An bonitas sit ratio motiua voluntatis, an verò conditio sine qua non, de qua Scot. in 3. d. 15. supra C.

Nominales affirmant, rationem constitutiuam finis, in esse finis, non esse solùm bonitatē, sed etiā malitiā, & indifferentiam, ità quòd voluntas possit velle aliquod obiectum propter se, non solùm quia bonum, sed adhuc quia malum, vel indifferens, & propter illud operari, quae opinio tribuitur etiam Scoto in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. cit. & q. 4. Ad Argum. pro opin. quibus in locis videtur asserere voluntatem velle malum sub rōne mali, & in hoc sensu defenditur à Faŭetino in 1. d. 13. c. 7. & de pęnit. disp. 9. c. 8. Iribar. tract. de actibus humanis disp. 11. sec. 1. & Sghem. 2. Phys. digres. 11. q. 2. Communis tamen sententia defendit solùm bonum sub ratione boni esse finem in ordine ad voluntatem, siuè hoc bonum sit verùm, siuè apparens, & ex Scotistis sequuntur Lychet. in 2. d. 43. q. 1. §. *Dicit ergo Doctor &c.* Cauell. de Anima disp. 2. sec. 2. addunt Vulpes Mastr. & Bell. non solùm bonum verum, & apparens, sed etiam bonum praefixum posse habere rationē finis.

Conclusio.

Dicimus, solùm bonum posse esse fi-

se finem voluntatis terminantē volitionem propter se, & hoc non solū bonum verùm, sed etiam apparens, imò in sententia Scoti probabiliter bonum quoq. præfixum, non verò malum, vel indifferens; est contra Nominales, & Scotistas relatos, & clarè deducitur à Doct. etiam in locis, vbi à Scotistis citatur pro oppo sita sententia, nam ibi pro eodem accipit finem, & bonum, & ait quòd in illo obiecto ostenso sub ratione mali ab intellectu reperitur bonitas, non præcedens actum voluntatis, ergo per Doct. etiam in obiecto ostenso sub rõne mali ratio terminandi volitionem voluntatis erit bonitas obiecti accepta ab ipsa voluntate, nõ malitia, vel indifferentia. De bono in cõi patet manifestè ex Arist. 1. eth. vbi docet. Nemo aspiciens ad malum operatur, & bonum est, quod omnia appetunt. & 2. Phys. ait finem, & bonum conuerti inter se. Idem habent D. Dionis. & D. Ansel. sed q̃a eorū verba variè ab Aduersarijs extorquē tur, ideò probatur rationibus: Sicut se habet intellectus ad verùm, & falsum quoad as sensum, & dissensum, ita Voluntas ad bonum, & malum quoad velle, & nolle, sed non potest falsum, vt falsum esse obiectum assensus, ergo nec malum, vt malum obiectum volitionis. Resp. aliqui nõ valere paritatem, nam voluntas est potentia libera, ideò potest in vtrūq. intellectus verò est potentia naturalis. Non valet, quia libertas non facit, quòd obiectum disconueniens, fit conueniens, sed solùm, quòd liberè ponatur actus, vt possit non poni, vt sæpè Scot. docet; sic voluntas ità vult bonum, vt possit illud non velle. Tū quia impossibile est, potentiam elicere actum circa obiectum, quod ne quit esse obiectum illius actus, sed malum, vt malum non potest esse obiectum volitionis, ergo &c. Probatur mi. quia quod est volibile, est appetibile, hoc .n. est appetere quòd velle, & quod est appetibile, est bonum, hæc .n. causalis est vera, ideò aliquid appetitur, quia bonum, & perfectum, & monstrum est sentire, malum vt malum esse appetibile. Neq. indifferens; Tum quia actus ille abstractus, in quem Doctor asserit ex sua libertate posse voluntatem ferri, est actus ille neuter ab eo positus in 1. d. 1. q. 3. sed Scot. ibi vult, quòd talis actus proponatur voluntati sub ratione boni, prescindendo ab illis volitionibus propter se, & propter aliud, ergo dari non potest actus ità per intellectum abstractus à ratione boni, & mali, & quòd voluntas in illud obiectum tendere possit. Tum quia voluntas est instituta à natura, vt per eam homo appetat naturæ proportionata, & fugiat inconuenientia, sed malum vt sic, est disconueniens naturæ, ergo non potest ad illud inclinari, nec illud elicere. Tū quia indifferens nullam habet conuenientiam respectu voluntatis, quia indifferens vt sic, neq. est conueniēs, neq. disconueniens, ergo vt tale nullam habet rationem appetibilitatis, patet consequentia, quia appetibilitas oritur ex conuenientia.

Resp. has rationes probare, quòd malum vt sic non possit esse obiectum amoris concupiscentiæ, & propter aliud amatum, non tñ probare, quòd non possit esse obiectum amoris amicitiæ, & propter se volitum, si præ-

concipiatur ab intellectu, vt disconueniens præcisè in se, non considerando periculum imminens alicui.

Sed contra volibile amore amicitiæ est appetibile, at implicat malum esse in se appetibile, & propter se. Tum quia malum duo habet, malitiam scil. formalem, quæ est negatio; & entitatem subiectam; malitia non potest esse appetibilis, cum sit nihil; neq. entitas, vt tali negationi subiacet, vanum .n. est dicere, quòd adhoc vt ens voluntatem moueat, ipsum nihil sit conditio necessariò requisita.

Quòd hoc bonum non sit solùm verum, sed etiam apparens est manifesta Auctoritas Arist. 2. Phys. 31. & Scoti in 3. d. 33. C. & ferè omnibus locis initio art. citatis; & patet euidenti experientia, non .n. mouemur à solo bono vero in se, & taliter cognito, sed etiam à bono apparenti, dum pro bono ab intellectu ostenditur; Quòd etiam sit bonum, & finis præfixus in Doctoris sententia habetur clarè in 1.d.1.art.3.& 4. & in 2. cit. quæ doctrina præcipuè fundamétum habet in libertate voluntatis. Diximus probabile esse, quia præsertim in 2.d.6.q.2.M. dubitatiuè loqui videtur; & in 4.d.49.q. 10. & quol. 16. absolutè ait, voluntatem circa miseriam non posse habere actum volitionis, nec circa Beatitudinem actũ nolitionis, & in 2.d. 23. solùm de bono verò, & apparenti mentionem facit, tamquam de obiecto adęquato voluntatis. Vnde videtur in hac re problematicus.

Obiectiones.

Obijcitur pro Nominalibus: Eadem est potentia contrariorum, sicut eadem potentia visiua versatur circa album, & nigrum, ergo eadem voluntas circa bonum, & malum. ℞. Anteced. esse verùm qñ contraria sunt congrua naturæ potentiæ, & participant rationem communem, & formalem obiecti, vt sunt album. & nigrum respectu visus, secus si vnum ex contrarijs sit congruum naturæ potentiæ, aliud verò in congruum, & vnum participet rationem formalé obiecti, aliud non; quare cùm voluntas sit potentia essentialiter appetitiua, & appetitus feratur in obiectũ conueniens, & consequenter in bonum, non poterit directè primariò, & formaliter ferri in malum, quod illi disconueniens est.

Ob. Voluntas saltem per nolle tendit in malum, ergo malum continetur sub obiecto adæquato voluntatis. ℞. Concedendo malum esse materialiter sub obiecto voluntatis, cum ex Doct. in 2.d. 6. q. 2. omne nolle præsupponat velle, ideo.n.nolumus malum, quia amamus bonum, hinc tñ non sequitur, quòd habeat rõnem finis. Recessus à malo, vel fuga mali est terminus à quo potentia recedit, at bonum est terminus ad quem potentia perfugam mali accedit, atq. ideò malum non potest habere rationem finis.

Ob. Multi odio habent inimicum, quòd est velle illi malum sub ratione mali; Item Alij inferunt sibi mortẽ ex tędio vitæ, & si cognoscant mortem esse malum, & Scot. in 4.d.50.q. 2. ait Damnatos appetere non esse, in quo nulla ratio boni apparere potest. ℞. Negando assumptum, quia etiam in odio inimici concipitur aliqua ratio boni, quatenus ipsius depressio est

vtilis

vtilis odienti; sic etiam mors,& non esse concipiuntur, vt bona, non simpliciter,sed vt fines sunt miseriarum. Et si aliquis vt exerceret suam libertatem, vellet malum, vt malum,motiuum ipsius esse libertatis exercitiũ, quod apprehenderetur, vt bonum.

Ob. Scot.loc.cit.affirmat posse voluntatem velle malum sub ratione mali, ergo &c. Resp. Bell. & Mastr. Scot.in hoc esse problematicum,neq. asserere voluntatem tendere in malum sub ratione mali quatenus reduplicat rationem tendẽtię in obiecto, sed vt specificat rationem ostẽsionis obiecti ab intellectu, cui voluntas adhuc potest aliquam bonitatem ei applicare, & illud sic eligere.

Ob. Apprehendat aliquis intellectus odium Dei,& illud ostendat voluntati sub ratione mali, vel voluntas posset illud velle, & habetur intentum, vel non,ergo non esset libera, quod est falsum. Tum quia non daretur peccatum ex certa malitia, quod tunc est,quando voluntas peccat, non propter ignorantiam,aut ex passione, sed ex propria prauitate, quale putatur fuisse peccatum Angeli,& primi hominis. ℞. Dato tali casu, voluntas non posset velle odiũ Dei, non ex defectu libertatis, sed quia non potest tendere extra sphęram sui adæquati obiecti, quòd est bonum, Vnde si illud eligeret, hoc efficeret præfigendo illud tamquam bonum, Deum scil. apprehendendo non in se,sed vt Author est iustitiæ, & vltionis, vt ex sua libertate impudenter, & sine timore in delicijs illicitis, & prohibitis permaneret; Alia ratio est contra seipsos, quia si Angeli non peccarũt propter ignorantiam, ergo certa malitia, fingẽdo in illo obiecto malo bonitatem quãdã fictam ex sua libertate.

Diceretur etiam peccare ex malitia ex Doct. in 2. d. 22. & d. 43.q.2. quando quis sciens, & non passione incitatus, vult obiectum,quod nouit esse malum sub ratione boni vtilis, vel delectabilis contra legem Dei, quo casu non errat intellectus, cùm ratio delectabilis, vel vtilis verè reperiatur in obiecto.

Sed Contra Doctrinam hanc sequitur, quòd voluntas ferretur in incognitum, & fingeret, sicut intellectus veram facit chymeram, & ità efficere posset ens rõnis formale, contra Scot. sæpè asserentem, voluntatem in obiecto tm̃ derelinquere denominationem voliti, quæ est extrinseca denominatio, & fit ens rationis formale opere intellectus. ℞. Bonum præfixum esse cognitum,non vt quid aggregatum, sed sm̃ partes, quatenus scil. intellectus cognoscit rem malam, & cognoscit bonitatem in se,non in illo obiecto,sed in alio,quibus actibus non fingit, qua ostensione habita,potest deinde voluntas applicare bonitatem obiecto malo in se,& formare ens fictum, iuxta illud Poetæ, video meliora, proboq.deteriora sequor. ita Mastr. & Bell. ꝙ deducunt ex Doct. in 2.d.6.q. 1. *Ad Tertium*, vbi ait, quod quis cognoscens albedinem, & Coruum potest velle albedinem coruo. Ad aliud.℞. Quòd cum Doct. negauit voluntatẽ efficere ens rationis, non fuit locutus de actibus fingentibus, sed de actibus terminatis ad obiecta prius cognita, quibus solum denominationes extrinsecas relinquit, vel locu-

tus

tus fuit de ente rõnis strictissimè sumpto, quo sensu illud dicitur ens rõnis, quòd ab intellectu, aut à potentia rationali prouenit. Cæterum probabilissimũ est apud Doct. posse voluntatem ens rationis efficere, vt in logica diximus disp.2.art.4.

Ob. In natura datur bonum, malum, & indifferens, ergo omnia ista possunt esse volita, aliter essent plura entia, quàm volibilia. ℞. Specificatiuè loquendo omnia ista possunt esse volita, aliter essent plura entia q̃ volibilia reduplicatiuè, solũ bonũ est volibile, siue hoc sit verum, siue apparens, vel præfixum.

Ob. dantur fines boni, mali, & indifferentes, vt si quis adeat forum, vt occidat, erit ob finem malum, si vt subleuet alicuius miseriam, erit ob finem bonum; si recreationis causa, vel nihil intendens, erit ob finem indifferentem, ergo non solùm bonitas constituet finem in esse finis, sed etiam malitia, & indifferentia. ℞. Diuisionem hanc esse in genere moris, vt respicit meritum, vel demeritũ, seu actum neutrum, non in genere naturæ, & prosecutionis, in quo omnis finis est bonus, vel verus, vel apparens, vel præfixus.

Ob. Bonum apparens est ens rõnis, & nihil a parte rei, ergo non potest realiter mouere voluntatem, vel si potest, etiam malum quamuis sit nihil, esse poterit finis mouens voluntatem; & idem argum. fieri potest contra bonum præfixum. ℞. Bonum apparens dupliciter considerari potest, vel vt dicit aggregatum illud & hoc aliquando est ens rõnis, vel vt dicit rõnem motiuam, & hæc semper est bonitas vera, & realis, fictio .n. consistit in illa falsa applicatione realis bonitatis tali rei, vt patet exemplo de albedine, & coruo, & eodem modo responderi potest de bonitate præfixa &c.

Ob. Verus effectus procedit à vera, & non ficta causa, sed bonum apparens non est verè bonum, sed verè malum, ergo non verè causat, vel malum habet rationem finis. ℞. ex D. Tho.1.2.q.8.art.1. maiorem esse veram de effectu merè naturali, qui sequitur formam naturalem in natura existentem, non verò de effectu animali, qui sequitur formam apprehensam, quare vt voluntas, seu appetitus verè, & realiter feratur in aliquod, non requiritur, quòd semper moueatur à bono in re, sed sufficit si moueatur à bono apprehenso.

Ob. Vna Persona Diuina respectu alterius est bona, appetibilis, & amabilis, non tñ finis, quia inter se sunt æquales, similiter materia respectu formæ rationalis est bona, non tñ finis, ergo bonitas non est ratio formalis in actu primo finalizandi. ℞. Cùm M. Iacob. Bruno. Ex Baiesca 1.p.q.5.art.4. ex hoc solùm sequi, q̃ non omne bonum sit formaliter finis, licèt omnis finis sit formaliter bonum, & obiectum voluntatis, & hoc indicant diuersę definitiones datæ de bono, & de fine.

Poncius in Phys. fol. 329. nu. 30. contra Vulpium, & Mastr. tenet, q̃ bonitas præfixa non sufficiat pro causalitate finis in actu primo. Probat, quia finis ante actum voluntatis debet habere virtutem, qua possit mouere voluntatem, & excitare ad talem actum, sed illa bonitas præfixa, non præcedit actum voluntatis, ergo

non

non potest habere rõnem finis. R. Distinguendo duplicem actum voluntatis, vnum quo componit illud aggregatum ex re, & bonitate præfixa, & præstituta; Alterum quo illud cupit, amat, & desiderat, sicut in intellectu repræsentare obiectum apparens, duplex quoq. virtus considerari potest, vnus quo vnit rem cum illa ficta bonitate, alterum, quo illud aggregatum voluntati ostendit, & repręsentat. Obiectum sic compositum cum illa præfixa bonitate, benè potest mouere voluntatem ad actum secundum amoris, & desiderij, quia iam præcedit, & ideo falsa est mi. de illo primo actu, ac propterea falsa etiam consequentia.

ARTICVLVS TERTIVS.
De Causalitate finis in actu secundo.

SCot. veritatem huius quęsiti aperuit q. 4. Prol. §. *Contra istam positionem &c. vbi loquens de fine ait: finis non est causa, nisi in quantũ amatus, & desideratus mouet efficiens ad efficiendum &c.* Quibus verbis ostendit breuiter in quo causalitas finis consistit, vt infra clarius explicabitur. Plures sunt opiniones. Hæruęus quol. 1. q. 8. Perer. lib. 8. cap. 3. & Alij volunt causalitatem finis maximè erga media consistere in communicatione bonitatis, vtilitatis, appetibilitatis, & ordinis respectu finis. Auersa q. 13. sec. 1. asserit causalitatem finis vniuersaliter consistere in ordinatione rei ad proprium finẽ. Communis opinio affirmat causalitatem finis consistere in motione agẽtis ad actionem, quæ motio variè à Doctoribus explicatur, & Aliqui volunt esse veram, & realẽ, vt P. Sghẽ. 2. Phys. digres. 11. q. 3. cum Alijs. Alij verò dicunt hanc motionem esse Methaphoricam, sed neque in explicatione concordant; nam aliqui, nihil aliud esse volunt, quam bonitatẽ finis allicientem voluntatem ad actũ, quæ tractio antecedat actionem voluntatis, vt sentire videntur Conimb. 2. Phys. c. 1. q. 21. art. 2. & 3. Quidam quod sit actio ipsa voluntatis, vt tendens in finem, & propter finem facta, ità Ruu. 2. Phys. tract. 5. q. 2. & Suar. in Meth. disp. 23. sec. 4. Alij in actione cuiuslibet agentis, quatenus facta propter finem, ità Amicus cum Alijs.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, causalitatem finis non consistere in communicatione appetibilitatis, vtilitatis, & bonitatis medijs, neque in ordinatione rei ad proprium finem, sed in motione agentis ad agendum. Est Scot. loc. cit. & in 1. d. 2. q. 2. §. & in 2. d. 25. B. & sequuntur Bell. & Mastr. in Phys. disp. 7. q. 8. art. 3. Probatur quoad primam partem; quia antequam finis actu causet, quod tunc est, cũ agẽs agit propter ipsum assequendum iam media illam vtilitatem, & appetibilitatem habent. Tum quia, vel hoc intelligitur de reali communicatione, itàut media à fine illam habeant, non ab alio, & hoc est falsum, quia hoc potius spectat ad causam efficientem, quàm finalẽ, cùm finis, vt causa non existat, ergo non potest se solo tribuere alicui esse aliquod actuale reale; vel intelligitur quòd media in tm appetuntur, & ordinantur secundum bonitatem, quam habent, in quantum finis appetitur, & desideatur,

ratur, & ità est verum, sed non distinctè causalitatem finis explicant, nec rectè appellatur communicatio, sed potius appetitio propter aliud.

Prob. secunda pars, quòd scil. nō dicat illam ordinationem, nam causalitas ex dictis, non est in re causata, sed in ipsa causa, at ordinatio hæc est in rebus, qui dicuntur effectus causæ finalis, non in fine. Tum quia causa finalis non dicitur aliquid causare in actu, nisi cum efficiens actu simul operatur, cum sit id, cuius gratia aliquid fit; sed media, vt V. g. medicamenta, quamuis ab agente non assumantur actu ad finis assecutionem, adhuc talem ordinabilitaté ex propria natura retinent, & potentiæ ad actus, & si non operarētur, ordinantur, ergo finis tunc actu diceretur causare, etiam si nullum agens ageret, quòd est falsum, quia causalitas in actu denominat causam in actu.

Tertia tandem pars, quòd in motione consistat, est Arist. 1. de gen. 55. vbi ait; Causam, vnde principium motus existit, idest efficientem, actiuam esse; non ità eam, cuius gratia cætera fiunt, id est finalem, quæ non est actiua, nisi per translationem; Cōfirmatur Auct. D. Thom. q. 22. de veritate art. 2. vbi ait; *sicut influere causæ efficientis, est agere, ità influere causæ finalis est appeti, & desiderari*. & 1. contra Gent. cap. 75. art. 5. ait: *causalitas finis in hoc consistit, quòd propter ipsam alia desiderantur*. & est illud idem, quod asseruit Scot. *finis non est causa, nisi in quantum amatus, & desideratus mouet efficiens ad efficiendum*, quòd etiam patet ex illo cōmuni proloquio scil. finem mouere agens ad operandum.

Conclusio secunda.

Dicimus 2. motionem hanc finis allicientis, ac trahentis agens ad agendum, non poni in actu secundo, antequam agens agat; sed tunc quādo agens ipsum in actu secundo Physicè mouetur; & tunc non esse in re aliquid reale distinctum ab ipsa actione agentis, sed esse eamdem, vt in gratiam ipsius factam, formaliter verò dicere imputationem illam, qua in genere moris effectus ipsi fini imputatur, quæ formalitas, non est realis, & Physica, sed potiùs moralis, recteq. Methaphorica appellata. explicantur, & probantur singula, & primò, quòd finis non moueat actu, antequam agens agat, est Scoti in 1. d. 2. q. 2. S. vbi ait, finem mouere efficiés est efficiés amare finé, Prob. qa antequā agens agat, nihil de nouo intelligitur causatum in quocumque genere, ergo finis non causat prius agente, quia causa in actu est simul cū effectu in actu ex 2. Phys. 27. patet Anteced. quia omne ens creatum, cū non sit à se, debet esse efficienter causatum, ergo omne tale præsupponit causam agentem. Tum quia finis dicitur causa, quia agens propter ipsū agit, ergo non præcedit ipsius actionem. Tum quia ante actionem agentis non præsupponitur, nisi finis, vt cognitus, quomodo habet rationem actus primi, vt debitè approximatus, non est autem in actu secundo. Ex his sequitur, quòd finis non præcedit agens prioritate temporis, vt volunt Conimb. neq. prioritate naturæ, vt M. Iacob. Brun. asserit q. 12. Phys. art. 4. quatenus scil. causa efficiens non operatur, nisi vt mota à causa finali;

non

non valet, nam peto de illa motione antecedenti à quo nam est, si ab agéte, habeo intentum, si non ab agente, ergo incausata, si à fine; contra ex Doct.in 2.d.25. B. quia tunc finis efficienter moueret, quia produceret aliquod reale in rerum natura, & consequenter deberet alium finem habere, quia omne per se agens, agit propter finem, & omnis actio est propter finem, & ità processus in infinitum.

Secundò, quòd quando finis actu mouet, non fit aliquod reale distinctum ab actione agentis, est Scot. in 1.cit. & Probatur, quia ista motio nó est in fine, nam finis cognitus non habet esse reale existens, ergo non potest fundare aliquod reale in actu; neq. sufficit illud esse reale potentiale, & obiectiuum, quia ad fundandum aliquod reale in actu, requiritur, vt fundamentum realiter existat, ne fundatum sit magis ens suo fundamé to. Tum quia sicut finis, ex eo quia non habet esse reale actuale, non potest in se causare aliquid reale actuale, ità neq. in alio, nemo .n. dat, quod non habet. Vnde sequitur, quòd motio ista finis non debet dici realis, vt ab actione agentis distinguitur, sed Methaphorica, vt Arist. docet 1. de gener. 55. & Scot. locis cit. mouet .n. in ratione allicientis, & trahentis moraliter ad sui assecutionem, ad similitudinem magnetis attrahentis ferrum; & hac ratione actio ipsius agentis imputatur fini, sicut quando effectus, à causa Physica productus imputatur consulenti, quæ imputatio non fundat causalitatem Physicam, sed solùm denominationem illam extrinsecam, per quam effectus ipsi imputatur, ac si Physicè ab illa proueniret, realiter tñ aliam causalitaté non dicit, nisi illammet efficientis causæ Physicæ, quæ est actio realis; sic in casu de causa finali, cùm .n. solùm moueat agens Methaphoricè ad agendum, non in ratione consulentis, sed allicientis ad sui consecutionem, hæc motio à parte rei, & materialiter, non erit nisi eadem actio agentis, non casu, sed propter finem ab ipso intentum; formaliter verò dicas illam imputationem, & extrinsecam denominationem, quatenus finis terminat habitudinem actionis propter ipsum productæ ab agente; quæ terminatio, & extrinseca denominatio, opere intellectus accedente, fit ens rationis formale, vt diximus in logica; ità Mastr. & Bell. loc. cit.

Obiectiones.

Obijcitur cõtra primam ex Doct. in 4.d.46.q.4.A. vbi docet, quòd media ex se ipsis non habent aliquam bonitatem, sed illam à fine, ad quem ordinantur accipiunt, asserens, bonum vtile non esse quid à bono delectabili, & honesto distinctum, ergo finis communicat medijs bonitatem.

Rx. Ideo Scot. recenseri bonum vtile non esse distinctum à bono delectabili, & honesto, quia non mouet appetitum ad se, & propter se, sed finis est qui mouet appetitum ad illa media; non tñ per hoc sequitur, quòd vtilitas, & conuenientia in medijs sit à fine.

Ob. Quòd causalitas finis consistat in ordinatione rei ad proprium finé; sunt quædam res, quæ essentialiter ordinatę sunt ad alias, ideft sunt propter alias, non solùm in fieri, sed etiã in conseruari, & in facto esse, sic actus

essentialiter ordinatur ad obiectum, potentia ad actum, materia ad formas, vt ad fines, ergo si ordinari ad aliud est esse propter illud, benè causalitas finis in tali ordinatione consistit. ℞. Ex Doct. in 4. d. 49. q. 8. F. & q. 1. Prol. D. quòd duplex est finis, vel qui est causa finalis, vel qui est vltima perfectio, ad quam res ordinatur; primò modo accipitur pro eo, propter quod, vt amatum aliquid fit; secundo modo sumitur non pro causa, sed pro vltima perfectione perficiente rem, quæ perfectio non semper habet rationem finis, nisi quatenus ab agente intenditur; hinc ordinatio potentiæ ad actum, actus ad obiectum &c. est ad finem secundo modo, non primò. Vel expeditius cum Bell. & Mastr. dicimus, quòd estò res illæ sint ad alia ordinatæ, vt ad finem, non inde causalitas finis in tali ordinatione consistet, nam talis ordinatio se tenet ex parte effectuum, non ex parte finis, seu causæ finalis.

Contra Secundam obijcitur, quòd causalitas finis præcedat causalitaté, & actionem agentis, & est manifesta Auctoritas Scoti in 1. d. 2. q. 2. S. vbi ait causalitatem finis esse omnium primam, saltem prioritate naturæ. ℞. Scot. intelligi eo modo, quo in 2. d. 37. V. se explicat scil. de prioritate à quo, & perfectionis, non de prioritate in quo, sicut dicitur de causa prima, & secunda, quæ simul causant, non vna prius attingit effectum, in quo priori altera non attingat; adhuc tñ prima prius causare dicitur, quia perfectior, & independenter, in quo consistit prioritas à quo, & perfectionis, quod sufficit, vt causa secunda dicatur agere, quia mota à prima, idem dicere debemus de fine, & agente scil. quòd agens nõ agit, nisi ex citatum, & Methaphoricè motum à fine, non vtique antecedenter, itàut motio actualis præ requiratur, sed concomitanter, & in actu secũdo. Et in hoc sensu põt esse vera Doctrina M. Iacob. Brun. cit. & fortè hoc intellexit.

Ob. Bonitas finis apprehensa, statim ac voluntati repræsentatur excitat illam ad agendum; at Voluntas quia libera est, potest suspendere actum, quo casu daretur excitatio sine operatione voluntatis, ergo motio finis distincta est ab actione voluntatis. Tum quia hæc causalis est vera, quia finis mouet, ideo agens agit, ergo motio antecedit actionem. ℞. Cum Mastr. & Bell. quòd obiectum duplicẽ motionẽ Methaphoricã circa voluntatẽ habere potest, vnã in actu primo proximo, & dicitur obiectiua, q̃ potius est sufficiẽs approximatio finis cũ volũtate, vt actu causare possit; quã ei⁹ causalitas; Alterã in actu secũdo, & dicitur formalis, & hanc habet, quando voluntas in actu secundo semetipsam Physicè mouet ad operandum, amando, appetendo &c. afferunt exemplum, quia nec Concionator dicitur actu mouere peccatorem formaliter, nisi cum ipse semetipsum per aliquem actum se conuertit ad Deum, nam toto tempore præcedenti nequit voluntas dici formaliter mota, cùm adhuc non aliter se habeat, sed omninò immutata permaneat. Ad aliud dicitur, quòd illa causalitas verificatur ob prioritatem à quo, non in quo, vt diximus.

Arguitur, quòd non dicat actionẽ agentis factam propter finem, nam actio

actio est causalitas efficientis, ergo esse nequit causalitas finis, distinctæ .n. causæ distinctas petunt causalitates. ℞. Actionem dici causalitatem finis materialiter, si .n. aliquid reale quæratur, per quod finis dicatur causa, non poterit aliud assignari, quàm actio agentis, non vt sic, sed vt habitudinem dicit ad finem mouentem agens ad agendum, quæ habitudo nō est simpliciter realis, cùm non sit ad terminum realiter existentem, & in hac habitudine cōsistit formaliter causalitas finis in actu secūdo, quo sensu consequentia est falsa in sensu materiali. Hinc finis dici solet causa causalitatis agentis quoad actum primū, trahendo, & alliciendo obiectiuè, non quo ad actum secundum.

Ob. Datur finis post transactam actionem, vt Domus v.g. semper erit propter habitationem, potentia propter actum, ergo eius causalitas non consistet in actione agentis. ℞. Quòd finis tunc actu causat, quando agens agit, vel etiam continuat suam actionē, si effectus dependet in fieri, & conseruari ab ipso agente, à quo si solùm in fieri dependet, in fieri etiam tantum à fine dependebit. Potest tñ esse, quòd effectus ille inseruiat ad acquisitionem alicuius finis, vt patet de medicina postquam est confecta, quæ est vtilis ad sanitatem, & tunc dicetur effectus finalis causæ, non quoad entitatem, sed quoad vsū, vt est de omnibus medijs, vt infra dicemus; sic se habet domus respectu habitationis, transacta ędificatione; Potentia verò pendet in fieri, & conseruari ab eo cuius est potentia, sicut relatiuum à suo correlatiuo, ità Bell. & Mastr.

Ob. Causalitas est in ipsa causa, sed actio non est in fine, sed in agente, ergo &c. ℞. Maiorem esse veram de causa denominatione intrinseca, non de illa quæ talis dicitur denominatione extrinseca cuiusmodi est finis.

Arguitur tandem, quòd causalitas finis sit quid reale: Finis est omnium dignissima causa ex Doct. in 1.d.2.q.5. cum Auic. sed causa Methaphorica non est huiusmodi ergo &c. ℞. Finē esse causam omnium nobilissimam, non in rigore, & propriè, sed appropriatè, quatenus causat, & mouet non mota, & quia radix est omnis actionis agentis, non .n. agens ageret, nisi finem intenderet, & nisi bonitas finis moueret ages, dicitur etiā omnium nobilissima, quia ratio causandi est bonitas, & perfectio.

Ob. Si causalitas finis non esset realis, effectus non penderet essentialiter, & realiter à fine, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Eatenus effectum dicitur essentialiter, & realiter à fine dependere, quia dependet ab agente, non casu, sed à proposito, & propter finem operante, itaut si non esset finis, agens non ageret, quare tota dependentia immediatè est ad agens à proposito operans, non ad ipsum finem immediatè, & præcisè. ità Tatar. 2. Phys. 9. de causis Dub. 2. fol. mihi 50. vbi etiam ait, quòd causa finalis non causat, nisi quia Methaphoricè mouet ipsum efficiens ad aliquid efficiendum; vndè motio Methaphorica est motio intentionaliter, quæ non est motio Physica, & talis motio intentionalis non est aliud, quàm causatio notitiæ in agente; ità quòd causam finalem mouere efficiēs

Methaphoricè,non est aliud, quàm causare partialiter notitiam suam in intellectu efficientis; Vel vt dicunt aliqui, non est aliud, quàm ipsum amari, & desiderari ab efficiente, propter quod amatum, & desideratum efficiens agit.

Ob. Esse formale obiectiuum finis est esse reale,ergo potest realiter mouere. R. Quòd esse reale cognitum finis est esse reale potentiale, & nominaliter, non actuale, & verbaliter, ideò non sufficit ad realiter actualiter mouendum, præciso agente, vt .n. aliquod actualiter realiter agat, requiritur, vt actualiter existat, & non in potentia.

Ob. Finis numeratur inter causas Physicas, ergo est realis,vt aliæ Physicæ causæ. R. Numeratur in causas Physicas, non quòd sit vera causa realis, realem fundens causalitatem, sed quia est origo, & radix omnis causalitatis,quatenus agens non agit, nisi vt motum à fine.

An verò hęc causalitas, seu motio causæ finalis, quæ dicitur moralis,& Methaphorica possit dici etiam realis, est quæstio de nomine, posset .n. realis dici put ab ēte rationis distinguitur, si .n. nullus intellectus fingeret, adhuc daretur talis motio, & agens propter finem operaretur; dicitur autem moralis, vt distinguatur ab effectiua, & Physica, nam id, quòd alliciendo, & ostendendo suam bonitatem causat,& mouet, dicitur Methaphoricè mouere; & hunc dicendi modum sequuntur aliqui Thomistæ, vt videre est apud M. Brun. loc. cit. art.4.per quod etiam satisfit Poncio, qui vult hanc causalitatem finis esse respectum realem,cum independenter ab intellectu causet. Sed quia nō est ad terminum realiter existentem, nón potest dici realis rigorosa; hinc M. Raphael Bonher. de Causa finali dub.3.fol.257. vocat eam realem saltē extrinsecè,quatenus cōnotat actionem agentis, quæ fit propter finem.

ARTICVLVS QVARTVS.

An finis moueat secundum esse reale, vel cognitum.

Scot.doctissimè more suo quæstionem hanc resoluit in 2. d. 25. q. vn.Q.& R.vbi approbat dictū Auer. 12.Meth.com.36.q.5. forma balnei, prout habet esse extra animam mouet vt finis, quòd intelligi debet,non vt extra posita, sed vt extra possibilis. Idem habet in 3. d. 15.B. & alibi. pro cuius resolutione supponimus tā quam certum apud omnes,finem saltem naturaliter non mouere voluntatem, nisi prius ab intellectu cognoscatur, vt Doct. docuit in 4.d.49.q. 5. E. & patet ex illo axiomate communi: *nil volitum quin pręcognitum:* hinc D. Aug. 3. de Trinit. cap.1.& 2. ait inuisa amare possumus, incognita nequaquam.Cuius ratio est,qa voluntas est potentia cæca, ac proinde non potest in suum obiectum tendere, nisi ostendatur; & quia est appetitus rationalis,in suis operationibus duci debet à lumine rationali, scil. intellectu, non à sensitiuo, quia cum sit materiale, est improportionatum admouendum directè, & immediate voluntatem, quæ spiritualis est; Vnde solùm indirectè mouere potest, vt experimur prçcipuè in motibus primò primis, vel cùm in sensu est aliqua vehemens passio in voluntate redundans, tunc.n. passio mouet

mouet Phantasiam, hæc intellectum, & iste voluntatem. Cùm igitur finis, vt causet debeat præcognosci, per hoc esse cognitum, duo possumus intelligere nempè, vel illud esse reale, quòd ab intellectu cognoscitur sibi non repugnare, aut saltem, vt tale appræhensum, vt est in bono apparenti; vel illud esse denominationis extrinsecę derelictum ex cognitione, quòd est ens rationis materiale. Primum esse potest adhuc dupliciter sumi, vel vt habet esse extra causas, & vt existens; velut est possibile existere, & dicitur ens potentiale, vnde sensus quęstionis est; Cùm finis mouet voluntatem, secundum quale esse moueat? an secundum esse cognitum, an verò sm̄ esse reale? & hoc an vt existens, an verò sm̄ esse possibile? & loquimur de fine in ordine ad act⁹, & effectus inseruientes conseruationi finis.

In hac controuersia multa est dissensio inter Doctores, quæ tñ videtur cōsistere in modo loquēdi. Auic. 6. Meth. c. 5. Capreol. Hæru. Sonc. & Alij, volunt, ꝙ finis nō causet sm̄ esse reale, sed sm̄ esse cognitū, & itētionale. Alij, ꝙ finis causet sm̄ esse cognitum, sed non pro illo esse, sed pro esse reali: Cōis asserit, finem causare sm̄ esse reale tamquam per rationem formalem, esse verò cognitum esse tantum conditionem sine qua non; ità Ocham, Gabr. Vasq. Suar. Tolet. Conim. Ruu. Arriaga, Moris. Fuentes. Iribarnes, Auersa, & Alij.

Conclusio.

Dicimus, quòd estò finis quando causat, habeat esse intentionale, non tñ secundum tale esse causat, sed secundum esse reale verum, vel apparens, & futurum, cognitio verò solùm se habet, vt conditio sine qua non. Est Scoti loc. cit. quem sequuntur Scotistæ omnes, Canon. 2. Phys. q. 3. art. 1. Barg. in 1. d. 1. q. 4. Bell. & Mastr. disp. 7. q. 3. art. 4. & Nominales cum cōmuni cit. & fuit sent. D. Thom. apertè 1. cont. gent. c. 75. probatur quoad primam partem: finis sm̄ illud esse mouet voluntatem tamquam per rationem formalem, secundum quā ad se trahit voluntatem, ab ipsa appetitur, & actum ipsius terminat, sed hæc omnia conueniunt fini sm̄ esse reale, non sm̄ esse intentionale, ergo sm̄ illud esse causat, & mouet, non sm̄ istud tamquam per rationem formalem. Maior patet ex dictis, & ex definitione finis, minor prob. quia V. g. sanitas sm̄ illud esse reale, quòd habere potest à parte rei, allicit voluntatem, appetitur, terminat actum amoris, vel desiderij, propter ipsam assequendam agens assumit media, quæ ipsi conferunt, vt vtilia ad consecutionem ipsius, qua habita cessat actio ad sanitatē, & delectatur agens de illa tamquam de proprio bono, & perfectione; at esse cognitum, tantum dicit extrinsecam denominationem, cui hæc attributa conuenire nequeunt, ergo &c.

Resp. Aliqui, quòd estò esse cognitum formaliter sit extrinseca denominatio; participatiuè tñ, & realiter est entitas cognitionis, & hoc modo esse cognitum potest esse ratio finalizandi, & ideò effectiuè concurrere, vt principium formale ad rem producendam. Non valet, & ratio est quia cognitioni finis non conueniunt relata attributa, nam obiectum voluntatis non est cognitio, neq. esse

cogni-

cognitum reduplicatiuè, sed id quod est cognitionis obiectum, ergo esse cognitum nequit mouere voluntaté, sed esse reale possibile, vel futurum licèt apprehensum. Tum quia sicut apprehensio, vel esse apprehensum non attingitur à voluntate,ità neq. ipsam mouebit, quod .n. mouet attingitur.

Secundò, quòd non solùm vera bonitas, sed etiam apparens moueat voluntatem, patet ex dictis, in fine .n. apparenti id, quòd mouet voluntatem, est bonitas vera, & realis, sed falsò applicata ab intellectu, vel à voluntate iuxta Scoti opinioné probabilem de fine præfixo, ergo etiam in fine apparenti, vel præfixo, non apprehensio, sed bonitas mouebit voluntatem, apprehensa vt possibilis, vel futura.

Tertiò, quòd talis entitas debeat esse futura, prob. quia finis propriè loquendo in ratione causæ mouet ad sui consecutionem, & quando de inde possidetur, non amplius habet rationé finalis causæ, sed termini; Hinc Arist.1.de gen.55. aiebat: habitibus præsentibus, cessat motus, nullum .n. agens agit propter finem adeptũ, ergo vt finis moueat voluntatem, esse debet futurus, vel simpliciter, vel s$\bar{m}$ quid; Vndè si aliquando agens operatur propter conseruationem finis adepti, vt cùm aliquis V.g. ad cõseruandã sanitatem vtitur pharmaco præseruatiuo, in tali casu finis adhuc habet rõnem futuri secundum quid, quia mouet ad continuationem possessionis finis futuro tempore. Hæc autem futuritio nõ est ratio formalis mouendi, agens .n. non appetit finé, vt futurum reduplicatiuè, sed potius desiderat ipsius præsentiam, & propter ipsam agit, sed est conditio tantum, sine qua non appeteretur finis ab agente.

Obiectiones.

Ob. Causa, vt causa petit essentialiter, vt non sit posterior suo effectu, sed causa finalis, s$\bar{m}$ esse cognitum tantùm habet, vt non sit posterior suo effectu, quia s$\bar{m}$ actualem existentiam est posterior, ergo s$\bar{m}$ esse cognitum tantùm mouet, & est causa eff. ctus. ℞. Neg. minorem, finis enim tam secundum esse cognitum, quam secundum esse reale futurum est prior effectu; sed secundum esse reale tamquam per rationem formalem finalizandi, s$\bar{m}$ verò esse cognitum, & secundum futuritioné, tamquam per conditiones, sine quibus non.

Ob. Illud, quòd semper est necessarium, vt finis causet, censeri debet ratio finalizandi, non illud, quòd non est ità necessarium, imò sine quo talis causalitas exerceri potest, sed cognitio semper est necessaria ad finalizandum, & sine bonitate reali, id finis præstare potest, vt patet in fine impossibili, ergo &c. ℞. Negando minorem quoad vltimam partem, nam esse reale semper est necessarium ad motionem voluntatis, quia etiam in apprehensione falsa, & in fine apparenti, ratio motiua est vera bonitas, estò falsò applicata.

Ob. Finis s$\bar{m}$ esse reale potius est effectus, ergo non causat, nisi secundum esse intentionale. ℞. Anteced. esse verum de esse reali actuali, non de esse reali futuro, vel possibili.

Ob. Idem obiectum diuerso modo apprehensũ, causat diuersos actus in vo-

in voluntate, vt si apprehendatur bonum absolutè, causat amorem, si vt absens causat desiderium, si vt præsens gaudium, vel delectationem, sed actus voluntatis nō distinguūtur specie, nisi per diuersa obiecta formalia, ergo apprehensio, vel cognitio erit ratio formalis obiectiua, & non solùm conditio. ℞. Concedendo maiorem, quòd scil. actus appetitus distinguantur specie per obiecta diuerso modo apprehensa, sed ratio formalis ea distinguens non est nisi bonitas ipsa, vel absoluta, vel præsens, vel futura, quòd verò talis bonitas apprehendatur, est tantū conditio sine qua non. minor est etiā falsa, quia circa idem ob ectum formale, variatis quibusdam conditionibus, possunt esse actus specie diuersi, vt patet de Amore Dei in via, & in Patria ex Scot. in 3.d.31.C.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quænam Agentia propter finem operantur.

SCot. de his sparsim pluribus in locis agit, vt videre est in 1. sent. d. 1. q. 5. §. *Ad Argumenta ad illud primæ Quæst. &c.* & d. 2. q. 2. R. Et in 1. d. 2. q. 4. ad 2. principale prope finem, & alibi. Supponimus cum cōis agens aliud esse intellectuale, & liberum; aliud naturale. Primum diuiditur in Increatum, vt est Deus, & Creatum, vt sunt Angeli, & homo. Secundum, seu naturale diuiditur in agens per cognitionem aliquam sensitiuam vt Bruta, & in agens sine vlla cognitione, vt cætera naturalia, & de omnibus est breuiter determinandum, an agant propter finem. de Deo loqui possumus tripliciter, nempè vel in ordine ad actus immanentes, & ad intra; vel in ordine ad actiones externas, & transeuntes; vel tandem in ordine ad effectus ab ipso productos, vt sunt omnes creaturæ. Soncin. 5. Meth. q. 2. ait, semper Deum agere propter finem, tàm respectu actuum immanentium, vt est Amor Diuinus, quàm respectu transeuntiū, & effectuum productorum, cui adhæret P. Lync. lib. 4. Phys. tract. 10. de causa finali c. 5. fol. mihi 207. & videtur quæstio de nomine.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, non dari causam finalem propriam in Deo circa actus immanentes, neque circa actiones trāseuntes ipsius Dei formaliter, aut fundamentaliter acceptas, dari verò circa ipsas materialiter inspectas, & circa effectus productos. Est cōior, & quòd non detur vera causa finalis in Deo respectu actuum immanentium, est Scoti in 1. d. 1. q. 5. ad 1. *primæ quæst.* cit. à quo ità probatur: Nullius est causa finalis propriè, nisi respectu cuius est causa efficiens, quia cùm causalitas finalis consistat in metaphorica motione, nihil aliud est, quam actio agentis, saltem materialiter, vt propter finem facta ex dictis, sed actus diuinæ volūtatis quoad entitatem sibi essentialem non habet veram causam efficientē, cùm sit ens per essentiam, & independens, ergo neque finalem.

Secundò, quòd nec etiam datur respectu actionum transeuntiū; Probatur, quia actiones Dei transeuntes formaliter dicunt, vel solam terminationē realis dependentiæ effectus creati, ex Doct. in 1. d. 30. vel respectum rationis in Deo ex eodem in 4. d. 13.

4.d.13.q.1.R. Si verò fundamentaliter considerentur, præseferunt actū Diuinæ voluntatis omninò in causatum, & entitates materiales ipsarum rerum.

Tertiò, quòd in ordine ad res productas, Deus dicatur agere propter finem, est Scot. in 1. cit. d.2.q.2. R. & in 4.d.49.q.8. F. & D. Thom. 1.p. q.103.art.1. vbi ait: *ipse ordo certus rerum manifestè demonstrat gubernatorem Mundi, sicut si quis intraret Domum bene ordinatam, ex ipsa domus gubernatione ordinatoris rationem perpenderet*. Patet ex illo prou. 16. omnia propter seipsum operatus est Deus. Tum quia cōuenit ipsi Deo definitio finalis causæ, quia verè creaturæ sunt propter Deum, & Deus dicitur omnium finis; Hinc Doct. in 1.d.1.q.5. ad 1. *primæ quæst*. cit. ait Deum non agere propter finem suū, sed propter finem sui effectus, ordinando illum ad seipsum amatum, in quo potest consistere causalitas finalis causæ, quatenus scil. Deus dicitur producere creaturas propter seipsum prius amatum, & volitum, & quasi moueatur à propria bonitate ad creaturas producendas. An verò nō solùm à propria bonitate moueatur, sed etiam à bonitate creaturarum, saltem non vltimatè, itàut vnam rem producat propter alterius bonitatē, quam vult, videtur Doct. affirmare in 3. d. 7. q.3. C. vbi ait, Deum voluisse naturam humanam vniri Verbo, quia voluit summam gloriam, & post præuisionem peccati, Deum voluisse Incarnationem in carne passibili in remedium peccati; & vult merita prædestinato, propter gloriā &c. ꝙ sequitur Suar. in Meth. disp. 24. sec. 2. nu.9. & 10. item, & Ægid. part.2.lib.1. de fine quæst.14.§.4.nu. 18. & Amic. tract.13.q.6.dub.1.art. 3. An autem solùm à propria bonitate moueatur, proximè, & vltimatè, nullo modo à bonitate creata, quòd docet Scot. in 3.d.32. D. quatenus si aliud à Diuina essentia poneretur ratio mouendi Diuinam voluntatem, vilesceret Diuina voluntas, inde concludens, quòd sola Essentia Diuina sit præcisè ratio volendi omnia Diuinæ voluntati, est res merè Theologica.

Obiectiones.

Ob. Pro Sone. & Lyne. quod respectu actuum immanentium detur in Deo causalitas finalis. Diuina bonitas mouet voluntatem Diuinam ad amorem sui, quia Deus amat seipsū propter bonitatem suam, tanquam propter finem, ergo actus amoris diuini verè habet finalem causam, cuius causalitas etiam in Methaphorica motione consistit. R. Quòd illa motio non potest dici propriè Methaphorica, quia cū hæc non dicat propriè à parte rei, nisi actionem agentis factam propter finem, sicut non datur vera actio, & vera effectio Diuinæ voluntatis erga essentialem amorem propter realem identitatem, ità nec propriè motio erit Methaphorica, sed impropriè, ideò rectius dici debet ratio volendi obiectina. Qua doctrina admissa, quam etiam Aduersarij non possunt negare, remanet quæstio denomine.

Ob. Commune est axioma, quòd Deus agat propter finem, & Scot. manifestè fatetur in illo argum. quo probat Deum non prædestinare ex præuisione meritorum, dicens: Ordinatè vo-

tè volens finem; & media ad finem, prius vult finem, quàm media, sed Deus est ordinatissimus in volendo, ergo &c. ℞. Deus dicitur agere prop ter finem, vt Scot. glosat, quatenus ordinat Creaturam ad seipsum amatum, ità quòd non sit finis sui, vel alicuius ipsi Deo intrinseci, sed finis effectus producti: Authoritas Scoti in argum. assumpto currit respectu rerum materialium, & respectu effectuum.

Sed contra, Deus nullam accipit à Creaturis perfectionem, ergo illas non producit propter seipsum, consequentia patet, quia finis cui, qualis esset Deus in ordine ad Creaturas, est id, cui aliquod bonum, & perfectio acquiritur, Anteced. probatur, quia si Deus aliquam perfectionem à creaturis acciperet, maximè esset ille honor redundans ex obsequio creaturarum, sed talis honor est solùm quædam extrinseca denominatio; & licèt plures homines propter extrinsecas denominationes, tanquã propter finem operentur, vt eùm propter dignitates laborant, hoc euenit, quia istas extrinsecas denominationes concipimus, ac si essent quid reale, quod in Deo accidere nequit. ℞. etiam Deum à creaturis illum honorem, & obsequium accipere, qui licèt sit extrinseca quędam denominatio Physicè, attamen apud sapientes moraliter saltem, pro aliquo habetur, hinc apparet, quòd Deus propter similes denominationes multa efficit tanquam propter finem moralẽ, sic Christus instituit Sacramẽta propter iustificationem peccatorum, quæ iustificatio in quodam morali formaliter consistit, eiò sit cum Physica mutatione, scil. cum receptione gratiæ, quę tñ non iustificat hominem ex natura rei, ex Scot. in 2. d. 17. q. 2. sed moraliter ex institutione diuina. Quia igitur honor est quoddam testimonium de excellẽtia alterius ex 1. Eth. c. 5. possessio talis testimonij, quæ erit actualis reuerentia, & obsequium excellentiæ honorati, æstimatur tamquam aliquod morale dignũ, vt gratia ipsius aliquid fiat. Omnis igĩtur creatura est propter Deum, quia quælibet suo modo proprium factorem honorat, quatenus ex ipsis excellentia factoris dignoscitur iuxta illud Dauid Psal. 18. Cæli enarrant gloriã Dei, ità Bell. & Mastr. loc. cit. art. 6.

De Naturalibus sine aliqua cognĩtione, fuit opinio Anaxagoræ, Empedoclis, & Democrati, asserentium, quòd neque Deus, neque Creatura agunt propter finem, sed ex necessitate materiæ V. g. Deus, & Natura non pluit vt frumentum augeatur, sed pluit propter indispositionẽ terræ, à qua sol eleuat vapores. Similiter Animal habet dentes duros, & acutos non propter sibi masticationem, sed quia ex materia densa, & dura facti sunt. Contra quos arguit Arist. & eorum soluit rationes, vt in textu tetigimus, ideò cũ communi;

Conclusio secunda.

Dicimus 2. agentia naturalia inchoatiuè agere propter finem, itàut suo modo naturaliter quoad appetitum naturalem moueantur à fine, cuius gratia operantur, completiuẽ verò, vt immediatè subsint directioni, & intentioni superioris agentis. Est Scoti in 2. d. 1. q. 4. ad 2. principale, & d. 2. q. 2. R.

Et primò, quòd aliquo modo propter finem operentur, patet ex rationibus adductis ab Arist. in tex. & adhuc explicatur, quia appetitus naturalis, vt proprio pondere feratur in suum obiectum, nullam prærequirit cognitionem sui obiecti ex Scot. in 1. d. 1. q. 5. in respons. ad vult. Quæst. sed sufficit habitualis directio, quòd scil. à Deo in primæua constitutione fuerit in proprium finem directus, & propensus, atque media ad illum consequendum acceperit; Vnde data hypotesi, quòd Deus fineret causas secundas se solis agere, adhuc grauia deorsum, & leuia sursum ex propria natura ad talem finem propensa tenderent; Vnde agens naturale verè mouetur naturaliter à proprio fine, in quem determinatè tendit, ipsum naturaliter amat, & appetit, sicut agens liberum trahitur à proprio fine, cum hac tñ differentia, quòd motio in agente libero est propriè methaphorica, & moralis, quia in eo fit cum præcognitione obiecti amabilis modo libero, & interueniente libera elicitione actus secundi, qui est actus amoris; motio autē in agente naturali non dicitur propriè Methaphorica, & moralis, sed solùm impropriè, quia non fit præuia cognitione in ipso agente, neque per aliquem actum elicitum, ille .n. amor naturalis est tantùm inclinatio naturalis agentis in proprium finem ex Doct. in 4. d. 49. q. 10. A. & ideò dicitur quasi methaphorica, quia fit à fine per modum boni amabilis amore naturali, quare quod facit finis in apprehensione, & amore elicito agentis à proposito, hoc facit in inclinatione agentis naturalis, in quo nullum esse obiectiuum habet, sed tñ in Deo dirigente; & sicut esse obiectiuū finis in mente agentis à proposito se habet, vt conditio ad finaliter causandum, vt diximus, ità proportionatè se habet finis in naturali inclinatione agentis naturalis, nisi .n. agens naturale inclinaretur ad finem tanquam sibi bonum, nunquam ad illius cōsecutionem moueretur, & hac eadem ratione non dicitur completè se solo propter finem agere, sed potius tendere in finem, quia ad agendum completè propter finem requiritur, vt bonitas finis apprehendatur, & conuenientia mediorum ad finem, in quem dirigantur, quòd exigit potentiam cognoscitiuam; Vnde completur à prima causa dirigente, & ordinante, cui immediatè subditur.

Ob. Agens mouetur à fine, sed agens naturale non mouetur à fine realiter, quia finis non est in se, nec in virtute detecta, nec intentionaliter, quia agens naturale non cognoscit, ergo si agens naturale non mouetur à fine, non operatur propter finem. R. Cum Scot. distinctione modo supra allata, quem etiam sequitur M. Brunus in Phys. q. 12. art. 5. quòd agens mouetur vel à fine, vel ad finem, si agens fuerit intellectuale mouetur à fine apprehenso per ipsū agens, at si agens fuerit naturale mouetur à fine cognito, non ab ipsomet agente, sed ab alio, à quo dirigitur ad finem proprium, atque adeò agens naturale potius mouetur ad finem, quam à fine, licèt etiam dici posset, quòd moueatur à fine, sed cognito ab agente ordinante, & dirigente, qua ratione etiam naturalia dicuntur prop-

propter finem agere, & ideò opus naturæ, opus intelligentiæ ab Auerr. 2. Phys. appellatur.

Ob. Res naturales ità agunt propter fines, vt aliquando aberrét à fine, sed si agerent, vt directæ à Deo in finem, nunquam à consecutione finis frustrarétur, quia Deus suo fine frustrari non potest, ergo non ideò res naturales tendunt in finem, quia à Deo diriguntur ad finem. ℞. Negando minorem cum sua probatione, & ratio est, quia licèt Deus nō frustraretur suo fine, vt bono vniuersali intento per prouidentiam generalem, pōt tñ frustrari fine particulari creaturæ intento per Prouidentiam particularem; vel negatur maior, semper .n. natura agit propter finem, & licèt non notum nobis, operatur tñ propter finem occultum à Deo intentum, vel saltem ob pulcram vniuersi varietatem ex D. Tho. q. 6. de verit. ar. 1.

De Brutis tandem, communiter asseritur, quod agant quidem non per rationem, & discursum, neque ex naturali determinatione absq. cognitione, vt lapis, sed naturali instinctu, qui est actus phantasiæ, aut sensus interni, quo quasi practicè brutum iudicet, hoc esse sibi appetēdum, vel fugiendum, estò non valeat rationem conuenientiæ, vel disconuenientiæ discernere; quo naturali iudicio posito, illud appetitus etiam naturaliter sequitur, vt Scot. docet in 2. d. 3. q. 2. F. quem naturalem instinctū assignat pro ratione, cur ouis fugiat ad lupi intuitum hinc.

Conclusio Tertia.

Dicimus Tertiò, Bruta, vt tendūt in obiectum aliqua sensatione præcognitum, operari propter finem ex seipsis saltem materialiter, formaliter verò vt subsunt directioni primæ causæ, est cōis cum Scot. in 4. d. 45. q. 3. D. & E. explicatur, & probatur simul, nam bruta verè in obiectum feruntur aliqua sensatione præcognitum sub ratione boni, & conuenientis naturæ, & vt tale tanta industria quærunt, vt quasi ratione pollere videantur. Attamen, quia per cognitionem sensitiuam non attingunt formaliter rationem finis, & medij, quia non possunt vnum cum altero conferre, neque discernunt inter obiectum conueniens propter se, vel propter aliud, ad quod requiritur perfecta cognitio; idcirco non dicuntur propter finem formaliter agere, sed materialiter. Confirmatur, quia si Belluæ vnum propter aliud amare possent, similiter etiam vnum propter aliud cognoscere, at vnum propter aliud cognoscere nequeunt, aliàs discursiuæ, & rationales forent, cùm discurrere aliud non sit, quàm aliquid cognoscere propter aliud prius cognitum, ergo &c.

Attamen dubitari potest, quomodo bruta tendant in finem omninò incognitum; nam formica in hoc Anno producta adhuc triticum congregat, vt in hyeme se conseruari possit; Hirundo nidum sibi fabricat, licèt nunquā pepererit, & similia. ℞. Tamen, quòd Bruta duos fines habent proximos, scil. & remotos, proximos agnoscunt, & vt conuenientes apprehendunt, & consequenter appetunt, sic se habet collectio tritici hyemali tēpore in formica, & palearum in Hirundine, at remotos solùm appetunt appetitu naturali, quos non co-

gnoscunt, non .n. cognoscunt vitam quæ conseruari petit, diriguntur tñ à prima causa; Vnde quo ad istos fines dicuntur agere eo modo, quo agentia naturalia in finem tendere diximus. Et quod dicimus de Brutis, vt sensitiuis, affirmamus etiã de homine quatenus potẽtijs sẽsitiuis operatur, imò etiã vt intellectiua potẽtia est decoratus, sed in quantũ actiones istæ volũtatis actũ pcedũt, vt sic.n.se habẽt vt agẽtia naturalia, & hac rõne mot⁹ primò primi nõ cẽsẽtur peccaminosi à Theolog. ità Mastr. & Bell.

Petes, an dum finis mouet, & excitat agens ad adoperandum, agens sit effectus finis. ℞. Negatiuè, sed potius est subiectum motum à fine, qua ratione in doctrina Arist. causa finalis censetur nobilior causa efficiente, quia est causa, quare efficiens agat, & quòd cæteræ causæ suam exerceant causalitatem.

Iterum petes; quinam sunt effectus causæ finalis. ℞. Esse omnes actiones agentis voluntarij circa ipsum finem, siue sint elicitæ, siue imperatæ, hac .n. de causa vocatur finis causa causarum, quia mouet omnes causas ad operandum; & quamuis suam causalitatẽ exerceat circa õnes actiones voluntatis, tamen per se primò causat actiones elicitas, seu internas scil. volitionem, amorem desiderium, fruitionẽ &c. secundariò causat actiones imperatas, seu exteriores, puta sumptionem medicinæ, deambulationem propter sanitatem &c.

Habemus etiam quomodo diuersificantur naturæ in agendo propter finem, supposito, quòd agere propter finem stat tripliciter, primò materialiter non elicitiuè, scil. per inclinationem ad finẽ sine præcognitione finis 2. materialiter elicitiuè scil. per inclinationem cũ præcognitione imperfecta finis 3. formaliter scil. cognoscendo finem cum respectu, & collatione ad media magis, vel min⁹ vtilia. Natura intellectiua à Scot. loc. cit. & D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 2. agit propter finem sub ratione finis formaliter, seu discursiuè, scil. cognoscendo finem, & iudicando conuenientiam, & vtilitatem mediorum pro consecutione finis. Natura sensitiua agit propter finem materialem elicitiuè, idest propter finem à se cognitum imperfectè, quia non discernit inter finem, & medium, nec amat propriè vnũ propter aliud, sed æqualiter fertur immediatè in vtrumque; vnde equus tendit in ordeum, & Aranea in telam, per quam capit muscas, non formaliter sub ratione finis, & comparando media ad finem, sed materialiter, & absolutè, quatenus est quædam res sibi congrua, potens suum appetitum satiare. Natura tandem insensata agit propter finem materialissimè per quamdam inclinationem sibi datam propter finẽ, non cognitum à se, sed à causa extrinseca deliberante de fine, à qua impellitur in finem, & dirigitur, ad similitudinem sagittæ in scopum &c.

ARTICVLVS SEXTVS.

De Casu, & Fortuna.

SCot. de his disertè agit quæst. vltima quolib. & D. Thom. 1. p. q. 116. art. 1. & 6. sciendum, quòd postquam Arist. de causis per se disputauit, etiam de causis per accidens aliquid differere voluit, cuius vestigia nos sectantes, suadet ratio, vt aliquid

liquid de his etiamnos dicamus, sed breuiter, & compendiosè, cum sine citra controuersiam; & quia Monstra videntur esse effectus casus, & fortunæ, & fatum casui, & fortunæ opponitur, idcircò de his etiam aliquā tangemus. Supponimus nomine Fortunæ intelligi omnes causas illorum effectuum agentis liberi, quorum determinatam causam assignare nescimus, multa .n. accidunt non præuisa, vel ab agente intenta, circa quam multi fuerunt Antiquorum errores, Quidam .n. Fortunam omninò de medio tollebant, Quidam asserebant esse quamdam Deam rebus humanis præstantem, dona sine ratione distribuentem, Alij esse causam aliquam per se, sed occultam, à qua proueniunt effectus, quos fortuitos appellamus. Alij apud Plutarchū in opusc. de Republ. Stoic. affirmarunt esse causam quamdam per vniuersum diffusam, voluntatem humanam in vnam partem inclinantem cùm est anceps &c.

Suppositis igitur his, quæ de fortuna habuimus in explicatione textus c.4. sic ab Arist. definitur ad mentem Scoti: *Fortuna est causa secundum accidens in his, quæ secundum electionem eorum, quæ propter aliquid sunt*. Dicitur *causa*, quia fortuna aliquando accipitur pro effectu fortuito, vt ex 2. Phys. patet 55. at in præsenti de fortuna, vt est causa loquimur. Dicitur *secundum accidens*, quia non est causa per se, sed per accid. non quidem ex parte causæ, sed ex parte effectus, vt diximus in tex. & est illa, cuius effectui per se, alter non habens necessariam connexionem coniungitur, & consequenter, quòd iste effectus neque semper, neq. vt plurimum eueniet, sed raró, neque ab agente intentus. Dicitur *in his quæ secundum electionem*, quia fortuna in hoc differt à casu, quòd illa est in agentibus à proposito, iste verò in agentibus naturalibus. Dicitur tandem, *eorum quæ propter aliquid sunt*, non quòd effectus fortuitus sit ab egente intentus, sed quia semper est coniunctus cum alio per se ab agente intento.

Ex his primò colligitur, quòd fortuna formaliter, dicit habitudinem causæ ad effectum præter necessitatē, & intentionem euenientem; fundamentaliter verò non est aliqua causa per se ab intellectu, & voluntate distincta; sic etiam casus non est alia entitas distincta ab entitate agentis naturalis, nam quod dicitur de fortuna, intelligitur etiam de casu, cùm in omnibus conueniant, præter hoc, quòd fortuna est in agentibus à proposito, & per electionem, casus verò in agentibus naturalibus.

Colligitur 2. quòd effectus fortuitus ille est, qui per accid. & præter agentis intellectualis intentionem coniungitur effectui eius per se intento, vt si quis effodiens terram, intendens aquæ inuentionem, cum aqua, vel loco illius, inuenit thesaurum. Hinc tres conditiones ad conceptum veræ fortunæ requiruntur, prima, vt raró eueniat scil. præter semper, & frequenter; secunda, quòd eueniat præter agentis intentum; Tertia, quòd tale agens sit intellectuale, si .n. esset irrationale, effectus casualis diceretur; Vnde si aliquis effectus non esset per se intentus ab agente, haberet tā necessariam connexionē

cum effectu per se intento, non diceretur fortuitus, vt si quis V.g. extenderet manum in aquam ad piscem capiendum, non intendens madefactionem, madefactio non esset à fortuna, nam inter aquam, & madefactionem esset necessaria connexio. Et si effectus intenderetur, licèt non haberet necessariam connexionem, neque esset fortuitus, vt cùm ludens intendit lucrum estò rarò, & absque necessaria connexione illi eueniat, quæ tñ ab aliquibus vocatur fortuna, saltem sm̃ quid.

Colligitur Tertiò, non esse propriè fortuitos effectus, qui ab aliqua potentia indeterminata ad operandum, vel non operandum, vel ad oppositos actus efficiendos proueniunt, vt sunt actiones omnes à nostra voluntate pendentes, vt Auic. autumauit 1. suff. c. 13. cum alijs; & ratio est, quia effectus fortuitus debet esse coniunctus per accid. cum aliquo effectu per se, ità vt sit semper præter intentionem agentis; at V.g. ambulatio licèt possit nõ produci à potentia motiua imperata à voluntate, si non imperaretur, quãdo tñ imperatur, iam intenditur à voluntate; & si hac ratione talis deambulatio diceretur fortuita, tunc quilibet effectus a 1 vtrumlibet, etiã causæ indeterminatæ essent fortuiti, & ità omnes generationes dicerentur casuales, cùm materia sit ex se indifferens ad omnes formas.

Colligitur 4. quòd in quolibet effectu per accid. non solùm datur causa per accid. sed etiam causa per se, quilibet.n. effectus debet habere aliquam per se causam, à qua dependeat; Voluntas V.g. est per se causa fossionis, per accid. verò inuentionis thesauri, & licèt ad inuentionem thesauri, requiritur etiam, vt aliquis absconderit ibi thesaurum, ex quibus integratur vna causa totalis, & adæquata inuentionis thesauri, quia tñ per accid. vnitur effectui per se, & præter intentionem fodientis terram, dicitur effectus fortuitus.

Colligitur 5. quòd respectu Dei nullus effectus est propriè fortuitus; ratio est, quia omnia præuidet, & nihil præter ordinationem, vel permissionem Dei euenire potest, & licèt peccata eueniant præter intentionem Dei, qua ratione Deus dicitur causa per accid. peccati, propriè tñ peccatum non potest respectu Dei dici fortuitum, nam & si inuoluntarium sit ipsi Deo, non tñ est incognitum, quòd ad rigorosam rationem effectus fortuiti requiritur. Respectu Angeli ad aliquod ministerium missi, potest dari fortuna, cùm mittitur V. g. ad deuastandam Ciuit. ex qua sequitur peccatorum pænitentia. Respectu Corporum Cęlestium, quæ inclinant ad aliquem effectum, potest dari casus, cuius ratio est, quia potest eorum influxus frustrari, seu impediri ab alia fortiori causa, siue libera, siue necessaria, vel ex distantia, vel ex indispositione materiæ, ità D. Thom. 1. p. cit. Verum est tñ, quòd pauciora eueniunt fortuitò per comparationem ad Angelos, & viros prudentes, quàm ad insipientes, quia prudentes, vt plurimum præuident quid sint operaturi, quidq. ex tali operatione sequi possit, turpè est.n. prudenti viro dicere non putaram, iuxta illud adagium: *non est sapientis dicere non putabam*. Effectus puerorum,

rum, & Amentium potius dici debent casus, quam fortuna, quia non agunt à proposito, & propter finem, sed potius in agēdo assimilantur agēti naturali.

Colligitur 6. quòd Fortuna ad causam efficientē reduci debet, vt Arist. docuit 2. Phys. 67. & ratio est, quia fortuna est in agente à proposito, & propter finem operante, cui fini intentionaliter non intentus vnitur, respectu cuius dicitur causa ꝑ accidens, sed talis causa est efficiens, semper. n. præter intentionem agentis effectus fortuiti dicuntur.

Colligitur 7. sic Casum rectè definiri posse ad mentē Arist. scil. *Casus est causa efficiens per accid. reperta in operantibus sine electione finis, respectu effectus qui rarò contingit*. V. g. equus vngula terram fodit, & dum causat fossionem, reperit thesaurum, dicitur effectus casualis, & casus. Deducitur tandem ex Doct. loc. cit. quòd fortuna sit duplex bona, & mala; bona si effectus euenit bonus, mala si malus, quòd adhuc dupliciter contingere potest, vno modo impropriè, si effectus non est in nostra potestate, vt quòd aliquis sit nobilis, vel ignobilis &c. Secundò propriè, si euentus est in nostra potestate, non per se, & primariò, quia non euenit ex intentione, sed per accid. & quasi secundariò, quia est annexus effectui per se intento, sic esset inuentio thesauri, vel serpentis ex fossione &c.

Obiectiones.

Ob. Quòd non datur fortuna, & casus: effectus fortuitus est ens verum, per se, ac determinatum, ergo non potest esse à fortuna, quæ est causa indeterminata, non vera. ℞. Assumptum esse verum quoad entitatē, non quo ad causalitatem, & intentionem agentis, quòd euidenter patet, quia thesaurus inuentus innumerabiles potest habere causas, nempè vel quia fodiens intendit inuenire aquam, vel lapidem, vel arborem plantare &c.

Ob. Sicut opinio nostra non facit ad esse rei, vel non esse, neque intentio nostra aliquid conferre potest ad esse per se, vel per accid. ipsius effectus, ergo non facit effectum fortuitum. ℞. Quòd licèt opinio nostra, & intentio non variant effectū quoad entitatem, variant tñ ex parte agentis, vt effectus dicatur vel voluntarius, vel intentus, vel fortuitus; Vnde ex intentione agentis mala, vel bona habet, quòd talis effectus sit laude, vel vituperio dignus, meritorius, aut peccaminosus &c.

Ob. inuentio thesauri, quæ maximè fortuita dici solet, habet determinatam causam scil. fossionem, ergo non erit fortuita, patet conseq. quia effectus fortuitus non est à determinata causa. ℞. Negando anteced. quia poterat esse ab alijs causis. Nec effectus fortuitus dicitur talis, quia nullam habeat certam causam, sed quia ex natura sua poterit esse ab alijs causis, ad quod etiam requiritur, quòd sit præter intentionem agentis.

Ob. Omnia à Deo præuidentur, & disponuntur, ergo nullus effectus erit fortuitus, quia necessariò eueniet. ℞. Negando consequentiam, nam concursus Dei, & Diuina eius determinatio, non tollit contingentiam in rebus, vt Theologi docent, neq. ex hoc, quòd non datur effe-

ctus

ctus fortuitus ex parte Dei, sequitur, quòd neque dari debeat ex parte creaturæ, quia quod intenditur ab vno, potest non esse intentum ab alio, & multa sunt præter intentionē seruorum, quæ tñ à Dominis sunt per se præuisa, & intenta, vt exemplificat D. Thom.

Ob. Omnis effectus per accid. reducitur ad causam per se, ergo isti effectus per accid. reducuntur ad causam per se, ergo non erunt fortuiti, cùm habeant causam per se. ℞. Cum Scot. in 2. d. 25. q. vn. R. Quòd illa propositio, omnis causa per accid. reducitur ad causam per se priorē, intelligi debet, quòd reducitur ad se ipsam, vt est causa per se respectu alterius effectus, sic fodiens terram, est causa per accidens inuentionis thesauri, sed est causa per se inuentionis aquæ, vel reducitur ad causam per se priorem origine, vel perfectione, vt est Deus.

Ob. Arist. pluries in Moralibus Fortunam Deam quamdam appellat, vel impulsum quemdam, quo homo ad benè, vel malè agendum impellitur, ergo non fuit bona assignata definitio loc. cit. de fortuna. ℞. Quòd Arist. in moralibus variè loquebatur, & sæpius sm̄ Vulgi opinionem, sicuti præsumitur in casu. Cæterum ipsemet etiam impugnauit multitudinē Deorum, & si fortuna esset impulsus ille, tunc effectus fortuiti non rarò, sed semper euenirent, & qui semel benè fortunatus, semper talis esset.

Ob. Ars magica docet modum, quo inueniantur effectus fortuiti, ergo tales effectus habent certas, & per se causas, aliter sub illa arte cadere non possent. ℞. Ex hoc solùm sequi tales effectus nō esse fortuitos respectu magiæ, vt talis est, nos verò loquimur de effectu merè fortuito, qui est ignotus agenti.

ARTICVLVS SEPTIMVS, *An Monstra intendantur à Natura.*

SCot. dubium hoc tangit in 4. d. 6. q. 2. K. vbi causam monstruositatis deducit ex parte loci propter variam seminum confusionem in matrice, seu membrana. Arist. 2. Phys. 82. sic Monstrum definiuit; *est peccatum illius, quod propter aliquid agit*, & 4. de gen. animalium c. 4. *est oblæsio rei propter naturam eius in ijs, quæ non semper, sed vt plurimum agunt*; ex quibus Doctores vnam completam definitionē colligunt, scil. *Monstrum est effectus naturalis à recta, & solita dispositione secundum speciem notabiliter degenerans, propter aliquod impedimentum.* Dicitur *effectus naturalis* loco generis, & ad differentiam artefactorum, in quibus propriè non sunt Monstra, sed errores. Dicitur *degenerans à recta, & solita dispositione*, quia Monstrum vt fiat, deficit à conditionibus requisitis ad res naturales ex vi generationis, Vnde formaliter consistit in defectu, vel priuatione debitæ perfectionis, & hoc significat, *secundum speciem*. non quòd monstrum necessariò alterius speciei esse debeat, sed quòd conditio deficiens sit debita ex vi generationis illi specificę naturæ, vt si homo duo capita habens nasceretur. Dicitur *notabiliter*, quia si defectus esset paruus, nec admirationem ingereret, non esset censendum monstrum. Additur tandem

ob ali-

ob aliquod impedimentum, quia duæ causæ ad Monstrum concurrunt, vna impedita, altera impediens, ne suum consequatur effectum in statu perfecto; hæc autem multiplex esse potest, sicut ex multiplici capite impedimẽtum prouenire potest; Primò ex parte materiæ, si excedat, vel deficiat; Secundò ex parte efficientis, siue principalis, vt est virtus formatiua fœtus, siue instrumentalis, vt calor, vel alia qualitas; Tertiò ex parte loci, seu matricis, & membranæ, qua tegitur fœtus, si nempe scindatur, & semina, quæ loco distabãt misceantur, vnde varia monstra ex varia seminum confusione oriuntur, vt Doctor aiebat; Quartò potest esse ex timore Matris, vel vehementi desiderio, & imaginatione, vnde aliquoties filij signati procreantur; Quintò, ex aspectu, & influentia Cęlorũ, ex eo quia certi effectus, certamq. constellationem expostulant, quæ si desit, & alia opposita adsit, generatur monstrum; hinc propriè monstra in animalibus reperiũtur, minus proprie in plantis, impropriè in cæteris. Dubium igitur est, an monstrum dicatur casualis effectus, an verò effectus per se intentus à natura.

Aliqui affirmant esse effectum casualem, ita Themist. 2. Phys. tex. 64. Burl. tex. 82. & ex nostris Tatar. 2. Phys. q. vlt. dub. 3. & Sghem. digres. 19. q. 1. Alij negãt vt Simpl. Niphus, & alij: Alij distinguunt, quòd scil. monstrum intendatur quidem à causa impediente, non tñ à causa impedita, respectu illius erit effectus per se, respectu istius est effectus per accid. & casualis, ita Tolet. 2. Phys. q. 13. Conimb. cap. 9. q. 6. art. 1. asserũt, monstrum non intendi à causa impediente, vel impedita seorsim sumptis, sed simul vnitis. Suar. & Masius, quòd intendatur à causis vniuersalibus, nõ verò à particularibus, & per causam vniuersalem intelligunt, vel Deum, vel corpora Cęlestia; per particularem, aliquòd ens determinatum.

Verùm hæc difficultas faciliter solui potest; si .n. loquamur respectu Dei, nulli dubium est, quòd à Deo monstra intendantur, cùm respectu ipsius nullus sit effectus fortuitus, & incognitus; si sumantur simul causa impedita, & impediens, tunc monstrum per se producetur, quia habet causam certam, & determinatam; si verò de causis particularibus seorsim sumptis fiat sermo, monstrum nõ erit per se intentum, neq. primaria, neque secundaria intentione, sed effectus casualis, & fortuitus dicetur, quod inde probari potest, quia effectus fortuitus, & per accid. est, qui rarò euenit, & à causis per accid. coniunctis, itaut per se non intendatur, at monstrum est huiusmodi, quia rarò euenit, causæ per accid. vniuntur, & ab illis per se non intenditur, vt ex dictis patet, ergo &c.

Dices, Natura agit propter finẽ, ergo cùm causat monstrum, ipsum intendit. ℞. Anteced. esse verum de actione causæ per se, & de fine mouente agentis ad operandum, non de actione caus. per accid. ideò nihil.

Ob. Ex D. August. 21. de Ciuit. Dei cap. 28. vbi ait: Monstra esse non contra naturam, sed contra notam naturam, ergo, & si causæ incognitæ, adhuc natura illa intendit. ℞. Ex D. August. solùm deduci, quòd causæ monstri à nobis non cognoscuntur, non

non verò, quòd ab illis intendatur.

Ob. Natura in generatione monstri, & si impedita progreditur, non tñ sistit, ergo ipsùm intendit, Probatur consequentia, quia generatio habet aliquid pro fine. ℞. Quòd natura semper progreditur intendendo finem, sed frustratur in fine actionis propter impedimentum extrinsecũ, & ideò falsa est conseq. Natura .n. nunquam intendit dissimilationem, & monstruositatam, nec primariò, nec secundariò.

D V B I V M.

De Fato.

De Fato agere spectat ad Theologos in materia de Prouidentia, occasione tñ accepta, quòd fatum opponitur Casui, & fortunæ, dicimus breuiter, quòd si fatum accipiatur pro dispositione, & ordine in causis rerũ constituto, à quibus ineuitabili quadam necessitate effectus, præsertim voluntatis nostræ, eueniant, Sic fatum à Sanctis Patribus, & Catholicis tamquam impium, & erroneum eliminandũ est; at si accipiatur prout dicit dispositionem causarum secundarum in ordine ad suos effectus cõstitutam, quomodo definitur à Boetio de consol. pros. 4. scil. *Fatum est rebus mobilibus immobilis inhærens dispositio iuxta quam Diuina Prouidentia suis quæq. nectit ordinibus*, sic benè ponitur, & admittitur à fidelibus. Iuxta igitur allatam descriptionem, dupliciter fatum accipi potest, vno modo pro actu Diuinæ voluntatis omnia disponente, & ordinante, & in hoc sensu non differt à Diuina Prouidentia, qua Deus cuncta regit, & gubernat; altero modo, vt talis ordo est in ipsis causis secundis dispositis, & ordinatis, & in hoc sensu in præsenti accipitur, & rectè dicitur dispositio inhærens rebus mobilibus iuxta quam &c. Dicitur immobilis, quia posito ordine causarum secundarum à Diuina voluntate constitutò necessariò & infallibiliter effectus euenient omnes, quos ab æterno præsciuit futuros, cum Deus in sua scientia falli non possit; hæc tñ necessitas, non est necessitas simpliciter causæ, & absoluta, sed necessitas suppositionis, & effectus, nam Deus ità suauiter, fortiterque disponit omnia, vt sinat causas secundas suos motus agere; vnde causa libera, adhuc sua libertate concurrit; quomodo autẽ cum hac infallibilitate saluetur libertas causæ secundæ, non est præsentis negotij.

Dices, D. Greg. homil. Epiph. negat dari fatum, ergo &c. ℞. Negat fatum in sensu Gentil. & Priscill. qui asserebant Fatum non esse dispositionem Dei, sed destinationem, & constellationem influxuum Cęlestium, quibus ineuitabili necessitate proueniunt, non solùm effectus omnes naturales, sed etiam qui à nostra pendent voluntate, quòd falsum est.

DISPV-

DISPVTATIO XI.

DE COLLATIONE CAVSARVM,

inter se, & cum suis effectibus.

EX dictis constat, quatuor esse Causarum genera, scil. Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem, ad quæ omnia reducuntur, quæ aliquo modo rationem causæ participant; sed quia Arist. in hoc 2. tex. 30. ait: *Sunt autem quædam, & inuicem causæ &c.* & se exemplificat, quòd laborare est causa bonæ habitudinis, & hæc est causa laborandi, laboratio est causa efficiens habitudinis, & hæc est causa finalis laborandi, hinc ansam dedit Doctoribus hanc propositionem inuestigandi, quòd nos etiã cũ Doct. nostro agemus, in sequẽtes articulos, disputationem hanc secantes.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Causæ sint sibi inuicem causæ.

SCot. pluries de hoc dubio disserit, vt videre est in 1.d.3.q.7. & d.2.q.2. S. & 5.Meth.q.1.& alibi. vt clarius, & exactius hæc causarum collatio inter se pateat, quærimus primò, an hæc quatuor causarum genera in ratione cõi causæ vniuocè conueniant, an verò Analogicè, vel potius equiuocè. Suar. d. 12. sec. 3. asserit, non vniuocè, sed analogè tm̃ conuenire. Auersa q. 11. de causis sec. 3. quòd conueniant vniuocè affirmat. Nos, vt consequenter loquamur fateri debemus, non dari conceptum perfectè vniuocum causæ cõmunem his quatuor generibus causarum, & ratio qua cõiter asseritur cõceptũ assignatum causæ esse quatuor generibus causarum cõem est, quia etiam causam finalem ponunt esse veram causam realem, & Physicam, ergo cùm nos asseramus esse tantùm causam Methaphoricam, consequẽter asserere debemus nõ vniuocè cõuenire in cõi ratione causæ. Tum quia Recentiores cõiter negant, causas intrinsecas habere veram rationem causæ, cùm eas non ponant realiter distinctas à composito constituto, ac propterea non consequenter loquuntur, affirmantes conceptum cõem causæ esse vniuocum quatuor causarum generibus.

Verùm, quia per nos causa, vt sic in cõi, *est id, ad cuius esse aliquid sequitur*, & finis etiam distinguitur realiter à suo effectu, qua ratione exclusimus à Deo causalitatem finalẽ, cùm non possit Deus à seipso distingui, ideò asserere debemus, omnes quatuor causas saltem vniuocè analogicè conuenire, sufficit .n. ad rationem causæ, vt sic, quòd sit id, ad cuius esse aliquid sequitur.

Dices, de ratione causę est, vt Physicè influat in effectum, finis autẽ non influit, cùm non existat, ergo, &c. R. Negando minorem, finis .n. influit in effectum, sed modo suo, quatenus

mouet voluntatem ad operandum, trahendo, inclinando, suadendo &c. cùm obiectiuè reluceat sub aliqua ratione boni; & hæc est eius causalitas in actu primo. Cæterum etiam alium modum causandi habet efficiens, aliū materia, & alium forma, quia vna causat efficienter, alia materialiter, alia formaliter; Sicut igitur ista variatio modorum non tollit vniuocationem à causa materiali, formali, & efficiente, ità neque à finali, licèt per fectiori modo ratio causæ illis trib⁹ conueniat, quàm fini, qui solùm Methaphoricè, & intentionaliter mouet, sicut intentionaliter existit; hoc autem non tollit puram vniuocationem, sed perfectiorem, & ideò diximus talem vniuocationem inter quatuor causas stare cū admixtione analogiæ, quòd etiam Aduersarij fateri tenentur, cum ratio causæ perfectiori modo competat efficienti, quam materiæ, & formæ.

Secundò comparari possunt in modo causandi, & dubitatur, an modi causandi singularum coincidere possint, & R. Quòd formaliter loquendo, & sub ratione causæ præcisè, coincidere nequeunt, nam alia est causalitas materialis, alia formalis, alia efficiens, alia finalis, vt ex dictis patet; at si materialiter spectentur scil. pro rebus ipsis causantibus, benè coincidere possunt, vt expræsse docuit Arist. 2. Phys. 70. potest. n. eadem res respectu diuersorum effectuum singula quatuor causarum genera exercere; sic Anima V.g. est forma corporis, & hominis, est efficiens actionum vitalium, est earum receptiua, seu causa materialis, est tandem finalis causa generationis, sicut qualibet alia forma substantialis, agens. n. intendit in generatione producere formam.

Tertiò comparari possunt in ordine prioritatis in causando, & quæri potest, cuius causalitas sit prior. & R. Cum Scot. 5. Meth. q. 1. distinguendo; ordine intentionis causæ extrinsecæ prius causant, nam quia illæ causant, ideò, & intrinsecæ causant, & non è contra, quæ causalis indicat prioritatem intelligendi, saltem cum fundamento in re, extrinsecarum autem prius causat finalis, quia. n. finis mouet efficiens in ratione amati, ideò agens agit, non è contra; in Causis verò intrinsecis ordine intentionis causalitas formæ est prior, qa propiuquior est agenti, & fini, & agens mediante forma dicitur transmutare materiam. Tum quia ideò materia hoc suppositum constituit, quia est sub hac forma, & non e contra; ideòque in hoc ordine materia est vltima; In ordine verò executionis, & existentiæ, ait Doct. quòd efficiens est primum, Secunda est materia, Tertia forma, quæ à materia pendet, Vltima finis; absolutè tñ vult Scot. quòd causa finalis dicatur prima, & appellari consueuit causa causarum, quia ipsa est causa, cur cæteræ causent, & proprias exerceant causalitates. Quomodo etiam loquutus fuit Arist. 2. Phys. 31. Aduertim⁹ tñ cum Scoto in 2. d. 37. q. vn. V. quòd præfatus ordo prioris, & posterioris seruatus inter causas in causando indicat solam prioritatem intelligendi cum fundamento in re, quatenùs scil. causalitas vnius est ratio causalitatis alterius, & non è contra, quam doctrinam affert ad literam Auersa q. 16. sec.

16. lec. 6. licèt Scoti nullam fecerit mentionem.

Quartò comparari solent respectu prioritatis in perfectione, & dignitate; & licèt perfectio hæc attendi potest ex ipsa entitate causarum; tñ q̃a in præsenti loquimur de causis pro formali, & quo ad modum causandi; ideò dicimus cum Doct. in 1. d. 2. q. 2. R. quòd causæ extrinsecæ digniores, & perfectiores sunt causis intrinsecis, & assignat Doctor rationem, quia modus causandi, seu causalitas causæ extrinsecæ dicit perfectionem annexam, quam non dicit causa intrinseca, cùm sit pars causati, hinc Deo tribui solet causalitas extrinseca, nulla autẽ intrĩseca; in Causis autẽ extrinsecis adinuicem cõparatis, finis habet nobiliorẽ modũ causandi, quia ipse mouet agens ad agẽdum, & actiones agentis ad ipsum ordinantur. Ex causis intrinsecis inter se collatis, forma proculdubiò est perfectior materia, quia forma est actus, materia est potentia, & hæc appetit illam, vt turpè pulcrum; est etiam perfectior in ordine ad cõem effectum constitutum, quia forma est principalior pars quidditatis, specificè illud constituens, & distinguens.

Vrgebis, forma verè in suo esse causatur à materia, & non è contra, finis metaphoricè tantùm causat, non realiter, vt efficiens, ergo potius in causis intrinsecis causalitas materiæ est nobilior, & in extrinsecis efficiens. ℞. Nos hic non loqui de perfectione causarum, & de rebus ipsis causantibus, vt supra diximus, sed ex modo causandi ipsarum; cæterum si de rebus ipsis loquamur, illa dicitur perfectior causa, quæ magis influit in effectum, seu à qua effectus magis dependet; quo sensu prima, & maximè causa est efficiens, à qua per antonomasiam denominatio effectus desumpta est; in ordine ad compositum forma est perfectior causa, quàm materia, sed in ordine ad se inuicem materia est causa perfectior forma, nam materia dat esse simpliciter, & primum formæ, cùm ex eius potentia educatur, non ità forma materiæ, q̃a eam simpliciter supponit, & solùm causat in tali, vel tali esse: finis est cæteris inferior, cùm non influat in effectum, nisi metaphoricè, vt ab efficiente distinguitur; quare argumenta allata, vel similia solùm concludũt de causis materialiter comparatis, idest de rebus ipsis, nõ de modo causandi; & licèt Philos. loqui videatur specialiter de causa efficiente, & finali, vt ex ipso contextu colligitur; hoc .n. probauit, quia labor est causa efficiẽs sanitatis, sanitas verò est causa laboris; Recentiores tñ hoc Arist. dictũ ad omne genus causæ ampliãt, asserentes quaslibet causas esse posse sibi inuicem causas in omni genere causæ.

Conclusio.

Dicimus, nec in eodem genere causæ, nec in diuerso posse esse causas sibi inuicem causas sm̃ eamdem rõnem, sed solùm sm̃ diuersas. Est ad mentem Scoti loc. cit. & citandis, & ex Scotistis Recentioribus efficaciter defendunt Mastr. & Bell. in Phys. disp. 8. q. 1. art. 1. & à M. Bruno citante D. Thom. 5. Meth. lec. 2. & q. 16. de verit. art. 2. & a M. Bonherba citatur Egid. 2. sent. d. 9. q. 1. art. 1. & ex Patribus Iesuitis sequũtur Conimb.

Fons.

Fonf.Ruu.Valent. Vasq. & alij contra aliquos Neuthericos. Probatur quoad primam partem; nam tunc idẽ esset causa, & effectus respectu eiusdem, quod cõtradictionem inuoluit, quia tunc esset prius, & posterius, dependens, & independes respectu eiusdẽ, nam in rõne causæ esset prius, & independens, in rõne effectus posterius, & depẽdẽs. Tũ q. simul esset, & nõ esset; ex quo causaret, esset, & existeret; & ex quo egeret causari, adhuc nõ esset. Tũ qa idẽ esset causa suipsius saltẽ mediatè, quod.n.est causa causæ, est causa causati; Vnde si V.g. A. est causa B. & B. est causa A. iam A. erit causa suipsius.

Resp. aliqui, rationes allatas solùm concludere, causas non posse esse inuicem causas in eodem genere causæ, effectiuè V.g. materialiter &c. at non probare, quòd esse nequeant inuicem causæ in diuerso genere causandi, quia in hoc sensu idem esse potest prius, & posterius, dependens, & independens respectu eiusdem; & illa maxima: *quod est causa causæ, est causa causati*, intelligitur quando causalitas exercetur in eodẽ genere causæ.

At contra, Causa Physica, & realis prius natura supponitur existere ad suam causalitatem, quàm actu causet, quia actus secundus supponit actum primum, & præcisa existentia, causa non est in actu primo, sed in pura potentia obiectiua; præsupponitur etiam existens ante effectum suum, quia per causalitatem cõicat effectui essentiam existentem, ergo cùm causa simpliciter, & absolutè præsupponitur existens ad effectum suum, & existẽtia in vno genere casæ sufficit, vt simpliciter, & absolutè dicatur existere in rerũ natura, implicat, vt aliã existentiam recipiat ab alio, quia tunc idem bis existeret, & produceretur in esse. Tum quia si causa penderet in aliquo genere causæ quo ad suam existentiam ab effectu, tũc effectus in eo genere, quo communicat existentiam suæ causæ, præsupponetur illi, ergo existeret antequã causaretur à causa sua, & ità idem simul existeret, & non existeret, quia id, quòd causatur intelligitur absolutè non existere, existeret, quia id, quod causat, absolutè debet existere, diximus.n. supra, quòd existentia est simpliciter necessaria ad causandum.

Nec vale. illa cõis responsio, quam etiã Complut. amplectũtur 2. Phys. disp. 8.q.4. scil. quod estò vnum, & idem non possit sm̃ eamdem considerationem esse prius, & posterius natura, quàm aliud, benè tñ sm̃ diuersas considerationes. Non placet, qa prioritas causalitatis est prioritas realis, & non tm̃ sm̃ consideratione. Nec valet, quod afferunt ad causalitatem materialem, & formalem non exigi existentiam causæ, sed sufficere, quòd habeant suam essentiã actualem, deducentes postea, quòd licèt materia, & forma sint priores toto in genere causæ materialis, & formalis sunt tñ etiã posteriores in genere causæ efficientis, quatenus ipsæ non producuntur ex se, sed ad productionem ipsius compositi comproducuntur. Non valet, nam vel ideò partes dicuntur produci ad productionem totius ab efficiente, quia tunc accipiunt existentiam tantùm, vel quia simul accipiunt essentiam, & existentiam; si secundum, ergo in nullo genere

nere causæ præcedunt totum, nam vt præcedant in genere causæ materialis, & formalis, debent præcedere cum sua essentia actuali, vt ipsi concedunt, ac hoc dicit existentiam; si primum, ergo earum essentia erit in causata ab efficiente.

Probatur vltima pars scil. quòd causæ esse possunt sibi inuicem causæ in eodem, vel diuerso genere causæ sm̃ diuersas rõnes causandi; quòd.n. vna causa aliam causet, in hoc sensu nulla est implicantia, quia intelligitur causare tribuendo illi aliquã per actionem, & intelligitur causari, recipiendo non illam per quam causat, quia supponitur ex natura rei, sed aliam, & hoc manifestis ostenditur exemplis, materia .n. est causa formæ quoad eius esse simpliciter, & primum, & forma est causa materiæ quoad esse formale, & specificum; intellectus est causa efficiens intellectionis, & intellectio causa formalis eius, quatenus intelligens; imò hoc esse potest in eodem genere, quia potest magister docere discipulum, qui tñ decursu temporis magistro doctior euadens, docebit magistrum. &c.

Obiectiones.

Ob.1. Arist.2.Phys.30.& 5.Meth. cap.2. manifestè docet causam finalẽ, & efficientem posse esse sibi inuicem causas in diuerso genere causæ, ergo malè id negatur. ℞. Cum Auersa, id euenire in causa finali, quia in suo causandi genere non præsupponitur realis et existens ad hoc vt causet, ac propterea sine implicantia potest esse causa, & effectus simul alterius causæ sm̃ eamdem rõnem, quando verò causa præsupponi debet existens, vt causet, vt in cæteris causarum generibus, non possunt duæ causæ esse sibi inuicem causæ in diuerso genere sm̃ eamdem rõnem; vel id contingere in causa finali, quia non est vera causa realis Physicè influens in effectum, sed metaphorica, quæ ratio non militat de alijs causis Physicè, & effectiuè in effectibus influentibus; & ideo benedixit Lych. in 2.d. 12. q.2. contra Caiet. quòd Arist. tm̃ locutus fuit de causa efficiente, & finali, non de alijs causis.

Ob. Piper calefacit stomacum, & stomacus piper; & duæ trabes ità inclinatæ, vt faciant angulum mutuò se effectiuè sustentant in aere ne cadant, ergo &c. ℞. Quòd stomacus, & piper non se calefaciunt per eumdẽ numero calorem, sed per diuersum, ac propterea sm̃ diuersas perfectiones, iuxta quas vnum alteri præsupponitur. Duo ligna se mutuò conseruant in aere, ne cadant, non per mutuam causalitatem vnius in aliud, sed potius quia vicissim vnum impedit grauitationem alterius deorsum.

Ob. Actus in genere efficientis causant habitum, & hic vicissim est causa efficiens actuum, in genere causæ materialis; ex pluuia generatur vapor, & ex vapore pluuia ergo &c. ℞. Admittendo, ꝙ habitus generetur ex actibus, sed non ex eisdem numero, quos postea ipse efficit cum potentia; sic etiam vapor hic est causa materialis huius pluuiæ, sed hæc pluuia non est vicissim causa illius vaporis, sed alterius.

Ob. Duo relatiua mutuò dependent quo ad existentiam, vnum .n. sine altero existere nequit, ergo. ℞. Per hoc tm̃ explicari necessitas simul tatis,

tatis, & concomitantia relatiuorum in existentia, propriè tñ dici non potest, quòd vnum relatiuum ab alio dependeat in sua existentia, cùm .n. dependentia necessariò inferat prioritatem naturæ vnius respectu alterius, repugnat simultati naturali duorum. Tum quia Pater in Diuinis sine Filio esse nequit, & tñ non dependet ab eo.

Ob. à substantia dimanant accidentia quædam, sine quibus existere nequit in rerum natura, vt sol sine luce, ignis sine calore, ergo mutuò se conseruant. ℞. Quòd accidentia connaturalia conseruant substantiã, & dispositiones formam, non aliquid in ipsam influendo, sed resistendo cõtrarijs, qua rõne dici solet dependentia à posteriori, & veluti à conditionibus naturaliter concomitantibus.

Magister Iacob. Brun. q. 8. art. 5. fol. 256. sequens doctrinam Cõplut. ait, quòd materia, & forma, vt sint proximè, & completè potentes causare, imò vt de facto causent, in illo priori quo causant, non requirunt existentiam, aliàs essentia in illo priori quo causat recipiendo existentiã, deberet existere, sed sufficit, quòd habeant realitates essentiales incompletas, & imperfectas à parte rei extra causam efficientem, & quòd existant concomitanter, vt possint se mutuò causare. & ait hanc esse Doctrinam Caiet. contra Scotum.

Sed bona pace tanti Magistri, probans ipse eamdem conclusionem, in qua est nobiscum, assumit hoc medium: Causa est prior natura sua causalitate, & effectu, quia operari sequitur esse, & hæc prioritas consistit in independentia, ergo si causa in eo genere, in quo causat aliam, causaretur ab illa, supponeretur prior, & non supponetur, esset independẽs, & pendens, quòd implicat, hæc præfatus Doct. benè, & doctè.

Sed hęc doctrina est contra ipsum: si .n. materia est causa formæ, ergo prior forma, & independens à forma, quomodo ergo pendet à forma quo ad suam existentiam? dicit, quòd materia pendet à forma quo ad esse specificum, & existentiale.

Admittimus quo ad esse specificũ, & formale, quia hoc est esse secundarium, & perfectionis materiæ, sed dicere, quod pendeat à forma quo ad esse existentiale, est error verborum inexplicabilis, quomodo res est independens ab alia, si suam existentiam ab illa mendicat? ly esse specificum non spectat ad quidditatem materiæ, cùm non ponatur in eius definitione sed forma non dat materiæ, nisi esse specificum, & determinatum in tali prædicamento, quòd est esse secundarium materiæ, ergo materia quo ad suam entitatem, & quidditatem absolutam non existit per formam, & si existit absolutè per formam, non est causæ formæ, sed effectus formæ, non solùm quo ad esse specificum, sed etiam quo ad entitatem, & quidditatem propriam. Fortè dicet, quòd materia præcedit formam quo ad realitatem essentialem, non existentialem.

Sed contra, vel hoc intelligitur de essentiali potentiali, vel de essentiali actuali, si de essentiali potentiali, sic neutra est alia prior, vel posterior, vtraq. n. est ab æterno, vt sunt aliæ essentiæ rerum possibiles; si de essen-

essentiali actuali, iam habetur intentum, quia sic est extra suas causas, nec aliquid requiritur ad existẽtiam nisi vt res sit in actu, & extra suas causas, nisi vocabulis abuti velimus. Addit, quòd existunt concomitanter, vt possint se mutuò causare. error peior priore. Si etiam per ipsum requiritur, vt causa sit prior, & independẽs respectu sui effectus, quænam earum erit absolutè prior, materia, an forma? Si dicit, quòd forma, ergo in illo priori quando intelligitur forma dare esse specificum materiæ, tunc materia non intelligitur existere, & prius haberet esse specificum, determinatum, & secundarium, quàm absolutum, & primum. Si dicit, quòd materia est prior absolutè, vt fundamentum est, & subiectum formarum, benè dicit, sed vt sic est independens à forma, & ideò non potest ab ipsa mendicare existentiam; si existunt concomitanter, ergo neutra est causa alterius, quia ad rõnem causæ requiritur, quod sit prior, & independens respectu sui effectus. quare potius hic Doctor reducit causalitatem materiæ, & formæ ad simultatem, & coexistentiam relatiuorum, quàm ad veram causalitatem. Tum quia hoc est priuilegium solius causæ finalis, quòd abstrahat ab existentia quo ad causalitatem, in omnium Philosophorum sententia, quòd etiam ipse M. Brun. fatetur q. 11. art. 2. ergo non rectè ampliatur ad causalitatem materiæ, & formæ, vt in illo priori causent, sine existentia. effugium machinatum, vt illud principium defendant, quòd materia quoad suam entitatem, existat per formam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An quælibet causa realiter distingui debeat à suo effectu.

SCot. in 2. d. 25. q. vn. L. ait: *Relationes reales sunt in triplici differentia, quædam sunt relationes, quæ habent dependentiam essentialẽ, vt causæ ad causatum; aliæ sunt relationes originis, quæ tamen non habent dependentiam inter se, vt Paternitas, & filiatio in Diuinis; aliæ habent dependentiam accidentalem mutuò, vt mouens, & motum. Primæ duæ relationes repugnant in eadem natura, vel persona, seu supposito. Secundæ repugnant in eadem persona, seu supposito, quia nullum suppositum producit seipsum sed non repugnant in eadem natura, si illa est illimitata, sicut patet quod in natura Diuina est producens, & productum &c.* Quibus verbis clarè docet, nullum suppositum posse seipsum producere etiã in Diuinis, sed semper necessariam esse distinctionem inter producens, & productum. Non desunt tñ Recentiores, qui negant causas intrinsecas realiter distinguĩ à suo effectu scil. à toto composito Physico, vt in proprio art. visum est. Aliqui tamen vlterius progredientes ausi sunt etiam negare distinctionem realem inter causam efficientem, & effectum eius, asserentes idem posse seipsum producere etiam in prima productione. Alij verò magis cautè loquentes, fatentur idem esse non posse causam suipsius per primam productionem, per quam accipit esse, non tñ repugnare, quòd eadem res habens iam esse per vnam actionem, sit causa suipsius per aliam secundam actionem posteriorẽ, quia

in hoc casu iam supponitur cum tota sua entitate independenter à secũda actione. ità Suar.disp. 26. Meth.sec. 5.& 3.p.tom.3.disp.50.sec.4. & probabile putat Amic.tract. 14.q.4.dub. 2.art.3.

Conclusio.

Dicimus,tñ in quocumq.gen.causæ realis Physicæ, causam ab effectu distingui realiter, itàut repugnet idẽ posse seipsum producere, & hoc nõ solum per modum primæ productionis,sed nec etiam per modum secundæ scil.conseruationis. est Scot.loc. cit. cum Scotis. vt videre est apud Mastr.& Bell.in Phys.disp.8.q.2.art. 1.& ex Exteris Turrian. opusc. 14. disp.1. dub. 5. & 6. Vasq. Valent. & Alij, & ex nouissimis Neuth.P.Riccard.Lync.lib.4. Phys.tract.4.cap. 1. fol. 170. & citatur etiam D. Thom. p.1.q.104.art.2.ad 2. Probatur primò ex definitione causæ in cõi, quæ definitur esse id, *ad cuius esse aliud sequitur*. quæ particula *ly aliud*, inportat diuersitatem naturæ saltem numericam, vt cõiter explicatur, vt per eam productio in creaturis distinguatur à productione in Diuinis. Resp.Amic.hanc definitionem causæ accipiendam esse naturaliter, quia naturaliter productum est diuersum à producente sm̃ naturam, ideò dicitur aliud, at supernaturaliter, potest hoc aliquid esse idem.

Sed Contra, definitio explicat essentiam, & quidditatem rei, quæ per nullam potentiam variari potest, & si hoc effugiũ admittatur, quòd causa sic solùm definiatur sm̃ naturæ cursũ, hoc idem affirmare possemus de qua cunque alia definitione, & dicere, quòd homo supernaturaliter posset esse irrationalis. Probatur 2. Relatio realis versari debet inter extrema distincta realiter,& maximè quã do dependentiam essentialem impor tat in omnium sententia, sed relatio causati ad causam est huiusmodi ex Doct.ergo &c.

Probatur 2.si idem produceret seipsum, esset antequam fieret, atq.ità simul esset, & non esset, esset quia nequit operari nisi existat, non esset, quia fieri deberet, & generatio substantialis est transitus de non esse ad esse. Item idem esset prius & posterius seipso à parte rei, nam causa sm̃ illud esse, per quod causat debet præsupponi ad suum effectum saltem prioritate naturæ. Resp. quod hæc non contradicunt, non .n. sunt de eodem respectu eiusdem, aut eodem modo, idem .n. esset per primam productionem ex vi alterius causæ, non esset per secundam productionẽ ab ipso procedentem; & vt existens ex vi primæ actionis esset prius, vt verò existens ex vi secundæ, esset posterius.

Non satisfacit,quia si per primam actionem supponitur esse in rerum natura, iam implicat substantialiter reproduci per secundam, nam huic secundæ non potest assignari terminus à quo,scil. non esse rei, cùm supponatur esse per primam productionem. Nec dicere valet,quòd terminus à quo esset in casu, non esse rei secundum, quia sicut hoc esse secundum habitum per secundam productionem, non esset à primo esse diuersum secundum rẽ habito per primam ità hoc non esse secundum,non potest esse diuersum à primo non esse, nisi sm̃ modum, quæ diuersitas

ad no-

ad nouam productionem substantialem non sufficit ad saluandam contradictionem, quod idem simul esset, & non esset; & quamuis actio prima, qua intelligitur res existere ex vi al terius causæ sit prior, quàm secunda actio, qua intelligitur de nouo à seipsa pendere,& inter illas duas actiones concipere possimus ordinē prioris, & posterioris, & consequenter rem, vt productam per primā actionem esse prius seipsa, vt productam, vel conseruata per aliam, tñ tota hæc prioritas versaretur inter ipsas actiones, non inter eamdem rem cum seipsa, cum .n. res producta,& conseruata per illas actiones diuersas sit omnino eadem in se, non potest intelligi, quòd sit prius seipsa à parte rei, nam prioritas realis est essentialiter ad aliud, ità Bell.& Mastr.disp. 8.Phys.q.2.cit.

Probatur tandem ex principijs nostræ fidei, malè .n. in Diuinis ex productione,probaretur realis distinctio personarum, quia posset proteruus dicere, quòd secunda persona non est realiter distincta à Prima,sed eadem à seipsa genita,licèt .n. Pater non sit productus ab alio, poterit tñ dici productus à seipso, & quatenus producens dici Pater,quatenus productus dici Filius. Tum quia nulla esset ratio D.Aug.1.de Trinit.cap.1. vbi hac rōne probat, Deum esse ingenitum, quia scil. nihil potest generare seipsum.

Nobis etiam adhæret M. Iacobus Brun. q. 8. Phys.art.3.fol.mihi 249. vbi postquam opinionem quorumdam Thomist. retulit, asserentium, solum causas extrinsecas à suis effectibus distingui realiter, non autem intrinsecas, addit: probabilius esse, quòd qualibet causa siue intrinseca, siue extrinseca, semper debet realiter distingui à suo effectu. Probat, quia causa vt sic est id, ad ꝙ per influxum realem aliud sequitur, sed aliud necessariò importat distinctionem realem, ergo. Confirmat, quia effectus importat dependētiā vnius ab alio, quia idem à seipso non pendet, nec se reuocat de non esse ad esse ex D. Thom. 1.p.q.104. art.2.ergo causa, & effectus realiter distinguuntur. benè,& satis eruditè, sed non debebat q. 6 art.2. tam constanter asserere, quòd totum physicū essentiale, non est tertia entitas realiter distincta à suis partib. vnitis in via D. Thom.

Obiectiones.

Ob. Inter producens,& productū non est necessaria distinctio realis ex parte principij formalis, & Quo, ergo neque est necessaria rōne principij Quod, saltem de potentia Dei absoluta; assumptum patet ex Diuinis productionibus, vbi principium Quo producendi est natura, in qua non distinguuntur Personæ Diuinæ, conseq. probatur, quia producentis, & formæ, qua producens producit, eadem est relatio ad productum ex Arist.2.Phys.38.& 5. Meth.2.vbi docet, ad idem genus causæ, & principij pertinere artem,& Edificatorem. ℞.Ex Scot.in 1.d.7.q.vn.lit. Z. concedendo anteced. in Diuinis, & negando consequentiam inde deductā; ratio est, quia licèt ibi terminus formalis non producatur de nouo in supposito producto, sed à producente ei cōicatur idem numero, quem in se præhabebat, tū quia nihil communicat sibi

cat sibi ipsi id, quod habet, idcirco suppositum, quòd cõicat naturam, distinguitur à supposito, cui cõicatur: At in Creatis, non solùm requiritur realis distinctio inter producẽs, & productum, vt Quod, sed etiam vt Quo, seu inter principium formale, & terminum formalem, nam in generatione creata terminus formalis habetur in producto per veram productionem, non per simplicem cõicationem, propter alietatem naturæ; & in hoc sensu loquitur Arist. loc. cit. nõ. n. cognouit productionem Diuinam, sed tm̃ creatam, vbi tàm principium Quod, quàm Quo realiter, & eo modo distinguitur à termino.

Obijcit Amic. ꝙ idẽ posset seipsũ producere per modũ secũdæ productionis: Si hoc repugnaret, vel esset parte causæ, vel ex parte effectus vel ex parte modi agendi. Non Primũ, quia supponitur causam habere existentiam necessariam ad actionem ex vi suæ causæ; neque Secundum, quia terminus per potentiam Dei est capax duplicis influxus totalis, vnde sicut existens ex vi vnius causæ potest recipere influxum ex vi alterius, ità, & à seipso; neq; tandem Tertiũ, quia in eodem instanti temporis potest, vt existens per primam productionem, res dici prior seipsa, vt producta per secundam. ℞. Repugnãtiam esse, quia idem effectus non est capax duplicis influxus totalis, in quo ruinoso principio tota structura huius imaginationis fundatur, vt videbimus, & qñ etiam sic esset capax, non potest hunc influxum à seipso recipere, cũ nihil sibi ipsi realiter præsupponatur, vt iterum à seipso recipiat illud idem esse, quòd habuit ab alio, hoc .n. est purum figmentum, & à rõne prorsus alienum. Ad aliud de modo agendi dictum est supra.

Obijcitur. Potentia actiua, & passiua non repugnant in eodẽ respectu eiusdem, nam idem potest esse in potentia formali, & actu virtuali ex Doct. pluribus in locis ergo &c. ℞. cum Scot. in 2. d. 25. q. vn. L. negando consequentiam, & concedendo assumptum si per potentiam actiuam intelligatur transmutatiua, & per passiuam intelligatur subiectiua, sic .n. sunt relationes importantes dependentiam accidentalem inter actiuum, & passiuum, quæ non repugnant in eodem subiecto, quia idem potest in se efficere perfectionem suam accidentalem, & ità accidentaliter à se dependere; at si per potentiam actiuam intelligatur productiua, & per passiuam intelligatur obiectiua, negatur assumptum, quia terminus existens in potentia obiectiua, necessariò supponit in esse suam causam, & in creatis sunt relationes importantes dependentiam essentialem actiui ad passiuum.

Ob. Finis est causa formę, quæ producitur ab agente, & tñ non distinguitur ab ipsa forma, quã rõne Arist. 2. 2. Phys. 70. inquit, finem, & formam coincidere in eodem numero. ℞. Hoc solùm verificari de causa finali, quia non est vera, & rigorosa causa Physica, & res obiectiuè apprehensa est eadem, quòd ipsa in re ꝑducta erit, & vt causa finalis est, abstrahit ab existentia, hoc autem non valet de alijs causis.

Ob. Tandem ex 2. de anima 47. vbi Arist. docet, quòd estò idem nequeat generare seipsum, potest tã conseruate

uare seipsum, ergo &c. ℞. Ibi non esse sermonem de conseruatione propriè dicta, quæ exercetur per verū, & continuum influxum in rem conseruatam, sed de conseruatione in- propriè dicta, & indirecta, quatenus à substantia, dispositiones, & accidentia quædam dimanant, quæ ipsam defendunt, inpediendo actiones cōtrariorum per resistentiam &c.

ARTICVLVS TERTIVS.
Quænam Prioritas requiritur in Causa ad causandum.

SCot. veritatem huius articuli clariè expressit in 2.d.1.q. 3. §. *Tenentes &c.* & in 1. d. 39. E. & sæpè alibi. Pro cuius decisione supponimus, quòd causa, & effectus possunt dupliciter considerari, vel materialiter scil. quo ad entitates eorum absolutas, vel formaliter quoad ipsas formales relationes, sm̄ quas sunt relatiua, & in hoc sensu, non solùm sunt simul tempore, sed etiam natura, & intellectione, peculiaris .n. natura relatiuorum vt sic est, vt sint simul natura. Simultas autem naturæ dupliciter explicatur ab Arist. in post prædic. cap. 3. vna, quòd quæ sunt simul natura conuertantur sm̄ subsistendi consequentiam, quæ sola non sufficit ad naturam relatiuorum, nam ità se habent subiectum, & passio, & tñ subiectum est prius natura passione, & ideò alteram Arist. subdit, quòd scil. conuertantur sm̄ subsistendi consequentiam, sed neutrum sit causa alterius, & in hoc sensu causa, & effectus quoad denominationes relatiuas censeri debent simul natura, quia sub tali rōne, posito vno, ponitur, & reliquum, & comparando ipsas relationes inter se, vna non est causa alterius, similitudo.n.non causat similitudinem, nec Paternitas filiationem, sed entitates absolutæ earum sunt, quę causant effectus. Quare difficultas est de causa, & effectu materialiter consideratis, num scil. necesse sit, vt causa sm̄ entitatem suam absolutam antecedat effectum duratione, an potius ad hoc sufficiat sola naturæ prioritas, quæ adhuc stat cum simultate temporis. Nominales præsertim in causis liberis, negant volūtatem esse liberam in eo instanti, quo operatur, sed volunt dici liberam, quatenus ante instans operationis poterat illam elicere, & non elicere.

Conclusio.

Dicimus, prioritatem durationis in causa ad suum effectum, non esse necessariam, sed solùm sufficere prioritatem naturæ. Est Scot. loc. cit. & Scotist. & sequūtur Recentiores ferè omnes, Suar. disp. 26. met. sec. 2. Amic. tract. 14. q. 5. dub. 1. & 2. art. 3. Hurt. disp. 6. Phys. sec. 6. & 7. Auersa q. 16. sec. 1. & Alij, & censetur etiam D. Tho. q. 28. de verit. art. 7. contra Soncinatem, & Clementinum, & amplectitur M. Iacob. Brun. loc. cit. Probatur à Doct. Causa non est causa, nisi eo instanti, quo causat, nam ante erat tm̄ causa in potentia, ergo in rōne causæ non exigit prioritatem temporis. Tum quia si Deus, vel agens creatum produceret ignem, qui solùm duraret per instans tēporis, iam haberet in se causalitatem respectu caloris, qui esset effectus, & dependens ab igne, & de facto ità resultant in rebus proprietates, & connaturales earum affectiones, vt risibilitas &c. in eo scil. instanti quo ipsę res in

lucem

lucem prodeunt. Patet etiam de voluntate, quæ si solùm per instans tēporis duraret, adhuc posset actum secundum elicere, qui effectus esset, & dependens à voluntate, & esset etiam actus liber cum voluntas sit causa libera, & indeterminata ad vnum.

Probatur etiam quo ad aliam partem, scil. quòd causa sit necessariò prior natura effectu, non vtique illis rōnibus, quas afferunt Vasq. & Hurt. quas etiam, vt futiles confutat Amic. sed ex eo præsertim, quia prius causa est in se, quàm cōicet esse effectui, implicat.n. concipere effectum, habere esse à causa, quæ omnino simul sit cum ipso, aliter non esset maior ratio, cur effectus esset à causa, quam causa ab effectu. Tum quia independens est natura rei prius eo, quòd ab ipso dependet, cùm existens supponi debeat, ad hoc vt det alteri esse, etiam si hæc duo existere ponantur in vno solùm temporis instanti, sed ità se habet causa respectu effectus, quamuis ei coæuus ponatur, quòd nempè effectus dependeat à causa, & non è contra, ergo &c. Et hæc est illa naturæ prioritas, quam tradit Tromb. in formal. art. 4. §. *Alia prioritas &c.* vbi eam appellat ordinem essentialis dependentiæ, quem ait euenire inter ea, quorum vnum pendet in esse ab alio, & ab eo progreditur, vt à causa, & innuit Arist. in post prædicam. cap. 2.

Obiectiones.

Ob. Contra primam particulam: Ideo causa dicitur præcedere effectū, quia vt illum producat, & ei cōicet esse, debet ipsa supponi esse, & existere, sed existentia est in duratione reali, nec mensurari potest per instans naturæ, ergo supponi debet præexistens saltem in aliquo temporis instanti. ℞. Quòd neq. nos asserimus existētiam mensurari per instans naturæ, itàut in aliquo instanti naturæ existat id, quòd dicitur natura prius in quo non existat, quòd est natura posterius, sed dicimus, quòd ambo existunt, adhuc tū benè intelligitur cum fundamento in re, & iuxta obiecti exigentiam, quòd vnum existat dependenter ab alio, qui ordo essentialis dependentiæ cùm sit realis, & non fictus, infert necessariò inter extrema prioritatem, & posterioritatem realem, quia ordo semper includit prius, & posterius iuxta eiùs naturam, indè negatur consequentia.

Ob. Pro Nominalibus: Causa libera ità habet potentiam ad operandum, vt simul habeat potentiam ad non operandum, sed operatio, & nō operatio non possunt esse in eodem instanti, ergo causa libera debet præcedere duratione actum liberum. ℞. Cum Scot. in 1. d. 39. cit. quòd in eodem instanti temporis, quo voluntas operatur, intelligitur prius natura habere potentiam ad actum, & posterius natura illum elicere, & in illo priori naturæ habet indifferentiam, siue potentiam ad eliciendum, vel nō eliciendum, non vtiq. coniunctim; sed diuisim, atque ità operatio, & nō operatio sunt possibiles diuisim in eodem instanti, non coniunctim, ideò nihil.

Ob. Contra Secundam particulā: Forma corruptibilis præsertim non est prius natura in se, quàm informet, ergo non præcedit natura effectum formalem, quem causat in materia,

teria, quia effectus ille formalis, est ipsamet forma cõicata subiecto. Suar. cum aliquibus pro solutione huius rationis satis laborat, sed breuius cum Mast. & Bell. ℞. Quòd sicut effectus formalis formę erga materiã, nõ est in toto rigore quid distinctum ab ipsa forma, sed differunt solùm, vt concretum, & abstractum, ità mirum non est, si inter illa verus ordo prioritatis, & posterioritatis naturæ non inueniatur. Potest secundò responderi negando anteced. nam forma non pendet in sua existẽtia per vnionem, sed per concursum sustentatiuum, nam prius est formam in materia sustentari, quam vniri, vnio .n. est relatio vnitorum iam existentium, & omnis relatio supponit absolutum.

Ob. Si forma, & materia vnitæ cõparentur composito, non videntur existere in aliquo priori naturæ, cùm potius ad existentiam compositi existant, qua rõne Scot. in 4 d.1.q.1.B. ait formam esse in materia, est compositum habere esse; & si essent priores natura composito, possent esse sine illo, quia priora natura ex Arist. 5. Meth. dicuntur illa, quæ esse possunt sine alijs, sed alia non sine ipsis. ℞. Ex Doct. quol. 9. art. 3. & in 4. cit. negando assumptum, quia licèt existentia totali, & completa partes participatiuè existant existentia totius, existentia tñ partiali, & qua res à nõ esse recedit, prius existere partes intelliguntur, quam totum, & Arist. loquebatur de prioritate naturæ, per inconuertibilitatẽ, vt vnum est prius duobus, & prædicata generica priora specificis ex Scoto, non per causalitatem, de qua hic loquimur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum omnis causa sit perfectior suo causato.

Scotus dubium hoc resoluit in 2. d.12.q.2. in fine, & in 1.d.8.q.1. ad 1. & quol. 9. art. 3. & alibi. Supponimus pro resolutione difficultatem hanc non vrgere de causis totalibus extrinsecis, diximus .n. supra, quòd causa totalis efficiens debet esse perfectior, vel saltem æquè perfecta cum suo effectu, quamuis partialis possit esse imperfectior. De fine etiã asserendum est, posse esse perfectiorem, vel imperfectiorem suis effectibus iuxta intentionem agentis, quòd aliquando in ordinatè agens rem perfectiorem ordinat ad imperfectiorẽ. Neque difficultas vrget de causa sub rõne causæ, sic .n. quæcunque causa est perfectior suo effectu, qua vt sic dicit independentiam, & effectus dependentiam; quare difficultas vrget de causis, & effectibus materialiter sumptis, & quo ad ẽtitates eorũ absolutis, & de causis intrinsecis, tàm inter se collatis in rõne causæ, & effectus, quam in ordine ad compositum. Auerroistæ quàm plures asserunt, formam esse perfectiorẽ composito, licèt sit eius causa tñ partialis, ità Iandun. Zimar. Perr & Alij cum Auerr. 2. Phys. com. 4. Multi ex Recentioribus licèt cõiter concedant, compositum esse perfectius singulis partibus per se sumptis, addunt tñ, quòd simul sumptæ, & vnitæ non exceduntur à toto, sed sunt æqualis perfectionis cum ipso. ità Suar. disp. 26. sec. 1. Amic. tract. 14. q. 6. dub. 1. art. 3. & ex nostris sequitur Fuentes 2. Phys. q. 2. dist. 2. art. 1.

Con-

Conclusio.

Dicimus tñ, formam esse perfectiorem materia quantum ad entitatem, & compositum esse perfectius materia, & forma, non solùm singillatim sumptis, sed etiam vt vnitis. est ad mentem Scoti, & tres habet partes, & quoad primam, inde patet, quia forma est actualior, quæ ratio fundatur in illa regula generali, quam tradit Scot. in 1.d.8.q.1. ad 1. vbi docet, quòd quando in duobus entibus creatis reperiuntur duæ perfectiones simpliciter vna in vno, alia in altero, illud censeri debet ens perfectius, quòd habet perfectionem absolutè nobiliorem alia (nam etiã inter perfectiones simpliciter datur gradus in perfectione) qua rõne ibi ait, quòd estò materiæ competat simplicitas, quæ composito repugnat, quia tñ composito conuenit actualitas, quæ est perfectio maior simplicitate, ideò compositum perfectius est materia prima, quæ doctrina militat etiam de forma respectu materiæ. Secunda pars probatur ex Doct. quol.9.art.3. eodem fundamento, q. licèt forma sit actus, tñ compositum est perfectior actus, quia nõ est actus informans, sed subsistens, & Arist. cap. de sub. ait primam substantiam esse maximè substantiam, per quam intelligit compositum. Tum quia illud, quòd includit omnem perfectionem alterius, & vltra hoc aliam superaddit, est perfectius illo, sed compositum est huiusmodi respectu formæ, quia supra illam addit perfectionem materiæ, & propriæ entitatis, ergo &c. Tertia pars patet, quia sicut totum vltra partes vnitas addit propriam entitatem per nos, ità, & propriam perfectionẽ, quòd .n. addit entitatem, addit etiam perfectionẽ? Tum quia licèt cõpositũ sit depẽdens ab ipsis partibus vnitis, est tñ actualius illis, & actualitas est maior perfectio, quàm sit independentia.

Obiectiones.

Ob. Omnem perfectionem, quam habet effectus, à causa totali habet, qua rõne Scot. in 4.d.12.q.3. docet, causam totalem non posse esse suo effectu imperfectiorem, sed materia, & forma vnitæ, sunt adæquata causa totius, ergo totum non addit aliquam perfectionem, quam partes vnitæ saltem virtualiter non contineant, qua etiam rõne probari potest formam non esse perfectiorem materia, cum ab ea, vt à causa totali dependeat. ℞. Neg. minorem, quamuis .n. materia, & forma vnitæ sint causa totalis, & adequata in genere causalitatis intrinsecæ in ordine ad compositum, non tñ sunt causa totalis simpliciter, & absolutè, idest non sunt omne id, quòd in quocumque genere causæ concurrit, nam concurrit etiã efficiens, quòd verè, & Physicè tertiam entitatem attingit, & ex hac parte totum excedit suas causas intrinsecas in perfectione. Sic etiam. ℞. Ad illud de forma, quæ vtique totaliter causatur à materia in genere causæ materialis, sed etiam in suo genere concurrit causa efficiens.

Ob. Magis forma assimilatur Deo, quam compositum, quia forma est tota actus, compositum verò partim actus, partim potentia, ergo saltem forma est nobilior toto. ℞. Ex dictis, neg. assumptum, nam licèt forma, quæ est incompleta in genere substãtiæ tota sit actus, est tñ actus imperfectus,

fectus, & incompletus, quia est sciens, & subsistens, vt quo; at compositum est actus simpliciter, & subsistens, vt quod, & consequenter magis assimilatur Deo, quàm forma informans.

ARTICVLVS QVINTVS.

An idem numero effectus produci possit à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis diuisim.

SCot. art. hunc examinat, & determinat in 2. d. 20. q. 2. B. & in 4. d. 43. q. 2. pro cuius intelligentia supponimus, quæsitum esse de identitate effectus numeralis, non specifica, de qua nullum est dubium, idem .n. specie calor produci potest ab igne, à motu, ab alio calore &c. Proponitur etiam quæsitum de causis secundis eiusdem ordinis, & totalibus, nulli .n. dubium est, quòd Deus producere possit eumdem numero effectum à causa secunda sibi subordinata producibilem, cùm eminenter contineat, non solùm perfectiones specificas, sed etiam individuales secundarum causarum, & licèt dubium examinari possit de causis secundis in quolibet genere causæ, nos tñ agemus solùm de causis extrinsecis, præsertim efficientibus, de intrinsecis .n. certum est, quòd hic numero effectus harum causarum intrinsecarum V. g. compositum ex hac materia, & ex hac forma, non potest idem numero esse ab alijs causis intrinsecis, causæ .n. intrinsecæ concurrunt ad suos effectus cõicando, & exibendo seipsas; & tandem quæstio intelligitur non solùm de causis vniuocis, & formaliter cõsimilibus, sed etiam de æquiuocis.

Tres circa hoc quæsitum extant sététentiæ duæ extremæ, & vna media. Prima extrema defendit, eumdem numero effectum, qui producitur ab vna causa, potuisse etiam ab alia consimili formaliter, vel virtualiter produci, si præsertim fuisset sub eisdem circumstantijs, & fuit Scot. loc. cit. Secunda extrema asserit quemlibet effectum determinare sibi certã causam singularem, itàut hæc numero forma non possit ex natura sua, nisi ab hoc numero agente produci, & ex hac materia educi, & aliqui addunt oppositum nec per diuinam potentiã fieri posse; & consequenter volunt, vt quælibet causa singularis cõtineat in sua virtute certam quamdam seriem indiuiduorum distinctorum ab ijs, quæ continentur in virtute alterius, ità Conimb. 1. Phys. cap. 9. q. 11. art. 4. Perer. 8. Phys. cap. 15. Masius 2. Phys. tract. de causis sec. 5. q. 3. qui plures citat Thomist. & videtur etiã sent. D. Thom. quol. 5. art. 8. Amic. 2. Phys. tract. 14. q. 7. dub. 2. art. 3. Cõplut. 2. Phys. d. 15. q. 4. & Alij, quamuis aliqui ex his doctoribus non se explicent, an hoc impossibile sit spectata etiam Dei potentia absoluta. Tertia media negat eumdem effectũ numero, qui est ab vna causa posse naturaliter ab alia produci, concedit tñ id fieri posse supernaturaliter, ità Mercia 2. Phys. disp. 4. q. 8. Francisc. de Raconis tract. de principijs sec. 2. de causis in specie q. 3. art. 4. memb. 2. & alij.

Conclusio.

Dicimus cum prima sententia, nullum dari effectum in diuiduo, qui ex suis principijs postulat hanc numero cau-

causam, ità quòd non poterit ab alia causa consimili formaliter, vel virtualiter ꝓduci diuisim, est Scoti loc. cit. & sequûtur Scotistæ communiter ibidem, cū Fabr. Theor. 42. Sghem. 2. Phys. digress. 16. q. 2. Fuent. 2. Phys. q. 9. diff. 4. Mastr. & Bell. disp. 8. q. 3. art. 1. & ex Exteris Suar. in Meth. disp. 26. sec. 5. Ruu. 2. Phys. tract. 7. q. 2. Moris. disp. 3. Phys. q. 25. Auer. q. 26. sec. 4. estq. cōis inter Nominales, & sequuntur Recentiores ferè ōnes, & probatur: Adhoc vt effectus sit idem numero, sufficit, vt habeat eamdem numero materiam, & formam, quare in mortuorum resurrectione quilibet homo erit idem numero, forma. n. cuiuscunq. hominis virtute Diuina iterum cum eadem numero materia vnietur, ergo nulla circa hoc videtur contradictio. Resp. Amic. sufficere vtiq. ad identitatem numeralem effectus eamdem materiam, & formam, sed ex materia non potest quęlibet forma à quouis agente educi, nisi ab hoc agente determinatè, & in hac numero materia recipi, & sustentari.

Sed Contra, vel hæc determinatio oritur ex parte formæ, itàut series quædam formarum exigat non recipi, nisi in hac numero materia; vel oritur ex parte materiæ, ità quod hæc numero materia non petat, nisi hanc numeralem seriem formarum; vel ex parte agentis. Non primum, quia in nutritione hominis eadem anima successiuè informat aliam, & aliam numero materiam. Nec secundum, quia videmus eamdem numero materiā successiuè varijs subijci formis, ne dum numero, sed etiam specie diuersis. Neque tandem tertium, nam ponatur series formarum, quæ non possit esse, nisi in hac numero materia A. & ab hoc numero agente B. Si huic agenti B. applicetur alia numero materia, aut eidem numero materiæ applicetur aliud agēs C. vel facta hac approximatione sequitur actio, vel non; secundum dici non potest, quia cùm sit agens necessariū V. g. ignis, & habet approximatam materiam combustibilem, necessariò comburet; Si primum, ergo ignis B. vel C. producet formam ignis extra seriem illarum formarum, ad quas vnusquisq. ponebatur determinatus, ergo falsum est, quod detur Series, & collectio effectuum, qui ex natura sua petat esse ab hac numero causa, & non ab alia, ità Bell. & Mastr. loc. cit.

Probatur 2. quia in hoc nulla apparet repugnantia, neque ex parte causæ, neq ex parte effectus; non ex parte causæ, quia si hæc est æquiuoca, virtus eius extenditur ad totam speciem, & quodlibet eius indiuiduum; si est vniuoca, virtus eius extenditur ad quodlibet indiuiduum suæ speciei, dummodo intra eamdem speciem sint æqualis perfectionis ex Doct. in 4. d. 3. q. 3. §. *De secunda &c.* & in agētibus vniuocis identitas sm̄ speciem æquiualet identitati numerali, & ratio agendi est natura cōis, in quo omnia indiuidua eiusdem speciei conueniunt, singularitas autem est tm̄ conditio agentis, non ratio agendi ex eodem in 1. d. 3. q. 6. §. *Ad Argumenta in oppositum &c.* supra K. cùm igitur induidua habeāt virtutem eiusdem rōnis, eumdem numero effectum producere poterunt. Neq. repugnantia apparet respectu effectus, nam sicut idem effectus specie esse

cie esse potest à diuersis agentibus specie, vt idē calor à sole, & ab igne, ità similiter idem numero effectus à diuersis numero agentibus prodire poterit. Tum quia causa efficiens est penitus extrinseca entitati ipsius effectus, cuius vnitas à causis intrinsecis tm̄ pendet, vt Scot. docet in 2. d. 20. q. 2. C.

Probatur Tertiò, dependētia vnius numero effectus ad vnum numero efficiēs, vel est ità illi essentialis, vt sm̄ suā realitatem repugnat ab alia causa q se pduci, vel non; si secundū habetur intentum, si primum, ergo neq. à prima causa poterit ille idem numero effectus produci, quia pro vnitate sua numerali ex principijs intrinsecis sibi determinabat talem causam secundam. Resp. Amic. neg. paritatē de causa prima, & secūda, quia Deus ob suam eminentiam continet virtutem omnium causarum particulariū, quòd de causis secundis dici non potest, quia principium numerale respectu eiusdē effectus non potest pluribus conuenire, quia tunc non esset vnum à numero.

Non valet, nam sicut ipse ponit in prima causa virtualiter, & eminēter virtutem omnium causarum particularium ob eius eminentiam, sic etiam asserimus nos de aliquibus causis creatis, quòd scil. propter earum eminentiā continere possint aliquas specificas, & omnes etiam indiuiduales eiusdem speciei, cum id eminentiam infinitā in sua causa non arguat. Falsum est etiam, quòd principium producendi indiuiduum simile innatura specifica debet esse principium numerale, nempè ipsa singularitas, cui repugnet esse in pluribus, nam hoc principium est ipsa natura, vt diximus, ex Scot. in 1. d. 7. q. vn. & singularitas est tantum conditio agentis.

Et tandem probatur conclusio ex Arist. 2. Meth. cap. 2. & 3. Meth. cap. 11. vbi admittit ordinem essentialem tm̄ inter species, non autem inter indiuidua, quia quòd homo sit ab homine, & bos à boue, non ab equo, ordo est essentialis, sed quòd hic homo sit ab isto, & non ab illo accidentaliter est, & non per se, quia eadem vis reperitur faciendi hunc hominē, tàm in vno, quàm in alio.

Obiectiones.

Ob. Actio vnius causæ, non potest esse actio alterius causæ, ergo neq. effectus, nā hæc actio numero tendit in hunc effectum numero, & 3. Phys. 47. terminus, & actio non differunt. ℞. Neg. sequelam vniuersaliter, potest .n. idem effectus ab vna causa fieri per vnam actionē, & ab alia per aliā, & esse possunt distinctæ actiones ad eumdem numero terminum ex Doct. pluribus in locis, non .n. substantialiter variatur effectus ex eo, quòd procedat ab hoc, vel illo agente per diuersas actiones, sed solùm accidētaliter, hinc fides docet, eumdem hominem à Deo fore resuscitandum, & tñ adest diuersa causa, & diuersa actio ab ea, qua primò idem fuit productus, & Philos. loc. cit. loquitur de actione pro re acta, vt Scot. exponit in 4. d. 13. q. 1.

Ob. Sicut differentiæ specificæ impediunt quo minus quodlibet posset produci à quolibet sm̄ speciem, etiam si contineantur sub eodem genere, ità & differentiæ indiuiduales impediūt quo minus quodlibet indiuiduū

possit produci à quolibet, etiam si contineantur sub eadem specie. R. Assumptum non semper esse verum, nam idem calor eiusdem speciei producitur ab igne, & sole, qui differunt specie, & quando etiam assumptum esset verum, negatur conseq. & ratio est, quia natura specifica est ratio agendi, non autem singularitas, quæ est tm̄ cōditio agentis, quatenus actiones sunt suppositorum, hinc homo ab homine generari debet, non à leone, quia leo caret ratione generandi hominem, sed quilibet homo poterit generare hunc hominem, cū natura humana sit æque in omnibus ratio agendi, & parum refert, quòd per hanc, vel illam singularitatem sit determinata.

Ob. Arist. 2. Phys. 38. & 3. Meth. 2. docet, effectum determinatum debere esse ex causa determinata, ergo &c. R. Explicari debere de causa determinata in specie; vel etiam concedendum esse, quòd determinatus effectus habeat determinatam causā in indiuiduo à qua fiat, non tñ ex natura rei, & ab intrinseco, quasi determinatè potius hanc causam postulet, quàm illam, sed quia Deus decreuit concurrere cum hoc agente adhunc numero effectum, & non cum alio agente.

Ob. Singularis effectus similitudinem habet cū causa singulari, experimur .n. filium similem esse Patri in figura, colore &c. ergo singularis effectus singularem postulat causam determinatam, non vagè. R. Assumptū non esse vniuersaliter verum, nam etiam multoties experimur totum oppositum, ex quo potius colligitur, quòd talis similitudo sit prorsus accidentalis, non intrinseca, & qñ etiam assumptum esset verum, negatur consequentia, nam sicut hic filius modo est similis huic patri, ità fuisset similis alteri, si ab eo genitus fuisset.

Ob. Ex hac opinione, sequerentur plura absurda, primò quòd idem effectus dependeret à causa sua, & non dependeret, dependeret ex hypotesi, non dependeret, quia potest ab alia produci, vel si ab ea dependeret, hoc non esset, nisi per accidens, atq. ità quælibet esset causa per accidens. R. Negando sequelam, nam tunc actu dependeret à causa à qua producitur, potuisset tñ non ab ea depēdere, sed ab alia in sensu diuiso, in quo nulla est contradictio, neque sequitur ex hoc, ꝙ ab ea, à qua actu dependet, dependet per accid. & non per se, nā ad rōnem per se causæ sufficit, vt directè sm̄ propriam naturam in effectū influat, & non per aliquid sibi accidentale, sicut musicus dicitur per accid. edificare. Neq. est de essentia effectus per se, vt non possit procedere ab alia causa per se, alioquin nec effectus causarum secundarum possent à solo Deo per se produci. Vnde ly per accid. non cadit inter effectum, & causam producentem, hæc .n. si est perse, semper suum effectum perse producit, sed ly accid. cadit super ipsas causas, cum .n. possit effectus à diuersis produci, per accid. est, quòd ab hac, vel illa causa producatur, & inplicantia est, quòd idem effectus possit ab alia causa totaliter produci in eo instanti, quo producitur ab ista coniunctim, non autem diuisim, vt benè aduertit Lych. quol. 12.

Est tñ hic aduertendum, non esse similem rōnem de speciebus repræsenta-

sentatiuis, ac de effectibus, nam species representatiua V. g. albi A. non potest effici ab albo B. ratio est, quia species sunt naturales similitudines obiectorum, & ideò censentur effectus dissimiles, quod etiam asserendũ erit de actibus immanentibus, qui sũt species expressæ obiectorum. Nec effectus ex generali sua rõne est participatio suæ causæ, sicut species, quæ est similitudo naturalis sui obiecti, ideòq. mirum non est, quòd species ità hoc sibi determinet obiectum, nõ effectus suam causam.

ARTICVLVS SEXTVS.

An idem numero effectus à pluribus causis totalibus eiusdẽ generis coniunctim produci possit.

SCot. veritatem huius controuersiæ determinat in 2. d. 20. q. 2. B. & in 3. d. 1. q. 2. A. & in 4. d. 10. q. 2. P. & alibi, quæstio est famosa, ex qua multa dubia Theologica pendẽt. Præmittimus, quòd per causam totalem, intelligimus illam, à qua procedit effectus tãquam à virtute sufficiente; & sine dependentia necessaria ab altera eiusdem generis, & ordinis, ità vt sensus quæsiti sit, an idem numero effectus possit simul recipere totũ suum esse à duab. causis, quæ in ipsũ influant tali influxu, vt vnaquæq. sola sit per se sufficiẽs eodem suo influxu ad ponendum effectum in rerum natura. Nec controuersia instituitur de causis intrinsecis, exploratum est. n. apud omnes, non posse plures tales esse totales eiusdem effectus, quia non potest dari compositum per se vnum ex pluribus materijs, aut pluribus formis totalibus, cùm potius ex his quoddam aggregatum per accid. coalesceret; vnde tota quæstio reducitur ad causas extrinsecas efficientem, & finalem; de hac tñ parum curamus, quia cum non sit vera, & & realis causa, effectus etiam essentialiter, & propriè ab ea dependere non dicitur, quare de efficiente præsertim disputamus; & de causis totalib. secundis, idest sufficientibus singillatim ad dandum esse effectui, V.g. an duo ignes simul producere possent eundem ignem, quem alter illorum solus produxisset.

Tres extant Auctorum sententiæ; Quidam putant id contingere posse etiam naturaliter, ità Ocham quol. 4. q. 12. & in 3. q. 1. cum Cæteris Nominalib. quos sequitur Caraf. de natural. concursu disp. 20. concl. 4. citans Caiet. p. 1. q. 52. art. 3. & de finali id naturaliter contingere posse, affirmant Suar. disp. 26. Meth. sec. 5. num. 32. Auers. q. 16. sec. 5. concl. 3. Hurt. disp. 13. de anima sec. 7. quod etiam ex nostris prius docuerat Francisc. Sanson. 2. Phys. q. 6. Alij ex opposito docent, nec per potentiã Dei id fieri posse, quia implicatorium, ità Scotus cum suis, vt videre est apud Tatar. 2. Phys. de Causis dub. 1. Regent. Parisienses 2. Phys. q. 3. collat. Sghem. digress. 16. q. 1. Faber. 5. Meth. disp. 5. cap. 2. Mastr. & Bell. disp. 8. Phys. q. 3. art. 2. Ponc. & Alios. quib. etiam fauet D. Tho. 1. p. q. 57. art. 3. & 3. p. q. 82. art. 2. ad 2. & sequuntur Thomistæ ferè omnes cum Caiet. 3. p. q. 67. art. 6. Vers. ad penultimam quæst. vbi ait: *impossibile est à duabus eiusdem ordinis totalib. causis omnino vnum, & eundem prouenire effectum.* ità etiam Aliqui ex Societ. Fonseca, Vasq. Mar-

ziot. & Alij contra Capreol. Medinam, Ioann. Martinez. Suar. Auerf. Valen. Ruu. Amic. Ouied. Arriag. & Alios, qui estò nobis adhæreant quo ad virtutem naturalem, volunt tñ id fieri posse supernaturaliter, per absolutam Dei potentiam.

Conclusio.

Dicimus, prorsus implicare eumdem numero effectum à plurib. causis totalib. eiusdem ordinis prodire, tàm naturaliter, quàm supernaturaliter. Est Scot. loc. cit. Probatur ab eodem, & prima ratio deducitur ex natura dependentiæ, per se, & essentialis, quam effectus habet ad suam causam totalem, vnde sic formatur ratio: si effectus à plurib. causis totalib. essentialiter penderet simul, & semel, tunc à neutra dependeret essentialiter, vel simul ab eadem penderet, & non penderet essentialiter, sed hoc est falsum, & implicatoriũ, ergo. Probat Scot. sequelam: A nullo aliquid dependet essentialiter, quo non existente nihilominus esset, sed si ignis haberet duas causas totales V. g. A. & B. tunc non existente A. nihilominus ignis esset à B. cùm ponatur eius sufficiens causa totalis, & non existente B. adhuc esset ab A, eadem rõne, ergo à neutra essentialiter dependeret, vel ab eadem dependeret simul, & non dependeret essentialiter.

Resp. Aduersarij cum Suar. neg. sequelam, & ad probationem negant maiorem, nam vt vna res ab alia dependeat per se, & non per accid. non est necesse vt illa ablata, hæc etiam auferatur, sed talis est, quòd ab illa verè, & propriè recipiat esse, etiam si illa non dante esse, & cessante dependentia ab ea, possit adhuc retinere esse, vt datum ab alia, & hoc aiunt esse iusta nostra principia, quia defendimus posse eumdem effectum à pluribus per se causis totalibus procedi diuisim, & fuit responsio Ochã q. 1. quol. & Boneti 2. Phys. cap. 3. hinc Masius 2. Phys. cap. 3. q. 3. ait, Scot. non fuisse consequenter locutũ hic, & in præcedenti art.

Sed Contra, licèt non sit de rõne effectus causæ per se, vt sm̃ suam realitatem nequeat ab alia causa per se prodire diuisim, est tñ de rõne illius, vt dum actu fiat ab ista, nequeat esse sine illa in eodem instanti, in quo fit, licèt esse possit in tempore sequenti, si etiam ab ea non pendeat in conseruari, ergo de ratione per se dependentiæ non est tm̃, quòd effectus verè, & propriè recipiat esse à causa, sed etiam ità necessariò, vt in sensu composito nequeat esse simul ab alia pro eodem instanti, licèt bene in sensu diuiso, & in hoc ratio huius argum. consistit. Et Confirmatur euidentissimè ex Arist. 2. Phys. 37. & 5. Meth. cap. 2. vbi ait: Causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & nõ sunt, ergo si eiusdem numero ignis A, & B. sunt per se causæ, & totales, ex vi perseitatis dependentiæ effectus à singulis, implicat ablata causa A, remanere adhuc ignem in esse ex vi alterius causæ, cum ex hoc manifestè deduceretur, ignem non per se dependere ab A, vt à causa totali, quia causa per se actu influens, & effectus actu per se à tali causa esse recipiens, ità se habent, quòd cessante influxu causæ, cessat etiam effectus.

Hinc malè deducit Masius, Scot. non loqui cõsequenter in decisione huius,

huius, & praecedentis articuli, cùm in vno loquatur in sensu composito, in alio in sensu diuiso, in quibus est magna disparitas, vt Doctis patere potest. Si autem dicat hanc esse petitionem principij, quia hoc est, quod probari debet scil. effectum pro eo instanti ità essentialiter pendere ab A. vt pro eodem nequeat esse simul à B. totaliter. Parcat mihi, nã hoc est, quòd ratio directè probat, vt implicatorium ex vi dependentiae, & essentialis, qua non solùm infertur positiuus influxus causae in effectum, sed etiam necessaria cõnexio effectus cũ causa in eo instanti, pro quo ponitur ab ea dependere, quia si in eodem instanti potest simul esse ab alia totaliter, signum est, non dependere ab ista per se, & essentialiter, cum nullam necessariam connexionẽ haberet cũ ea.

Suar. sec. 5. cum Alijs, negat effectum vllum creatum, quatenus est à causa efficiente pendere essentialiter à causa creata, sic .n. pendet à solo Deo, vnde aiunt Scot. confundere terminos, causam scil. per se cum necessaria, & dependentiam effectus per se, cum dependentia essentiali, dum .n. effectus est, vel esse potest à plurib. causis, nulla determinatè est necessaria, & à nulla essentialiter dependet, ab omnibus tñ, & singulis effectus per se dependet, quia à singulis totaliter suum effectum cognoscit.

Non valet, nam licèt effectus creati non dependeant dependentia essentiali simpliciter, nisi à solo Deo, non possumus tñ rationabiliter eis negare essentialem dependentiam etiam à causis creatis, saltem sm̃ quid in instanti, quo fiunt; & sm̃ Aduersarios actus vitales ità essentialiter pendẽt à suis principijs vitalib. vt à Deo se solo produci nequeant, ergo falsum est nullum omnino effectum essentialiter à causis secundis dependere in gen. causae efficientis.

Vnde ad vberiorem captum notamus, quòd depẽdentia effectus à causa fundatur in indigentia, quam habet ad existendum, ergo si quis in hoc instanti ità ab A, procedit, vt pro eius existentia A, non indigeat, & similiter à B. signum est à neutra per se dependere, quia conceptus dependentiae necessariò imbibit conceptũ indigentiae, Vnde Deus è contra dicitur independens, quia nullo prorsus indiget. Quòd autem dicunt Aduersarij, quòd ignis in tali casu perseitate necessitatis à neutra causa determinatè penderet, ex quo non sequeretur, quòd absolutè à neutra penderet, hoc solùm infert, quòd disiunctim ab altera illarum potest esse ctus per se dependere totaliter, non verè coniunctim.

Prob. 2. de rõne causae totalis, & adaequatae est, quòd exhauriat, & expleat totam effectus indigentiam, ergo, eo ipso quod effectus totaliter pendet ab vna causa, non potest ab alia simul totaliter dependere; conseq. patet, quia ab altera penderet, & non dependeret, assumptum est euidens, quia si causa non expleret totam effectus indigentiam causa non erit totalis, & adaequata, sed potius partialis.

Resp. Hurt. quòd potest Deus tribuere rei id etiam, quo non eget scil. dependentiam ad aliam causam, qua non egebat vt existeret, sicut corpori dum est in vno loco, alium si nul tribue-

tribuere potest, quo corpus nō eget. Non placet, vt bene aduertit Vasq. loc. cit. cap. 4. nam cùm fundamentū talis relationis dependentiæ debeat esse indigentia naturæ, si talis indigentia per vnam causam totaliter ablata est, nulla remanet ratio fundandi aliam consimilem relationem ad aliam causam, nisi augeatur indigentia effectus, quòd fieri non potest sine mutatione naturæ ipsius; nec paritas assumpta de corpore in ordine ad locum ei suffragatur, nam vt Scot. aduertit quol. 11. C. longè maior est indigentia, quam habet effectus respectu causæ, quam corpus respectu loci, quia dependentia, quæ est locati ad locans non est simpliciter necessaria, sicut est dependentia causati ad causam, sed est dependentia aliqualis, tanquam ad illud, quod natum est conseruare rem in sua dispositione naturali; tales autem relationes, cùm non importent dependentiam essentialem, non implicat super idem fundamentum multiplicari ex Doct. in 3. d. 1. q. 2. B. quia per eas nō suppleatur intrinseca rei indigentia.

Probatur 3. ex Lych. in 1. d. 2. q. 3. §. *Ad hanc rationem &c.* Non potest res eadem in eodem instanti bis produci, ergo nec esse à duab. causis totalib. totaliter causantib. patet conseq. nam si per duplicem actionem totalem res accipit esse, bis vtiq. in eodem instanti producitur. Probatur assumptum, non potest eadem res in eodem instanti bis corrumpi, vt .n. res tota, & totaliter desinat, sufficit vna corruptio, qua peracta, nihil amplius rei remanet destruendum, ergo pariter de productione asserendum erit. Resp. Ruu. loc. cit. in fine neg. cōseq. nam licèt in casu effectus duplici actione totali fiat à duob. agētib. semel tñ extra suas causas prodit, quòd ex modo procedendi à diuersis causis subordinatis ait intelligi posse, à quib. licèt procedat effectus, non tñ bis, sed semel producitur, quia semel ab illis egreditur.

Sed Contra, per idem exemplum, à seipso conuincitur, vt benè Mastr. & Bell. aduertunt, nam qñ effectus procedit à diuersis causis partialib. & subordinatis, benè concipitur semel exire, quia actio vnius non sufficit ad ponendum effectum sine actione alterius, nec sufficienter exit ab vna sine alia, sed in proposito, iam vtraq. causa totalis esset, & vtriusq; actio totalis, & sufficiens pro positione effectus, ergo effectus ad singulas relatus sufficienter egredi ab vnaquaq. intelligitur, & consequenter si in eodem instanti concurrunt tales causæ ad effectum, bis ponitur in esse, semel ab vna, & semel ab alia simul.

Amicus concessa conseq. negat antecedens ad probationem ait, posse rem bis corrumpi in eodem instanti, si in eo desineret per subtractionem duplicis influxus totalis, quo prius cōseruabatur: Sed contra, huiusmodi influxus non habent talem inter se connexionem, vt vnus necessariò cessare debeat ad desitionem alterius, cesset igitur influxus A. remanente influxu B. vel desinit effectus sm̄ substantiam, vel non; si non, ergo per influxum A. non conseruabatur, nec talis influxus ad hunc effectum prorsus pertinebat, cum ex eius desitione effectus non desinat sm̄ substantiā; si effectus desinit sm̄ substantiam, vel

ità

ità desinit, vt nihil amplius destruendum remaneat, & sic habetur intentum, quòd res non potest bis corrumpi in eodem instanti; si remanet aliquid, & aliquid destruitur, signum est, quòd id quod remanet, non conseruabatur ex vi illius influxus scil. A. sed tantùm id, quod destruitur, hoc autem semel destructum, non potest amplius corrumpi, nisi denuo producatur.

Petes, si duo ignes applicarentur materiæ vltimatæ dispositæ, quid agerent? Resp. aliqui neutrum ignem operaturum, nam vnum impediret actionem alterius; at non videtur verisimile, quia sunt agentia eiusdem rõnis, & æqualis virtutis, non contraria. Alij dicunt, vnam tñ fore operaturam, & hanc determinandam esse à Deo. hoc est possibile; sed non videtur, cur altera deberet otiosa relinqui, si esset passo sufficienter applicata. Resp. alij vtramq. attemperari suum concursum, itàut nõ totam exarent virtutem, sed partem; non placet, quia hæc est causa naturalis, & agit quantum potest, quia cùm in sua potestate nõ habeat agere, & nõ agere, ità nec modum sic, vel sic agendi.

Hinc melius respondendum putamus cum Scot. in 4. d. 10. q. 2. Q. quòd si duæ causæ totales æqualis actiuitatis, & eodem modo eidem passo applicarentur, nunquam effectus ab vtraq. talis causabitur, qualis à singulis diuisim; Si .n. effectus est diuisibilis sm̃ perfectionem, tunc perfectior effectus ab vtraq. progreditur, quàm ab altera seorsim, vt patet de duob. luminosis eidem aeri applicatis; Si verò effectus est indiuisibilis sm̃ perfectionem, sed successiuè acquisibilis, per præuias alterationes, vt est forma substantialis, tunc idem effectus vtique ab vtraq. prodiret, qui ab altera seorsim, sed non eodem modo, nam ab vtraq. citius, & in maiori distantia, quàm ab altera seorsim; sic duo ignes eidem stupæ æquè applicati producerent eãdẽ formam ignis, sed ità celeriter, quòd non sufficeret alter ignis seorsim agens. Si tandem effectus esset indiuisibilis, & etiam indiuisibiliter producibilis scil. in instanti, vt si duo ignes applicenter materiæ vltimò dispositæ, illi duo ignes totaliter agentes duplicem formam producerent in materia, nam virtus amborum simul sumpta est maior extensiuè, quàm alterius tñ, & consequenter attingere potest duplicem formam; & licèt potentia materiæ sit incapax duarum formarum simul respectu agentis naturalis, non tñ respectu agentis supernaturalis.

Dices, si Deus, facta applicatione duarum causarum ad eundem effectum, sineret tales causas operarĩ iuxta naturam suam, quid agerent? ℞. Quòd neuter ignis ageret sm̃ totã virtutem, & impedimentum procederet ex incapacitate subiecti, sicut si in subiecto essent sex gradus caloris, sed esset capax octo graduum, ignis huic subiecto applicatus non ageret in illud sm̃ totam suam virtutem, licèt sit causa naturalis, & ratio est, quia subiectum nõ est receptiuũ, nisi aliorum duorum graduum, & non plurium.

Obiectiones.

Ob. Si plures Sacerdotes de facto proferrent simul verba consecrationis

nis super eumdem panem, omnes simul consecrarent. Similiter si plures simul eumdem hominem baptizarét, conferrent pariter eumdem effectum gratiæ, & tñ essent causæ totales, ergo &c. ℞. Argum. solùm aliquam vim habere in sent. eorum, qui affirmát Sacramenta esse causas Physicas gratiæ, non autem in sent. illorum, qui ponunt in eis virtutem tm̄ moralem, immò addit Mas. neq. vrgere in priori sent. quia quæstio est de causis totalibus principalibus respectu eiusdem effectus propria virtute agentib. non de instrumentalib. quæ non agunt propria virtute. Sed priori responsioni insistendo, quam assignat Scot. in 4. d. 6. q. 2. §. *De Primo &c.* cuius est argumentum, propositionem illam, idem esse non posse à duab. causis totalibus, intelligendum esse de causa inducente formam effectiuè, idest Physicè, & talis causa est Deus, non Minister.

Sed vrget Scot. saltem formam Baptismi, vt est Sacramentum, inducit Minister, & sic essent duæ causæ totales eius in tali casu. Respondet, neutrum Ministrum in abluendo esse causam totalem, quia siue ablutio fiat per immersionem, siue per aspersionem, tñ quando simul mouét, neuter vtitur tota sua virtute motiua, sicut quando duo portant pondus, quòd alter solus portare posset, & ità essent agentia partialia. Instat tñ adhuc, quia saltem respectu prolationis verborum, vterq. est causa totalis, & sic quantum ad vnam partem effectus exterioris, qui est Sacramétum vt sic, erunt duæ causæ totales. Respondet, quòd fortè verba alterius superfluant, quæ autem superfluant, & cuius proferentis, difficile est assignare; addit tñ in illo Extra, quòd baptizatio illa valeret, quam Deus acceptaret.

Ob. Causæ secundæ non sunt natura sua determinatæ adhunc effectum numero, potius quàm ad alium in eadem specie, ergo quod Deus facit per vnam causam, potest etiam per aliam facere, ergo simul existentib. & applicatis duabus causis totalib. poterit per ambas eumdem numero effectum totaliter producere. ℞. Concedendo primam consequentiam disiunctim, neg. secundam coniunctim, ob rões iam assignatas.

Ob. Dependentia adæquata effectus connotat ex natura sua carentiã alterius causæ, sicut quantitas in loco excludit ex natura rei aliam quãtitatem ab eo, ergo sicut actualis incompossibilitas duarum quantitatum potest à Deo impediri in ordine ad locum, ità actualis incompossibilitas duarum actionum totalium in ordine ad eumdem effectum. ℞. Neg. paritatem, licet .n. Deus impedire possit incompossibilitatem formarum in eodem subiecto, & quantitatem in eodem loco, non tñ dependentiarum essentialium adæquatarum in eodem effectu, nec rões, quæ militant de istis, concludunt æquæ de illis, quia in illo casu non datur vnus effectus numero à duab. causis totalibus essentialiter producentibus, quomodo nos in præsenti loquimur.

Ob. Plures formæ eiusdem rõnis esse possunt in eodem subiecto de Potentia Dei, vt plures albedines in eodem pariete, imò de facto in eodem fundamento reperiuntur plures relationes eiusdem rõnis, vt plures pater-

paternitates in eodem homine, plures similitudines in eodem subiecto. Resp. Scot. neg. paritatem, verum quidem est non repugnare, quòd plures formæ, & relationes eiusdem rônis sint in eodem, sed repugnant aliquib. specialib. relationibus scil. dependentijs essentialib. quia si talis est ad terminum totaliter terminantem, non relinquit fundamentum, vt dependes simili depẽdentia ad aliud dependeat; Vnde cùm plures sunt paternitates in eodem patre, & plures essent albedines in eodem subiecto, nõ inde sequitur, quòd idem effectus formalis esset à plurib. causis totalibus, nam cùm effectus formalis sit ipsamet forma cõmunicata subiecto, tunc sicut plures essent formæ communicatæ subiecto per plures informationes, ità plures essent effectus formales eiusdem rõnis, at per plures dependentias eiusdem rõnis haberetur idem numero effectus à pluribus causis totalibus. Tum quia per formas accidentales non accipit subiectum esse simpliciter, sed tm̃ sm̃ quid, res autem potest pluries denominationem accidentalem recipere, & pluries dici alba, similis &c. sed non potest dici pluries esse, vel pluries produci in esse simpliciter.

Ob. In Diuinis admittitur de facto in Patre generatio actiua respectu Filij, & actiua spiratio respectu Spiritus S. ergo neque erunt incompossibiles plures productiones passiuæ in effectu, imò de facto in Diuinis Spiritus S. producitur à Patre, & Filio duplici spiratione totali, cũ neuter partialiter spiret. ℞. Cum Doct. in 1. d. 11. q. 1. ad 2. neg. paritatem, nã maior est incõpossibilitas productionum passiuarum, quàm actiuarum in eodem supposito; hinc postea d. 12. q. 1. negat Patrem, & Filium esse duo principia Spiritus S. & duos spiratores, cum spirent per eamdem numero virtutẽ spiratiuã in vtrisq.

Ob. Ponantur à Deo duo corpora æqualia in eodem loco circumscriptiuè, repletio illius loci haberetur per singula, quo casu duæ causæ totales producerent eumdem effectum, quia quocumq. corpore amoto, adhuc locus diceretur plenus, & non vacuus. Resp. Scot. quol. 12. M. & N. neg. quòd in illo casu vnica sit repletio, sed tot sunt, quot corpora interiecta, quia facere latera distare formaliter, est occupare locum, & replere; at in casu per vnam repletionem locus ille non dicitur continere, nisi vnum corpus, nec eius latera distare dicuntur, nisi semel, atq. ideò addito nouo corpore, additur noua repletio, & noua laterum loci distantia in gen. causæ formalis; Nec eodem modo diceretur locus plenus per vnam repletionem, & per plures, perfectiori .n. modo plenus diceretur per plures, quàm per vnam, & ità non esset idem numero effectus. Sic etiam docet Scot. quòd si duo corpora ponerentur in eodem loco, haberent vtiq. eundem locum pro materiali, quatenus forent in eodem spatio cõpenetrata, & eadem superficie ambita, singulas tñ haberent distinctas præsentias, & vbicationes ad eundẽ locum extrinsecum.

Ob. potest res præexistens iterum produci, in quo casu ex vi duplicis actionis haberet esse totaliter. assumptum patet, quia ità de facto contingit in cuiuscumq. rei conseruatione,

quòd eadem res continuò producitur, licèt eius esse multò antea præcesserit. R. Neg. assumptum, cum sua probatione, nã actio productiua rei ad hunc finem destinata est, vt fiat per eam res de nõ existente existés, ideò implicatorium videtur, quòd res præexistens possit iterum produci, vt fusius in lib. de gen. patebit; nec in conseruatione rei id contingit, quia conseruatio non est distinctus influxus à prima rei productione, sed est eadem, licèt permanens, & continuata eiusdem termini.

Ob. Saltem in gen. causæ finalis, id non videtur denegandum, nam vt Arist. docet 2. de an. 88. lingua ordinata est simul ab ipsa natura, & propter gustum, & propter loquelam; & potest aliquis æquè primò plures fines intendere, ità vt vno cessante, adhuc agens operaretur, & eodem modo, ob alium finem, idq. sæpè in moralibus contingere compertũ est. R. Non multum esse de causa finali curandum, cùm eius causalitas non sit realis, & Physica; præstat tamen adhuc in moralibus negare, eumdem actũ virtutis ob plures fines totales, & æquè primò fieri posse. Ratio est, quia finis principalis, & totalis in moralibus dat speciem essentialem actui, ergo si actus ille æquè primò ex duplici motiuo virtutis exercere tur, iam talis actus æquè primò poneretur in plurib. specieb. essentialib. quod repugnat tàm in moralib. quàm in Physicis; Quare sicut diximus in causis efficientibus totalibus, quòd simul applicatæ, non eodem modo effectum producerent, quòd facerent seorsim, nam vel eum producerent perfectiorem, vel in minori tempore, vel in minori distantia, aut alia consimili disparitate, ità in causis finalib. intentionalibus si duo motiua virtutis voluntati ad talem actum ponendum applicarentur.

Ob. De facto eiusdem effectus sũt duæ causæ scil. Deus, & creatura; & prima est simpliciter totalis, & sola sufficiens ad ponendum effectum, altera verò partialis; sed eadem difficultas est de superfluitate partialis causæ cum totali, sicut totalis cum totali, vt consideranti patet, ergo si illud nedum possibile, sed de facto datur, ergo etiam & istud. Nec sufficit cõis euasio, quòd istæ sunt causæ alterius ordinis, non eiusdem, quia difficultas æquè in illis, sicut in istis vrget. Nec etiam suffragatur dicere, quòd causa prima est totalis in actu primò, quatenus de se habet virtutẽ sufficientem ponendi totum effectum si vellet, at in actu secundo partialis est, & eius concursus insufficiens sũ rem, vt detur locus actioni causæ secundæ, quæ est cõis responsio Recẽt. Non sufficit, quia tàm indignum est vilificare causam primam in actu primo, quàm in actu secundo.

Scot. hanc difficultatem tangit in 2. d. 37. M. & N. cui tñ nullam assignat responsionem ibi. Ad quam tñ resp. Lych. eo loco, & Bassol. cõmuni responsione de causis subordinatis, & non subordinatis, quæ non sufficere videtur qñ in subordinatis vna est simpliciter, & absolutè totalis; Hinc melius occurrendum putamus, quòd concursus Dei fundamentaliter sumptus est vnicus, & simplicissimus ad omnes effectus, idem scil. actus efficax suæ Diuinæ voluntatis, ob tñ suam eminentiam, & illimitationem

est vir-

est virtute multiplex, & diuersis influxibus æquiualet maiori, & minori, ne dum numero, sed etiam specie diuersis, vt Diuinæ voluntati libet; nam vtiq. maior censetur concursus, quo Deus vtitur cum homine ad generandum hominem eo, quo vtitur cum calore ad alium calorem producendum; at talis diuersitas accipi nequit in Diuino concursu sm̃ rem, q̃a à parte rei est idem prorsus numero actus, quo cum homine producit hominem, & cum calore calorem, sed accipi debet in modo applicandi eũdem actum ad plures, & plures effectus, exigentes iuxta eorum naturam varios, & varios influxus iuxta suauem Dei dispositionem, & prouidẽtiam, qua vniuersum gubernat; & in hoc sensu dicitur Deus causis secundis suum attemperare concursũ, non quòd hoc faciat sm̃ rem, remittendo scil. vel intendendo suum influxum, sed quia id facit in modo illum applicandi; & in hoc sensu etiam dicitur influxus Dei insufficiens, non sm̃ rem, sed sm̃ modum, quatenus ex modo, quo applicatur, indiget consortio causæ secundæ; quæ attemperatio locum habere non potest in duabus causis totalibus totaliter ad eumdem effectum concurrentibus. Sed de hac materia Diuini cõcursus, cum concursu causæ secundæ fusius, & exactius alibi (Deo præstante) agemus.



LIBER

LIBER TERTIVS PHYSICORVM VBI ARIST. AGIT de Motu, & Infinito.

DISPVTATIO DVODECIMA.

POstquam Arist. egit de natura, & de corpore naturali, eiusq. indagauit causas, & principia, tàm in fieri, quàm in facto esse, tàm de intrinsecis, quã de extrinsecis, tàm per se, quàm per accid. Nunc Tertium librum aggreditur, in quo de affectionib. & attributis eius in cõi agit; & licèt hic de motu agat, quantum satis est ad eius quidditatem ostendendum; Attamen, quia exactam eius notitiam in hoc 3. non prosequitur, sed potius in 5. vbi de eius specieb. agit scil. de vnitate, pluralitate, & contrarietate motus; & in 6. lib. vbi agit de continuitate motus, & eius partib. & in 7. de cõparatione motuum adinuicem, & de causa efficiente motus; ex quib. tandem viam sibi sternit ad inuestigandum in octauo, Primam causam efficiẽtẽ mot⁹; Hinc nos rationabiliter Disput. de motu ad posteriores lib. distulimus, vt Nonnulli etiam Recẽtiorum obseruant, quæstiones illas præmittendo, quæ nobis ad eius perfectam notitiam viam parant; Talis autem videtur in primis disputatio de continuo, quia motus iam de gen. est continuorum. Et in primis de Quantitate, quia præsertim continuitas, in quantitate designari solet, & inter affectiones corporis naturalis prima origine censetur, & cæteris alijs substantiæ propinquior; Hinc Arist. rerum omniũ naturas in recta linea disponens, post Prædicam. substantiæ, statim prædicam. quantitatis subtexuit.

ARTICVLVS PRIMVS.
In quo consistat essentia quantitatis continuæ.

SCot. de hac controu. differit in 4. sent. d. 49. q. 16. §. *Alij dicunt &c.* lit. D. fol. mihi 366. vbi docet rationem impenetrabilitatis in corporib. à quantitate præcisè prouenire, ità quòd hæc sit effectus formalis primarius quantitatis, secundarius verò impenetratio, & actualis expulsio, & colligit ex 4. Phys. 76. & 77. vbi Arist. vult, quòd si duæ dimensiones à substantia separari possent, adhuc se penetrare nõ possent, quæ veritas etiam nobis ex fide innotescit, videmus .n. quod duæ hostiæ consecratæ, vbi sunt duæ quantita-

titates, se ad inuicem penetrare non possunt.

Variæ sunt circa hanc controuersiam opiniones. Prima constituit rationem essentialem quantitatis in ratione mensuræ tum actiuæ, tum passiuæ, & tribuitur Thomistis, quam D. Tho. insinuauit 1.p.q.29. art. 1. & opusc. 2. Secunda, essentiam quantitatis cõstituit in diuisibilitate in partes entitatiuas, & integrales, ad differentiam rerum spiritualium, quæ huiusmodi partibus carent, & tribuitur Scoto 5. Meth. q. 9. & in Prædicam. q.17. Tertia est communior, quæ ponit essentiam quantitatis in extreitate, seu extensione partium, & hunc esse effectum formalem, quæ tribuit substantiæ, licèt huius sent. Auctores diuerso modo de ista extreitate partium, & extensione loquantur, hæc n. dupliciter potest in rebus considerari, vno modo in ordine ad se, seu partium in toto, alio in ordine ad locum, seu partium in loco; Prima adhuc dupliciter cogitari potest, vno modo, quòd solùm importet pluralitatem partium in toto, & entitatiuam distinctionem, vnius ab alia, alio modo, vt vltra hanc distinctionem addat etiam ordinem vnionis ad earũ inuicem, quatenus saltem quælibet certa pars immediatè vnitur alij parti, vt V.g. collum capiti, & non immediatè omnibus, sed seruant ordinem, quem totum ipsum integrale postulat, nulla habita ratione loci. Secunda extensio in ordine ad locum adhuc duplex est, alia actualis, per quam singulis partibus rei correspõdent singulæ partes loci, alia aptitudinalis, qua etiam si actu omnes corporis partes essent in eodem spatio compenetratæ, adhuc tamen actualẽ extensionem peterent in eo, & vnam etiam localiter esse extra eum. Hinc aliqui essentiam quantitatis constituunt in extreitate partium in ordine ad ea, in primo sensu, quòd saltem importet pluralitatem partium absolutè in toto, & distintionem entitatiuam vnius ab alio, itàut effectus formalis quantitatis sit afferre pluralitatem partium integralium, & earumdem distintionem in rebus; ità Aureol. in 2.d.12.q.2.art.4. Capreol. in 2.d.18.q.1. Durand. in 1.d.34 q.1. Tolet. 1. Phys. q.7. Complut. disp. 13. log. q. 3. Masius 1. Phys. cap. 2. q. 1. Vasq. 3. parte disp. 190. cap. 3. & omnes illi, qui negant, substantiam esse diuisibilem, in partes entitatiuas, & integrales, seclusa quantitate. Alij verò constituunt essentiam quantitatis in extensione partium in toto, in 2. sensu, vt saltem dicat non solam entitatiuam distinctionem partium, sed etiam dispositionem, & coordinationem earum in toto, vt aliæ sint mediæ, aliæ extremæ, & non inter se confusæ; ità Fonseca 5. Meth. cap. 3. q. 1. Ioan. de S. Tho. q. 16. log. art. 1. Et videtur esse etiam sententia Scoti in 4.d.10.q.1.M. vbi explicat essentiam quantitatis per positionem partium in toto, nam extreitatem partium in primo sensu Doctor tribuit substantiæ, seclusa quantitate, & hunc dicendi modum, vt de mente Doctoris, sequuntur Faber. 5. Meth. disp. 13. cap. 5. Iribarnes in 4. sent. loc. cit. Aretinus, & Alij. Aliqui verò in extensione locali actuali essentiam eius constituunt, vt Auersa q. 22. sec. 4. Alij in extensione tantùm aptitudinali; vt Sghemma 1. Phys. digres.

digress. 3. q. 3. Roccus 1. Phys. q. 7. Fuentes in log. q. 15. diff. 1. art. 2. Tandem Suar. disp. 40. Meth. considerans substantiam corpoream adhuc quantitate expoliatam ex natura rei esse in loco extensiuè, & diuisibiliter iuxta extensionem partium, quam in se habet, essentiam quantitatis constituit in impenetrabilitate, vel in radice illius, ità quod effectus formalis quantitatis sit afferre rebus impenetrabilitatem. Sequuntur Ruu. 1. Phys. c. 3. q. 2. Amicus tract. 15. q. 4. dub. 4. art. 7. Hurt. disp. 13. Meth. sec. 3. & quamplures alij Recentiores.

Conclusio.

Dicimus, Essentiã quantitatis continuæ consistere in extreitate partiũ incompossibilium ex natura sua, & in actu primo in eodem spatio, seu in immediata exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad locum. coincidit cum sententia Suar. & sequacium vltimo loco posita, & clarissimè ad mentem Scoti loc. cit. init. art. & etiam in 4. d. 1. q. 5. F. vbi docet, quòd ideò serra lignum diuidit, quia est incompossibilis ratione suæ quantitatis cum partibus diuidendi in eodem loco, ex quo colligitur, mentē eius esse, quòd corpora per quantitatem habent in actu primò, vt possint se ab eodem loco pellere; & in actu secundo, quòd actu se pellant; & si Deus hũc effectum suspenderet, ponendo duo corpora circũscriptiuè simul in eodem loco, adhuc per quãtitates haberent, quòd possent, & deberent se inuicem pellare, ergo in principio exigitiuo huius expulsionis, seu in exigentia impenetrabilitatis, essentia quantitatis continuæ consistet.

Probatur Conclusio, reijciendo singulos relatos modos, & primò, quòd non rectè constituitur in ratione mensuræ, aut diuisibilitatis, nam vel mensura, & diuisibilitas, accipitur quomodocumq. & in conceptu quodam generali; & sic falsum est, in hoc essentiam quantitatis consistere, nam competit alijs rebus, omne .n. scibile est mensura scientiæ ex Arist. cap. de ad aliquid, quia perfectio scientiæ mensuratur à perfectione scibilis, & Auerr. ait, in vnoquoq. genere est vnum, quòd est mensura, & metrum omnium aliorum in illo genere; & substantia, ac qualitas corporea diuisibilis est in partes entitatiuas, & integrales citra quantitatem, nã quando quantitas superuenit substantiæ, eam prorsus diuisibilem reperit, quia sic non foret subiectum capax quantitas, vt Scot. docet de materia in 2. d. 12. q. 2. & de qualitate corporea in 4. d. 12. q. 2. lit. B. & de forma materiali in 4. d. 44. q. 1. cùm igitur hæc habeant extreitatem partium extensiuam, & in ordine ad se, consequenter diuisibilia erunt in partes integrales; si verò loquamur de mensura per applicationem vnius ex tensi ad aliud, quò sensu specialiter tribuitur quantitati, & de diuisibilitate in partes integrales impenetrabiles, quæ fit per instrumentum materiale, adhuc in eis essentia quantitatis consistere nõ potest, sed potius sunt affectiones eam consequentes, vt Doctor monet in logica q. 17. prædicam. & 5. Meth. q. 9. & Antonius Andr. ibidem, nam ideò quantitas potest esse mensura actiua, seu ratio cognoscendi aliam quantitatem ignotã per eius applicationem, quia est extensa,

tensa, & habet plures partes integrales extra se positas, secundum quas potest se coextendi alteri quantitati, & etiam eadem ratione mensurari potest, quia extensa est; similiter ideò quantitas est diuisibilis instrumento corporeo, quia habet plures partes ad inuicem incompossibiles in eodē spatio, ergo tā ratio mensuræ, quàm diuisibilitatis nequit esse in quātitate prima omninò ratio eius, nam quantitatē habere partes, prius est, quàm esse mensuratiuam, & mensurabilē, & diuisibilem, & per huiusmodi affectiones tantùm à posteri eius essentia venari potest, vt Arist. egit 5. Meth. c. 13. vbi descripsit quantitatē per diuisibilitatem, dicens. *Quantum esse diuisibile in ea, quæ insunt.* vt ibi Ant. Andr. aduertit.

Neque essentia quantitatis consistere potest in extreitate partium entitatiua, vt scil. dicit pluralitatem solam partium, & distinctionem entitatiuam illarum, quatenus hæc pars non est illa, nam substantia corporea hanc extreitatem, & partium pluralitatem habet ex se citra quantitatē, nam independenter ab ea distinguitur essentialiter à substantia spirituali, & incorporea, nec per aliud ab ea distingui potest essentialiter, quàm per dictam extreitatem, quantitas verò cùm sit accidens non potest, nisi accidentaliter vnum ab altero facere differre. Tum quia cùm quantitas recipitur in substantia, vel tota recipitur in tota substantia, & pars in parte, vel tota in tota substantia indiuisibiliter, ità quòd omnes ipsius quantitatis partes applicentur eidem indiuisibili substantiæ. Si primum, ergo pluralitas partium substantialium in substantia præcedit quantitatē; si secundum, ergo accidens diuisibile recipitur in subiecto indiuisibili, quòd est falsum.

Resp. Cōiter Thomistæ, ꝙ substantia prout natura præcedit quantitatē, habet pluralitatem partium in potentia, non in actu, & in hoc distingui à re spirituali. Non valet, nam vel per habere partes in potētia intelligunt, quòd potentia excludat actum diuisionis, & separationis, vel actum existentiæ, & distinctionis partium, itàut vel illas non habeat, sed à quantitate expectet, vel saltem non habeat distinctas, sed distinctionem expectet à quantitate; si primum, per hoc non tollitur quin sint distinctæ, quia etiā cum sunt sub quantitate, ità se habēt in potentia, quatenus non sunt actu diuisæ, ac separatæ. Neque secundū dici potest, quia substantia mendicare non potest entitatem suarum partium à quantitate, sicut nullum subiectum vniuersaliter accipit suam entitatem à forma, quam recipit, & maximè si erit forma accidentalis. Tum quia si consecraretur hostia secundum vnam medietatem, & non secundum aliam, & pars non consecrata spoliaretur à Deo sua quantitate, vtiq. sic remanens, iam realiter distincta censeretur ab alia portione substantiæ destructæ ex vi consecrationis, & non per quantitatem, quia non est, ergo &c. per quæ etiam satisfit responsioni Complutentium, & Aliorum Recentiorum Thomistarū.

Neque essentia quantitatis statui potest in extreitate partium, vt saltē dicit ordinem, & dispositionem partium in toto, itàut vna pars sit immediatè vnita parti, & hæc imme-

diatè alteri, & non confuso modo; nam, vt benè etiam aduertit Auersa, cogitari non potest substantia corporea cum distinctione entitatiua partium sine vnione, & continuatione illarum adinuicem, si .n. concipitur cum vnione partium, concipitur necessariò etiam cum aliquo ordine illarum adinuicem, quia indiuisibile, quòd copulat partem, A, cum parte B. non vtiq. copulat immediatè cum parte C; nec mente concipi potest substantia corporea sine tali ordine, ità quod vnaquæq. pars sit omnibus, & singulis immediatè vnita, & non potius vna mediante alia. Tum quia talis ordo partiũ in toto haberi possit sine quantitate, quòd patet in corpore humano, quòd vt sit idoneum animæ subiectum, exigit talem dispositionem partium interse, quæ appellari solet organizatio substantialis, & & hoc independenter à quantitate, corpus .n. hæterogeneum substantialiter differt ab homogeneo, & non accidentaliter, ergo &c.

Neque quantitatis essentia constitui potest in actuali extensione locali, vt contendit Auersa, nam Arist. distinxit positionem de genere quantitatis, à positione de genere situs, & hæc superuenit illi, ergo confundi nõ debent. Tum quia præsentia situalis separari potest à quantitate, & hæc sine illa reperiri, vt absolutum, prius sine respectu posterioris, vt de facto in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramẽto contingit, vbi Corpus Christi existit cum sua quantitate, sine locali extensione de genere situs, vt solidè Subtilis Doctor probat in 4. d. 10 q. 1. M. Tum quia quantitas est accidens absolutum, præsentia situalis respectiuum, & concipi non potest sine actuali ordine ad locum, ergo &c. Tum quia sicut actu esse in loco supponit existentiam rei locatæ, ita, & existentiam quantitatis, nam locus est posterior re locata. Tum tandem quia Arist. posuit vltimum Cœlum quantum, & extensum, & tamen negauit esse in loco, ergo &c.

Nec consistere potest in extensione aptitudinali ad locum, quatenus illa aptitudo indicat in substantia formam quamdam accidentalem, quæ proximè capacem eam reddat præsentiæ extensiuæ, & diuisibilis in loco; nam talis capacitas etiam in substantia materiali reperitur, & oritur ex partibus, vt habent extensionem in ordine ad se, & ad totum, quia sicut in se vna est extra aliã, ità quoq. à quantitate independenter, naturaliter petunt, quod vna sit extra aliam in loco. Tum quia sicut ex hoc, quòd substantia spiritualis partibus caret, connaturalis modus eius essendi in loco est simplex, & indiuisibilis, vt saltem sit tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci, ità ex opposito substantia materialis ex hoc, quòd non est simplex, sed extreitatem partium habet, connaturalis modus eius essendi in loco, erit extensus, & diuisibilis. Tum quia si substantia maneret sine quantitate, adhuc haberet natura sua præsentiam diuisibilem, & extensam in loco, licèt partes eius non haberent repugnantiam ad compenetrationem, vt clarius infra patebit, ergo &c. ità etiam breuius determinauimus in log. disp. 12. art. 2.

Remanet igitur, vt essentia quantitatis consistat in illa extreitate partium incompossibilium in actu primò in eo-

in eodem loco, seu in principio exigitiuo impenetrabilitatis in ordine ad eumdem locum; ità vt sit quædam forma accidentalis absoluta, quę substantiæ superueniens, vbi de se capax erat extensionis localis sine repugnā tia ad compenetrationem, eam reddit capacem, imò naturaliter exigitiuā extensionis impenetrabilis; Atque ità quantitas non differt à substantia, vel qualitate corporea per habere plures partes extra se positas etiam in loco, sed per habere tales partes, quæ natura sua sint incompossibiles in eodem loco, quales non sunt neq. partes substantiæ, neq. qualitatis. Probatur etiam nostra conclusio à posteriori, quando.n.à priori ratio formalis alicuius rei cognosci non potest, tunc à posteriori indaganda est, recurrendo saltem ad aliquem effectum, ità proprium illius rei, vt non ab alia re oriatur, sed videmus de facto, substātias corporeas esse impenetrabiles, ergo inuestigādum erit quod nam sit principium istius effectus; at talis effectus non oritur à substantia, quæ licèt ex sua constitutione petat existentiam localem, hæc tamen exigentia non est talis, vt penetrationem prorsus excludat, vt patet de materia, & forma, quæ se compenetrantur in composito; nec oritur à qualitate, quæ dicitur grossities, quia potius hæc esset effectus quantitatis, qua ratione Arist. 1. Phys. docuit non posse concipi rem magnam sine quantitate, quia per hanc solùm constituitur moles, & magnitudo sensibus apparens, quatenus per eam vna pars necessariò excluditur à loco alterius, & ità fit moles occupatiua loci. Tum quia qualitates inter se penetrantur, vt patet de albedine, & dulcedine in lacte; nec à quocūq. alio accidēte oritur impenetrabilitas, sed pcisè à quātitate, ità q̄ posita quātitate, ōni alio ablato, ponitur impenetrabilitas, & posito ōni alio, & sola quantitate seclusa, tollitur impenetrabilitas, vt dignè probat Scot. in 4. d. 49. q. 16. §. *Alij dicunt &c.* ergo principium istius impenetrabilitatis erit essentia quantitatis; Ità ex nostris in terminis Mast. & Bell. disp. 9. Phys. q. 1. art. 1.

Obiectiones.

Obijcitur primò, quòd essentia quantitatis continuæ consistat in diuisibilitate, & extensione entitatiua partium, vel saltem quòd hic sit effectus eius formalis. Probatur ex 5. Meth. cap. 13. vbi docet Arist. diuisibilitatem per se primò competere quantitati, & cæteris per quantitatem, ergo in hac diuisibilitate, & extensione partium, eius quidditas consistit. ℞. ex Doct. in 4. d. 1. q. 5. lit. F. quòd diuisibilitas, quæ est passio quantitatis, non est quæcumq. diuisibilitas, sed illa, quæ reducitur ad actum per incompossibilitatem duorum in eodem loco, ratione cuius serra diuidit lignū, quæ diuisibilitas vtiq. per quantitatem cæteris competit.

Ob. habere partes extensas, est effectus formalis accidentarius, sicut esse album, ergo talem extensionem à quantitate substantia habet, non ex se. ℞. Negando assumptum, habere .n. partes entitatiuè extensas, & vnā extra aliam est de conceptu essentiali substātię corporeæ, & p̄ has essentialiter à substantia spirituali distinguitur. Non tamen negamus, quòd habere extensionem in ordine ad locū

sibi accidat, sicut & habere partes ad inuicem incompossibiles, vt clarius infra patebit.

Arguitur 2. quòd consistat in illa extreitate, & coordinatione partium in toto, nam structura illius coordinationis fieri non potest sine perficiebus, & lineis, & punctis, quæ omnia sunt de genere quantitatis, & consequenter statui nequit in substantia corporea antecedenter ad quantitatem, etiam si in ea præcederet extreitas partium enxitatiua. ℞. Negãdo assumptum, nam etiam in substantia corporea, seclusa quantitate sunt indiuisibilia illa, quæ ad continuum necessaria sunt, quæ suo modo vicem gerunt superficierum, & linearum; sicut.n. seclusa quantitate habent partes suas integrales vnitas, & continuas, ita quoq. habent continuatiua illarum. ità Bell. & Mast. loc. cit. qui etiam citant Smisinch. de Deo vno, tract. 2. dubio 6. num. 213.

Ob. Extreitas partium in ordine ad locum etiam in actu primo inuoluit relationem ad locum, ergo nequit essentia quantitatis in ea consistere, quæ est entitas absoluta, sed potius consistet in extreitate partium in ordine ad se, vel ad totũ. ℞. Quòd sicut licet essentiam accidentis absoluti circumscribere per inhærentiam aptitudinalem, quæ est respectus, ità etiam per extreitatem aptitudinalẽ partium in ordine ad locum explicare licebit in proposito essentiã quantitatis, quæ non est, nisi principium exigitiuum talis extreitatis impenetrabilis.

In sent. igitur Scot. distinctio partium, & illarum vnio, & ordo ad inuicem reperitur in substantia citra quantitatem, sed præter hunc ordinem, additur etiam extreitatis in loco impenetrabilis in actu primo, actualis autem extreitas in actu secundo in loco, est positio de gen. situs.

Sed Contra hanc positionem, quæ est Mastr. & Bell. loc. cit. insurgunt quidã Scotistæ asserentes nos trahere Scoti sententiam ad doctrinam Recentiorum, cùm .n. Scot. manifestè doceat positionem de genere quantitatis dicere ordinem partium ad totum, & ad se inuicem in toto, sine respectu ad locum, expositio hæc nõ est ad mentem Doctoris. Vnde volunt, quòd effectus formalis quantitatis sit extensio impenetrabilis partium in toto, idest, facere, vt vna pars sit extra aliam impenetrabiliter, non aptitudine, sed in actu, nõ quidem impenetrabiliter quo ad situm, sed in ordine ad se inuicem, hoc est, quòd vna pars non possit subintrare aliam per identitatem, & hoc aiunt, esse proprium significatum impenetrabilitatis, & quod nos abutimur vocabulis, dum impenetrabilitatem rerum attendimus in ordine ad spatium, nam tunc propriè res compenetratæ dicerentur, quando vna transiret in aliam per identitatem, quæ penetratio est impossibilis. At benè Resp. Citati Doctores, nos non trahere Scoti doctrinam ad Neuthericorum opinionem, sed potius ostendere Recentiores potiores eorum sententias non ex proprio Marte, sed ex antiquis Scholasticis, & præsertim à Doct. elicuisse, & quidem sicut Suar. ab initio ãplexus fuit Scoticũ principiũ contra Thomistas, quòd substantia diuisibilis est, præcisa quantitate, semper locutus est

est con-

est consequenter in explicatione essentiæ quantitatis, & quando Scot. in 4. d. 10. q. 1. M. quantitatis essentiã explicuit per ordinem partium in toto, excludendo respectum ad locum, non exclusit nisi respectum de genere situs, de quo ibi tantùm loquitur. Rectè etiã locutus est Scot. vocans hanc extensionem impenetrabilem, extensionem in ordine ad se, & partium in toto, non exprimendo ordinem ad locũ, nam vt etiam Hurt. aduertit disp. 13. Meth. sec. 39. hæc impenetrabilitas benè vocatur extensio in ordine ad se, quia per illã, partes extenduntur, & per quantitatem extra se quasi pelluntur; Sed nõ ob id excluditur ordo aptitudinalis ad locũ, qui ordo licèt sit passio ipsius quantitatis, non tamen inconuenit eius essentiam per passionem circumscribere, vt in multis alijs moris est. Neq. officit, quòd quãtitas sit ens absolutum, nam etiam Scotistæ oppositi hoc agunt, dum explicant essentiã quantitatis per ordinem partium ad totum, & ad se inuicem, qui ordo etiam respectus est; & quando dicũt, quòd effectus formalis quantitatis est actualis extensio impenetrabilis partium in toto, non quo ad situm, sed quoad entitatem, quatenus vna non potest aliam subintrare per idẽtitatem, & vna non est, nec esse potest alia entitatiuè, vtiq. talis impenetrabilitas reperitur inter partes substantiæ antecedenter ad quantitatem, cum vna pars integralis substantiæ non sit alia, nec esse Possit. Potius ergo Aduersarij vocabulis abutuntur, dum per penetrationem intelligunt transitum vnius rei in alteram per identitatem, est .n. contra Philosophos omnes, ac Theologos, qui per penetrationem intelligũt simultatem duorum in eodem spatio; & quost estò naturaliter dari non possit talis penetratio, potest tamen dari supernaturaliter; at in sensu illorum etiã supernaturaliter impossibilis est. Neq. Christus cum Cœlos penetrauit ex Hebr. 4. cum Cœlis se identificauit, sed Cœlos transijt absq. eorum scissione, coexistendo eidem spatio; & in hoc etiam sensu loquitur Scot. in 4. cit. d. 49. q. 16. D. & E; ità Bell. & Mastr. contra quosdam Scotistas, qui si benè animaduerterent, ratum esse conspicerent.

Arguitur probando, quòd essentia quãtitatis consistat in actuali extensione locali. Si essentia quantitatis non consistet in actuali extensione, & extrinseca, sed tantùm in aptitudinali, & intrinseca, pertinente ad actum primum, sequeretur, quòd extensio quantitatiua non erit distincta ab extensione entitatiua substantiæ, & aliorum accidentium, quia tunc sub extensione quantitatiua poterunt pedes hominis esse in eodem puncto indiuisibili cum cæteris membris, in quo casu nulla remaneret extensio, aut partium extreitas præter entitatiuas, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Negando sequelam, & ratio est, quia licèt sub extensione quantitatiua possint membra humani corporis se etiam in puncto spatij compenetrare, vt modò est de Corpore Christi in Eucharistia, negatur tamen in tali casu quòd pedes sint extra caput solùm entitatiuè, & in ordine ad se, seu ad totum, nam adhuc sunt extra caput, & magis distantes alijs

mem-

membris in ordine ad locum in actu primo, & aptitudine, quatenus natura sua petunt loca distincta cum naturali repugnatia ad compenetrationem, hoc autem non euenit de partibus substantiæ, & qualitatis; Vndè non est de ratione quantitatis, quòd actualiter ponat partes substantiæ extra se inuicem actualiter, sicut non est de essentia accidentis actu inhærere, sed tantùm esse principium exigitiuum intrinsecum talis inhærentiæ; hinc sicut Deus salua accidentis essentia, tollit ab eo actualem inhærētiam, ità salua essentia quantitatis, potest actualem extensionem ab ea auferre.

Ob. Ex Auersa. In hoc sensu appellatur quantitas molis, quia constituit magnitudinem per actualem extensionem, & per hoc designantur species eius, linea est longitudo, superficies addit latitudinem, corpus profunditatem, ergo esse quantum aliud non est, quàm esse extensum, longum, latum, & profundum, quòd non est præcisè in ordine ad se, sed maximè in ordine ad locum, & spatium, in quo ponuntur partes extra partes. Tum quia quando dicimus in Eucharistia remanere quantitatem cum cæteris accidentibus, aliud non intelligimus, quàm remanere extensionem illam, per quam occupatur locus, & spatium.

℞. Ad primum, quòd quantitas appellatur moles, & magnitudo, quia reddit partes substantiæ, quas afficit, incompossibiles in eodem spatio quò ad actum primum, non autem in actu secundo distinctum locum occupantes, cùm hoc accidat quantitati, sicut risus homini. Dicitur, ergo corpus quantum, longum, latum, & profundum, quia habet principia exigitiua actualis extensionis in loco, quorum principia sunt linea, superficies, & & corpus de genere quantitatis. Ad 2. ℞. Concedendo, remanere extensionem illam localem accidentium, quia intelligimus remanere quantitatem cum suo modo connaturali quantitatiuo, qualis est positio de genere situs, & cum actuali impenetrabilitate, cùm non possint duæ hostiæ consecratæ naturaliter se compenetrari.

Arguitur, quòd essentia quātitatis consistat in simplici extensione aptitudinali ad locum diuisibilem, præscindendo ab impenetrabilitate, & affertur communis sententia Scotistarum, qui mordicus sustinent substantiam materialem sine quantitate non remanere in loco, nisi definitiuè, & præsentialiter, sicut Angelus, quod acceperunt à Scoto in 2.d.12.q.2. D. & solam quantitatem esse rationem fundamentalem essendi in loco circumscriptiuè, & dimensiuè, quod etiam ostendit Doct. in 4. d.10.q.3. & quol.10. H. ergo principium aptitudinis essendi in loco diuisibiliter, est quantitas. ℞. Non desse etiam plures Scotistas, tum Veteres, tum Recentiores, qui constanter defendunt substantiam materialem quantitate exutam, adhuc retinere præsentiam diuisibilem in loco, ità ex Vetustioribus, Parisienses in suo cursu 1. Phys. q. 5. quęstiuncula 4. collat. Tataret. 1. Phys. q. 3. not. 2. fol. mihi 19. Ioann. de Magistris 1. Phys. q. 6. Sghem. loc. cit. ad Sextū. Fuentes in log. q. 15. diff. 1. art. 1. Mastr. & Bellhic, qui allatos Doct. citant, & sequuntur; Ad auctoritatē

Scoti

Scoti ℞. Doctorem accepisse modum essendi in loco circumscriptiuè impenetrabiliter, qualis est circumscriptio, quam affert quantitas substantiæ materiali, non autem vt excludit diuisibilitatem, & extensionem præsentiæ, quia rōne suæ materialitatis adhuc repugnat substantiæ materiali itá esse in loco, vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte loci. Cæterum fundamentum præsentiæ diuisibilis, & principium aptitudinis sic essendi in loco, est corporeitas ex Doct. quolib. 11. art. 1. quæ in substantia materiali præcedit quantitatem.

Ob. Præsentia diuisibilis, & situalis est modus ipsius quantitatis ex Doct. in 4. d. 10. q. 1. M. ergo quantitas consistit in principio exigitiuo istius modi, quòd circumscribitur per extensionem aptitudinalem ad locū. ℞. Distinguendo duplicem situm, aliū cum repugnantia penetrationis partium rei situatæ ad inuicem, & hic est modus quātitatiuus de quo loquitur Scot. alium sine repugnantia præfatæ penetrationis, & hic omnibus entibus materialibus conuenit, prout à Spiritibus distinguntur. Plures alias rōnes ab Aduersarijs afferri solent, quæ ex allata doctrina facilè diluuntur:

Arguitur tandem, quòd non consistat in extreitate partium incompossibilium in eodē loco in actu primo, seu in principio exigitiuo extensionis impenetrabilis. Prior est in quantitate ratio replendi, & occupandi locum, quàm ratio expellendi aliam quantitatem, nam ideò expellit, quia occupat, ergo melius explicatur quantitas per virtutem occupatiuam, quàm expulsiuam, quæ est impenetrabilitas, vel principium exigitiuum talis impenetrabilitatis. ℞. Quòd ratio replendi, & occupandi locum in quantitate, est prior ratione expellendi, seu impenetrabilitate, prioritate vniuersalitatis, quatenus etiam cæteris rebus corporeis cōuenit, sicut animal in homine priꝰ est rationalitate, nō tamē prioritate causalitatis, nam absolutè non est verum, vnam quantitatem expellere aliam, quia locum replet, sed cum addito, vt benè aduertūt relati Scotist. scil. quia locum replet impenetrabiliter, quare impenetrabilitas se habet, vt ratio specifica contrahens rationem communem replendi locū rebus omnibus corporeis, ideòq. rectius ratio specifica quantitatis per ipsam impenetrabilitatem explicabitur.

Ob. Habere partes interse incompossibiles respectu loci conuenit substantiæ, seclusa quantitate, nam vt Auersa aiebat, ideò vna pars est impenetrabilis cum alia, quia habet esse extra aliam, & ideò vna res est impenetrabilis loco cum alia, quia est extensa per suas partes, & è contra, quia res spirituales non habent hanc entitatiuam extensionem, ideò coexistere possunt cum alijs rebus, cùm igitur extreitas impenetrabilis in loco oriatur proximè ex extreitate entitatiua rerum, & hæc reperiatur in substantia materiali ante quantitatem, falsum est, quòd essentia quantitatis in ratione impenetrabilitatis consistat. ℞. Negando assūptum, nam ex extreitate partium entitatiua, solùm sequitur, quòd res corporeæ esse possint diuisibiliter in loco, ad differentiam rerum spiritualium,

lium, quæ sunt in loco definitiuè, & indiuisibiliter, totæ in toto, & in qualibet parte totius, cæterum ratio impenetrabilitatis à quantitate prouenit; Et Auersa velit, nolit, in nostram prolabitur sententiam, dum ait ibidem, quòd impenetrabilitas sequitur essentiam quantitatis, ergo non prouenit ex sola extreitate partium entitatiua, quæ quantitatem præcedit.

Ob. Si impenetrabilitas esset ratio formalis quantitatis, non posset quantitas fieri penetrabilis, sicut ex eo, quòd brutum est irrationale, nequit fieri rationale. ℞. Hanc rationem totam in æquiuoco laborare, confundit enim impenetrabilitatem pro actu primo scilicèt exigitiuo impenetrabilitatis, cum actu secundo penetrationis. Deus potest sua potentia tollere actum secundum, non autem actum primum; irrationalitas in bruto non solùm dicit negationem actualem ratiocinandi, sed etiam actus primi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Quantitas corporea continua realiter distinguatur à substantia, qualitate, ac alijs materialibus accidentibus.

SCotus decisionem huius art. dedit in 4.d. 12.q.2.§. *Ad Quæstionem &c.* lit. H. & I.& in 2.d.2.q.9. & d.12.q.1. quem communiter Scotistæ sequuntur, Alij in 4. cit. Alij in 1. Phys. Nominalium sententia est, quòd quantitas non distinguatur realiter velut accidens superadditum à substantia corporea, cæterisq. eius accidentibus, sed esse ipsammet earũ entitatem, ità quòd substantia sit per se quanta, & extensa, similiter qualitas, quare in quacumq. re, non vnam assignant quantitatem, sed totquot sunt in ea entitates Physicæ, ità vt alia sit quantitas materiæ, alia formæ, alia aliorum accidentium, ità ex Nominalibus præiuit Ocham in 4.d. 4.q.1.& in tract. de Corpore Christi Domini c.17.cum Gabriele, Maior. Rubiõ.& ex Neothericis Hurt.disp. 13. Meth.sec.2. Arriag.disp.5.sec.1. cum Alijs. Opposita sententia, & cõmunior est Realium, asserentium, quantitatem distingui realiter à substantia, eiusq. accidentibus.

Conclusio.

Dicimus, quantitatem esse accidẽs realiter distinctum à substantia, cæterisq. accidentibus materialibus. est Scoti loc. cit. & Scotist.& fuit etiam D.Tho. 3.p.q.77.art.2. & in 4.d. 12. q.1.art. 1. Et probatur primò pluribus Arist. testimonijs.in 1. Phys.tex. 15. distinguit tàm quantitatem, quàm qualitatem à substantia. in 4. Phys. tex.76. docet solam quantitatem, seclusa substantia, esse loci occupatiuã. 2 de anima tex 65. ait, substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem verò per se. 3.Meth.tex.27. disertè probat, quantitatem realiter non esse substantiam, & idem repetit 7.Meth.tex.8. sic potiores eius Expositores loca citata exponunt.

Probatur 2. ex principijs nostræ fidei. de fide est in Eucharistia desinere substantiam panis, & vini, at non est de fide ibi destrui accidentia eorum, imò totum oppositum fides docet scil. remanere ibi dũtaxat species panis, & vini, per quas species torrens Patrum, & Theologorum intelligit eorum accidentia scil. quãtitatem,

titatem, & qualitatem, Vnde Concil. Trid. seſſ. 13. cau. 2. vocat illam conuerſionem, tranſubſtantiationem, quatenus ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam Chriſti, at ſi etiam accidentia in corpus Chriſti conuerterentur, dici deberet etiam trans accidentatio, quatenus non ſolum ſubſtantia panis, ſed etiam eius quantitas, & qualitas conuerterentur in corpus Chriſti. Tum quia euidentiſſimum ſignum diſtinctionis realis eſt ſeparatio, eadem .n. res non poteſt à ſeipſa ſeparari, ſed Deus poteſt quantitatem, vel qualitatem à ſubſtantia ſeparare, vt patet ex relato Euchariſtiæ Miſterio, in quo deſtructa ſubſtãtia panis, remanent eius quantitas, & qualitas, ergo. Tum tandem, quia ex hac poſitione daretur penetratio corporis naturaliter, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. ſequela probatur, quia in vnoquoq. compoſito materiali, entitas materiæ, entitas formæ ſubſtantialis, & accidentium ſimul ſunt in eodem loco, ſed per Aduerſarios ſingulæ iſtæ entitates ſunt etiam quantitates, ergo vna quantitas cum alia penetratur. Reſp. Nominales negando minorem, & ratio eſt, quia illa entia quanta non poſſunt penetrari, quæ per ſe ſubſiſtunt, nec ordinantur ad conſtituendum, & perficiendũ aliud, quæ verò ordinantur ad conſtituendum aliud cuiuſmodi ſunt materia, forma, & accidentia materialia poſſunt naturaliter, imò de facto penetrari.

Sed Contra, partes entitatiuæ, ac integrales eiuſdem corporis, aquæ V. g. non ſubſiſtunt per ſe, & ordinantur ad perficiendum totum integrale, ergo deberent ſe naturaliter penetrare, ſicut de facto naturaliter penetrantur materia, & forma, ſed hoc eſt falſum, quia maior aqua occupat maiorem locum, ergo &c.

Arriaga, diſp. 5. ſec. 1. vt hoc figmentum Nominalium defendat, alia via incedit, dicendo, quòd eſtò ex vi conſecrationis recedat ſubſtantia panis, remaneat tamẽ vbicationes eius, ſeu præſentialitates, quæ proximè impenetrationem fundant. Error peior priore, & eſt contra ſeipſum, & communem Societatis Patrum conſenſum, qui modos, de quorum numero eſt vbicatio, ponunt cũ Alijs Doctoribus, inſeparabiles à rebus, quarum ſunt modi, & per hoc res à modis diſtinguunt, quòd modi ſemper ſunt affixi rei modificatæ, nec aliter poſſunt in rerum natura exiſtere, etiam per potentiam Dei abſolutam. quomodo ergo ait Arriaga, quòd recedente ſubſtantia ex vi conſecrationis, remaneant eius vbicationes, quæ ſunt modi?

Obiectiones.

Obijciunt pluribus rationibus Nominales. primò, Idem corpus inuariatum quo ad omnia, eſſe poteſt magis, & minus extenſum, nam eadem aqua, quæ prius occupabat duos palmos, deinde per congelationem reſtringitur ad locum palmare, ergo quantitas non eſt accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia, ſed eſt eadem, quæ cùm reſpondeat maiori loco, dicitur magis quanta, cùm minori minus quanta. ℞. Negando aſſumptum, ex illa generali doctrina, quòd in rebus non poteſt fieri Phyſica mutatio abſq. aliqua re, vel modo reali de nouo producto, vel acquiſito, neque dari poteſt tranſitus realis à contra-

dictorio in contradictorium, sine mutatione reali in aliqua re, aliter non posset assignari ratio, cur hæc pars contradictionis verificetur modò, & non prius, cùm igitur substantia est in loco extensa, & deinde in extēsa, vel prius magis extensa, & deinde minus extensa, cùm verè à parte rei aliter se habeat nunc, quàm prius, addere oportet aliquid superadditū, ne cogamur dicere idem esse extensum, & in extensum respectu sui ipsius, maximè cùm rarefactio, & condensatio sint veræ mutationes. Ad experientiam de aqua, cùm ex loco bi palmari, reducitur ad palmarem, dicimus, quòd vel quantitas deperditur secundum vnam viam explicandi rarefactionem, & condensationē; vel si maneat eadem, variatur actualis extensio in ordine ad locum, quæ non est quantitas, sed modus quantitatis ex Doct. in 4. d. 10. q. 1. M. spectans ad prædicamentum situs. multa alia hic congerit Rubion, quæ spectant ad disputationem de rarefactione, & condensatione in lib. de generatione, & corruptione.

Ob. 2. Circumscripto à substantia quocumq. accidente à se realiter distincto, adhuc haberet omnes effectus, qui dicuntur à quantitate formaliter prouenire; & in primis, nulla extreitas partium, vel extensio cogitari potest à quantitate deriuari, quam substantia materialis de se non habeat, habet .n. extreitatem partium, vt dicit alietatem entitatiuam illarum; habet extreitatem, vt dicit ordinem partium in toto, habet etiā extreitatem partium adinuicem incompossibilium in eodem loco, quæ extreitas originatur ab illa, ideò .n. vna pars est impenetrabilis cum alia, quia habet esse extra illam entitatiuè, vndè, & locum distinctum petit ab illa; Item nulla diuisibilitas excogitari potest à quantitate in substantiam deriuari, quam prius ex se non haberet, & sic de alijs, ergo quantitas non erit accidens realiter à substantia, seu qualitate materiali distinctum. R. Negando antecedens, ad probationem, negamus substantiam, & qualitatem materialem habere extreitatem partium incompossibilium, & Physicam diuisibilitatem, seclusa quantitate, vt articulo præcedenti diximus, licèt .n. habeant plures partes extra se positas etiam in ordine ad locum, & præsentiam diuisibilem petant, hæc tamen extreitas non excludit necessariò penetrabilitatem, sed tantùm modū spiritualem essendi in loco scil. totum in toto, & totum in qualibet parte loci, vnde falsum est, quòd extreitas partium in loco impenetrabilis ex absoluta, & sola partium extreitate oriatur, vt in præced. art. determinatū est, quòd inde petat, quia etiam duo Angeli sunt extra se positi entitatiuè, & tamen non petunt extreitatem quoq. localem impenetrabilem. Sic etiam dicimus, quòd estò substantia, & qualitas, præcisa quantitate, sint diuisibiles, scil. absolutè separabiles à Deo, vel Angelo, non sunt tamen diuisibiles Physicè, & corporeo instrumento, sed hanc solùm merito quantitatis habent.

Ob. 3. Non solùm substantia materialis in composito, sed etiam singulæ qualitates ei inhærētes sunt extensæ, non solùm entitatiuè, sed etiā quantitatiuè, ergo quælibet habebit suam quan-

quantitatem, & extreitatem, & consequenter non dabitur sola quantitas substantiæ, à qua etiam qualitates dicuntur quantæ, quia forma non denominat, nisi subiectũ, sed tot quantitates erunt, quot accidentia, quòd absurdum censetur. R. Negando cōsequentiam, in quolibet .n. indiuiduo vna quantitas sufficit, quæ sicut à se formaliter extendit substantiam, ità etiam quantitatiuè scil. impenetrabiliter alia accidentia extendit, & satis est, quòd singula subiecto extenso inhæreant, vt postea extensa, & quanta dicantur.

Ob. 4. Qualitas non est intensa per accidens superadditum, sed tantùm quia sunt plures partes qualitatis in eodem situ, ergo similiter, & substantia dicetur extensa, & quanta sine accidente superaddito per solam pluralitatem partium in alio, & alio loco. R. Quòd intensio, & extensio comparari possunt, & ad partes quæ formaliter constituunt in tensionem, vel extensionem, & etiã ad subiectũ, cui intẽsio, & extensio cōmunicãtur, vt autem currat paritas, debent cōparari vniformiter, sicut .n. intensio non distinguitur realiter à partibus, ità neq; extensio, at sicut qualitas subiectum intendens realiter ab eo distinguitur, ità etiam & quantitas suum subiectum extendens, ab illo realiter distinguitur.

Quæres, si Deus à substantia quantitatẽ auferret, quomodo substantia remaneret? Resp. Sconcin. 5. Meth. q. 22. quòd substantia corporea sine quantitate existere non posset, ratio est, quia implicat, entitatem diuisibilem in partes integrantes posse simul diuidi in omnem suam partem, hoc autem contingeret, si quantitate spoliaretur, quia tunc auferretur à substantia materiali principium formale, quo partes illæ vnirentur, cùm vnio continuationis sit formaliter à quantitate; subdens, quòd ex distinctione reali quantitatis à substantia, solùm sequeretur posse substantiam conseruari sine hac vel illa quantitate, non tamen sine omni quantitate. Non placet, nam de facto videmus separatam quantitatem à substantia in Eucharistia, ergo tanto magis poterit substantia separari à quantitate, & separata conseruari, magis .n. pendet quantitas à substantia, quàm è contra, sicut vniuersaliter magis pendet accidens à subiecto, quàm hoc ab accidente. Tum quia falsum est substãtiam mutuare suam continuitatem à quantitate, cùm prius compleri debeat substantiam quoad suam conuenientem entitatem, & deinde subsequi accidentia, vt nobiscum etiam defendunt Thomistæ.

Resp. Hier. pla. 1. Phys. c. 2. q. 2. & videtur esse etiam sententia Durandi in 1. d. 37. p. 2. q. 1. quòd potest substantia à quantitate separari, & separata conseruari, sed tunc non haberet aliquam vbicationem, vel præsentiam, vnde diceretur esse in seipsa, non in loco. Non satisfacit, nam substantia, præcisa quantitate ratione suæ entitatis, nata est fundare præsentiam ad spatium, sicut substantia immaterialis ad suum, & ità potest dici indistans ab hoc loco sine quantitate, sicut Angelus à suo loco, licèt differant quoad modum essendi in loco. Tum quia ex dictis, quantitas solùm affert præsentiam impenetrabilem, & circumscriptiuam, ergo

 cessa-

cessatio quantitatis in loco, non est cessatio substantiæ in loco, sed tantū cessatio tali modo scil. impenetrabiliter.

Resp. Auersa, q.22.sec.1.cum pluribus alijs, quòd in eo casu tota substantia reduceretur in punctum, vel ad exiguam quamdam partem illius spatij. sed quomodo fieret ista reductio in punctū, magna est inter istos Doctores altercatio, & in hoc conuenire videntur, quòd ratio formalis, qua partes substantiæ in spatio extenduntur, & inter se distant, sit quantitas, quod esse falsum iam ostēsum est, hoc .n. habet substantia materialis ex suis partibus entitatiuis. Tum quia ex 4.Phys.habemus, quòd si à vase in instanti tolleretur mediū, quòd eius latera faciebat distare, non ideircò illa latera concurrerent in instanti, & reducerentur in punctū, ergo si etiam concedamus partes substantiæ esse inter se distantes ratione quantitatis, non propterea si illa in instanti auferatur, debemus inferre, statim sequi ex natura rei concursū, & influxum instantaneum omnium illarum partium ad punctum; Tum quia quando sunt duo entia absoluta, quorum vnum est prius alio, ex mutatione facta circa posterius, non sequitur necessariò mutatio circa prius, nisi in illis, quæ à posteriore absoluto pendent, at substantia nec in suo esse, nec in sua præsentialitate à quātitate pendet, ergo &c. Neque etiam hoc benè saluatur, per mutationem factam à Deo, quæ translatiua sit in instanti omnium illarum partium ad punctum, vt contendit Auersa, nam quæstio est de substantia in sua natura relicta absque additione noui miraculi, præter ablationem quantitatis, & quærimus, si Deus substantiam sua quantitate expoliaret, nec vllā prorsus positiuam adderet mutationem, qualem statum, & qualem præsentiā habitura esset ad spatiū, in quo prius erat? Cæterum nulli dubiū est, quòd si Deus vellet addere talem mutationem, ex vi illius, vtiq. illius singulæ substantiæ partes reducerentur in punctum. Respond. Alij, multos, & varios modos dicendi machinantes, sed semper ineptè, & insufficienter iudicio meo.

Melius igitur respondendū est cū Scotistis, vt videre est apud Mastr. & Bell. quòd substantia, quantitate denudata, remaneret ex natura rei sm omnes, & singulas suas partes in eodē situ, in quo prius erat sub quantitate, & hunc modum dicendi sequuntur Suar. in Meth. disp. 40. sectione 4. Hurt. disp.13. Meth. sec. 5. Amic. tract.15 q. 4. dub. 5. art. 3. & Alij.

Sed Contra hanc decisionē vrget Auersa loc.cit.inquiens, quòd adhuc vrgere potest difficultas, quòd sicut Deus abstulit quantitatem à substantia, ità etiam auferat effectum illius, seu modum essendi, & præsentialitatem, & adhuc quærendum remanet, quomodo substantia remaneret. R. Auersam in primis supponere falsū, scil. quòd præsentialitas, vt sic, sit effectus quantitatis, quòd tū est falsū, nam quantitas est fundamentum præsentiæ circumscriptiuæ impenetrabilis, non autem penetrabilis. Cæterum communis est opinio, quòd nulla res in vniuerso extare potest sine aliquo Vbi, seu præsentialitate suæ naturæ proportionata, vt etiam ipse

Auersa

Auersa fatetur q. 28. sec. 2. & quod ipse à nobis petit, idem etiam,& nos ab ipso inquirimus, dato quòd Deus auferat substantiæ, quæ defluit in pũctum, præsentiam illam punctualem, quomodo tunc illa substantia remaneret? solùm hic dicere pro modo possemus, quòd si præsentia situalis posset à Deo auferri, tunc talis substantia remaneret adhuc præsens diuisibiliter toti illi spatio, sed tantùm fundamentaliter, non formaliter, vt prius erat.

Pater Cõradus Confalonerius Societatis Iesu, in sua Epitome Philosophica assertione 28. num. 2.est nobiscum,scil. quòd quantitas realiter distinguatur à re quanta, subdit tñ quòd probatio ex Augustissimo Sacramento desumpta, parùm vrgere videtur; Deus.n.vt notant ingeniosi Recentiores, non facit naturas rerũ propter miracula,sed potius miracula propter naturas, ergo si natura accidentium Eucharistiæ exigit multiplicari miracula, debent multiplicari sine scrupulo. Hæc citatus Pater. Sed scire cupio, quòd ex hoc modo loquendi, isti ingeniosi Recentiores colligunt,& quid eis suffragatur?Iam ipse Pater confitetur in Eucharistiæ Sacramento, remanere quantitatem, & absq.miraculo illa accidentia posse alterari, cum quantitas sit immediatum subiectum accidentium, per Ipsum. Si igitur in tali misterio reperitur eadem quantitas, destructa substantia panis, vt est vnanimis, & & communis sensus Patrum,& Theologorum, quam euidentiorem rationem adducere possumus? equidem nullum signum manifestius afferri potest distinctionis realis, quàm separatio, cum nulla res à seipsa separari possit. affert deinde ipse Pater alias rationes parui momenti, quibus ego non fidor.

ARTICVLVS TERTIVS.
An Continuum ex solis indiuisibilibus constituatur.

SCot. de hac celebri controuersia agit in 2. sent. d.2.q.9. lit. T. & seq. pro cuius intelligentia supponimus, hic nomine continui non intelligi solam quantitatem, sed substantiam quoq. corpoream, ac etiam eius accidentia materialia, ratio est, quia cùm hæc omnia habeant suas partes entitatiuas, vnam extra aliam, quantitate præcisa ex dictis,& propriam habeant integralem compositionem, consequenter erunt continua,& sub nomine continui rectè comprehendi possunt. Item dum quærimus, an cõtinuum ex solis diuisibilibus constituatur, vel solis indiuisibilibus, vel potius ex vtriusq. simul, per diuisibilia intelligimus partes, quæ iterum in minores, & minores diuidi possunt; per indiuisibilia autem intelligimus indiuisibilia Mathematica, quæ sunt tria scil. punctum, quod caret omni parte quantitatiua; linea, quæ caret partibus latitudinis; & superficies, quæ caret partibus profunditatis, vnde indiuisibile est illud,quod caret diuisione, & consequenter, indiuisibilia in continuo permanenti si dantur,sunt quædam entitatulæ diuisionis expertes; indiuisibilia verò in continuo successiuo, si fuerit motus, sunt mutata esse;si tempus, instantia, seu momenta,& per hoc excludimus indiuisibilia Physica, sicut sunt mini-

ma

ma naturalis, vt cupis acutissimæ acus, oculus pulicis, & similia, quæ indiuisibilia dicuntur, non quia partibus careant, in quas saltem Deus diuidere posset, & nos saltem mente distribuere, sed quia talis diuisio ab agente naturali fieri nequit, per instrumẽta naturalia. Excludimus etiã indiuisibilia Methaphysica, vt sunt res spirituales, licèt .n. hæc partibus integrantibus careant, vt Methamatica, possunt tñ locum occupare diuisibilem ratione extensionis virtualis, qua Mathematica carent. Item indiuisibilia de genere quantitatis, quædam sunt continuatiua, quædam terminatiua quæ solùm differunt sm munus, continuatiua sunt finis vnius partis, & principium alterius; terminatiua verò solùm sunt finis, vel principium solùm, & de vtrisq. quærimus, an dentur realiter, & actu in continuo. Item continuum via compositionis sic definitur ab Arist. in 6. lib. Phys. 5. *est illud, cuius partes ad vnum terminum communem copulantur*. At via resolutionis, seu diuisionis, sic ab eodem ibidem definitur: *est diuisibile in infinitum.*

In hac igitur quæstione, tres extant sententiæ, duæ extremę, & vna media. Prima extrema est Stoicorum. quibus præiuit Zeno, componentium continuum ex solis indiuisibilibus, scilicèt lineam ex solis punctis, superficiem ex solis lineis, & corpus ex solis superficiebus. Altera extrema est Nominalium, scil. Ocham, Gabriel. Ariminens. & Aliorum negantium indiuisibilia, & constituentium continuum ex solis partibus semper diuisibilibus, & ex Recentioribus sequuntur Perer; Auersa quæstione 22. sectione 4. Arcs. 1. de generatione disputat secunda quæstione 23. Herice, Ouiedo, Tellez, Ioannes de lugo, & per quamdam sympatiã Arriaga disp. 16. Phys. sec. 2. dum dicunt continuum componi ex indiuisibilibus formaliter; virtualiter tñ diuisibilibus. Fonseca autem 1. Meth. cap. 13. q. 6. sec. 4. negat indiuisibilia continuatiua, quòd probabile putant Conimb. 6. Phys. cap. 2. q. 1. art. 4. & Alij, qui nolunt in continuo indiuisibilia realia positiua admittere, sed solùm imaginaria. Media sententia est, quòd continuum ex vtrisq. constat, scil. ex diuisibilibus quidem, vt ex partibus componentibus, & molem corpoream integrantibus, & ex indiuisibilibus, vt continuantibus, & terminantibus partes, & est communior, & magis Peripatetica, quam sequuntur D. Tho. 6. Phys. cap. 1. 2. & 3. cum suis discipulis, Scot. in 2. d. 2. q. 9. cum suis, Ægid. 1. de generat. q. 3. & ex Recentioribus Suar. in Meth. disp. 40. sec. 5. Ruu. 6. Phys. cap. 2. Masius q. 1. Hurt. disp. 55. Phys. sec. 2. §. 10. qui damnans suorum Patrum opinionem circa hanc rem, sic ait: *banc opinionem iacentem iam ab inferis excitarunt duo, aut tres ex Recentioribus Philosophis. vtinam nõ tã studiosi nouitatis essẽt, quã veritatis; est n. quoddam nouitatis genus, annosas opiniones, ac sepultas puluere, in lucem reuocare, & à vera Theologorum, ac Phylosophorum trita via deflectere*. Hæc Hurt. licèt etiam Ipse in eadem damnatione sit, quo ad plura alia; & ità reuera est, Recentiores .n. nostri temporis, potius ad ostentationem intellectus studentes, quàm ad verum sensum peruenire

nenire cupientes, vsatos terminos Philosophorũ mille ambagibus deturpantes, gloriantur in his, in quibus erubescere deberent.

Conclusio.

Dicimus, implicare contradictionem continuum componi ex solis indiuisibilibus, est D. Tho. & Scoti loc. cit. & sequacium vtriusq. scholæ, & communior. Probatur primò conclusio auct. Concil. Constansiensis sess. 21. contra Ioannẽ Hus, vbi hæc formalia verba habentur. *error est in Philosophia asserere, quòd continuũ componatur ex solis indiuisibilibus.* Vbi intentio Patrum est, quòd componatur ex indiuisibilibus, & partibus diuisibilibus. Et licèt hoc Concilium non fuerit legitimè congregatum, fuit tñ à Martino Quinto approbatum; & quamuis multa subterfugia ab Aduersarijs adinuenta sint ad hanc auctoritatem eludendam, attamen, vt intolerabilia, & iniuriosa Patribus, Theologis, & intentioni Concilij, eruditè ostendit Io. Mast. 6. Phys. q. 1. §. 2.

Probatur 2. ratione Arist. hic, qua etiã vtuntur D. Thom. lec. 1. & Scot. loc. cit. in 2. Indiuisibile simpliciter additum indiuisibili non potest facere maius, seu extensum quoad molem, ergo si linea componitur ex sola additione punctorum indiuisibiliũ, non esset extensa, & totum corpus nihil esset præter puncta, quæ omnia sunt falsa. ergo &c. antecedens probatur, si .n. indiuisibile additum alteri faceret maius, deberet in indiuisibili assignari pars tacta, ratione cuius esset vnitum alteri, & pars nõ tacta, ratione cuius esset extra illud, quam vt fiat aliquid maius ex duobus vnitis, debent inter se ità vniri, vt sm̃ aliquid sui sint extra se, sed indiuisibile non habet partes, sed se toto adæquatè in eodem spatio alteri indiuisibili coexistit, & ambo se penetrant, sicut si duo Angeli essent in eodem loco, ergo ex illis non potest continuum componi, quòd magnitudinem molis importat. dixi se penetrant, non in rigoroso vocabulo, quia propriè penetratio competit quantitatibus diuisibilibus, sed quatenus omnia indiuisibilia ità se haberent, ac si propriè penetrarentur, & per consequens nullam haberent magnitudinem, & extensionem. quæ ratio Aristotelica à Toleto 6. Phys. tex. 2. validissima, & demonstratiua reputatur.

Resp. aliqui, quòd esto vnum indiuisibile additum alteri, non faciat maius, plura tñ, & plura inter se ordinata molẽ constituunt, nam si punctum B. addatur puncto A, vtiq. tangit illud sm̃ se totum, at si deinde puncto B. addatur punctum C, licèt hoc immediatè tangat B. non tamen immediatè attingit A, & in hoc sensu ponuntur extra se, & constituunt molem. Non valet, quia si natura indiuisibilium est, quòd molem constituere non possunt, quotquot ista ponuntur, semper erunt eiusdem rationis, sicuti quãtũcũq. multiplicentur spiritus, quia indiuisibiles sunt, nunquam maius extensum faciunt. Falsum est etiam, quòd punctum C, non tangeret sm̃ se totum, punctum A, nam vel punctum B. medium tangitur à C, sm̃ illud idem, in quo tangitur ab A, vel sm̃ aliud; si sm̃ aliud ergo non est amplius indiuisibile, quia diuidi poterit in id, per quod tangitur ab A, & in

& in id, per quod tangitur à C, si primum, ergo punctum C, tangit A, sm se totum, & sm omne illud, per quod tangit B, & ità simul se penetrantur.

Resp. Alij, quod indiuisibilia se tangunt sm se tota, non tñ se penetrant, sed remanent immediata vnum post aliud, sicuti se habent extremæ superficies, in quibus corpora se tangunt, & ideò extensionem facere possunt, qua solutione vtitur etiam Arriag. nu. 88. vt insufficientiam rationis ostenderet. Non placet, quia implicat vnum indiuisibile esse alteri immediatum, & extra illud positum, si .n. A, B, C, sint tria puncta sibi immediata, vel B, medium sm se totum tangeretur ab vtroq. collaterali, vel sm aliud, & aliud, at hoc est contra rationem indiuisibilis, sic .n. haberet partes, primum ostendit manifestè illa tria puncta esse simul compenetrata, & ità se habent extremæ superficies, in quibus corpora se tangunt.

Resp. Alij, quòd ratio Arist. ad summum militaret si puncta continui materialis ponantur indiuisibilia sm õnem modum scil. formaliter, & virtualiter, sed quia poni possunt formaliter indiuisibilia, & inextensa, & virtualiter diuisibilia, seu extensa in ordine ad spatium, sicuti Angeli, ità vnũ indiuisibile alteri additum aiũt, facere maius, licèt .n. se tangant sm totum, & se penetrent, non tñ sunt in eodem loco adæquatè, sed inadæquatè, quatenus quodlibet eorum, occupat locum diuisibilem, sicut si ponantur duo Angeli in vna aula, quorum alter occupat medietatem aulæ, alter verò aliam medietatem, qui se tangunt, & penetrant in medio aulæ, & non in extremis illius. & hac distinc. data, aiunt, oẽs nostras rõnes euanescere, ità Salmat.

Sed hæc solutio ab Hurt. & à Masio appellatur ridicula, & paradoxa, & quidem rationabiliter. Tum quia modus existendi in loco diuisibili, in diuisibiliter scil. totum in toto, & totum in qualibet parte loci, perfectior est modo existendi in loco diuisibiliter, & consequenter ille modus perfectiorem entitatem in re locali supponit, quàm iste, ergo non potest puncto conuenire, alioquin punctum esset perfectius corpore, quòd est falsum, punctum .n. est infimum in genere corporum. Tum quia si punctũ ratione virtualis extensionis potest spatium diuisibile occupare, poterit etiam corpus naturaliter locum occupare ampliorem, quàm exposcat sua quantitas, quamuis .n. ratione extensionis formalis, tantus locus ei competat, & non maior, poterit tñ ei cõpetere ratione extensionis virtualis, si .n. puncto tribuitur, non debet corpori denegari, & maximè cũ corpus per ipsos non constet nisi punctis, hoc autem est falsum. Tum quia si corpus non habet pro partibus, nisi puncta sola, & hæc omnia diuisibiliter sunt in loco, sic etiã cõsequenter erit corpus in loco nã totum non est alio modo in loco, quàm suæ partes ex Arist. 2. Cæli tex. 19. Tum quia sicut spiritus, estò habeant extensionem virtualem, tñ ratione indiuisibilitatis formalis, possunt esse in eodem loco, ità & de punctis asserendum erit, & consequenter non repugnabit corpori naturaliter habere omnes eius partes compenetratas in eodem loco, cum eius partes sint illa puncta, quòd falsum est, & nostræ fidei

fidei contrarium, quæ docet, penetrationem corporum non fieri, nisi supernaturaliter. ità Bell. & Mastr. in Phys. disp. 11. q. 2. art. 1. Tum quia vt benè aduertit M. Iacobus Brunus q. 19. Phys. art. 2. ex Albertino de prædicamento quātitatis disp. 3. virtualiter diuisibile correspondet diuisibili, & extenso, quod supponit, non quod faciat tale, Angelus .n. non facit locum diuisibilem, & extensum, sed exibet se præsentem illi, & si duo Angeli ponantur virtualiter extensi in ordine ad aliquod spatium, non per hoc aliquam extensionem in se constituent: sed puncta in continuo immediatè vnita, non deberent supponere, sed facere quantitatem extensam, & hoc in genere causæ formalis, ergo non sunt virtualiter diuisibilia.

Dices, eadem quantitas densa occupat palmum, rara verò occupat duos palmos, ergo etiam & punctum poterit occupare spatium seipso maius scil. diuisibile, & hoc modo ratione loci diuisibilis extra se ponerentur, & molem constituerent. ℞. Negando consequentiam, corpora .n. rarescere possunt, & condensari, quia habere possunt partes sub maiori extensione, vel minori, at punctū quia nullas habet partes, rarescere omnino impossibile est.

Resp. Alij, quòd sicut indiuisibile continuatiuum tangit partes diuisibiles sm̃ se totas sine penetratione, alias sequeretur, ꝙ partes inter se penetrarentur, ità indiuisibile tangeret aliud indiuisibile sm̃ totū absq. penetratione. ℞. 1. quòd punctum in rigore non tangit partem, quia tactus est corporum, punctum autem non est corpus in recto, sed tantùm in obliquo, scil. aliquid corporis, quatenus cōtinuatiuum inuisibiliter, & terminatiuum est corporis, atq. ideò non dat extensionem, quia nemo dat, quòd non habet, sed solùm dat continuationem, terminationem, & diuisionem ab alijs. Tum secundò, quia licèt indiuisibile sm̃ se totū tangeret partem diuisibilem, non tñ occuparet maiorem locum, sed quia sm̃ se totū cum illa penetraretur, esset in eodē loco, in quo est ipsa pars. Multas alias, & tædiosas responsiones afferunt Aduersarij ad rationem Arist. quas breuitatis causa relinquimus.

Probatur 3. conclusio. Indiuisibilia non possunt vniri, & continuari, ergo continuum nō componitur ex solis indiuisibilibus. Probatur assumptum, non .n. vniri possunt immediatè per modum actus, & potentiæ, quia cùm sint prorsus eiusdem rationis, non posset assignari ratio, cur vnū respectu alterius se haberet per modum actus, alterum verò per modum potentiæ; nec vniri possunt medio vinculo, ab ipsis distincto, quia cùm illud non possit esse nisi indiuisibile, eiusdem rationis cum illis, non esset cur illud esset medium vniens, & alia extrema indiuisibilia vnita, nō sunt igitur indiuisibilia partes cōponentes cōtinuum, sed sunt quasi ligamen, & nexus partium.

Probatur 4. ex definitione lineæ ab Arist. quam sic definit: *linea est illa, cuius partes quantitatiuæ copulantur in punctis*. Ergo linea præter pūcta indiuisibiliter importat partes quantitatiuas extensas, à punctis indiuisibilibus realiter distinctas. Tū

tan-

tandem, quia continuum via resolutionis ab eodem Arist. definitur : *est diuisibile in semper diuisibilia*, ergo componi non potest ex indiuisibilib. consequentia probatur à D. Tho. 6. Phys. lec. 1. nam vnumquodq. resoluitur in ea, ex quibus actu cõponitur, ergo si continuum componeretur ex solis indiuisibilibus, si scinderetur, resolueretur in indiuisibilia, contra definitionẽ cõtinui, & experientiã.

Confirmatur hæc veritas duob. argumentis Math. à Scoto allatis, quibus ferè omnes vtuntur, quorũ vnum pro nostro instituto sufficiat: si continuum ex solis indiuisibilibus componeretur, tunc maior, & minor circulus essent æquales, tot .n. essent puncta in minori, quot in maiori, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, formentur duo circuli, vnus maior, alter minor circa idem centrum, ducatur ab isto centro vna linea recta ad circumferentiam maioris, ducatur iterum alia linea recta, & terminetur ad punctum illi immediatum; vel istæ duæ lineæ transeuntes per circulum minorem, ipsum intersecant in vno puncto, vel in duob. non primum, quia duæ lineæ paralellæ nunquam coincidunt, nam de ratione linearum discedentium à centro ad circumferentia est, vt in progressu magis inter se distent. Tum quia sequeretur, ab eodem centro vsq. ad circumferentiam, vnam lineam esse rectam, alteram obliquam, & it à lineæ à centro ad circumferentiam adductæ non essent æquales, q est absurdum. Si secundum, circulus minor erit æqualis maiori. quia cuicumq. puncto maioris correspondet punctum in minori, & consequenter quot partes essent in maiori, tot essent in minori, tàm in magnitudine, quàm in multitudine, & ità æquales. Gerardus de Odonis cit. à Canonico Resp. quòd istę duę lineę ductæ à centro ad circumferentiam circuli maioris non accipiunt de talis circuli circumferentia, nisi quantum acciperet vna earum, quia transeundo per circulum minorem se inuicem æquitarent, ac super ponerentur. Sed falsitas huius responsionis patet ex modo dictis; est .n. contra experientiã Mathem. cùm de ratione linearum discedentium à centro ad circumferentiam sit, vt in progressu semper magis inter se distent, & quod lineæ à centro ad circumferentiã nõ essent æquales, & per idẽ & Ad Arriag. cuius solutio cũ hac Gerardi coincidit, & tunc esset vna linea, non duæ cõtra suppositũ.

Obiectiones.

Democritus, Leucippus, Zenonitæ, & Pytagorici cum Neuthericis relatis initio art. validissimis argumentis Aristotelicam sententiam expugnare conantur, & licèt eorum rationes difficiles sint, nunquam tñ à demonstrata veritate recedendum est, etiam si propter imbecillitatem, intellectus multa in oppositum solue re nequeat; Vndè Arist. lib. de lineis in sec. cùm in has ipsas diuisionis cõtinui salebras incidisset, ait: imbecillis, & ignari ingenij est, opinionem aliquam, quam euidens ratio persuadeat, propterea deserere, quòd alicui argumento non possit planè satisfacere, sunt .n. apud nos tàm falsa permixta veris, vt ea sæpè mẽs ægrè distinguat. Sic igitur primò contra fundamentum Arist. arguitur. Indiuisibile additum indiuisibili potest facere

cere

cere maius, ergo corruit fundamentum sententiæ Peripat. anteced. probatur à simili de Angelo, & anima nostra, quæ per plures, & indiuisibiles replicationes se possunt extendere ad maius spatium, quàm per pauciores; & Christus Saluator existens modo spirituali in Eucharistia pro maiori, vel minori replicatione coextenditur speciebus continuis maioribus, vel minoribus, ergo indiuisibile quantitatiuum potest etiam facere extensum, nam sicut se habent indiuisibilia spiritualia ad extensionem spiritualem, ità se habent indiuisibilia quantitatiua ad extensionem quantitatiuam.

℞. Faciliter ex Mastr. & Bell. (licèt apud aliquos hoc argumentum magnam intulerit difficultatē) quòd substantia spiritualis replet locum, non per tot replicationes sui esse, sed per vnam, & æquabilem totius sui esse diffusionem in loco adæquato, Si autem poneretur à Deo in pluribus locis adæquatis, hoc vtiq. per replicationem eiusdem Angeli in illis locis fieret, sicut etiam dicimus de corpore in pluribus locis existente; at sicut corpus quando est in loco sibi adæquato, non est ibi per replicationem sui esse, sed ratione suæ quantitatis molis, semel occupat totum illud spatium per vnam, & æquabilem totius sui esse diffusionem, sic etiam spiritus in loco sibi adæquato semel diffusus erit per vnam, & æquabilem totius sui esse diffusionē, absq. vlla replicatione, quicquid .n. conuenit corpori per quantitatem molis, & partium diuersitatem, id totum conuenit spiritui per quantitatem virtutis, & illimitationem sui esse in ordine ad locum. Ex qua doctrina benè colligitur ratio, quarè indiuisibili corporeo repugnat virtualis extensio, nō autē incorporeo, & cur res indiuisibiles spirituales sibi immediatè succedentes possint facere aliquid spirituale extensum, nō ità indiuisibile corporeum extensionem corpoream; sicut .n. corpus per quantitatem molis occupat locum diuisibilem, ità per quantitatem virtutis spiritus, & quia Angelus id habet per simplex quoddam esse, quòd corpus per diuersas partes habet, hinc vt Angelus concipiatur extensus per aliquem locum, debet concipi idem numerò esse ipsius per totum illud spatium diffusum, & tamquam natura sua illimitatum ad omnes illas præsentias, atq. ità sibi succedens, vel alteri, maiorem extensionem facere potest, hoc autem de indiuisibili materiali non militat, quia Deus dedit rebus corporeis esse in loco solùm per quantitatem molis, quæ partes includit, quæ cùm in puncto indiuisibili non reperiatur, non potest punctum in loco extendi. ità etiam ad hanc difficultatē Resp. Coninch. de Sacram. q. 75. art. 4. dub. 5. vndè in forma argumenti, negatur paritas de spiritu, & corpore; posset etiam Resp. vt supra, quòd Angelus non facit maius extensum, sed occupat spatium iam productum, at punctum deberet facere extensum, quòd est impossibile, cùm sit indiuisibile &c.

Ob. 2. Vnitas prædicamentalis licèt sit indiuisibilis, alijs tñ vnita facit numerum, quæ est quantitas extensa; sic etiam instans temporis cum parte temporis longiorem facit duratio-

rationem, quia Angelus durans per horam, & instans terminatiuum illius, plus durat, quàm Angelus qui per totam horam duraret, & instanti eius terminatiuo desineret, quia in illo instanti priori verum esset dicere, quòd est, & de posteriori, quòd non est, ergo similiter de punctis indiuisibilibus asserendum erit. R. Concedendo, quòd indiuisibile additum indiuisibili faciat plus, seu augeat numerum, non tñ maius, aut extensius, ratio est quia ad quantitatem discretam sola sufficit pluralitas entitatum, & ideò vnitas alteri addita facit maius in genere quantitatis discretæ, idest plus, non autem quantitatis cõtinuæ; sic etiam concedimus, quòd instans additum tempori, faciat maiorem durationem, non tñ maius tẽpus, scil. extensionem successiuam, ratio est, quia duratio abstrahit ab extensione, & res in instanti dici potest indiuisibiliter durare; at loquendo de duratione successiua, seu extensione in duratione, quàm tempus importat, nõ plus duraret Angelus per mille, & infinita instantia sibi immediate succedentia, quàm Angelus durans per vnum solum; & quando etiã concederetur, quòd instans additum tempori, & punctum additum lineæ faciant maiorem extensionem, adhuc esset neganda consequentia, quia tunc indiuisibile coniunctum cum diuisibili faceret maius extẽsũ, quòd tñ cum alio indiuisibili coniunctum facere non posset. Sic in Arimetica conceditur, quòd O, additum cum littera numerali facit plus, sed additum cum alio O, absq. littera numerali, nihil facit.

Ob. 3. Omne mobile motu continuo, tangit omne illud spatium, per quod continuò mouetur, quia non transit ab extremo ad extremum, nisi transeundo per medium; at si globus perfectè sphæricus moueatur super corpus perfectè planum motu continuo, tangit illud in punctis, vt infra patebit, ergo signum est planum illud extensum, per quod transit globus constare ex punctis. Equidem incredibile esse, quantum hoc globo ab Aduersarijs eiaculato, Peripatetici angantur.

Ruuius R. quòd spatium, super quod mouetur corpus sphæricum, non est planum, nec puncta eius, sed est aer, quo circũscribitur. nõ valet, nam licèt verum sit, globum moueri quoq. per aerem circumfusũ, qui non tangitur in puncto, adhuc tñ negari non potest, quin moueatur quoq. continuè per planum, illudq. in puncto tangat.

Complutenses disp. 25. Phys. q. 1. *ad primum*, Resp. quòd licèt corpus illud sphæricum continuò moueatur per aerem circumfusum motu continuo, per ipsum tñ planum non mouetur, nisi discretè, & quasi per saltus de puncto in punctum, ità vt inter vnum, & aliud punctum, globus ille tantisper eleuetur à plano, quòd explicant exemplo pilæ quæ in planum proiecta mouetur per saltus, & sicut terra discretè tangitur ab animali, quando continuò mouetur, pedes eleuando, ambulando, & quasi saltando; quòd etiam affirmant si globus trahatur per planum, & non voluetur. Non placet, vt benè aduertunt Telez hic disp. 35. sec. 2. & Bell. & Mastr. loc. cit. nam saltem quando ille globus trahitur super planum, & non

& non volutatur, sed motu continuò trahitur sup illud, nõ saltat ꝑ planũ.

Melius ergo dicendum est cũ Scoto in 2.d.2.q.9.cit.ad 3.*princ.* quòd quando sphæra mouetur super planum, licet in instanti tangat planum in puncto, tñ immediatè post in tempore, tangit in linea, ratio est, quia quodlibet corpus dum mouetur, occupat maius spatium, quàm occupet, dum quiescit, nam dum quiescit, occupat tantum spatium, quanta est propria extensio; sed dum mouetur, toto illo tempore occupat totum illud spatium, quòd suo motu percurrit, ità vt in instanti terminatiuo motus, verum sit dicere, quòd toto tempore antecedenti mobile occupauit totum illud spatium. Vndè hoc argumentum non habet specialem difficultatem in puncto, quàm in corpore, tota .n. difficultas in hoc consistit, vt Doct. aduertit lit. Y, quòd dum punctum mouetur, semper est in spatio sibi æquali, & sic pertransit totum spatium, ergo totam lineam suppositam commensurat, & consequenter tota linea erit composita ex punctis. At idem argumentum viget etiam de quolibet corpore, ꝙ dum mouetur, semper est in loco æquali, ergo cum locus sibi æqualis sit sm profunditatem indiuisibilis, q̃a est superficies ipsum immediatè circumdans, totum illud spatium, quòd præcurrit, erit ex talibus superficiebus sibi immediatè compositum succedentibus, & ità ex indiuisibilibus. Resp. communiter ex Arist. 6. Phys. 74. negando, quòd corpus, dum mouetur, sit in spatio sibi æquali, nam solùm in quolibet instanti, est in spatio sibi adæquato, quòd etiam acquirit in instanti, sed in tempore immediatè sequenti est in spatio maiori, quòd non est inconueniens, cũ successiuè illud occupet; sic etiam dicendum erit cum Scoto de globo illo sphærico moto supra planum, quòd scil. punctum in quo fit tactus, licèt in quolibet indiuisibili sit in spatio sibi æquali, non tñ semper, id est in quacumq. temporis parte, quia sic tangit lineam sm partes contactu inadæquato, seu successiuo, & quidem non videtur maior difficultas de puncto, quòd in motu sit in maiori loco seipso, quã de corpore, & hanc Resp. sequuntur Tolet. Moris. Auers. Amic. Canon. Tròb. & Alij.

Potest tandem Resp. pro faciliori capacitate studentium cum Complutensibus, quòd ille globus, tangeret partes plani ratione punctorũ, hocq. sufficere, vt continuò moueatur per prædictum planum; sicut à pari duo corpora plana æqualia se tangunt in indiuisibilibus, & ratione illorum dicuntur partes se tangere.

Ob. 4. linea est in triangulo, & punctum in linea, vt ea, ex quibus substantia ipsorum est, ex Arist. 2. post. c. 4. ergo, & trianguli, & lineæ substantia ex indiuisibilibus est. R. Arist. illis exemplis vti, ex famosa Antiquorum opinione, quæ continuum ex indiuisibilibus componebant. vel dicendum est, quòd continuum sit ex indiuisibilibus, non vt ex partibus eius, sed vt ex continuatiuis, & terminatiuis partium; hinc sicut diximus de vnione, quòd non est de essentia totius compositi Physici, licèt, sit aliquid necessariò requisitum, ità etiam esserimus de indiuisibilibus in continuo.

Ob.

Ob 5.ex 1.Topic.c.14.ità se habet punctum ad lineam, sicut vnitas ad numerum; sed numerus componitur ex vnitatibus, quæ sunt indiuisibiles, ergo & linea ex punctis,quæ sunt indiuisibilia. ℞. Philos. non comparare punctum cum vnitate quoad rationem componendi quantum, sed solùm quoad rationem principiandi, quatenus sicut vnitas est principium numeri, ita pūctum lineæ.Ratio autē disparitatis,cur linea ex punctis cōponi nequeat, sicut numerus ex vnitatibus, est, quia linea est quantitas continua extensionem faciens, quæ ex indiuisibilibus consurgere non potest, numerus verò est quantitas discreta, quæ necessariò ex vnitatibus coalescere debet, vt diximus.

Ob.6.Vel inter punctum terminās in linea, & quodlibet aliud punctum, est aliquod lineæ interiectum,vel nō; non primum, nam cum in qualibet parte lineæ sint infinita pūcta, tunc inter punctum terminans, & quodlibet aliud, interiacerent infinita puncta, quòd implicat;si secundum,ergo puncta sunt ibi immediata. ℞. Quod *ly quodlibet aliud*, accipi potest vel confusè, vel determinatè; si primo modo accipiatur petitio est impertiens, vt Scotist. cōiter aiunt, cùm .n. punctum continuans confusè sumptum nullibi sit, quia vt sic nullam habet positionem determinatam,non potest dici inter hoc, & illud esse aliquid interiectum, vel non esse; si verò supponat secundo modo, linea interiacet, & per consequens erunt infinita puncta, neque hoc est inconueniens, sicuti etiam neq. inconueniens est, quòd continuum sit in infinitum diuisibile. Item vel *ly quodlibet aliud*, sumitur collectiuè, vel distributiuè, si sumatur primo modo, committitur fallacia, nam illa multitudo punctorum est confusa, & indeterminata, & ideò non potest colligi; si secundo modo sumatur, scil. distributiuè interiacet linea, & tunc consequentia est falsa.

Ob.7.Ex 1.de gen.tex 8.& 9.punctum dicitur esse vbiq. in linea, quia vbiq. potest diuidi, ergo cum diuisio fiat in punctis, linea constat immediatè ex punctis, & indiuisibilibus. ℞. Negando, quòd punctum sit vbiq. in linea vniuersaliter, & quod potest vbiq. diuidi, nam facta diuisione lineæ in certo puncto, non potest immediatè fieri alia diuisio;vnde assumptum verum est solùm in hoc sensu, quòd non potest assignari punctum in linea, in quo non possit fieri diuisio, & quod vbi fieri potest diuisio,ibi sūt puncta, & sic intelligendus est Arist. loc.cit.& colligitur ex Doct. in 2. d. 2.q.9.M.

Ob.8.Ex Ouiedo cōtrou.17.pūct. 6.euertendo illud principium *quando duo adæquatè se tangunt secundū totum se penetrantur*. Aliud est, (ait) esse immediatum alteri, & aliud penetrari cum illo, ergo falsa propositio. Probat antecedens dupliciter, 1.duo tangi nihil aliud est, quàm esse immediata, ità vt inter vtrumq. nullum intercedat spatium distinctum à spatijs occupatis ab illis,ergo duo pūcta tangi possunt, absq. eo, quòd penetrentur. 2.posita linea quatuor pūctorum, primum punctum magis distat à quarto, quàm à tertio, cùm inter primum,& quartum intercedant spatia occupata ab intermedijs,ergo &c.℞. Ad primam probationem,antece-

tecedens esse falsum, si illa immediatio vlterius cum altero sumatur quoad totum, quæ .n. sic tanguntur, important occupationem eiusdem spatij, & penetrantur, & ideò etiam falsa consequentia. Ad aliam, assumit etiam falsum, si .n. duo puncta extrema penetrantur cum medio tertio, similiter quartum punctum, & quintum, & sic de alijs, cum .n. sint indiuisibilia, partes non habent, & ideò sunt in eodem spatio, quòd totum, & compenetrata, vt patet de duobus, tribus, quatuor, & mille Angelis in eodem loco existentibus.

Ob. 9. Si linea in duas partes secaretur, tunc punctum copulatiuum non diuideretur ad diuisionē partiū, alioquin erit sm se diuisibile. Nec remaneret in vna parte tantùm, quia tunc alia pars, vel remaneret indefinita, & interminata, vel si maneret finita in alio puncto, sequitur, quòd inter punctum, & punctum nihil intercedebat, quòd est contra nostram doctrinam. R. Quòd punctum per diuisionem continui destruitur, & in qualibet parte sic diuisa resultabit per eductionem suum punctum indiuisibile terminatiuū; vel si remanet punctum, remanet in vna parte tantùm tamquam indiuisibile terminatiuum, & alia pars remanet finita per aliud punctum non præexistens, sed de nouo resultans, quòd in continuo ante diuisionem solum in potentia erat. ità Coninch. 6. Phys. q. 1. cum Scotistis, & ex Thomistis Mag. Lerma lib. 6. q. 2. nu. 17. & M. Iacob. Brunus q. 19. art. 2. qui ad maiorem euidentiam addit, quòd sicut in medio corporis non est color, quia color est in superficie, sed cum diuiditur corpus ad generationem nouarum superficierum sequitur etiam generatio colorum; sic in linea, cùm fit diuisio partium in vno puncto, fit ex consequenti, & quasi per accidens generatio punctorum.

Ob. 10. Deus distinctè, & simul cognoscit ōnes diuisiones continui possibiles, ergo cognoscit illud ex indiuisibilibus componi, patet consequentia, nam eo ipso, quòd cognoscit omnes diuisiones possibiles, nouit etiam partes illas nō esse amplius diuisibiles, alioquin non intelligeret omnes diuisiones, & diuisio fit in punctis. R. Ex Tromb. quest. de præscientia Dei ad 3. *princip.* cognosci simul distinctè stat dupliciter scil. vel simultate, & distinctione ex parte actus comprehendentis, vel ex parte obiecti, seu partium diuisarum, quæ duo non sunt idem, video ego distinctè partes superficiei, quas tā non video esse distinctas, Deus cognoscit distinctè simul, & actu omnes diuisiones, & partes continui, at non cognoscit illas esse actu diuisas, quia intelligeret eas modo repugnāti. Sic etiam Resp. Tolet. 6. Phys. c. 2. ad 3. & multi ex Recentioribus. Vel clarius dici potest, quòd Deus distinctissimè omnia cognoscit, sed sicut sunt, & continuum sic natura sua est, quòd contineat partes & diuisiones infinitas synchathegorematicè, semper .n. est diuisibile in infinitum quamdiu durat, ergo sic etiam distinctè, & in actu cognoscitur. Sic etiam distinctè Deus cognoscit infinitas creaturas possibiles, quas potest creare, sed sicut petunt creari, non simul in actu, quia daretur infinitum chathegorematicum in numero, &

Deus

Deus nõ posset aliã creaturã creare, cùm de ratione infiniti sit, vt non possit fieri additio, quòd est falsum, potentia .n. Dei exhauriri non potest, ergo ex parte obiecti cognoscit infinitas creaturas possibiles tantum in potentia, quatenus quacumq. creata, semper potest aliam, & aliã creare; sic in casu, quacumq. parte continui ablata, semper remanet alia pars diuidenda in infinitum synchathegorematicè; & tunc destrueretur eius diuisibilitas, quando destrueretur ipsum continuum, per quam doctrinam benè satisfit Arriagæ loc. cit. sec. 6.

Ob. Tandem, Tempus non est, nisi series instantium immediatè se consequentium, ergo componitur ex indiuisibilibus, probatur antecedens, nam nihil est in tempore, quòd aliquando non sit præsens, sed de tempore nihil est præsens, nisi nunc, ergo tempus non est, nisi continua series istarum. Tum quia Deus spatio vnius horę creare potest semper Angelos successiuè, vnũ immediatè post aliũ, cùm expectare non cogatur per aliquam temporis moram, in quo casu erunt instantia sibi immediata, sicut Angeli, qui singuli postulant in instanti creari. R. Cum Doct. in 2. d. 2. q. 9. M. negando assumptum, ad probationem, verum est nihil vtique existere de tempore, nisi nunc indiuisibiliter, at non est verum de existentia successiua, nam hoc modo partes temporis existunt, & copulantur termino communi, nec aliam continuationem habent, quàm existentiã successionis immediatæ, vnde post instans immediatè non sequitur instans, sed tempus. Ad aliam probat. absolutè dicimus, quòd non potest Deus ità immediatè vnum Angelum creare post alium in instanti creatum, ratio est, quia post instãs sequitur tempus, ergo necessariò expectare deberet aliqua mora diuisibili, vt alium Angelum crearet, neq. hoc absurdum est, quia talis necessitas oriretur ex suppositione, vt benè aduertũt Moris. Mastr. & Bell. supposito .n. quòd Deus velit successiuè illos Angelos creare, consequenter etiam tenetur expectare, nam de ratione creationum sibi succedentium est, vt vna sequatur aliam, & distet ab alia, ac non distarent, si solo indiuisibili seiungerentur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Continuo dentur in actu vera, & positiua Indiuisibilia.

SCot. in 2. d. 2. q. 9. Resp. affirmatiuè, quem omnes Scotistæ sequũtur, sic etiam D. Thom. cum suis, & est expressa Arist. sententia pluribus in locis, sed præsertim 5. Meth. cap. 13. vbi tres quantitatis species enumerat scil. lineam, superficiem, & corpus, & 4. Physic. vbi definiendo locũ, ait: esse vltimam continentis superficiem. Est etiam communis Mathematicorum sententia, supponentium dari indiuisibilia à parte rei, & non sm nostram imaginationem, alioquin Mathematica inter scientias reales numeranda non esset. Itẽ, & August. tom. 1. in lib. de quantitate animæ c. 11. & 12. loquens de punctis, ait: *ab ipso incipit linea, ipso terminatur, & vndecumq. linea secari potest, per ipsum secatur, nulla linea lineæ, nisi per ipsum copulatur*. Hæc August. & nescio an clarius loqui poterat in admit-

admittendis indiuisibilibus tàm continuatiuis, quàm terminatiuis, & indiuisibilia immediata excludendo, dum dicit, quòd per ipsum punctum lineæ copulantur. affert etiam Ricardius Lynceus lib. 3. Phys.tract.4. c.3. plures Ecclesiæ Patres, qui manifestè hanc veritatem profitentur, quos in proprio fonte viri curiosi videre poterunt.

Conclusio.

Dicimus igitur, dari actu indiuisibilia, tàm terminatiua, quàm continuatiua in continuo, à partibus realiter distincta. Est Scoti loc.cit.lit.L. & communior, contra Ocham, Ariminensem, Gabrielem, Perieram, Auersam, & Alios, asserentes indiuisibilia positiua, & realia in continuo non dari, sed solùm imaginaria, vel priuatiua; & quòd dentur in cōtinuo indiuisibilia realia, & à parte rei, ità probatur à Doct. loc. cit. Acquisitio cuiuslibet indiuisibiliter acquisibilis, siue substantia sit, siue accidens nō sit in tempore, sed in instāti, vt generatio animatorum, illuminatio &c. ergo instans temporis non est aliquod imaginarium, vel priuatiuum ens, sed positiuum, probatur consequentia, quia mensura debet esse proportionata mensurato, at priuatiuum non est proportionatum positiuo, ergo priuatiuum non potest esse mensura positiui.

Resp. Greg. in 2. d.2.q.2.art.1. quòd tales generationes dicūtur fieri in instanti, non quòd reuera detur instans in tempore, sed quatenus negatio illa temporis concipitur ad modū entis positiui ab intellectu. Non placet, nam istæ generationes sunt veræ mutationes reales à parte rei, ergo propriam habere debent durationem intrinsecam, duratio .n. non potest ab existentia separari, at talis duratio intrinseca est instantanea, non successiua, ergo aliquod instantaneū positiuum coexistens erit in tempore. Tum quia verè, & realiter res incipit esse, non per intellectum, ergo non potest in non tempore incipere.

Probatur.2.alia Scoti ratione, qua probatur dari indiuisibilia terminatiua. Plura sunt, quæ corpori insunt ratione superficiei tantùm, vt sunt colores, & præsertim lumen in corpore opaco, in hoc .n. differunt corpus opacum, & Diaphanum, quòd opacum solùm in superficie recipit lumen, at Diaphanum in profunditate, ergo admitti debent saltem indiuisibilia terminatiua in continuo, realiter distincta ab ipso continuo.

℞. Greg. quòd lumen recipitur in corpore lato, & profundo, non tñ quatenus profundum est, sed quatenus latum reduplicatiuè, inde negat consequentiam, quòd hæc latitudo indiuisibilis sit sm̄ profunditatem. Sed bona pace, hæc responsio seipsam destruit, si subiectum luminis, est subiectum ipsius quatenus latum, non vt profundum, ergo datur aliqua entitas, quæ indiuisibilis erit sm̄ profunditatem, & ità latum, & profundū non sunt idem. Confirmatur, datur in subiecto aliqua entitas luminosa, & aliqua non luminosa, scil. latitudo, & profunditas corporis opaci, quæ vel sunt entitates realiter distinctæ, & habetur intentum, vel non, ergo idem esset, & non esset luminosum, & ità contradictio.

Dices, hæc contradictio non est respectu eiusdem, sed diuersorum,

Contra est, nam vel ista duo diuersa dicunt entitates diuersas Physicas, & sic distinguntur realiter, vel Methaphysicas, & tunc dicerent diuersas formalitates, sed corpus est subiectū accidentis materialis sm̄ Physicam entitatem, non Methaphysicam, ergo respectu eiusdem esset luminosum, & non luminosum.

Auersa, cui etiā fauent Hurt. loc. cit. & Amic. tract. 15. q. 10. art. 6. estò sint nobiscum in conclusione, Resp. quòd lumen non recipitur solummodò in superficie, sed etiam in parte aliqua determinata, vel indeterminata, & profunda, & differentia Diaphani, & opaci est, quòd illud totū illuminatur, hoc verò sm̄ modicam sui partem, & probant experientia, nam vna subtilis pagina transmittit lumen, non tñ totus liber. At contra, hæc pars determinata, seu indeterminata, quæ subiectum est luminis est eiusdem prorsus rationis cum al js partibus, est .n. totum homogeneum, ergo si vna pars est luminis capax, similiter & altera, alioquin essignare deberent disparitatis rationem. Nec exemplum eis suffragatur, nam hoc euenit, non quia lumen in profunditate opaci reperiatur, sed quia propter subtilitatem, aliqui interponuntur pori, per quos lumen transit, vt etiam Amicus fatetur, pori autem non sunt profunditas corporis, sed cauitates quædam cum suis superficiebus aere plenæ in profunditate.

Conimbr. & Suar. negant in continuo puncta, seu indiuisibilia terminatiua. Fonseca verò 5. Meth. admittit puncta terminatiua, & negat continuatiua. Probatur quod dentur pūcta terminatiua: Quantitas continua debet esse finita, & terminata positiuè, cùm sit finitæ extentionis, sed nō potest terminari aliquo diuisibili, ergo aliquo indiuisibili, probatur minor, quia si in illo diuisibili sumatur medietas illa vltima, iam illa terminari debet, & quæritur, an in aliquo diuisibili, vel indiuisibili, & ità processus in infinitum, vsq. perueniatur ad aliquod indiuisibile.

Probatur etiam dari indiuisibilia continuatiua, ex definitione continui ex 5. Phys. tex. 26. scil. *continuum est, cuius partes ad aliquem communem terminum copulantur*; contigua verò, *quorum partes non copulantur communi termino*, idest indiuisibili, sed sunt simul, & iuxta posi a, quæ definitiones veræ sunt, & non solū sm̄ famosam opinionem, nam ad hoc, vt aliquid continuum dicatur, debet habere partes copulatas, & vnitas vnione continuationis, est .n. vnum per se tali vnione, contigua verò sūt vnum aggregatum per accid. Quod autem terminus ille communis sit indiuisibilis, probatur, quia aliter haberet alium terminum suarum partium copulatiuarum, & tunc peterē de isto termino, an sit indiuisibilis, & ità processus in infinitum. Ex his etiā sequitur, quòd indiuisibile sit ens positiuum, quòd inde patet, quia punctum V. g. est terminus cōis, in quo vniuntur, & copulantur partes inter se, sed hoc quod est vnire, & copulare partes est effectus formalis positiuus, ergo punctum est aliquid positiuum contra Albertinum; & si dicatur ab Euclide *punctum est, cuius nulla est pars*, hoc dicitur, quia simplicia per negationem explicare cōsueuerunt, & Theologi declarant Æterni-

ternitatem per interminabilitatem, vt S. Tho. docet in 1. p. q. 10. art. 1. ad 1.

Tandem probari potest ratione illa Mathematica, quam tangit Scot. loc. cit. in 2. lit. T. scil. si corpus perfectè sphæricū tangeret perfectè planum, non nisi in puncto illud tangeret, ergo dantur puncta indiuisibilia, assumptum est Arist. 1. de an. 13. & ad huc ità probatur: si globus ille tangeret in aliquo diuisibili, sequeretur, quòd in corpore sphærico esset aliquod planum, at hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quando corpora diuisibiliter se tangunt, adæquantur in eo, sm̃ quod fit contactus, sed planum adæquari nequit nisi plano, ergo &c. Tum quia sequeretur totum illud sphæricum esse aliquod planum, & tota illa circuli circumferentia esset vna linea recta, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quia illa pars circuli sm̃ quam primò fit contactus in plano esset recta, sicut rectum est planum, & quando medium sphæræ tangeret aliam partem medij plani, erit etiam rectum, & quando eius extremum tangeret extremum plani, erit etiam rectum, & sic totus ille globus erit rectus, quia totus coaptaretur plano, qui est rectus, atq. adeò tota circumferentia circuli erit ex rectis lineis præcisè composita, & totum corpus sphæricū ex corporibus planis, quæ omnia sunt falsa. Tum tandem, quia si sphæricum in parte diuisibili tangeret, non esset perfectè sphæricum, quia illud sic dicitur, qã ab eius centro omnes lineæ rectæ ad circumferentiam ductę sunt æquales, at si non esset perfectè sphericum, & ducerentur lineæ à centro circuli ad circumferentiam, non essent æquales, vt patet, ergo. Similia argumenta hic fieri solent de columna perfectè rotunda, quæ Cylindrus appellatur, quæ cadens supra planum tangeret in linea, & de cubo, seu perfectè quadrato, quod si per angulum tangeret perfectè planum, tangeret in linea, & de duobus planis, & solidis, quæ tantùm in superficie se tangerent.

Et quidem incredibile est, quot responsiones huic argumēto Aduersarij afferunt, quarum multas tetigit Ocham quol. 11. q. 9. nam aliqui negāt, dari posse corpus perfectè sphericum mathematicè, sed solùm Physicè, & sm̃ apparentiam. Sed hæc est manifesta fuga, saltem in ordine ad potentiam Dei absolutam, vt benè ostendit Scot. & Cælum est perfectè sphæricum. Alij admittunt globum perfectè sphæricum, sed aliter, & diuersimodè respondent. Vehementer equidem miror tot viros magni nominis in his punctis, & latebris operam perdere, & integros folios lana caprina digladiando implere. quid inde? laterem lauant, & post innumeros fracti labores, nihil aliud retinent, nisi paruulam intellectus ostentationem.

Obiectiones.

Obijciunt Nominales, constanter contra indiuisibilia, siue continuatiua sint, siue terminatiua. & 1. ex D. Aug. lib. de quātitate animæ cap. 10. vbi ostendere volens, animam esse incorpoream, ex eo probat, quòd ista indiuisibilia intelligit, quæ ait esse incorporea: sic dicens: *nam sola longi-*

longitudo, non nisi intelligi omnino potest, in corpore inueniri non potest. 2. ex Arist. pluribus in locis, præsertim 8. Meth. 18. mentionem punctorum faciens, ait: *vt potè puncta si sint quidem.* Ex quo colligitur de indiuisibilibus loqui potius ex suppositione, si dentur, & 3. Meth. 17. affirmat, superficies, lineas, & puncta esse in corpore sicut Mercurius in rudi lapide, & lib. de motu animalium c. 2. docet polos, quæ puncta dicuntur, nullam habere subsistentiam, ergo &c.

℞ D. August. non negare talia indiuisibilia, nam ibidem discipulo loquens, ait manifestè posse intellectũ illa concipere, quia corpus illis non deest. & cap. 11. & 12. docet lineam per punctum diuidi, & puncto alteri lineæ copulari; Quare S. Doctor solum negat puncta, & lineas in corpore reperiri, vt à sensib. cognoscibilia, qui tantùm corporea percipiunt, vndè si anima corporea esset, nullo pacto posset indiuisibilia hæc apprehendere. Ad primam auct. Arist. dicimus, variè ab eius interpretibus adduci, quamuis .n. vulgata lectio sic habeat, tñ versio Argiropoli, quam sequitur Scot. in Meth. absolutè loquitur, dicens: *Quoniam verò quædam sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt, vt puncta.* ex quo colligitur, mentem Arist. esse, quòd puncta sint talia, quòd sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt; & admissa etiam cõi lectione, nil aliud sequitur, nisi quòd Arist. loquatur conditionaliter, non tñ ex hoc deduci ipsum dubium fuisse de punctorum existentia, nam vbi ex instituto de illis aliquid quærit, vel disputat, semper resolutè loquitur, vt præsertim patet ex 3. Meth. 17. vbi ex professo quærit, an sint substantia, vel accidens. Ad 2. auct. Resp. non loqui tunc de continuatiuis actu, sed de his quatenus terminare possunt, quæ vt sic potentia sũt, & reducuntur ad actum per diuisionem. Ad 3. Arist. non negat polos esse puncta quædam, cùm potius ipsos existentes supponat, sed negat esse substantias habentes virtutem motricem, alioquin idem motus duos haberet motores, & hæc est Arist. ratio.

Obijcit Greg. efficacissimis rationibus. Aut præter singula, & omnia puncta collectiuè sumpta, in linea est, & mediat aliquid, aut nihil; si secundum, ergo continuum ex indiuisibilibus constaret, quòd negatis, si primum, tale erit diuisibile, & extensum absq. punctis, alioquin præter singula, & omnia puncta, daretur punctum, quòd est falsum, ergo si datur pars lineæ sine punctis, tota erit sine punctis, quia non est maior ratio de vna parte, quã de alia. ℞. Quòd præter singula, & omnia puncta loco assistit; sunt etiam puncta cum ipsis partibus diuisibilibus permixta, atq. ideò inter punctum, & punctum mediat linea diuisibilis, constans tamen punctis indiuisibilibus, vnde concedimus, quòd præter omnia puncta, sunt partes in continuo, sed sunt partes extensæ, & continuæ includentes omnia illa puncta, à quibus, vt continuæ essentialiter depẽdent, & ideò nullum est argumentum, quia supponit dari continuum, & extensum absq. punctis, quod est falsum. Hæc est igitur conditio huius admirabilis

compo-

compositionis continui, vt ad eam necessariò concurrant tàm partes, quàm indiuisibilia, non quòd indiuisibilia sint partes continui, sed quia cum partibus componunt continuũ; duo .n. in continuo reperiuntur, extensio scil. & continuatio, extensio est potissimum à partibus, continuatio verò ab indiuisibilibus; & partes in continuo ità dispositæ sunt, vt nunquam signari possit prima, & vltima eius pars, quia aliqua signata sicuti prima, adhuc extat aliqua prior illa; & aliqua signata velut vltima, adhuc erit alia posterior ea, cùm quælibet signata sit adhuc diuisibilis in alias, & alias: Indiuisibilia verò sunt ità per totum continuum disposita, vt inter singulas partes medient, copulando eas adinuicem, ità vt nunquam reperiri possit indiuisibile ità alteri immediatum, vt non sit inter ea aliqua pars medians, & hac ratione inter quælibet duo puncta in linea quantumuis propinqua, mediant plura alia, & alia puncta, quia mediat pars diuisibilis adhuc in infinitas partes, quarũ quælibet cum alio puncto copulatur. Ex quo etiam sequitur non esse possibile dari in continuo vnam diuisionem immediatam alteri, quia cum diuisio cadat supra punctum, si duæ diuisiones possent sibi immediatè succedere, iã duo puncta sibi immediata forent; quare inter vnam, & alteram diuisionem possunt aliæ, & aliæ in infinitũ mediare, sicut inter quælibet duo puncta mediant alia, & alia puncta in infinitum, iuxta numerum partium inter ipsa puncta interiacentium.

Ob. 2. Greg. Partes, & indiuisibilia distinguuntur realiter, ergo saltem de potentia Dei separari possunt. destruat igitur Deus aut omnia puncta, aut omnes partes lineæ, remanentibus punctis in eodem situ, vbi prius erant; vel inter illa puncta aliquod mediat spatium, vel nullum; si secundum, ergo puncta erunt immediata; si primum, ergo partes illæ spatium occupantes non habebant puncta, aliter non fuissent destructa omnia puncta, ergo continuum ex solis partibus continuis constat, absque punctis. ℞. Negando consequentiam, quam Gregor. non probat, sed vt veram supponit, non .n. omnia illa, quæ realiter distinguuntur, possunt per Dei potentiam separari, vt constat de distinctione partiũ à toto essentiali: non potest igitur Deus omnia puncta à partibus separare, existente continuo, quòd à punctis, vt continuatiuis, & terminatiuis essentialiter pendet.

Dices cum Amico, quamuis partes quoad existentiam pendeant à pũctis propter continuationem, non tũ è contra, puncta à partibus lineæ dependent quoad existere, ergo possūt saltē à Deo à linea separari. ℞. Quòd licèt puncta distributiuè à partibus lineæ in existendo non dependeant, quia potest quodlibet in particulari separari per diuisionem, collectiuè tũ dependent à partibus lineæ, cùm .n. linea sit non solùm extensa, verũ etiam continua, quando destruitur; etiam, & continuum destruitur, & consequenter aliquid includens puncta.

Ob. Cum hæc indiuisibilia sint accidentia, debent subiecto inhærere, vel igitur subiectum puncti V. g. est aliquod diuisibile, vel indiuisibile; si pri-

si primum, vt affirmant Conimbr. cap. 2. q. 1. art. 3. ad 6. Masius 6. Phys. sec. 1. q. 1. & alij, quòd scil. sit in subiecto partis terminatæ, quòd non est adæquatum, sed inadæquatum, nõ valet, quia tunc punctum esset extẽsum saltem virtualiter, sicuti est anima rationalis, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, nam omnis informatio fit per penetrationem formæ cum subiecto, ergo si punctum esset in subiecto diuisibili, esset cum illo penetratum, & consequenter vel formaliter extensum, vel saltem virtualiter, seu naturaliter replicatum, quæ omnia falsa sunt. Neq. distinctio Aduersariorum de forma completa, & incompleta eis suffragatur; si .n. forma completa, quæ est perfectius ens non potest informare, nisi subiectum adæquatum, non verò inadæquatum, & excedens, multò minus hoc poterit forma incompleta, quale est punctum, cùm posse informare maius subiectum absq. sui extensione formali maiorem dicat perfectionẽ, ex dictis. Neq. secundum admitti potest scil. quod tale subiectum sit indiuisibile, nam hoc necessariò deberet esse substantiale, quòd est falsum, quia tunc punctum non vniret partes lineæ, sed potius indiuisibile substantiæ cum partibus lineæ, nam vnio est essentialis ratio vniendi illud, cui inhæret.

℞. Quod indiuisibilia subiectantur in indiuisibilibus substantialibus; ratio est, quia substantia, seclusa quantitate, suas habet partes entitatiuas, atq. ità erit etiam ex partibus extensis, & integrantibus composita, ac proprijs indiuisibilibus cõtinuatiuis; & ad impugnationẽ negatur sequela, ad probationem dicimus, vnionem esse duplicem, alteram informationis, quæ sm̃ nos est relatio ex dictis, & hæc denominat subiectum vnitum, in quo subiectatur, quia quæ per talem vnionem vnita dicuntur, vniuntur immediatè inter se; alteram continuationis, & per modum nexus, & hæc non denominat subiectum, in quo recipitur, vnitum: sed potius partes, quas afficit, & quibus adhæret, non inhæret, nam partes per talem vnionem non dicuntur immediatè vnitæ, sed in aliquo tertio ad modum glutinis partes tabulæ vnientis, & in hoc sensu indiuisibilia dicuntur vniones partium lineæ.

Sed adhuc de istis indiuisibilibus substantialibus vrgeri potest, nam in diuisione cõtinui, nõ solùm quantitas, sed etiam substantia diuiditur, vnde non tantùm deperditur indiuisibile quantitatiuum continuans, & duo quantitatis terminatiua generantur, sed etiam hoc idem de indiuisibilibus substantiæ asserendum erit; & licèt non sit magna difficultas de indiuisibilibus formæ, quæ vtiq. ex indiuisibilibus materiæ, educi possent; difficultas tñ est de indiuisibilibus materiæ, nam hæc non habent subiectum, ergo crearentur, & annihilarentur, & consequenter non posset agens naturale aliquod corpus diuidere, cùm creare, vel annihilare nequeat.

℞. Quòd illa indiuisibilia materiæ non habent subiectum inhæsionis, aut informationis, sed quasi adhæsionis modo iam explicato; nec propriè creari, aut annihilari dicerentur, nã creatio excludit omnem concursum causæ secundæ in ratione materiæ, at in casu

in casu materia concurrit ad productionem horum indiuisibilium, illa aliquo modo recipiendo, & sustentando; & si non vt formã in subiecto, saltem vt terminum in suo terminabili, ista.n. indiuisibilia verè sunt materia, ab ea resultant, & ipsam terminant, propter quam dependentiã à materia, cui vniri poterunt, & fieri in ipsa naturaliter, nequeunt propriè dici creari; sicut de subsistentia dicitur, quæ à natura substantiali dimanat, vt terminus, non tñ creatur.

Dices, saltem ex hoc sequitur, ꝙ aliquod materiæ esset verè generabile, & corruptibile, quòd est contra axioma commune Phylosophorum. ℞. Hoc non esse absurdum, quia non est materia quæ generatur, sed aliquid eius, nec propriè est rigorosa generatio, cum hæc indiuisibilia non educãtur de potẽtia subiecti, ꝙ informẽt, sed ꝙ terminant vel cõtinuãt, vt benè Bell. & Mastr. aduertunt.

Ioannes de S. Thoma. q. 10. Phys. art. 2. & Manca 6. Phys. q. 1. dub. 4. his indiuisibilibus substantialibus se opponunt. quorũ fundamentum est, quia his admissis, haberet tunc substantia materialis sufficiens principium impenetrationis, quòd neq. nos concedimus, cũ hoc sit munus solius quantitatis. Probant sequelam, quia munus indiuisibilium in quantitate non dum est terminare partes, sed etiam illas ità vnire, & copulare adinuicẽ, vt continuæ inter se dicantur, & non compenetratæ, si.n. per suas extremitates non vnirentur, sed se totis, se vtiq. penetrarent, & vna pars intraret diuisibilitatem alterius, ergo si substantia habet ex se hæc indiuisibilia, habebit etiam sufficiens fundamentum impenetrabilitatis. Responsio patet ex dictis in proprio Art. vbi determinauimus de essentia quantitatis; falsa est .n. sequela, & ad probationem dicimus, munus indiuisibilium in quantitate solùm esse, partes terminare, & continuare, non autem eas extendere, & vnam extra aliam ponere, imò potius hoc eis repugnat, vt eruditè Relati Scotistæ ostendunt, quia indiuisibile additum indiuisibili, vel diuisibili, non facit maius; quare partes quantitatis seipsis extenduntur, & extraneantur ab inuicem; & indiuisibilia solùm inseruiunt ad earum continuationem; & in hoc differunt partes substantiæ materialis, & quantitatis, quòd estò sint omnes extra se inuicem, attamen extreitas partium substantialium non facit repugnantiam ad impenetrationem. quia huiusmodi partes non sunt incompossibiles in eodem loco, vt sunt partes quantitatis, quæ sola impenetrabilitatis est radix.

Ob. Quando frangitur hostia consecrata, & diuiditur in duas partes, tunc in ipsis resultant noua puncta terminatiua per nos; Sed contra sic vrgetur: in his nouis punctis, vel erit Corpus Christi, vel non; Si primum, ergo Corpꝰ Christi, de nouo fit pñs in aliquo reali absq. noua consecratione, quòd est absurdum; si secundum, ergo in Hostia consecrata erit assignabilis aliquod reale, in quo non esset Christi Corpus, & ità fideles aliquid ibi adorarẽt adoratione latriæ, quòd non esset Christus, quod falsissimum censetur. ℞. Cum M. Iacob. Bruno, quòd tunc in Hostia resultant noua puncta, non quoad entitatem, sed quoad officia, nam illa, quæ erant conti-

continuatiua, fiunt terminatiua, & consequenter Corpus Christi non incipit esse de nouo in aliquo, sed perseuerat esse in eo, in quo erat. ℞. 2. cum Aliquibus admittendo Christum Dominum de nouo fieri sub illis indiuisibilibus, & absq. noua consecratione, & nullum sequi absurdũ. ratio est, quia Christus ex decreto consecrationis, debet omnia munera substantiæ panis exercere, si adesset, igitur sub illis nouis indiuisibilibus eadem substantia panis cum suis indiuisibilibus reperiretur, & non alia substantia simpliciter de nouo adueniret, sic etiam & Christus erit sub illis speciebus absq. noua consecratione, quam responsionem sequitur etiã M. Brunus cit. falsum est etiã id, quòd aliqui dicunt, scil. perfectè sphæricũ, & perfectè planũ nõ posse se realiter tangere, nã si magnus globus caderet super planum, iam illud traheret, vel confringeret, ergo &c.

Ob. Punctum si datur est ens materiale, ergo est diuisibile, non indiuisibile. ℞. Negando conseq. nam ens materiale propriè dicitur illud, vel quod constat partibus materialibus, vel quod copulat partes materiales inter se, primum materiale est diuisibile, & continuum, vt Quod secundum est materiale, indiuisibile, & continuum vt Quo, quia est ratio faciendi continuum.

Ob. Continuum est totum homogeneum, ergo omnes eius partes esse debent eiusdem rõnis, ergo vel õnes esse debent diuisibiles, vel õnes indiuisibiles, ergo constare non debent ex partibus diuisibilibus, & punctis indiuisibilibus. ℞. Continuum esse totum homogeneum ratione partium, quæ omnes sunt eiusdem rationis scil. diuisibiles, at indiuisibilia ponuntur in continuo, non vt partes, sed tãquã ligamina partiũ apud nos.

Ob. Quantitas, & qualibet natura corporea seipsa est finita, & terminata, quia ex se non est infinita, ergo non indiget aliquo indiuisibili terminante. ℞. Cum D. Thom. in 1. d. 37. q. 3. art. 1. distinguendo antecedens, est terminata seipsa terminis essentialibus, & definientibus nempè genere, & differentia, concedimus; terminis quantitatiuis, ratione quorum vnum ens materiale est continuum, negamus. Remanet igitur, quòd licèt punctum non sit de essentia lineæ, est tñ de conceptu essentiali illius, sicut vnum relatiuum est de conceptu essentiali alterius, quatenus ponitur in definitione eius, sic .n. linea definitur: *est cuius partes quantitatiuæ copulantur punctis in indiuisibilibus*, & fauet D. Thom. opusc. 36. c. 2.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum in Continuo sint partes, actu realiter distinctæ, vbi etiam de numero earũ.

SCot. dubium hoc quo ad primam partem resoluit in 2. d. 1. q. 3. & d. 2. q. 9. vbi ponit partes, & indiuisibilia actu in continuo. Item in 4. d. 12. q. 4. §. *De quarta transmutatione &c.* supponimus pro decisione, quòd partes continui aliæ sunt proportionales, aliæ æquales, seu cum Alijs, aliæ sunt eiusdem proportionis, aliæ eiusdem quantitatis; proportionales sunt, quæ inter se sic se habent, quòd licèt sint æquales, semper tñ inter se retinent aliquam proportionem duplam, vel subduplam, & sic deinceps, vt si diuidatur vna linea in duas medieta-

dietates, & iterum vna medietas in alias medietates, tunc proceditur per partes eiusdem proportionis: Partes æquales sunt, quarum vna non excedit aliam, & ideò dicuntur eiusdem quantitatis, & dici soleat aliquotæ, quia aliquoties sumptæ reddunt ipsum totum, & de his Arist. tertio Phys. 59. ait, continuum per ablationem talium partiũ tandẽ consumi, & hæ sunt duplices, quædam determinatæ; quædã indeterminatæ; pars æqualis determinata dicitur illa, quæ est vnius certæ, ac determinatæ mensuræ, & tales sunt V.g. duo semipalmi in palmo, octo palmi in vlna &c. pars æqualis indeterminata dicitur, quæ non est vnius certæ, ac determinatæ mensuræ, sed indeterminatè talis pro varia partium diuisione. Item partes æquales determinatæ adhùc duplices sunt, aliæ communicantes, aliæ non cõmunicantes; primæ sunt, quarum vna aliquid accipit alterius, & ideo communicantes dicuntur; secundæ verò, quarum vna nihil accipit de alia, & dicuntur non communicantes, sic V.g. in quantitate bipalmari assignantur duo palmi non cõmunicantes, scil. vnus, & alter palmus extra se inuicem, sed assignari potest palmus medius constans ex dimidio primi, & secundi palmi, & dicuntur tres communicantes. Quoad primã articuli partem duplex est opinio, Quidam .n. volunt, continuum esse entitatem quamdam simplicem extensam sine vlla partiũ actuali cõpositione, & distinctione, præsertim proportionalium, ità quamplures, dicentes dari tantùm, & distingui in potentia, quatenus huiusmodi partes in continuo assignari possunt per mentis designationem, & ab eo etiã extrahi per diuisionem, & eodem modo de indiuisibilibus loquũtur, ità Aliqui Arist. Interp. Them. 2. Phys. Simplic. Auer. Philop. Niphus, Alex. 5. Meth. Durand. in 2.d.2.q.3. & ex Recentioribus Fonseca 5. Meth. cap. 13.q.6.sec.4. Fassarus, & Alij, contra cõmunẽ. *Conclusio Prima*.

Dicimus, primò cum cõi, in continuo verè, & realiter dari partes tum æquales, tum proportionales actu ab inuicem realiter distinctas est. Scoti loc. cit. & citatur etiam D. Thomas 5. Meth. lec. 15. quẽ sequuntur Thomistæ, & Recentiores communiter contra cit. Arist. exposit. Qui contendũt in cõtinuo esse partes tm̃ in põta nõ in actu, facientes continuũ potius simplicem entitatem sicut Angelum, quàm ex partibus integrantibus cõpositum; Probatur conclusio, & primò auct. Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. vbi habetur: *Totus, & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit:* ergo si actu Christus verè existit sub specierum partibus, ità quoq. existunt partes earum. Probatur etiam auct. Arist. in Prædic. de quanto, vbi de ratione quantitatis in communĩ ponit plures habere partes, & continuam à discreta distinguit, non qa hæc, partes actu distinctas habet, & illa non, sed quia partes quantitatis continuæ copulantur termino cõi, nõ verò pertes quantitatis discretæ, & 4. Phys. numerat inter modos essendi in actu illum, quo pars est in toto, & 5. Meth. tex. 18. definiens quantum continuum, ait: *quantum est diuisibile in ea, quæ insunt*. quod intelligi nequit,

nequit, nisi de actuali existentia, sicut 1. Phys. materiam definiens, ait; *esse primum subiectum ex quo fit aliquid cum insit*, quæ particula, *quæ insunt*, vt docent D. Thom. & Scot. in illum textum, ponitur ad differentiam mixtorum, quæ componuntur ex elementis, in illis tm̃ virtualiter existentibus. Probatur tandē auth. D. Aug. 2. de lib. arb. cap. 15. vbi inquit: *quicquid corporis sensu attingitur, iam non est vnum, sed multa esse conuincitur, corpus .n. est, igitur habet innumerabiles partes.*

Probatur etiam ratione. Tum q̃a sicut totum essentiale Physicum resoluitur in materiam, & formam, quia actu constat ex illis, ità integrale, ideò est diuisibile in partes integrales, quia actu ex eis integratur, nullum .n. totum diuidi potest in partes, quas actu non habet. Tum quia si partes producerentur dum actu cōtinuū diuiditur, tunc agens naturale diuidendo materiam, eius partes crearet, quia partes materiæ non educuntur de potentiæ materiæ; Tum quia contraria non possunt naturaliter in eodem subiecto recipi, nec eadem res esse simul, & semel in pluribus locis, sed superficies V.g. palmaris potest esse media alba, & media nigra, ergo non nisi sm̃ diuersas partes. Tū quia quæ sunt actu distincta, non transeunt in identitatem, sed partes continui post diuisionem sunt actu distinctæ etiā p̃ Aduersarios, ergo etiā distinctæ remanebūt in continuo, quod cōponūt, cū nō possint identificari. patet de plurib⁹ partib⁹ aquæ separatæ, iterū idē cōtinuū cōstituentes vnitæ.

Resp. Aliqui, quòd partes distinctæ possunt transire in identitatem non simpliciter scil. indiuisibilitatis, sed in identitatem sm̃ quid scil. continuitatis, quod est dicere, continuū est plures entitates, sed quia sunt vnitæ, vt totum continuum, dicitur vnū, ideò argumenta non probant, tales entitates vt in continuo existentes esse actu distinctas. Sed Contra, realis vnio non est nisi inter partes distinctas, nam vnio tollit separationē, non vnibilium distinctionem, ergo sicut implicat, quæ sunt idem realiter, distingui, ità implicat realiter distincta identificari, dum realiter vniuntur. Tum quia si in continuo sunt plures entitates in actu, ergo sūt actu realiter distinctæ, probatur consequentia, quia distinctio fundatur super multitudinem, sicut identitas super vnitatem ex 5. Meth. tex. 20. Tum quia potest Sacerdos solam medietatem hostiæ consecrare, & tunc Christus non diceretur sub alia; ergo vna pars est ab alia realiter distincta.

Resp. Fonseca 2. Meth. c. 2. q. 1. sec. 8. quòd partes quantitatis dum sunt in continuo, non solùm sunt plures, sed etiam distinctæ inter se realiter, non quidem in actu, sed in potentia tantùm, quatenus possunt separari. Sed Contra, potentialis separatio supponit actualem distinctionem in rebus, quæ .n. realiter identificantur, nunquam poterunt separari, ergo nulla responsio, vt .n. aliqua dicantur realiter distincta, non oportet, vt sint actu separata, sed sufficit vt possint separari, vt patet de omnibus formis materialibus, tàm substantialib. quàm accidentibus.

Resp. Alij, admittendo partes actu distingui, etiam dum sunt in cōtinuo, non tn̄ realiter, sed per designationem

nem intellectus, quatenus distinguimus, & designamus vnam partem ab alia diuersam. Sed Contra, citra quamcumque intellectus designationem, vna pars est separabilis ab altera, vt patet in linea, quæ diuidi potest, & vna pars potest esse alba, altera nigra etiam in continuo, ergo &c. Tum quia quantitatem palmarê esse ex duobus semipalmis, non est per intellectus imaginationem, sed ità est à parte rei. Tum quia hoc manifestè apparet de continuo successiuo, cuius partes sunt in continuo fluxu, & cùm vna pars existit, altera est iam corrupta, ergo &c.

Resp. Alij, quòd estò partes continui singulæ singulas habeant hæcceitates, tñ dici non possunt in toto plures entitates in actu, vt sunt in toto, quia sic existunt per vnam existentiã totius, & hac rõne dicuntur vnum, & idem ens, quam solutionem Complut. 3. Phys. disp. de infin. q. 1. approbant. Sed Contra, falsum est partes non habere in toto suas partiales existentias; & quando etiam tales non haberent, sed existentia totius existerent, adhuc non saluarent, non esse distinctas entitates, nam etiam in schola Thomist. materia, & forma existunt per existentiam totius, & tñ adhuc sunt diuersæ entitates, nedum distinctæ numero, sed etiam specie, cum alia sit definitio materiæ, alia formæ; Tum quia ad summum id solùm concluderet, quòd partes quãdiu existunt in toto, nequeant dici plura entia per modum totius, at non tollit quin dicantur plura entia per modum partium.

Obiectiones.

Pluribus rationibus, & auctoritatibus vrgent Aduersarij. 1. Continuum includit vnitatem, nam est illud, cuius extrema sunt vnum, sed hæc vnitas non potest saluari cũ multiplicitate partium, ergo &c. ℞. Distinguendo ma. includit vnitatẽ simplicitatis, negatur, includit vnitatẽ compositionis, quæ necessariò partes componentes exigit, conceditur, & tunc nihil contra nos.

Ob. 2. Vnum dicitur, quòd est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, sed partes continui sunt indiuisæ, ergo sunt vnum, & non plures, sicuti continuum est vnum. ℞. Quòd in partibus continui duplex vnitas considerari debet, vna transcendentalis, & entitatiua, altera prædicamentalis, & quantitatiua, seu integralis; prima oritur ex propria hæcceitate, secunda ex accidentali copulatione ad eumdem terminum cõmunem, partes continui in ipso continuo dicuntur vnum in hoc secundo sensu, non in primo, nam vnitas continui non excludit pluralitatem partium, sed vt totum illas necessariò includit, neq. earũ hæcceitates tollit.

Ob. 3. ex Arist. qui vbicũq. de continuo disseruit, semper docuit habere plures, & infinitas partes, non actu, sed potentia, ità expressè habet 5. Meth. 14. & 31. & 7. Meth. 49. & 3. de anima 23. & per hoc etiam in 8. Phys. 69. soluit quoddam argum. Zenonis, qui ex infinitate partium negabat motum, ergo contra eius sensum est admittere pluralitatem partium actu in continuo. ℞. Phrasim Arist. corrigendam esse per id, quòd inquit 5. Meth. 18. definiendo quantum continuum, vbi ait: *esse diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vnumquodq. ali-*

quid aptum est esse. quibus verbis non negauit, partes esse actu in continuo in ratione partium, sed in ratione totius, quod possunt efficere per diuisionem, nam quantũ ad hunc essendi modum solùm sunt in potentia, quòad vsque diuidantur, Philosophus igitur non loquitur de partibus quo ad distinctionem, sed quoad diuisionem, idest in continuo sunt partes non actu diuisæ, & separatæ, sed in potentia, vt diuidantur.

Ob. Omnis distinctio realis sub determinato prædicamento, vel est specifica, vel numerica, sed partes continui non distinguntur specie, quia continuum est homogeneum, neq. numero, quia continuum est vnum numero, ergo in continuo non sunt partes realiter distinctæ. Resp. Carmelitæ, quòd etiam in partib. continui datur distinctio numerica partialis, ideò nullum argumentũ. At hæc Resp. non placet M. Bruno, sed vult, quòd in continuo homogeneo partes distinguantur numero non in actu, q. a non habent actu proprias existentias, quibus numerentur, sed numero in potentia, quia sunt separabiles, & possunt existere, quæ fuit respo. Fonsecæ 2. Meth. c. 2. q. 1. sec. 8. Sed bona pace, si partes in continuo non distinguntur numero, sed solùm in potentia, quomodo sunt actu in continuo, & non etiam in potentia? distinctio est passio entis, & ab eo inseparabilis, si igitur in continuo sunt plures partes in actu, vt ipse in hoc art. pluries fatetur, quomodo distinguntur numero in potentia, sanè sicuti ad ens in potentia, sequitur distinctio in potentia, ità ad ens in actu, sequitur distinctio in actu. Dixit ipse q. 19. art. 3. in 3. probatione, quòd omne continuum est quantum, sed omne quantum habet partes extrà partes, & diuisibile in ea, quæ insunt, ergo in continuo sunt partes actu, realiter distinctæ. benè. Si igitur continuum habet partem extra partem, & est diuisibile in ea, quæ insunt, & partes sunt actu realiter distinctæ, quomodo distinguntur numero in potentia? si distinguntur in potentia, ergo pars non est extra partem in actu, sed potest ità esse, nec distinguntur in actu, sed possunt distingui. Dicet, hoc euenire, quia vniuntur in tertio scil. in continuo, cuius existentia existunt, non valet, quia iam ipse, ait supra, quòd realis vnio tollit separationem, sed non tollit vnibilium distinctionem, & quando etiam ipsi concedunt, quòd materia, & forma in composito essentiali existunt existentia totius cõpositi, possunt fortè negare, quòd ipsæ partes actu realiter non distinguantur numero, & sint duæ compartes, vna, quæ causat per modum actus, altera per modum potentiæ? imò distinguntur specie, cum alia sit definitio essentialis materiæ, alia formæ, & distinctio specifica semper infert à fortiori distinctioné numericam.

Melius igitur respondendum cum Schola Subtilium, vt dixi in 2. argum. quòd duplex est vnitas in partibus continui, vna transcendentalis, & entitatiua, altera prædicamentalis, & quantitatiua, partes in continuo sunt vnum vnitate quantitatiua ex accidentali copulatione ad eumdem terminum, quæ vnitas non excludit pluralitatem partium, nec tollit hęcceitates earum, ideò benè distinguũtur

tur

tur numero per suas hæcceitates; quare rectius, & magis idoneè æstimamus respondisse Carmelitas, admittentes inter partes continui distinctionem numericam partialé actualé.

Sed Maior difficultas est de numero, & multitudine partium continui, cùm.n.duplex sit multitudo, alia finita, alia infinita; & hæc iterum duplex, alia actu infinita, & Cathegorematicè, quæ scil. attingit intrinsecè numerum infinitum infinitè distantem à numero finito, alia infinita in potentia, & synchathegorematicè, quæ vtiq. termino caret, nec certo numero concluditur, attamen non adhuc attingit intrinsecè numerum infinitum, quæ multitudo censetur veluti media inter multitudinem actu finitam, & actu infinitam, vnde dici solet multitudo finita in infinitum, & quòd eius partes non sint tot, quin plures, hinc exquiritur, an partes cōtinui sint numero finitæ, necne; & si sint infinitæ, an in actu, vel in potētia.

Multi ex Nominalibus docuerūt, partes in continuo esse actu infinitas, & Cathegorematicè. ità Greg. in 2. d.2.q.2.cōcl.2. Maior in 1.d.18.q.2. art.2. Burleus 6. Phys. tex.68.dub.3. quos multi Recentiores sequuntur, Conimb. 3. Phys. cap. 8.q.1. Ruu.6. Phys. tract. de Continuo. Morisan. disp. vlt. Phys. q. 4. Suar. disp. 40. Meth. sec. 5. quamuis infinitatem hāc vocet non infinitatem simpliciter, sed secundum quid, cùm non sit entium per se existentium. Nomin. addunt posse per Dei potentiam diuidi totum continuum in omnes istas infinitas partes, ità vt dentur actu infinitæ partes, & infinitæ diuisiones. Scotistæ sunt diuisi, aliqui .n. fatentur esse infinitas actu, & cathegorematicè, ità Fuent. 6. Phys. q. 1. qui estò de partibus nō satis se explicet, de indiuisibilib. tū loquitur expresse. diff. 1. art. 3. ad. 5. Lych. in 2.d.2.q.9. & Vulpes tom. 1. p 4. disp. 27. art. 8. Alij verò docēt esse infinitas tantùm sincathegorematicè, & in potentia, ità Aureol. qui licèt inter Nominales computetur, tñ negari non potest quin fuerit Scoti discipulus, quem sequuntur Canon. 3. Phys. q. 3. & 6. Phys. q. 1. Parisienses ibidem, Bell. & Mastr. in Phys. disp. 9. q. 2. art. 3. & est communior inter Recentiores, quam sequūtur Auersa q. 22. sec. 8. Hurt. disp. 15. Phis. sec. 6. Tolet 6. Phys. ad 1. dubium q. 1. Amic. tract. 15. q. 8. concl. 5. & Alij. sumus cum vlt. sententia.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. partes continui tàm proportionales, quàm æquales, indeterminatas, & communicantes, nō esse infinitas actu, & cathegorematicè, sed in potentia tantùm, & finitas in infinitum, & idem asserimus de indiuisib. libus. Est magis ad mentem Scoti, & sequuntur præter. cit. Auth. Complut. Ferrar. Iauell. Ortiz. Lisbonensis, & M. Iacob. Brun. q. 19. Phys. art. 4. prob. à Conin. 6. Phys. q. 1. art. 2. validissimis rationibus, & primò, concessa hac partium infinitate in continuo, sequeretur dari à parte rei infinitum in actu, & cathegorematicè, si non sm̄ extensionem, saltem sm̄ multitudinem, quatenus in continuo includerentur actu entitates infinitæ, sed hoc est falsum, vt infra patebit, ergo &c. ℞. Ruu. Conimb. & Alij negando consequentiam, non .n. aiunt, partes istæ actu infini-

infinitam multitudinem constituunt; & ratio est, quia licèt sint distinctæ, non tñ sunt discretæ, & diuisæ, numerus autem, & multitudo dicit actualem discretionem, vel separationem, vnde potius omnes istæ partes dici debent vnum simpliciter, cũ omnes vnum componant, hoc autem adeò diminutũ infinitum admittere, nullum est inconueniens. Friuola Resp. si partes in continuo non possunt dici multę, sed potius vnum simpliciter, cùm vnum continuum cõponant, cur ab istis appellantur infinitæ? Tum quia Arist. in prædicam. Quanti, non distinguit quantitatem discretam à continua, quia hæc non habet multitudinem partium actu distinctarum, illa autem sic, sed distinguit vnam ab alia, quia partes continui sunt termino cõi copulatæ, non autem discretæ. Tum quia cũ Arist. dixit numerum causari ex diuisione continui, loquebatur solùm de numero prædicamentali, cuius partes important molem, & discretionem, non autem de transcendentali, quo numeramus octo gradus caloris, decem relationes, quindecim Angelos, viginti homines &c. licèt ergo partes in continuo numerũ non dicant prædicamentalem, quia non sunt ab inuicem separatæ, & discretæ, quatenus tñ sunt distinctæ, numerum important transcendentalem, & rationes impugnantes infinitudinem actualem æqualiter procedunt contra omnem multitudinem, siue prædicamẽtalis sit, siue transcendentalis.

Suar. loc. cit. qui vult nõ coalescere ĩfinitatẽ simpliciter, sed tñ sm̃ q d, hãc assignat rationem, quia scil. talis multitudo non facit extensionem infinitam, neq. infinitum spatium implet, sed tota inter certos, & determinatos terminos continetur. Sed quando Suar. ex hac Responsione euitaret ad summum infinitum in magnitudine; qua connexione infinitum etiã in multitudine persuaderet? nec etiam infiniti Spiritus infinitam extensionem facerent, neq. infinitum spatium implerent, sunt ergo ne infiniti Angeli, per hoc, quòd non implent infinitum spatium? sed quod neq. euitat vniuersaliter infinitum in extensione, infra patebit.

Probat 2. Canon. si in quolibet cõtinuo essent infinitæ partes in actu, sequeretur, quòd omnia continua essent æqualia, nam omnia componerentur ex partibus æqualibus multitudine, & magnitudine; multitudine quidem, quia tàm sunt infinitæ partes proportionales in grano milij, quàm in toto vniuerso, cũ vtrũq. sit diuisibile in infinitum; haberent etiam æquales partes in magnitudine, quia si partes vnius essent maiores, possent diuidi in partes æquales, diuidantur, & iterum; atq. iterum diuidantur, nunquam excedere possent continui minoris, quia cum partes istius sint etiam infinitæ in actu, non potuit isto assignari maior pluralitas, quia infinito nihil est maius, & per hoc, Respõsiones Suar. & Ruuij impugnatæ remanent, qui dicebant vnum cõtinuum esse maius alio, quatenus habet partes maioris magnitudinis, & etiam plures, licèt n. in õni continuo admittant infinitas partes in actu proportionales, in maiori tñ continuo plures, & maiores admittunt, quam in minori, quæ doctrina per allatũ argum. Canon. euanuit.

nuit. At fortè dicent; quòd tales partes in vtroq. cōtinuo nō essent æquales, neq. inæquales, nam æqualitas, & inæqualitas sunt passiones quantitatis finitæ. Contra vrget Canon. q̃a licèt æqualitas quæ est mensuratio duarum quantitatum sit passio quantitatis finitæ, & conuenire nequeat quantitati infinitæ, æqualitas tñ negatiua, idest non excessus etiam in infinitis reperiri potest, vnde dicimus Personas Diuinas esse æqualis perfectionis. ratio est, quia infinitū neq. excedit, neq. exceditur, atq. ideò si partes vnius continui non excedūt partes alterius, neq. totum excedet totum. Quod si tandem dicant, in multitudine infinita non esse totum, vel partes; Arguit Contra Canon. talis multitudo est diuisibilis, ergo habet partes, patet conseq. quia nihil diuiditur, nisi in ea ex quibus componitur, vt melius suo loco patebit.

Probat Tertiò Canon. Si in continuo darentur partes actu infinitæ, & cathegorematicè, tunc continuum componeretur ex indiuisibilibus, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quia quælibet illarum partiū numero infinita, vel est diuisibilis, vel indiuisibilis, si primum, ergo in continuo erunt plures partes, quā infinitæ, quod est etiam falsum, quia de ratione infiniti est, vt non accipiat incrementum; si secundum, habetur intentum; hæc Canon. qui subdit, omnes in hac materia dubiè loqui, q̃a nunquam ab aliquo Doctore potuit benè intelligi, & ità reuera est, nec ex alio capite tam varietas opinionū oriri potuit, millib. n. difficultatibus veritas hæc scatet. Confirmatur tandem concl. auth. D. Tho. 3. p. q. 16. art. 3. ad 2. vbi docet, quòd licèt Christi corpus substantialiter sit in hostia consecrata, & in singulis eius partibus, ante diuisionem, tñ non dicitur poni Corpus Christi sub hostia infinities actu, quia non sunt infinitæ partes proportionales, quoad numerum, sed in potentia. Idem de indiuisibilibus asserendum erit, ponuntur n. in continuo ad continuandas partes, ergo multiplicanda erunt ad multiplicationem partium, sed partes multiplicantur in infinitum syncathegorematicè, ergo & indiuisibilia. Ex his etiam sequitur, quòd continuum neq. etiam per potentiam Dei absolutam potest esse diuisum in omnes suas partes collectiuè, quāuis sigillatim, & in quocumq. signo possit in plures, & plures in infinitum diuidi; ratio est, quia admissa tali diuisione in omnes partes collectiuè, vtiq. continuum in indiuisibilia resolueretur, nam vel illæ singulæ partes infinitæ, in quas diuisum ponitur, sunt rursus diuisibiles in alias partes, vel indiuisibiles; non primum, quia est contra suppositum, quo supponimus continuum esse diuisum in omnes partes, in quas est diuisibile, ergo secundum, & de his satis, quia iam de hac materia iterum redibit sermo disp. de infinito.

Obiectiones.

Obijcitur argum. Zenonis, antiquum quidem, sed non adhuc desinit Peripateticos vrgere, tàm antiquos, quàm Iuniores, contra quam infinitatem partium ità arguebat: data hac partium infinitate, tolleretur de medio motus, sed hoc est falsum, ergo &c. prob. sequelam, quia antequam mobi-

mobile pertranseat aliquod spatiũ, debet prius pertransire illius medietatem, & rursus illius medietatis dimidium, & sic deinceps, quamuis designabili minorem, & minorem in infinitum, ergo nunquam incipit motus, quia infinitum pertransiri non potest ex 3. Phys. 34. &t. Arist. 6. Phys. tex. 19. quòd sicut in spatio sunt partes minores, & minores in infinitum, ità etiam in tempore, vndè infinitum sm partes proportionales pertransiri potest pariter in tempore infinito sm easdem partes. Sed quia hæc solutio transfert quæsitum à spatio ad tempus, & adhuc instari potest quomodo pertransiri potest ipsum tempus constans partibus infinitis, ideò insufficientiam solutionis aduertens, aliter in 8. Phys. 68. Respondet, dicendo quòd in continuo sunt infinita dimidia, & partes non actu, sed potentia, & ideò benè pertransiri potest, quam Respon. deinde sequuti sunt Peripat. quorum tñ nullus adæquatè sensum eius penetrauit, vt ex diuersa illorum explanatione patere potest. Sequimur tñ, vt probabiliorem Pandatij expositionem 8. Phys. par. 85. quam amplectuntur Auersa q. 22. sec. 7. & Mastr. & Bell. loc. cit. scil. quòd ideò Arist. ait. partes continui esse infinitas in potentia, & hac ratione pertransiri posse, non autem si ponantur infinitæ in actu, quia solum partes infinitæ primo modo, cõstituunt magnitudinem finitam, cum sint semper minores, & minores, & vna in aliam inclusa, & ità facilè pertransiri poterunt, quatenus intra finitam extensionem includuntur, ꝙ de partibus actu infinitis dici non potest, non possunt tñ distinctè numerari à prima ad vltimam, sed pertransiri tantum, quatenus constituunt magnitudinem finitam. Vult igitur Arist. infinitas partes esse incõtinuo, potentia, non actu, quatenus in eo partes non terminantur proprijs terminis, nec sunt extra se inuicem, sed minores includuntur in maioribus; eam verò determinationem accipiũt partes per diuisionem, vel designationem, dum in continuo concipiũtur duo puncta, quorum vnum est principium, alterum est finis alterius partis; Motus autem non tangit partes, vt eas determinet, vel designet, ideò nullum argumentum.

Multas alias instantias, & replicas congerunt Doctores pro sententia Zenonis, sed allata doctrina sufficere debet, neq. id nos à sententia Peripat. ob difficultatem perfectæ solutionis deterrere debet, quia vt ipsemet Phylosophus docet 8. Phys. 22. infirmitas est intellectus propter apparentes rõnes, sensatam relinquere probationem.

Ex his manifestè deducitur, quòd si inuicem continuentur infinitæ partes æquales, non communicantes, molem infinitam constituerent, non sic verò si infinitæ proportionales, & ratio discriminis colligitur ex diuerso modo existendi in continuo æqualium, & proportionalium; nam partes æquales essent actu in continuo determinatæ, tàm quoad existentiam, quàm quoad entitatem, singulæ .n. essent determinatæ magnitudinis, & singulæ extra se inuicem, & non communicarent, nisi in puncto; At partes proportionales non ità dispositę sunt in continuo, quia licèt determinatæ dici possint quoad existen

tiam

tiam in continuo, & distinctionem vnius ab alia, tñ quoad entitatem sunt omnino indeterminatæ, cùm vna semper in alia includatur, nec aliqua tàm minima assignari potest, quin adhuc possint assignari minores, & minores in ipsa inclusæ, quæ distinctũ locum non occupant, sed dici possũt minores quasi compenetratæ cum maioribus. Patet euidẽter exemplo: Sit certa aquæ copia, diuidatur in decẽ decimas, confundantur iterum, & deinde de nouo diuidatur in centesimas proportionales respectu decimarum, sanè si illæ centesimæ diuidantur in millesimas, non facient maiorem extensionem, quàm illæ centesimæ, & illæ decimæ, & hoc non alia ratione, nisi quia iste processus fit semper versus minoritatẽ, & versus partes inclusas, & communicantes cum maioribus, & paucioribus, quæ proinde non faciunt extensionẽ maiorem; Partes verò æquales sunt prorsus determinatæ, & eiusdem quantitatis, & vna omnino extra locum alterius, & ideò si essent infinitæ, infinitam facerent extensionem, eodem modo, quo sunt infinitę, & per hoc patet ad quoddam argumentum faciebat Arriag. quo ostendebat esse in continuo infinitas partes derminatas, quòd est falsum omninò, cùm.n. vna pars sit minor alia, atq. in ea inclusa, indeterminata dici debet, non determinata, vt patet, & docent Mastr. & Bell. loc. cit. nu. 90.

Ob. Tandem, quòd continuũ non sit in infinitum diuisibile, nam saltem à Deo posset sm̃ õnes partes diuidi; & tunc vel illæ partes essent diuisibiles, quòd est contra suppositum, vel indiuisibiles, & tunc componetur ex indiuisibilibus, antecedẽs prob. q. omni potentiæ actiuæ correspondet passiua, saltem supernaturaliter. R. Ex Arist. 9. Meth. tex. 10. quòd duplex est potentia, vna ad actum perfectũ, & adæquatum, quæ potest totus, & simul acquiri, altera ad actum imperfectum, & inadæquatum, quæ non potest simul acquiri; diuisibilitas continui, seu potentia ad diuidi, non est potentia aliqua passiua, quæ posset vnico actu adæquato perfici, sed est potentia ad actum semper imperfectum, & inadæquatum, vt etiam Philos. docuit 3. Phys. tex. 57.

Dices, paradoxum videtur, quòd Deus per totam æternitatẽ nequeat diuidendo cuspidem acutissimæ acus, aut oculum pulicis exhaurire &c. ità existimauit Faber theor. 52. vbi in fine absolutè negat, continuum esse in infinitum diuisibile, etiam sm̃ partes eiusdem proportionis; Sed non est sequendus, licèt.n. continuum per instrumenta Physica diuidendo sit tandem deueniendum ad partẽ ità minimam, vt amplius non possit Physicè diuidi, vnde dici solet minimum naturale, & indiuisibile Physicum, tñ à parte rei hæc minima pars sic diuisa, cùm sit continua plures habet partes, in quas potest à nobis saltem cogitatione distribui, & à Deo etiam realiter diuidi. Potest quidem Deus continuum destruere, & annihilare, non tñ diuidendo, quia diuisio supponit partes, vel diuisas, vel diuidendas, & quælibet pars diuisi continua est diuisibilis, & ideò si diuisio est inter partes, semper restaret subdiuisio &c. & difficultas ad hoc capiendum, oritur ex imbecillitate intellectus nostri.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum non viuentia habeant terminum intrinsecum suæ magnitudinis, & paruitatis.

SCot. de hoc quæsito disertè agit in 2.d.2.q.9.lit.C.& N. vbi etiã Scotistę. Pro cuius intelligentia supponimus primò, quòd duplex est terminus magnitudinis in rebus naturalibus, intrinsecus, scil. & extrinsecus; intrinsecus est illa quantitas, seu magnitudo, in qua potest subsistere, & conseruari, & in maiori non potest, & appellatur *maximum, quòd sic*, quia affirmamus, quòd illa est maxima magnitudo, quam aliquid corpus potest habere, non tñ maiorem, vt si leo V.g. nequeat esse sub maiori magnitudine octo palmorũ, magnitudo octo palmorum erit terminus leonis, quia vltra illam pertransire nequit, dicitur etiam intrinsecus, quia potest illam magnitudinem attingere. Extrinsecus est illa magnitudo, in qua res subsistere non potest, benè verum sub minori, vt si leo nõ potest esse sub magnitudine nouem palmorum, sed sub quacunq. minori, hæc magnitudo nouem palmorum erit terminus extrinsecus, q.a non potest attingi à leone, & dicitur *minimum, quod non*, quia inter magnitudines, quas nequit attingere leo, quales sunt nouem, decem, vndecim palmorum &c. magnitudo nouem palmorum est omnium minima. Terminus paruitatis intrinsecus, est paruitas illa, sub qua potest subsistere, & conseruari res, non tñ sub minori, vt si leo non potest esse minor palmo, quantitas palmaris erit terminus intrinsecus paruitatis leonis, & dicitur *minimum, quòd sic*, quia inter omnes quãtitates minores, sub quibus reperiri potest leo, palmaris est omnium minima. Terminus extrinsecus paruitatis est quantitas illa, sub qua nequit esse V. g. leo, sed sub qualibet maiori, vt si leo non possit esse sub quantitate semipalmari, & appellatur, *maximum quod non* quia inter quantitates omnes, sub quibus non potest existere leo versus paruitatem, vt sunt medietas palmi, quarta pars &c. semipalmaris est omniũ maxima.

Supponimus. 2. ad duas classes posse res omnes diuisibiles reduci, vel .n. sunt animata, vt animalia, & plantæ, vel inanimata, vt reliqua corpora substantialia, ipsamet quantitas, & qualitates tàm sm̃ extensionem si sũt materiales, quàm sm̃ intensionem, siue materiales sint, siue spirituales.

Quantum ad inanimata, aliqui affirmant terminum magnitudinis habere, & citantur illi Scotistæ, qui infinitum sincathegorematicum versus maximum negant, vt infra patebit, cum quibus sunt etiam plures Thomistæ, Iandun. 1. Phys.q.16. Complut.q.27.Phys.q.1.Ferrar.ibidem q.7.art.3.vbi habet: *omne corpus naturale habet determinatam quantitatem, & in maius, & in minus*. Alij verò quamuis terminum magnitudinis non admittant, concedunt tñ terminum paruitatis, ità Durand. Tolet.1.Phys.q.9. Mas. Zenard. Soncin. Greg.& Alij. Scotus verò loc. cit. in viuentibus nullum terminũ agnoscit, neq. quoad magnitudinẽ, neq. quoad paruitatem, siue substantialia sint, siue accidentalia, & sequuntur Recentio-

centiores ferè omnes, Arest. 1. de gen.q.36.Ruu.1.Phys.c.4.q.2.Dandin.2.de anima digress. 21. Auers.q. 38.sec.1.Amic.tract.19.q.2.dub.3.& q.3.& Alij, cum Scotistis omnibus pserti in de termino paruitatis,Lych, loc.cit.in 2.Faber, Theor.36. Tatar. 6. Phys. q.4. Sghem. digress. 3.q.5. Reg. Parisiens.1. Phys.q 6.collat.3. inter quos est aliquod dissidium quo ad terminos magnitudinis, & Mastr. & Bell.in Phys.disp.9.q.3.art.1.

Conclusio.

Dicimus, nullum continuum inanimatum ex propria natura terminū habere suæ magnitudinis, & paruitatis. Diximus ex propria natura,q̃a per accid. possunt vtroq. modo esse determinata; tum versus magnitudinem, quia nullum corpus Cælum transcendit, & qualibet qualitas est determinatæ intensionis, cùm consequatur naturam subiecti, & potentiæ agentis, quæ finita, & terminata sunt; Tum versus paruitatem, quia cùm præsertim sublunaria fint contrarijs subiecta, non potest reperiri aliquod continuum in infinitum minus, & minus, licèt taliter diuisibile sit in potentia. Concl.est Scoti cit. & quo ad magnitudinem commodius probata remanebit disput.sequenti, vbi benè ostendemus possibile esse infinitum sincathegorematicum in quolibet continuo.

Quoad paruitatem probatur primò rationibus, omnibus continuis communibus,nam essentiale est cōtinuo ait Doct. posse diuidi in partes, ergo essentiale etiam erit cuilibet parti posse per se esse, ergo si daretur minimum,adhuc esset diuisibile, & partes per se existere non erit impossibile, quia possibili posito in esse, non sequitur impossibile. Tum quia partes illæ sunt eiusdem rōnis cum toto, vt patet V. g. de pluribus partibus æq̃ıæ,ergo si per se existere conuenit toti, conueniet etiam eius partibus. Tum quia quod habet naturam specificam, non repugnat illi esse indiuiduum illius speciei,& consequenter per se existere, nam indiuiduum est indiuisum in se, & diuisū à quolibet alio, sed partes omnes participant eamdem naturam ac totum, & independenter à toto, & à qualibet eius parte, nam vna pars non est talis naturæ propter aliam compartem,ergo vna pars potest simpliciter esse independenter ab alia, & consequenter nō est dabilis aliqua pars continui, quo alia minor non sit possibilis.

Resp. Aliqui Thomist.cū Capreolo, quòd esse in potentia, seu possibile stat dupliciter, vel quòd reducatur per propriam existentiam,quo modo s̃m nos dicitur aliquid esse in potentia obiectiua, & ad actum reducitur, cum actualiter existit, vel quòd reducetur ad actum per existētiam non propriam, sed alienam, vt homo est in potentia albus, quæ potentia actuatur, non per existentiam hominis, sed albedinis in ipso,existit.n. albus per albedinem, & dicitur à nobis esse in potentia subiectiua, in proposito dantur in minimo naturali partes inexistentes, non quòd reducantur ad actum per proprias existentias, ità vt separatæ à toto existant, aut possint existere, sed existent per existentiam totius, & consequenter huiusmodi diuisio partium à continuo nunquam ad actum

reuocabitur, quia oporteret, vt existerent per propriam existentiam, quod est impossibile, illa autem propositio, quòd possibili posito in actu, non sequitur aliquod impossibile, est vera de possibili, quòd separatum ex se existere potest, non verò de illo, quod existere nequit nisi existentia aliena, vt sunt illę partes inexistentes in minimo naturali. Inanis labor; minima pars aquæ ab aqua separata, non est indiuiduum completum speciei? quomodo ergo non existit per se? Diuisio actualis dicit separationem partium à toto, quomodo ergo partes tunc existent existentia totius? Tum quia si partes in minimo existentes non possunt ab ipso separari, nec etiã poterunt per se diuidi, & consequenter neq. est potentia diuisibile. Hæc cõsequẽtia est euidẽs, q̃a nõ datur potẽtia ad impossibile, sicut homo nõ habet potẽtiã ad formã aquæ recipiẽdã, q̃a hæc potẽtia nõ potest actuari, nec existẽtia ppria hominis, nec existentia aliena, nempe formæ aquæ in ipso. Probationes de qualitatibus tã quo ad intensionem, quam ad extensionem transferimus ad lib. de gen. vbi exactius earũ natura exquiritur.

De Continuis substantialibus non viuentibus, faciunt etiam rõnes supra adductæ, & adhuc probatur. Si opposita sententia esset vera, cùm omnia corpora determinatum terminum haberent, posset dari V.g. aliqua pars stuppæ, quæ minor sit illa mole, quã sibi determinat ignis, quæ nunquam combureretur, & tñ aliqua pars maior, & longius existens combureretur, quòd est manifestè falsum. Dicere autem, quòd proueniat, quia illa minima pars stuppę careat debita dispositione molis, est petitio principij, hoc .n. est quod impugnatur, & nunquam experientia ostendit minimam partem capilli, vel aliam rẽ combustibilem, actiuitatem ignis per uidere. Tum quia, vt arguit Scot. loc. cit. in 2. Agens naturale approximatum passo, prius agit in partem propinquiorem, quàm in distantiorem, sed dato minimo ligni, vel præciso minimo à ligno per Dei potentiam, & relicto suæ naturæ, posset in eius medietate applicari ignis, ergo in tali medietate introduceret ignis suam formam, & consequenter ens naturale non haberet terminum paruitatis. Rt. M. Iacobus Bruo. in Phys. q. 2 1. art. 2. ex hoc argumento sequi, nullum corpus habere determinatum terminum magnitudinis, & paruitatis, in ordine ad potentiam Dei, quòd conceditur, quia sicut per potentiam Dei potest fieri homo essentialiter, et in paruitate formicæ, ita etiam ignis in medietate minimi agere naturaliter. Non valet, nam argumentum procedit de potentia naturali Ignis, non de potentia supernaturali. Tum quia sic respondendo, vim argumenti non peruadit, si .n. hoc fieri potest per potentiam Dei, ergo non est natura sua, & essentialiter corpus ità minimum, vt adhuc minorari non posset, sed hoc est ab extrinseco, & per accidens, quatenus non datur agens, quòd illud possit diuidere; sicuti nos dicimus, Cęlum esse intrinsecè, & natura sua corruptibile, estò non detur agens illud corrumpens. Rt. Secundò, quòd si in medio minimi ligni adhùc qualitatiuè disposito applicaretur ignis, cũ ipse ignis sit extensus, non posset producere formã ignis

ignis defectu quantitatis dimensiuæ, quæ est prima dispositio subiecti in ordine ad receptionem formæ ex D. Tho. 3. p. q. 77. art. 2. benè, sed hoc mi nimum, quod ipsi ponunt, non est continuum? non est quantum? ergo non solum qualitatiuè, sed etiā quātitatiuè est dispositum.

Probatur 2. Ponatur minimum panis, & Sacerdos intendat consecrare dimidium, tunc in altero dimidio permanebit forma panis, ergo consecrabitur sub quantitate minori minima, ergo non habet terminos intrinsecos suæ paruitatis, sine quibus conseruari nequeat. Resp. Aliqui tūc substantiam panis conseruari beneficio continuationis, quam eius dimidia quantitas habet cum quantitate dimidia consecrata, quæ sicut virtute Diuina habet vim substantiæ, ità conseruationem alterius partis substantiæ quantæ. Contra frangatur hoc fragmentum hostiæ, & diuidatur illa pars consecrata, ab illa non consecrata, tunc hæc cùm sit diuisa non cōseruabitur amplius beneficio consecratæ, & tñ est minor minima.

Fortè dicent cum M. Iacob. Brun. q. 21. art. 2. quòd non esset agens qui frangere posset illud minimū hostiæ, neq. Angelus, & reddit rationem, quia resisteret natura, ne detur materia sine forma, sicut etiam aliquando natura resistit descensui grauis, nè detur vacuum. Non placet, nam sicut materia indifferens est ad talem, & talem formam, sic etiam ad tantam, & tantam quantitatem; & si in tali statu conseruari non posset, hoc non esset ab intrinseco, & vt continuum est, sed ab extrinseco, & per accid. ab agentibus contrarijs. Exemplum de vacuo non est ad propositum, quia natura abhorret vacuum; at non abhorret diuisionem cōtinui in semper diuisibilia, hoc .n. cedit in maiorem vtilitatem, & commoditatem naturæ, cùm sic habeat partes magnas, paruas, & minimissimas, sicut ad constructionem fabricæ non solùm faciunt lapides magni, & parui, sed etiam minimissima fragmenta.

Probatur tandem, posse diuidi in infinitū, est passio inseparabilis quātitatis, sed corpus naturale quantūuis minimum est verè quantum, ergo cùm corpora non viuentia sint homogenea, in qualibet parte possunt naturaliter conseruari, ergo non dabitur terminus intrinsecus paruitatis. Resp. Thomistæ ex D. Tho. 1. Phys. lec. 9. quòd maior est vera de quantitate absolutè, & sub statu mathematico, quo pacto concipitur sub præcisa ratione extensionis, abstracta ab omni corpore, & motu, non verò de quantitate sub statu naturali, prout scil. emanat à forma limitata, & determinata corporis naturalis, & consequenter non potest diuidi in quascumq. partes minimas, seruata forma. Ex hac Respon. puto reconciliandas esse opiniones Thomist. & Scotis. Thomistæ .n. loquuntur merè Physicè de minimo naturali, quòd non posset potentia Physica, & instrumento Physico diuidi, & hoc negari non potest, quin habeat determinatā paruitatem, & fauet Scot. in 2. d. 2. q. 9. F. Vnde aliqui dicunt, quòd in toto continuo dantur partes per se existentes, quæ scil. propter suam magnitudinem possunt separatim existere, aliæ verò dicuntur inexistentes, quæ estò non possint per se, & solitariè

ditariè existere, inexistunt tñ in toto; Scotistæ verò in hac quæsti satis sapiunt de Mathematicis, dum procedunt arguendo ex naturâ continui sẽper in minores, & minores partes diuisibilis. Scotistè loquuntur de conditione, & natura cõtinui intrinsecè, cui non potest assignari vltima pars; At Thomistæ potius procedunt extrinsecè, & per accid. quomodo de facto omnia corpora determinata sũt, tam versus magnitudinem, quã versus paruitatem. Vnde quæstio solum agitari de nomine videtur, nam Thomistæ dicunt, quòd indiuiduum inanimatum est intrinsecè determinatum ad magnum, & paruum; Scotistæ verò asserunt esse determinatum extrinsecè tantum, & per accid. Thomistæ loquuntur de minimo in actu. Scotistæ potius de minimo in potentia; ideò facillima est vtriusq. scholæ reconciliatio, quia sicut Thomistæ non negant infinitum synchategorematicum, saltem versus paruitatem, ità neq. Scotistæ minimum Physicum naturale negant.

Obiectiones.

Ob. Primò Auct. Arist. 1. Phys. tex. 36. & 38. vbi docet dari minimam carnem, ex qua non possit alia extrahi, & 2. de anima 41. ait quòd omnium naturæ constantium, est determinata ratio magnitudinis, & augmenti. Resp. Scot. in 2. cit. M. quòd in 1. Phys. Arist. arguebat cõtra Anaxagoram, asserẽtem ex quolibet generari, & extrahi quodlibet: Contra ait Philos. datur res, vt caro, quæ determinatam habet magnitudinem, ex qua non potest quodlibet generari, vel extrahi. ℞. 2. quòd vt verificetur ratio Arist. sufficit, vt detur aliqua res, quæ determinatam habeat paruitatem, vt est viuens, vnde loquebatur de carne, & homogeneis, non simpliciter, sed vt constituunt ætherogeneum animatum, constans ex partibus æqualibus, & determinatis. in 2. de anima loquitur de viuentibus, quòd nos concedimus, vt art. sequenti patebit.

Ob. 2. ratione: omne ens ratione sui, & omne corpus ratione formæ habet finitam, & determinatam naturam, ergo sm̃ hanc petit certam, quantitatis mensuram, sicut determinatas qualitates. ℞. Assumptũ esse verũ de pfectione quidditatiua, & essẽtiali, nõ de pfectione quãtitatiua, de cuius ratione est, vt sit sẽper in maiores, vel minores partes diuisibilis; Vnde sicuti substantia indeterminata est in extensiua perfectione, ità in quãtitate; & licèt qualitates determinatæ sint quoad dispositiones formarũ, nõ tñ sm̃ suas proprias naturas.

Ob. 3. Natura rem aliquam producit propter aliquam operationem ab eadem re exercendam ex 2. de Cælo 17. sed res quælibet operari non potest, nisi determinatam habeat quantitatẽ, ergo &c. ℞. Auctor. Arist. intelligendã esse solùm de rebus perfectis, vt sunt animalia, & tunc minor est vera, sed consequentia falsa. ℞. 2. sufficere vt res illa saltem potentiam habeat propriã exercendi operationem, & si non solitariè, saltem cum altero adiuncto, quòd etiã particulæ illi ità paruæ competeret; ità Doct. in 2. cit. lit. N.

Ob. 4. Qualibet actio prouenit ex proportione maioris inæqualitatis, vt in lib. de gen. dicitur, idest fit propter excessum actiuitatis agentis supra

resi-

resistentiam passi, sed iste excessus est determinatus, ergo & qualitas propter talem excessum producta, determinata erit, & in instanti producibilis. ℞. Cum Bell. & Mastr. quòd quādo potentia agentis est ad formam successiuè producibilem, tunc excessus requisitus est determinatus tantū extrinsecè, itá quod tantus non sufficiat, sed benè quilibet maior, vt in lib. de gen. dicetur disp. de actione, & reaċt. & consequenter negatur talem formam primò productam, esse determinatam; quando verò potentia agentis est ad formā in instanti producibilem, qualis est anima, excessus est intrinsecè determinatus.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An Viuentia, intrinsecos habeant terminos magnitudinis, & paruitatis.

SCot. hunc art. determinauit in 2. d. 2. q. 9. lit. N. vbi respondet affirm. cum suis, sicut etiam Thomistæ omnes ex D. Tho. 2. de anima lec. 8. contra Venet. Vall. & Albertum de Saxonia, solùm cognoscentes terminum magnitudinis extrinsecum in viuentibus. Alij distinguunt, termini .n. vel considerantur, vt ex propria natura haberi possunt, & sic sunt intrinseci; vel quatenus per accid. acquiruntur, scil. infirmitate, inflatione &c. & hoc modo sunt extrinseci, itá Tolet. Sot. Murcia. In ordine verò ad potētiam supernaturalem, Aliqui omnem terminum negant, itá Parisienses, & Sghem. Alij vtrumq. admittunt. Masius negat terminos, sed addit, non posse postea proprias operationes exercere.

Conclusio.

Dicimus, viuentia omnia ex propria natura, & intrinsecè terminos habere magnitudinis, & paruitatis, supernaturaliter verò nullū terminū agnoscere. Probatur quo ad vtrāq. partem, & primò quòd sint naturaliter terminata est Scot. loc. cit. ex Arist. 1. Phys. 36. & 2. de ani. 41. & 2. de gen. animal. cap. 11. & 7. & patet etiā rōne, nam anima viuentis auget suppositum virtute caloris naturalis, sed hæc virtus est limitata, & finita, imò quotidiè fit remissior, quia agendo repatitur, ergo terminus naturalis augmenti est intrinsecè finitus. Tum quia anima est actus corporis organici Physici, cuius membris vtitur tamquam instrumentis ad varias exercēdas operationes, ergo non potest ꝙlibet corpus sub quacumq. magnitudine, vel paruitate informare, quia si nimis excederent in magnitudine, vel paruitate, nō essent apta ad exercenda sua munera, vt de instrumentis artificialibus patet; hinc pueri inepti reperiuntur ad plura opera vitæ exercenda, quæ perfecti homines exercent. Tum quia quod hactenus natura non fecit, signum est, quòd naturaliter efficere nequit, sed nunquā visus est homo quantum est mōs, nec tam paruus sicut formica, ergo &c. Quod verò supernaturaliter repugnare non videtur, ex eo patet, quia Deus potest omni qualitate viuens spoliare, ergo etiam dispositionibus quantitatiuis, à quibus minus depēdet; Vnde Lisbonensis, & Lerma Thomistæ aiunt, quòd præfata conclusio intelligi debet de viuentibus via generationis, & conseruationis, & sm statum naturalem, quem postulant,

lant, non via corruptionis, & status violenti, vel supernaturalis, nam sic possunt viuentia terminum suæ magnitudinis transilire, quia hæc maior magnitudo non proueniet ab ipsa forma viuentis, sed à causa extrinseca, non in statu naturæ consono, quem nempè exigit, sed in statu dissono. Sed an possint tunc hæc viuentia aliquas operationes exercere, de potentia Dei, non haberem pro inconuenienti, posset n. saltem Deus potentiam eleuare ad illas operationes, cùm maior improportio adsit inter potentiam naturalem, & visionem beatificam, quàm inter hanc potentiam dissonam, & propriam operationem, vt etiam sentire videntur Mast. & Bell. disp. 9. Phys. q. 3. art. 2.

Addūt pfati Scotistæ, q̄ si sermo fiat de viuētib⁹ animā diuisibilē habētib⁹, nō habēt terminū determinatū, neq. quo ad magnitudinē, neq. quoad paruitatem; viuentia verò, quæ animam indiuisibilem habent, terminum habent saltem quo ad magnitudinem. fundamentum accipiunt ex Doct. in 3. d. 1. q. 2. vbi vult, quòd anima etiā de potentia Dei non potest informare plures materias simul. alterū fundamentum est ex 4. d. 44. q. 1. vbi docet Scot. quòd in augmentatione in alijs viuentibus ab homine, acquiritur noua pars formæ, cùm sit diuisibilis. Tunc sic: nulla forma ex se potest quamcumq. materiam informare, sed limitata est ad proportionatam materiam, nisi virtus informatiua ipsius augeatur, sed in anima indiuisibili, nequit augeri hæc virtus, cùm non sit capax intensionis, diuisibiles verò possunt augeri per nouas partes aduenientes, quibus nouæ partes materiæ possent informari, ergo animæ diuisibiles possent semper, & semper augeri per potentiam Dei, qui impedire potest, ne in nutritione partes fluant, sed solùm quod fiat noua conuersio alimenti absq. de perditione alicuius partis præcedentis; & ità in infinitum fieret accretio, quia semper augeretur vis digestiua, attractiua alimenti, & cōuersiua in proprias partes. Quod etiam de potentia Dei versus paruitatem viuentia nullum habeant terminum, inde patet, quòd corpora homogenea sunt in infinitū diuisibilia ex praced. art. ergo etiam Ætherogenea in infinitum possunt minui, consequentia probatur, quia vt diximus, si Deus potest omni qualitate viuens spoliare, etiam, & dispositionibus quantitatiuis, quæ doctrina sua probabilitate non caret.

Obiectiones.

Ob. Vitis in terram defossa crescit, & fructificat, ergo non habet terminum in magnitudine. R. Tunc vitem non habere rationem vnius viuentis, sed plurium, quia in singulis interuallis radices, & vires mittit, & si in aliqua parte scindatur, non arescet, sed viuet, & propagatur, signum euidens, non esse vnicum viuens.

Ob. Gigantes vltra statum naturæ excreuerunt; & etiam Crocodilli dū viuūt sēper crescunt, ergo &c. Resp. Bie scas, quòd potentia nutritiua magnis Cælorum influentijs adiuta potest augere corpus humanum supra magnitudinem sibi debitam, vt in Gigantibus euenit, sed tunc errat dicta potentia, sicut flumen quando nimium excrescit, & sicut dicta potentia errat quando nanos nutrit; sunt. n. Gigantes, & Pigmei monstra naturæ,

quæ

quæ fiunt à causis particularibus prout in suis operationibus errantibus. Sed melius Bell.& Mastr.cit.qui docent,nec Gigantes præterijsse terminum magnitudinis naturæ humanæ, nec Pigmęos terminum paruitatis. ratio est,quia inter terminos alicuius speciei datur latitudo magnitudinis, & paruitatis, quia videmus inter indiuidua alicuius speciei alia maiora, alia minora,quod prouenit ex cōditionibus extrinsecis, loci, tēporis, vel materiæ, vt in plantis apparet, quæ in aliquibus regionibus satis excrescunt, in alijs verò minimè. Crocodilli, si diu viuerent, non semper augerentur, sed quandoq. ad statum augmentationis peruenirent.

Ob. Ponatur homo in termino suæ magnitudinis, & applicetur illi elementum, iam conuertet illud in suam substantiam, cum haberet potentiam nutritiuam, sed cum substantia acquireret etiam nouam partem quantitatis, ergo non erat in termino suæ magnitudinis. ℞. Cum relatis Doctoribus quod si homo postquā peruenit ad terminum naturalem suę magnitudinis sumet alimentū, si eget illo, tanta alimenti fieret conuersio, quanta viuentis substantiæ per actionem caloris naturalis facta fuisset de perditio, si autem non eget illo,non conuerteret ipsum alimentum ait Biescas 1.p.q.7.art.3.dub.2.quia nutritio est actio naturalis, & natura nihil facit frustra.

Ob. Si daretur homo maximus, & morderetur à vipera, tumesceret,& fieret maior, occupando maiorem locum quā prius, ergo &c. ℞nt. Aliqui, in motu tumefactionis hominem nouam qualitatem acquirere, non nouam quantitatem, quia quantitas per solum motū augmentationis acquiritur, qui est à virtute intrinseca, non ab extrinseco;& ideò homo maximus fieret maior, non Physicè acquirendo nouam pertem quantitatis, sed Mathematicè, quatenus continet extrema distantioris mensuræ,& occuparet maiorem locum, & consequenter terminum naturalem suī augmenti non excederet. Non valet, nam si homo tunc occuparet maiorē locum, quomodo nō acquireret maiorem extensionem quantitatis? Et licèt alteratio immediatè terminetur ad qualitatem, tū mediatè, & secundariò saltem terminatur ad maiorē extensionem quantitatis in ordine ad locum. Ideò melius respondendum est cum cōi,negando consequentiam, & ratio est,quòd præexistens magnitudo potest fieri maior per accid. & ab extrinseco, nos autem loquimur hic de termino intrinseco, & naturali viuentium. Sic etiam si daretur homo maximè paruus existens in termino suæ paruitatis, & infirmaretur, vel non comederet, eius quantitas decresceret, & occuparet minorem locum, & ità daretur minimus minimo, sed hoc esset per accid.& ab extrinseco, vt aiunt Tolet, Murcia, & Alij.

DISPVTATIO XIII.

DE INFINITO.

MEritò post disputationem de Cōtinuo, disputationem de Infinito subnectimus, finitas .n. & infinitas propriè continuo, & magnitudini conueniunt. Hinc etiam Arist. in continui gratiam, disputationem de infinito instituit, vt euidenter patere potest 3. Phys. tex. 24. vbi ait. *Quoniā autem de natura, scientia est circa magnitudines, & motum, & temipus, quorum vnumquodq. necesse est aut infinitum, aut finitum esse &c.* igitur agit Phys. in cap. 4. huius lib. de Infinito, & quærit an detur in natura, & adducens pro vtraq. parte argumenta, ait: *habet autem dubitationem cōtemplatio infiniti, nam si ponatur esse, impossibilia multa sequuntur, & etiam si non esse ponatur. Conueniens vtiq. erit de natura pertractantem, speculari de Infinito*. Quamuis autē tractatus de infinito sit ex difficilioribus in Physica, nos tū (Deo fauente) & clarè, & breuiter explicabimus, ne dum de infinito agamus, in infinitum sermonem protrahamus.

ARTICVLVS PRIMVS.
De Natura, & essentia Infiniti Cathegorematici, & Syncathegorematici.

SCot. pluribus in locis de hoc art. differit, vt videre est quol. 5. §. *De Primo &c.* & quol. 6. & in 1. d. 2. q. 2. §. *Ostenso proposito &c.* & alibi sæpè. Vt ordinatè in hac re procedamus præmittimus primò, quòd infinitum quoad quid nominis, est id, quòd caret fine, vel termino, vndè si consideratur sm̄ modū significandi, & per quod à nobis explicatur, dicit negationem limitis, & termini dicitur .n. infinitum, quòd non est finitum, seu quod fine caret, connotando tū̄ positiuum illud, quod tali termino caret; Si verò consideretur sm̄ id quod significat, seu quoad essentiam, & rem significatam, consistit in positiuo, fundantem, vel connotante talem negationē limitis, vel finis; Sicut igitur res multis modis finitæ, & limitatæ dicuntur, nempe quoad perfectionem essentialem, intensionem, extensionem, numerum, & durationem, ità etiam potest aliquid esse infinitum in essentia, intensione, extensione, numero, & duratione. Item quia rē carere termino, & fine potest dupliciter intelligi scil. vel extrinsecè tantùm, quatenus determinari non possit quanta sit alicuius rei perfectio, vel extensio, vel multitudo &c. sed solùm, quòd magnitudo illa, vel multitudo non est tanta, quin adhuc maior esse nequeat; vel intrinsecè, ità vt intrinsecè infinitatem attingat, quatenus illius rei extensio, aut perfectio, aut multitudo sit simpliciter infinita, & in supremo gradu, ità vt nequeat esse maior, hinc duplex infinitum cogitari potest, vnum Syncathegor. seu in potentia, quòd constituitur in esse per carentiam finis

nis extrinsecã, aliud Cathegor. seu in actu, quod constituitur per carentiam finis intrinsecam, & de vtriusq. natura, & affectionibus hic disserimus.

Notamus 2. quòd si res caret terminis absolutè, & in omni genere, dicitur infinitum simpliciter, & per essentiam; si caret termino in aliquo genere, & ordine, dicitur infinitum in genere determinato V.g. multitudinis, magnitudinis &c. Item carere terminis stat dupliciter, vel priuatiuè, quia nimirum subiectum est capax terminorum, estò illos non habeat, vt si daretur quantitas infinitè extensa; vel negatiuè, quia scil. subiectum est incapax terminorũ. Item hoc contingere potest, vel propter perfectionem, vt Deus perfectissimè infinitus; vel propter imperfectioné, vt est punctum, quod in genere quantitatis non potest habere terminos, quæ interminabilitas summam arguit in tali genere imperfectionem.

Notamus 3. Quod Arist. in hoc 3. Phys. tex. 62. & 63. sic infinitum definiuit scil. *est id, cuius semper est aliquid extra accipere*. Circa quam definitionem vertitur in dubium à Doctoribus, cui infinito conueniat hæc definitio, an Cathegorematico, vel Syncatheg. Vasq. 1. p. disput. 26. cap. 3. nu. 20 affert, ibi Arist. definire infinitũ Cathegor. & in actu. Alij verò affirmant, hanc definitionem esse cõmunem vtriq. infinito, & conuenire illis sm̃ rõnem communem infinitatis, estò non sm̃ rõnes proprias, ità sentire videntur Simpl. Thomist. Philop. & D. Tho. in eũ tex. & sequũtur Ferrar. 3. Phys. q. 3. not. 1. & Amic. tract. 18. q. 1. dub. 3. art. 2. Scot. autem Quol. 5. cit. docet illam esse definitionem Infiniti Syncathegor. seu in potentia, & sequuntur Barg. in 1. d. 3. q. 1. Parisienses 3. Phys. q. 2. collat. 1. Canon. 3. Phys. q. 3. art. 1. & ex Exteris Durand. Albert. Tolet. 3. Phys. cap. 7. super eosdem textus, & Alij, & citantur etiam Auerroes, Burel. & Vicomer.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, allatam definitionem conuenire tan ùm infinito Syncathegor. est Scoti cit. quod probat ex his, quæ ibi habet Arist. de Infinito ab ipso descripto, quia inquit, sicut illud infinitum habet esse in fieri, & in potentia, ità etiam habet rõnem partis, & non totius, sed rationem incompleti, & imperfecti; at hæc de Infinito Cathegor. non possunt intelligi, quia cùm sm̃ omnes suas partes sit positum, & nihil desit ad gradum infinitatis eius spectans, habet rõnem totius, perfecti, & completi, ergo ibi infinitum syncathegor. definit; nã id, quod non ponitur in actu sm̃ omnes sui partes, benè dicitur habere rationem partis, & incompleti, quia semper fieri potest additio, vel partium in quantitate continua, vel numerorum in discreta. Item confirmatur ex processu, quem habet ibi Philos. quia cum tex. 62. posuisset definitionem Infiniti traditam ab Antiquis, *quòd scil. sit id, cuius nihil est extra*, hanc eamdem definitionem impugnat tex. 63. & seq. dicens, hanc eamdem definitionem potius esse totius, quàm Infiniti; probat etiam contra Antiquos non dari infinitum in actu, quod ipsi definiebant, sed tantùm in potentia; & tandem deducit, *Infinitum esse id, cuius semper est ali-*

est aliquid extra accipere, idest habet tantam partium copiam, vt quacumq. parte accepta, semper vltra illam sit aliam accipere. Sic autem explicata definitione à Doct. Infinito Cathegor. applicari nō potest, nā de istius ratione est, vt extra illud nihil penitus remaneat, spectans ad gradum infinitatis eius, nam magnitudo V.g. Cathegor. sic infinita dicitur illa, extra quam alia magnitudo reperiri non potest, infinita Angelorum multitudo est, extra quam nec vllus Angelus reperiri potest; ex qua doctrina, & explicatione colligit Subtil. Doct. quol. 5. cit. quòd definitio Cathegorematici, & *in actu*, est illa, quæ tradita fuit ab Antiquis, si rectè intelligatur, *scil. est id, cuius nihil est extra*, idest cui non solùm nihil deest, eorum, quæ spectant ad constitutionem eius, sed extra quod, nihil penitus remanet in illo gradu, & ordine accipiendum, atque ideò tale infinitum in actu ait Scot. verè esset totū, & verè perfectum; totum, quia nihil sui esset extra; perfectum, quia nihil sibi deesset in illo gradu, & ordine; Vnde nihil posset addi sm̄ rationem quantitatis V.g. nā tāta esset in actu, quanta *in potentia*, si sibi nihil deest quantitatis. Tum quia aliter posset excedi, quòd est contra rationem talis infiniti; & hanc explicationem amplectitur, & sequitur etiam Auersa q. 24. sec. 1. definitione Antiquorū reiecta ab Arist. & ex Recentioribus Scotistis sequuntur Mastr. & Bell. in Phys. disp. 10. q. 1. art. 1. Canon. verò loc. cit. sequitur definitionem Arist. 1. Cęli 130. *scil. est id, quo non est maius, nec esse potest.*

Ex Præfatis definitionibus oritur maior difficultas, ex vi .n. illarum non videntur differre hæc duo infinita, nisi per actualitatem, & potentialitatem; Vndè Aliqui colligunt, q hæc duo genera infinitorum non differunt in extensione, siue continua, siue discreta, sed tantùm in modo essendi potentiali, vel actuali, quatenus scil. magnitudo, vel multitudo Syncathegor. infinita, includit actū permixtum potentiæ, atq. adeò habet modum essendi imperfectum, nā quæcumq. ex ea multitudine existūt, sunt simpliciter finita, infinitudo verò Cathegor. dicit actualitatem, & simultatem omnium suarum partium; ex quo deducunt, quòd si per impossibile simul acciperentur, & ponerentur in actu partes omnes infiniti Syncathegor. tunc multitudo illa euaderet Cathegorematicè infinita, cùm non differant in multitudine ipsa, vel magnitudine, sed solùm in modo essendi ipsius, & ità etiam loquuntur Doct. illi, qui disp. præcedenti dicebant in continuo reperiri partes proportionales actu infinitas, eo quia singulæ actu sunt in continuo, & nulla illarum est in potentia ad existendum, sed solùm in potentia ad diuidendum cui sententiæ videtur adhærere Scot. quol. 5. cit. cum ait: *Si semper cresceret quantitas infiniti per acceptionem partis post partem & imaginaremur omnes partes acceptabiles esse simul acceptas, & simul remanere, haberemus infinitam quantitatem in actu quia tanta esset in actu quāta in potentia* (*Idem habet in 1. d. 2. q. 2.*) §. *Ostenso proposito &c.* supra Aa. vbi inquit: *quæcumq. sunt infinita in potentia, ità quod accipiendo alterum post alterum, nullum pote-*

sunt

runt habere finem. illa omnia si simul actu sunt, sunt infinita actu. Et hûc modum dicendi sequuntur, qui tenent multitudinem infinitam Syncathegorematicè rerum possibilium sm̃ existentiam realem, esse Cathegor. infinitam in cognitione Diuina ob simultaneam, & actualem existentiam obiectiuam, quæ videtur mens Scoti loc.vlt.cit.& tenent Ruu. tract. de Infinito q. 2. Murc.3. Phys.disp.2.q. vlt.Granat.Gonz.& Alij,attamẽ pro veritate pugnantes.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. hæc duo infinitorum genera inter se differre, non solùm in modo essendi potẽtiali,vel actuali, sed etiam in extensione ipsa, siue cõtinua, siue discreta, ità quòd si omnes infiniti Syncath.partes simul ponerentur, & in actu, adhùc multitudo illa, dici deberet infinita Syncath. & non Cathegor.est ad mentẽ Scoti, & in terminis tradunt Mastr.& Bell. loc. cit. quam prius docuit Tromb. tract.de plurificatione animarũ Contra Auerr. vbi ait, quòd admissa mundi æternitate, & animarum immortalitate, tunc non forent nisi infinitæ animæ Syncathegorematicè,& ex Exteris sequuntur Albertin.com. 2.de prædicam. quant. disp.4 q.2. & Auersa q.22.sec.8.ad 3.& non minus expresse colligitur à Doct.quã sent. opposita,nam 2.Meth.q.6. §. *Ad rationes &c.* in solutione argumenti de animabus hominum, posita generatione perpetua, qua probatur infinitum in actu, sic ait: *Si omnes animæ humanæ,quæ fuerunt, posita generatione à parte ante, siue si omnes partes in potentia in magnitudine essent, non essent infinitæ actu,coniungendo infinitatem cum actu,vnde fortè posset concedi, quòd actu essent infinitæ in potentia, quia non sunt tot quin plures possint esse,infinita in actu tot sunt, quòd non possunt plura compossibilia esse*. Et parum infra iterum ait, quòd successiua infinita si essent simul,non essent infinita, vel si essent tot homines simul, quot fuerunt successiuè, non essent infiniti actu, quia finiti fuerunt in accipiendo,& in potentia. hinc Tromb. & Tatarer. conantur ostendere Scot. pro hac sententia stare. At Cauellus in Meth. Scot. lib. 2. q. 6. scol.1. & 2.asserit, Doct. in hac materia de Infinito varium fuisse, nec vnquam expressè se determinasse, sed variè varijs in locis locutũ fuisse. cui Mastr.& Bell. etiam adhærent. Quicquid igitur sit de mente Doct. conclusio pro hac parte est probabilior, & ità facilè probatur.

Ratio infinitatis Syncathegor. est, quòd eius partes non sint tot, quin plures possint esse, & plures accipi, & signari; Ratio verò infiniti Cathegor. est, quòd eius partes tot sint, quòd nequeant esse plures, quæ rationes ità oppositæ sunt, vt contradictionem præseferant, vt benè docuit Tromb.ergo hæc duo infinitorum genera inter se differunt, & non solùm in modo essendi potẽtiali,vel actuali, sed ex ratione, & natura illarũ multitudinum, adhuc tali modo præciso, & ratio huius est ait Tromb. quia infinitas Synchat. consistit in accipiendo partẽ post partẽ de hac multitudine, & sic successiuè,vnde si per impossibile esset infinitæ species in actu quantum ad vnitates materiales, tũ præcisè essent infinitæ in potentia,

modus

modus namq. suæ infinitatis est per acceptionem intellectus, accipiendo partem post partem in infinitum; vbi per oppositum, modus infinitatis Cathegor. est perfectus, & completus, cõsistẽs in eo, q eius partes sint simul in maxima, & suprema multitudine, & tot sint, quòd plures esse nequeãt.

Dices, ex hypotesi impossibili, q infinitum Syncathegor. ponatur totũ in actu, sequitur hoc aliud impossibile, quòd intrinsecè attingat infinitatem. Non valet, nam ex hypotesi impossibili non sequitur per locum intrinsecum impossibile quodcumq. sed tantùm illud, quòd necessariam habet connexionem cum tali hypotesi, V.g. ex hypotesi, quòd lapis est animal, sequitur quoq. ipsum fore sensitiuum, non sequitur tñ quod non sit corporeus; sic in proposito, ex eo, quòd infinitum Syncathegor. sit totũ simul, sequitur solùm compossibilitas partium, non autem maior pluralitas, & huius ratio est, quia multitudo variari non potest, nisi varietur principium multitudinis, quod est vel differentia specifica, vel indiuidualis, sed existentia à parte rei non est tale principium, cùm supponat iam rem cui aduenit, determinatam esse in specie, & in indiuiduo, ergo etiam si illa multitudo poneretur in actu, tanta erit, quanta erat multitudo possibilis, & non amplius, sed hæc erat finita in infinitum, ergo sic etiam si in actu poneretur, res .n. in actu, & in potentia, eiusdem speciei est.

Hinc aduertendum est, vt eruditè ostendunt Bell. & Mastr. loc. cit. nu. 7. quòd potentialitas, quæ infinitum Syncatheg. constituit, vt sic, est indeterminatio illa accipiendi partem post partem in infinitum, & capacitas, quàm habet, vt possit adhuc augeri per maiorem, & maiorem accessum ad infinitatem, & in hoc sensu præsertim infinitum Syncatheg. & Catheg. distinguuntur, nam indeterminatio illa accipiendi partem post partem, licèt sit propriè infinitatis Syncatheg. potest tñ aliquo modo etiam Catheg. applicari, sed capacitas augmenti nullo prorsus modo Catheg. conuenire potest, nam de ratione eius est, quòd nihil extra illud remaneat spectans ad infinitatem in illo ordine; Vnde Infinitum Syncatheg. siue à parte rei determinatas, & finitas habeat partes, siue indeterminatas in infinitum, adhuc tñ semper illi additio fieri potest, & semper maius, & maius incrementum suscipere; & dicitur Syncathegor. quia sicut apud Logicos terminus Cathegor. est ille, qui est absolutè significatiuus sine addito, Syncatheg. verò cum addito, Vnde nomen est terminus Cathegor. aduerbium Syncathegorematicus; infinitum primi generis rationabiliter dicitur Cathegor. quia absolutè, & directè infinitum significat, & sine vllo addito infinitatem attingit intrinsecè; ideò dicitur infinitum nominaliter; nomina .n. significant absolutè, vt homo, leo &c. Infinitum verò secundi generis etiã recta ratione dicitur Syncathegor. quia non dicitur infinitum, nisi considerando additionem, quæ semper, & semper fieri potest, ideò non dicitur nominaliter tale, & in recto, sed solùm aduerbialiter tale, & in obliquo scil. finitum in infinitum, aduerbia .n. non significant absolutè, sed cum addito, & in obliquo.

Obie-

Obiectiones.

Ob. Contra primam Concl. probando, quòd definitio Arist. 3. Phys. 63. *scilicet esse id, cuius semper est aliquid extra accipere*, cõueniat etiã infinito Cathegor. Nam Philos. edidit illam definitionẽm ad euellendã definitionem Infiniti traditam ab Antiquis, sed illi definierunt, vel Infinitum Cathegor. vel in communi, ergo eius definitio, quę illi Antiquorum opponitur, de eodem Infinito Cathegor. esse debeat, vt contra Aduersarios vim haberet. ℞. Quod Arist. contra Antiquos inuehitur, quòd ponebant infinitum in actu, illud definiendo, modo supra allato, quòd ipse negat, & solùm admittit infinitum in potentia, quòd oppositas cõditiones habet, in quo sensu destruere quærit positionem, & definitionem Antiquorum, saltem implicitè, explicitè verò alijs rationibus contra Infinitum in actu, & Cathegor. insurgit, ideò negatur consequentia.

Contra Secundam arguitur, quòd hæc duo Infinitorum genera non differunt in extensione continua, vel discreta, sed tm̃ in modo essendi actuali, vel potentiali; si tota hominum multitudo poneretur in actu, non posset Deus alios homines producere, quia iam omnes possibiles supponuntur producti, ergo erit infinita Cathegor. ℞. Quod ex illo impossibili, quòd tota infinitas Syncatheg. poneretur simul in actu, sequeretur per necessariam connexionem aliud impossibile, quòd ei non posset fieri additio, adhuc tñ illa multitudo non esset Catheg. infinita, quia repugnãtia additionis non proueniret ex ratione intrinseca ipsius multitudinis, sed ab extrinseco ob impossibilitatẽ aliarum rerum. Sed quid mirum? posito vno inconuenienti, plura sequũtur.

Ob. In vtroq. infinito reperitur magnitudo, vel multitudo sine termino, ergo solùm differunt in modo essendi potentiali, & actuali. ℞. Distinguendo antecedens, vtraq. caret termino, sed vni est intrinseca talis carentia, quia intrinsecè infinitatem attingit, alteri extrinseca, quia dicit potentiam ad actum nunquam explebilem, ideò falsa consequentia.

Ob. Arist. 3. Phys. à tex. 56. hæc duo infinita distinguit, quia vnum est in actu, alterum in potentia, nec vnquã meminit diuersitatis sm̃ magnitudinẽ, vel multitudinem, ergo &c. ℞. Ideò Arist. hæc duo genera infinitorũ per actum, & potentiam distinguere, quia prorsus implicat Infinitũ Syncatheg. esse aliquando totum in actu, nam de ratione eius est, vt semper aliquid extra illud remaneat addendum, at Cathegor. semper est in actu, ideò potius astruitur ex hoc, differentia essentialis in hæc Infinita, quàm differentia tantùm in modo, & accidentalis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Infinitum possit esse maius, vel minus, & Num. Infinito possit aliquid addi, vel detrahi.

Scot. resolutionẽ huius dubij tradit quol. 5. sub A. vbi manifestè docet Infinitum in actu non posse excedi. Idem habet in 1. d. 2. q. 2. §. *Quarta via &c.* & in 2. d. 1. q. 3. ad vlt. & alibi. Pro cuius captu Notãmus, varia esse attributa, quæ de infinito

infinito confusè enumerari solent, non distinguendo cui nã infinito cõpetant, quæ tũ si distinctè explicentur, ad maiorem Infiniti intelligentiam conducent. Primò igitur infinitũ dicitur mensurari non posse, quod attributum vtriq. conuenit Infinito, & ratio est euidens, illud .n. dicitur mensurari, quòd determinatè cognoscitur quantum sit, tantum scil. & non minus; at hoc de nullo infinito verificari potest, vt ex dictis patet, ergo &c. Resp. Auersa q.24.sec.2. Infinitum esse immensurabile per mensurã finitam, adhuc tñ adæquatè mensurari potest per mensuram pariter infinitam, vt si data prius quadam multitudine infinita, illi comparetur alia multitudo infinita, & inueniatur illi æqualis, ac proportionata, & sic dicatur esse tanta quanta est illa, ac pariter infinita. Non valet, nam mensurare propriè loquendo est deuenire in cognitionẽ quantitatis ignotæ, per alteram notiorem ex Doct. quol. 13.M. at vnum Infinitum non est notius alio, ergo &c. Secundò dicitur Infinitum totaliter pertransiri non posse, nec numerari, quòd Arist. innuit 3. Phys. 41. & ratio est similiter euidens, nam illud totum numeratur, & pertransitur, ad cuius vltimũ peruenitur, sed hoc repugnat Infinito, ergo &c. quod attributum etiã vtriq. Infinito conuenit, quia vtrũq. vltimo caret. Tertiò dici solet Infinitũ esse ignotũ, & cognosci nõ posse, quod etiã Arist. docuit 1. Phys. 35. & lib. 3. tex. 63. & ratio est, quia semper aliud, & aliud remanet cognoscendum, quòd etiam vtriq. Infinito conuenit, vt patere potest, & hoc attributum declarat Scot. in 1.d.3.q.1. ad 3. princ. vbi inquit, Infinitum dicitur ignotum, non quod à nullo intellectu possit intelligi, quia intelligitur ab Intellectu Infinito, & fortè etiam ab intellectu animæ Christi, vt ipse docet in 3.d.14.q.2. sed hoc intelligitur de intellectu cognoscente ipsum Infinitum sm modum suæ infinitatis, qui modus est accipiendo alterum post alterum, & intellectus, qui sic cognosceret, semper aliquod finitum cognosceret, & nunquam Infinitum; & in hoc sensu est Arist. intelligendus, vt ex eius doctrina patet.

His præhabitis dubitatur, an Infinitum possit esse maius, vel minus, & multi affirmatiuè respondent, ne dũ de Infinito Syncatheg. sed etiam de Cathegor. ità sẽtire videtur D. Tho. 3.p.q.10.art.3. vbi etiam Caiet. Ferrar. 3. cõtra Gen. cap. 57. Mas. 3. Phys. disp. de Infinito sec. 1.q.4. Ruu. in 3. Phys. tract. 2.q.4. Hur. disp. 13. Phys. sec. 2. §. 21.q.4. Arriag. disp. 13. Phys. sec. 1. Complut. disp. 18. de Infin. q.7. & ex nostris Fuentes 3. Phys. q.3. diff. 2. art. 2. Alij verò Resp. cum distinctione, affirmando de Syncathegor. negando de Cathegor. inter quos est etiam Scot. sumus cum hac 2. sententia, ideò

Conclusio Prima.

Dicimus primò, Infinitum Cathegor. nullatenus maius, & minus suscipere posse, bene verum Syncathegor. est Scoti loc. cit. initio art. quem sequuntur eius discipuli Mayron. in 1.d.43.q.10. Bassol. 2.d.1.q.5. Canon. eruditè 3. Phys. q.3. art. 3. & ex nostris Carpened. in sua Phia lib. 4. tract. 3.q.6. assert. 2. nu. 3. ex D. Bonauen. Mastr. & Bell. disp. 10.q.1. art. 2. & ex Exteris Conimb. Auers. loc. cit. &

cit. &

cit. & Alij: Probatur primò, quòd Infinitum Cathegor. suscipere non possit maius, & minus ex 1. de Cœlo. tex. 130. vbi Philos. ait, *determinatū est aliquo modo infinitū tempus, quo non est maius*. quod Expositores cōmuniter intelligunt de Infinito in actu, & Cathegor. nam de rōne Infiniti Syncathegor. est, vt sēper possit augeri, & incrementum recipere. Hinc aiunt Theol. quod Infinitum Cathegor. non solùm sm̄ existentiā, sed neq. etiam sm̄ imaginationem potest maius suscipere, & ideò quia Deus est Infinitum ens, describitur ab Anselmo, *quo maius excogitari nō potest, ergo* ab intrinseco repugnat Infinito excedi ab alio, in eo genere, in quo est Infinitum. Tum quia Infinitum in entitate dicitur illud, cui nihil entitatis deest eo modo, quo possibile est omnem entitatem haberi in aliquo vno, & ex hoc probant Theologi Deum esse simpliciter, & in omni genere Infinitum, quia ità omnia continet, vt nihil sit extra ipsum, idest nihil sit, quòd in eo eminenter non contineatur, & ideò dicitur omnem essendi plenitudinem habere. Tum quia Infinitum in actu, & Infinitum in potentia debent per opposita definiri, vt Canon. docet loc. cit. Sed Infinitum in potentia definitur, *cui aliquid deficit, & cuius est semper aliud, & aliud accipiendum*, ergo Infinitum in actu definiri debet per hoc, *quòd nihil sibi deficit in eo genere, in quo est infinitum*. Tum quia, quòd est imperfectum in aliquo genere, non est infinitum in eo genere, Infinitum.n. in aliquo genere dicitur id, quod habet omne spectans ad illud genus; hinc Infinitum V.g. albū, est illud, quod habet omnes gradus albedinis possibiles, sed omne excessum in aliquo genere est imperfectū respectu eius, à quo exceditur, ergo respectu eius non est infinitum. Tum quia in quantitate continua illa dicitur extensio infinita, quæ vlterius, & vlterius fine termino protenditur, ergo repugnat dari lineam infinitam, quæ non extendatur sicut altera, nam finiretur ibi, vbi incipit ab alia excedi, & esset tanta, & non maior. Sic deniq. in quantitate discreta, si vnus numerus est alio minor, ergo hic non erit tantus, quantus ille, nec tot vnitates includit, quot ille, ergo erit finitus, & nō infinit⁹. ità Bell. & Mastr. loc. cit.

Resp. Auctores primæ sent. quòd hæc, & similia argumenta probant solùm, non posse dari vnum Infinitū maius alio formaliter, & in ratione Infiniti, ratio .n. infinitudinis consistit in indiuisibili, nēpe in negatione termini, adhuc tñ stat vnum Infinitū esse maius altero, vel æquale materialiter, quantum scil. ad res numeratas, ex quibus componitur; & in hoc sensu, aiunt, maior est multitudo Infinitorum Angelorum, & hominum simul, quàm Angelorum tantū. Responsio satis familiaris Recentioribus oppositæ sent. sed falsa. Primò, quia infinitas in hoc sensu, in quo loquimur, non est forma simplex, & indiuisibilis, sed diuisibilis, & ratio est, quia poneretur in subiecto diuisibili, nam ipsa negatio finitudinis extenderetur ad extensionem rerum, quæ dicuntur infinitæ, vnde infinitas erit tota in tota multitudine, & non tota in qualibet eius parte. Secundò, quia sicut numerus formaliter sm̄ ipsos

ipsos non est aliqua vna forma ex natura rei distincta à rebus numeratis, sed est aggregatio plurium vnitatum, ità infinitum non erit nisi aggregatio quædam plurium vnitatum, atq. ideò si vnitates aggregatæ plus, & minus recipiunt, Infinitum quoque erit maius, & minus formaliter. Tum quia solutio hæc seipsam destruit, nam eo ipso, quòd admittunt, vnum Infinitum aliud excedere materialiter, coguntur admittere, quòd excedit etiã formaliter, ratio .n. formalis infinitudinis consistit in negatione termini, sed eo ipso, quòd vnum Infinitum exceditur ab alio, ità finitur, & terminatur, quia desinit ibi, vbi excedi incipit. ergo. ex qua doctrina colligitur, quòd si daretur multitudo infinita hominum, maior esse deberet infinitas oculorum, & infinitas capillorum vtroq. maior, quòd concedimus, posito .n. primo impossibili, per necessariam connexionem alia sequerentur, sed quia nos ostendimus illud in terminis repugnare, ideò ab hac sententia recedimus.

Quod verò Infinitum Syncatheg. recipere possit magis, & minus, patet ex ratione ipsius Infiniti Syncatheg. quæ est, extra illud semper remanere aliquid addendum. Tum quia sub vna specie possunt indiuidua multiplicari in infinitum, & similiter sub alia specie, at maior est numerus indiuiduorum possibilium sub vtraq. specie, quàm sub vna tantùm, ergo &c. Tum tandem, quia à creatura plures, & plures effectus produci possunt, sed adhuc plures produci à Deo, sicut maior est potentia Dei, quàm creaturæ, & tñ hæc omnia sunt infinita Syncatheg. & in potentia, ergo &c.

Sed Contra hanc doctrinam vrgêt Complut. loc. cit. nu. 85. dicentes, quòd si valeret, etiam valeret pro Infinito Catheg. in quo ipsi admittũt maius, & minus materialiter, asserentes, Infinitum minus habere terminum extrinsecum in comparatione maioris, quatenus non pertingit ad habendam tantam materiã, quantam numerus maior, non tñ ex tali minoritate sequi, quòd habeat terminum intrinsecum, vt possit in eo signari prima, aut vltima vnitas, & afferunt exemplum, si per impossibile daretur aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis intra latitudinem entis creatis, tunc, & si non haberet terminum in sua perfectione, haberet tñ pro termino extrinseco Infinitam Dei perfectionem, quia quantumuis perfecta, nunquam pertingeret ad perfectionem Dei, & nihilominus talis creatura non obid amitteret infinitatẽ in latitudine entis creati. Non placet, & ratio est euidens, quia idcircò valet solutio ad tollendam difficultatẽ contra Infinitum Syncathegor. quia hoc non habet terminum intrinsecum, sed extrinsecum, nempe infinitatem ipsam, siue magis, siue minus ad eam accedat; At Infinitum Cathegor. habet pro termino intrinseco infinitatem ipsam actualem, nec in tali attingentia intrinseca potest latitudo illa admitti, quæ in extrinseca reperiri potest; & ideò exemplum allatum potius nobis, quàm illis fauet, si .n. tale Infinitum in entibus creatis daretur, intrinsecè infinitatem propriam attingeret, & non extrinsecè tantùm.

Aliud dubium est, an Infinito possit aliquid addi, vel detrahi. Resp.

Ali-

Aliqui, de Infinito Cathegor. in quātitate continua nihil posse addi, vel detrahi, qua parte Infinitum est, benè in qua parte est finitum, vnde si daretur linea hinc incipiens, & in infinitum tendens versus occidentē, benè posset illi ex hac parte addi, vel detrahi, quia finita est, at non ex alia. De Infinito autē Cathegor. discreto, absolute fatentur posse augeri, & minui intra latitudinem infinitatis, sicut decem additi numero centenario, vel ab eo detracti non tollunt rōnem numeri finiti, & tñ intra limites finiti constituunt maiorem, vel minorem numerum; Nos autem negatiuè respondemus de infinito Cathegorem.

Ratio est, q̄a Infinitū intra latitudinē infinitatis nō pōt suscipere magis, & minus ex dictis in conclusione, ergo neq. augeri potest, neq. minui; & assumpta paritas de multitudine finita nil valet, quæ intra latitudinē numeri finiti suscipit magis, & minus. Si dicant, Infinitum in additione non fieri maius, nec in detractione minus, hoc est probandum, repugnat .n. naturæ additionis, & detractionis, nam additio partiū alicui toto, illud auget, sicut detractio minuit. Tum quia Infinitum in aliqua specie includit omnes res possibiles in illa specie, nam Infinitum est, quo maius non solum dari, sed nec etiam cogitari potest in eo genere, ergo neq. additionem, neq. detractionem suscipere potest. Resp. Aliqui, quòd duplex esse potest infinitas hominū V.g. Vna vndequaq. complectens omnes prorsus homines possibiles, & huic non potest addi alius homo: Altera determinata, quoad vnam seriem hominum, quę series infinitatis non est capax aliorum hominum, si tota est producta; quòd si alij sunt producibiles, incipiunt aliam infinitatem, sicut si numerus denarius esset vltimus numerus, quo non possit esse maior; si fierent aliæ vnitates, non cresceret numerus denarius, sed fieret alius numerus denarius: & fuit responsio Mayr. in 1.d.43.q.10.art.2. Non satisfacit, nam ex Doct. quol.5. natura Infiniti Catheg. est, quòd nihil sibi deficiat, in eo genere, in quo est Infinitum; hinc Infinitum in magnitudine est id, cui nihil deest magnitudinis, & infinita multitudo indiuiduorum in aliqua specie est, quæ absorbet omnia indiuidua possibilia sub illa quacumq. serie excogitabili. Tū quia non sunt compossibilia plura Infinita formaliter in eodem genere, vt Scot. docet quol. cit. alioquin in genere entis esse possent duo entia Infinita, & duo Dij. Tum quia in hac serie non tot homines essent, quot in illa, quæ omnes homines possibiles absolutè includeret, ergo si non tot sunt, quot sunt illi, quomodo erunt Infiniti? de ratione Infiniti est, vt non habeat terminum, & quo maius excogitari non potest; At maior multitudo esset in primo Infinito, quàm in secundo; & plures vnitates essent sub duplici serie, quā sub vna. Quænam ratio infinitatis est hæc? vbi incipit ab alia infinitate excedi, ibi incipit terminari, & finiri, quod est contra rationem infinitudinis absolutè, ergo tenendum est, quòd naturæ infinitatis Cathegor. siue in cōtinua, siue in discreta quantitate ponatur, prorsus repugnat additio, vel detractio, sicut repugnat magis, & minus; & tñ huic sententiæ conce-

dendum est, quòd si tale infinitum darctur, posset ei aliquid addi, vel detrahi, quis .n. negare posset, quòd Deus ex infinitis hominibus productis non possit aliquos annihilare, alijs remanentibus? non vtiq. maiorem dependentiam habent partes inter se vt componunt infinitum, ac vt finitũ constituunt; atque ideò sicut quælibet pars multitudinis finitæ potest destrui, alia remanente, idem de partibus infinitis dici poterit; & Deus iterum reproducere potest illos homines, & addere infinitis, qui remanserunt. Quòd si hæc inter se pugnare videntur, mirum non est, quia hæc quoq. est vna ratio implicantiæ contra Infinitum, vt Scot. docet in 1. d. 2. q. 2. ad 2. Princip. at posito vno impossibili, plura sequuntur; posito, quòd homo sit leo, benè sequitur, quòd sit rugibilis.

Quòd autẽ Infinitum Synchatheg. capax sit additionis, & detractionis, patet experientia, nam quodlibet continuum quod iam constat ex partibus proportionalibus Syncathegorematicè infinitis, potest in Infinitũ crescere per appositionem, & decrescere per subtractionem, & diuisionem. Tum quia hoc infinitum talis est conditionis, vt semper extra illud remaneat aliquid accipiendum, ergo semper est aliquid extra, quòd potest addi. Tum quia hoc Infinitum dicitur incompletum, ergo semper est capax additionis, per quam affertur semper complementum maius, & accessus ad Infinitatem. Dices, si Infinitum Cathegor. non potest incrementum, & additionem suscipere, ergo erit terminatum, & limitatum, quòd est contra rõnem Infiniti. ℞. Negando conseq. ratio est, quia Infinitum Catheg. est illud, quod quoad ea, quæ actu, & de facto includit, caret terminis, seu finibus, vt patet in Deo, in quo non est excogitabilis alia perfectio, quæ in ipso non reperiatur, & ideò non potest incrementum accipere. At Infinitũ Syncatheg. est illud, quòd est finitum in infinitum, vel est illud, quod sm̃ ea, quæ actu habet est terminatum, & finitum, sed sm̃ ea, quæ potest habere, caret termino, & fine.

ARTICVLVS TERTIVS.

An dari possit Infinitum Cathegor. secundum essentiam in Creatis.

Scot. etsi in pluribus locis sparsim de hoc art. disserat, pressè tñ, & ex instituto ipsum resoluit in 1. d. 18 q. 3. ℞. Aduertimus, hic non loqui de Infinitate essentiali in tota entis latitudine, quia in hoc sensu Infinitum est id, quod absorbet omnem perfectionem possibilem in ratione entis, & hæc solùm competit Deo, & est incommunicabilis creaturæ, nam hæc infinitas inter cæteras perfectiones includit etiam independentiam, quæ creaturæ repugnat; Vnde sensus quæsiti est de infinitate essentiali sub latitudine entis creati, an scil. dari possit creatura, quæ dicat perfectionem specificam infinitam, adhuc tñ à Deo dependentem, & hoc siue in genere substantiæ, siue in genere accidentis. Auersa cum aliquibus q. 43. sec. 8. & 9. licèt defendat cum cõi repugnare Infinitum in intensione, extensione, & multitudine, concedit tñ esse possibile Infinitum in perfectione essentiali, & specifica, quia hæc infinitas non est per modum latitudinis intensiuæ, vel extensiuæ, sed indi-

indiuisibiliter se habet, cōis tñ opinio est negatiua, quam sequimur.

Conclusio.

Dicimus, Dari non posse creaturā Cathegorematicè infinitam sm̃ gradum specificum. Est Scoti loc.cit.& communis in vtraq. schola Thomist. & Scotist. sed probatu difficilis. Scotist. eam probare solent, quia talis creatura si daretur, esset ens per essentiam, & non per participationem, quia haberet perfectionem essentialem sine termino, & cum tota plenitudine essendi, atque ità non esset creatura, sed Deus, ità Faber in 1. d. 22. & in 3. disp. 29. & 12. Meth. disp. 12. cap. 2. Fuentes 3. Phys. diff. 2. q. 3. art. 1. Vulpes tom. 1. p. 1. disp. 13. art. vlt. & Alij. Sed non placet, nam ratio hæc ostendit tantùm creari non posse Infinitum sm̃ essentiam in tota latitudine entis; At nos hic inquirimus de Infinito in latitudine entis creati, quod dependentiam non excludit, & malè deducitur ex infinitate entis creati in aliquo certo genere, Infinitas simpliciter, & in tota eius latitudine ait Scot. loc. cit. & ratio est, quia data creatura sic perfecta, adhuc à Deo excederetur, & respectu eius non esset infinita, sed tm̃ respectu creaturarum sub ipsa possibiliũ, ideò nisi aliqua alia ratio addatur, non probat.

Thomist. autem vt Complut. 3. Phys. disp. 18. q. 2. probant ex eo, q̃a quicquid est sub aliquo genere debet esse finitum sm̃ essentiam, nam differentia limitat naturam generis, & cũ omne genus diuidatur per differentias oppositas, quarum vna excludit perfectionē alteri⁹, necessariò vtraq. debet esse determinatę perfectionis in illo genere, & ideò repugnat aliquid esse sub genere, & habere infinitam perfectionem essentialem, quam etiam ratione vtitur Scot. loc. cit. vbi excludit Deum à genere, quia quicquid est in genere est ens limitatum. Sed neq. hæc ratio conuincit, nam inclusio rei sub genere, tollit solum ab ea infinitatē in tota latitudine entis, quia excludit ab ea esse à se, esse actum purum, habere necessitatem essendi &c. non tñ excludit infinitatē essentialem in eo genere; & in hoc sensu Scoti rōnes ibi procedunt, probat. n. quod Deus non est in genere, quia tunc non esset à se, actus purus, & summè necessarius. Tum quia licèt differentia limitet naturam generis, & distinctam speciem ab alijs cōstituat, non tñ limitat naturam speciei, nisi ipsa differentia supponatur finita, sed si in eo genere differentia esset infinitæ perfectionis, vt supponunt Aduersarij, nihil concluderet argumentum. Tum quia falsum est, infinitatem vnius speciei fore ablaturam existentiam, & possibilitatem aliarum sub eodem genere; nam anima rationalis virtualiter cōtinet perfectiones aliarum animarum quarum tñ non impedit existentiā; & Deus, qui est infinitus in ratione entis, & totus oppositus enti creato, non tñ impedit aliorum entium existentiam, & possibilitatem.

Eodem modo responderi potest ad rationem M. Iacobi Bruni q. 14. Phys. art. 1. qui ex hoc medio probat non posse dari infinitam creaturam in essentia, quia Infinitum est id, quod caret terminis, sed quælibet creatura in sua essentia est terminata per suum genus, & propriam differentiam, cum

cùm sit in prædicamento, ergo non potest esse infinita. Non valet, nam hæc probatio solũ ostendit non posse dari creaturam infinitam in genere entis, non autem sub aliquo determinato genere. Tum quia Aduersarij dicerent, rationem valere, si in illo genere differentia esset finitæ perfectionis, non autem si esset infinitæ perfectionis, & virtualiter contineret differencias omnium specierum inferiorum, nam & si differentiæ oppositæ sunt incompossibiles formaliter sm̃ proprias, & specificas rationes, non videtur tñ implicare, quòd ābæ virtualiter in aliqua eminentiori differentia contineantur, quod patere potest de assensu, & dissensu, quòd licèt simul coniungi non possint sm̃ proprias, & specificas rõnes formaliter, virtualiter tñ in eadem potentia intellectiua coniunguntur, & continentur. Alij ex alijs capitibus hanc impossibilitatem deducunt, sed semper insufficienter, vt viris eruditis innotescere potest. Alij sic probant, Infinitum opponitur finitio, sed creatura est essentialiter finita, vel saltem finitas est modus intrinsecus creaturæ, ergo non potest esse essentialiter infinita. Tum quia quod est realiter cum aliquo identificatum, per nullam potentiam potest ab eo separari, sed finitas, cum sit modus intrinsecus creaturæ est realiter identificata cum ipsa creatura, ergo per nullam potentiam potest ab ea separari, & euadere creaturam cum intrinseco modo opposito, vt est infinitas, quæ vel est modus intrinsecus Dei, vel de eius essentia, sm̃ variam Scotist. opinionem. Neq. hæc ratio concludit tantùm in genere entis, nã in quocumq. genere ponatur creatura, semper cum suo modo intrinseco reperitur. Vnde licèt infinitas non repugnet enti creato in quantũ ens est, repugnat tñ ei in quantum creatum est. Isti cautius procedunt, sed quia Multi Thomist. negare possent quod finitas in creatura sit identifica realiter, sicuti negant, quòd existentia, quæ est intrinsecus modus essentiæ realiter identificetur cũ essentia; Ideò vniuersalius, & euidentius probatur ex omnib. illis rõnibus, quibus ostendemus, quacumq. specie data posse adhuc Deum creare perfectiorem, & perfectiorem, & sibi in infinitum proximiorem in tota latitudine creaturarum, si.n. posset aliquam creare infinitam, quia perfectiorem non posset, concludi necessariò deberet, talem speciem non distare à Deo in perfectione, quia si distaret, certè super ipsam aliam, & aliam perfectiorem creare posset, & ità arguit Bassol. 1. p. q. 7. art. 4. dub. 13.

Obiectiones.

Ob. Potentia agentis tota manifestatur, & resplendet in vnico effectu, sed potentia Dei est infinita in actu, ergo producere põt effectũ infinitum in actu. ℞. Cũ D. Tho. 1. p. q. 25. art. 2. ad 2. maiorem esse veram de agente vniuoco, non æquiuoco, vt est Deus, ideò negatur conseq. Vnde satis proportionata est infinitæ potentiæ Dei illa successiua, & inexhausta productio plurium, & plurium specierum possibilium in infinitum, quod per nullam potentiam fieri potest, non ob id tñ potentia ipsa Dei dici debet finita in infinitum, sicut obiectum ipsum possibile, sed est tota

tota actu, & per se perfecta in sua entitate, continens virtualiter, & eminenter perfectiones specificas omnium effectuũ possibilium sic infinitorum; & si effectum infinitum in essentia non attingit, defectus non oritur ex parte Dei, sed ex repugnantia ipsius rei. satis etiam talis effectus est Dei potentiæ proportionatus, si attendatur modus, quo potest produci à Deo, scil. ex nihilo creari.

Ob. Si Deus per impossibile ageret necessitate naturæ, certè effectum infinitum produceret, tunc .n. totam virtutem suam applicaret, ergo idẽ nunc efficere posset, cum ei liberum sit suam virtutem totaliter applicare, vel non. ℞. Quod admissa illa hypotesi impossibili, negatur conseq. nam hoc oriretur ex incapacitate subiecti, cùm .n. tale infinitum in essentia creaturæ sit impossibile, produci non potest à Diuina virtute, potentia .n. Dei non est ad impossibilia.

Ob. Hæc infinita perfectio in essentia adhuc esset infra perfectionem Diuinam, quia esset in certo genere, non in tota latitudine entis, ergo nihil obstat quin produci possit; ℞. Negando antecedens, qu a tali perfectioni infinitæ, vel Deus potest addere gradum perfectionis, & aliã creaturam perfectiorem reddere, vel nõ, si potest, ergo illa creatura, non erat infinita, si non, ergo talis infinita perfectio non esset infra perfectionẽ Diuinam, sed ei æqualis, si Deus non posset perfectiorem facere.

Arguit Auersa, quòd non solùm possibile sit infinitum in essentia, sed quòd de facto detur in rebus supernaturalibus, & moralibus. Patet de Vnione Hypostatica, quæ cùm Persona Diuina sit infinitæ excellentiæ: Omne opus Christi Dñi erat infiniti valoris: peccatum dicitur esse infinitæ grauitatis, quia est offensa Dei infinitè digni: Visio Beatifica est infinitæ excellentiæ, quia clarè attingit Deum, ergo &c. ℞. Nullum horum relatorum inferre infinitum in essentia, vt benè etiam docet M. Iacob. Brun. loc. cit. nam nec vnio Hypostatica excedens omnes possibiles vniones, est infinita in genere vnionis; nec visio beata excedens omnes visiones possibiles inferioris ordinis, est infinita in genere visionis; nec per hoc, quòd Deus excedit omne ens, rectè colligitur, quòd sit infinitus in genere entis, quia potest saluari excessus per rationem indiuisibilem ordinis superioris sine infinitate; & aliud est ens perfectissimum, & supremum; Aliud ens Infinitum, homo .n. est perfectissimus, & supremus in genere entis corporei, non tñ infinitus in tali genere. Sic etiam licèt vnio Hypostatica spectet ad ordinem supernaturalem, est tñ Physicè finita, sicut & Christi meritum, & censentur infinita moraliter tantùm. quatenus ex Verbo quamdam contrahunt dignitatem infinitam, & excellentiã sm moralem existimationem, quæ infinitas etiã in genere moris nõ dicit propriè rõnẽ infinitatis positiuæ, sed potius cuiusdam summitatis, & excellentiæ in certo genere; sicut etiã & peccatum è contra, dicitur esse infinitæ grauitatis, quia .n. est offensa Dei, inde contrahit summitatẽ quãdam in genere mali, vt in Theol. docetur. Idem asseritur de visione beatifica, quòd ratione Obiecti habet summitatem quamdam in genere visionis,

sionis, at non idciro censenda est intrinsecè infinita in essentia, sed solùm extrinsecè, obiectiuè, & terminatiuè, quatenus ad Deum infinitæ dignitatis terminatur.

Obijcit, quòd etiam in naturalibus esset possibilis talis virtus motiua, quæ vim haberet velocius semper, ac velocius mouendi, & possibilis esset substantia, cui talis virtus esset connaturalis V. g. Angelus. Item & subiectum tantæ capacitatis in recipiēdo, vt de se aptum esset suscipere maiorem semper, & maiorem qualitatem; ergo &c. ℞. Negando assumptum, non .n. possibilis est talis virtus motiua velocius semper, & velocius mouendi, vel virtus productiua maioris semper, & maioris qualitatis, nam tales virtutes essent infinitæ perfectionis, quod Mastr. & Bell. benè ostendunt ex illa maxima Scoti in 2.d.3.q.10. A. scil. Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, vt si posse portare simul plura pondera, concludit maiorem virtutem, posse simul portare infinita pondera, siuè non tot quin plura, concludit infinitam virtutem; Sic in proposito, posse mouere se, vel aliud corpus per aliquid spatium, per horam, arguit aliquam virtutem in motore; posse illud mouere per mediam horam per idem spatium, arguit maiorem virtutem, posse mouere per quadrantem, adhuc maiorem, ergo posse mouere velocius semper, & velocius in infinitum, arguit infinitam virtutem in motore, & eadem paritas currit de causa productiua maioris semper, ac maioris qualitatis; & ex hoc, potentia Dei ostenditur infinita Cathegor. quia non potest tot producere creaturas, quin plures, & plures semper producere possit, & in perfectione se inuicem excedentes. Nec similiter subiectum, quia recipere potest qualitates, & habitus magis, ac magis intensos, infinitæ est perfectionis, quia passiuè recipere à toto genere nullam dicit perfectionem, vt patet de materia prima, quæ capacitatem habet ad infinitas formas, vt Scot. docet in 3.d.14.q.2. in fine.

At instat Auersa de Intellectu nostro, qui de facto habet virtutē percipiendi plura, & plura sine termino actus intellectionis, similiter, & voluntas respectu suorum actuum, ergo virtutem habent infinitam? ℞. Negādo conseq. cum Lych. in 2. d.3.q.10. & ratio est, quia hoc solùm sequitur, quando quodlibet producibilium requirit speciale perfectionem in causa, intellectus verò, sicut & voluntas non requirunt aliam, & aliam perfectionem, vt hanc, & illam intellectionem, & volitionem eliciant, sed per eamdem virtutem partialiter concurrit ad cognitionem obiecti im perfectioris, sicut & perfectioris.

Obijcit: Possibilis est species distinctè repræsentans Diuinam Essentiam, ergo in genere repræsentationis infinita censeri debet, cùm non possit maius, & nobilius obiectum repræsentare. ℞. Negando conseq. cùm .n. talis species sit creata, necessariò finita esse debet, cum finitas sit passio, vel intrinsecus modus creaturæ, vnde dicitur infinita tantum extrinsecè, obiectiuè, & terminatiuè respectu Obiecti Infiniti repræsentabilis. Tum quia ex Doct. in 2.d.3.q.9. lit. I.

fit. I. huiusmodi species finito modo Deum repræsentaret, & non quantum repræsentabilis. Hinc aduertendum, quòd calculatio illa, quæ fieri solet, quòd species eo quo est perfectioris obiecti, eo est perfectior, non infert infinitatem in specie, sed tantùm summitatem quamdam, & excellentiam in serie specierum, & ratio est, quia cùm species ex sua natura semper ab obiecto deficiat, calcucatio procedit, & crescit sm̃ proportionem, non verò ad æqualitatem, vt Bell. & Mastr. ostẽdunt, quæ doctrina satis inseruit in materia de merito Christi, & grauitate peccati.

Arguit Arriaga: Inter hominem, & lapidem mediant infinitæ species animaliũ, ergo hõ põt dici infinitas in tali specie. hoc argumentum est simile illi, quod faciunt Aduersarij ex calculatione excessus vnius speciei super aliam in infinitum; si.n. inter accid. & substantiam sunt possibiles infinitæ species Syncathegorematicè accidentium, quarum nulla vnquam perfectionem substantiæ attingeret, ergo substantia Cathegorematicè erit infinita. Sic etiam inter speciem humanam, & brutalem infimam, possibiles sunt infinitæ species brutorum, quarum nulla vnquam attingeret perfectionem speciei humanæ &c. R. Ex Scoto in 1.d.2.q.2. §. *Ostensis igitur*. & in 3. d. 14. q. 2. quòd ex calculatione, tunc colligitur infinitas in superiori respectu inferiorum, quando continet omnes, & singulas perfectiones eorum formaliter, vel eminenter, vel virtualiter, quando autem nullo ex istis modis contineret inferiora, colligi non potest in superiori, nisi gradus superioris rationis; in proposito, homo non continet in eo sensu infinitas species brutorum, sed tñ obtinet gradum superioris rationis, & sic etiam substantia in ordine ad infinitas accidentium species possibiles, quæ licèt multas virtualiter contineat, nõ tñ omnes. Sequitur hanc doctrinam Lych. in 2. d. 3. q. 10. vbi distinguit de duplici continentia eminentiali, vna per essentiam, altera per participationem, & hanc iterum subdiuidit, quædam.n. attenditur in correspondentia maioris perfectionis, non tñ illa maior perfectio continet minorem, vt est V. g. Angelus respectu hominis, & aurum respectu argenti, quædam verò attenditur in correspõdentia maioris perfectionis, & in cõtinentia etiam minoris, quo sensu anima ronalis dicitur continere sentientem, & vegetantem, & ex continentia tñ eminentiali per essentiã, vel per participationem 2. modo significat argui posse infinitatem in aliqua specie superiori, si eo modo contineret infinitas inferiores, & amplectitur Amic. tract. 18. q. 5. dub. 4.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Creari possit Infinitum Synchatheg. in Speciebus.

Scot. de Infinitate Syncathegorematica nil certè determinauit, vt eum Aliqui Scotistæ exponunt, & præsertim Cauell. 2. Meth. q. 6. schol. 2. & licèt 2. Meth. ad partem negatiuam inclinare videatur, non tñ se resoluit, & in 1. d. 2. q. 2. X. loquitur dubitatiuè, licèt illam neget sm̃ Phylosophos. Sic etiam de eo sentiunt Mastr. & Bell. in Phys. disp. 10. q. 2. art. 2.

art. 2. Sensus igitur quæstionis est, an de potentia Dei absoluta dari possit processus in infinitum Syncathegorematicè in speciebus, ità quòd quacumq. specie perfecta data, adhuc possit Deus perfectiorem creare in infinitum. Opinio communis est affirm. ità Suar. disp. 30. Meth. Conimb. 3. Phys. c. 8. q. 3. art. 3. Complut. ibidē disp. 18. q. 3. Amicus, Auersa, cū Alijs ex Diuo Bonau. in 1. d. 44. q. 1. & Alij. Opposita sententia, est negatiua, & amplectuntur etiam grauissimi Doct. ità Henric. Aureol. Durand. Ocham, & Scotist. communiter, vt de mente Scoti circa loc. cit. Vulp. tom. 2. p. 1. disp. 42. art. 2. Smisicch. tract. 3. disp. 7. q. 5. Fuent. 3. Phys. diff. 2. q. 3. art. 5. & Alij. Quod & nouissimè defendit Arriag. disp. 13. Phys. sec. 3. Adhæremus communiori.

Conclusio.

Dicimus, in speciebus dari processum Syncathegorematicè infinitū, seu non esse possibilem supremam creaturam in perfectione essentiali, sed quacumq. data, adhuc posse perfectiorem in infinitum sine termino à Deo produci. est ad mentem D. Bonau. loc. cit. insuper & D. Tho. 2. contra gent. c. 26. cum Thomist. Ægid. Alensi, Bassol. in 1. d. 36. q. 3. art. 3. Herrer. in 1. d. 15. q. 6. Cauel. 2. Meth. cit. & Bell. & Mastr. & Probatur primò ratione communi: Deus efficere potest quod non implicat contradictionem, at hoc non implicat, nec ex parte Dei, cuius potentia est infinita, neq. ex parte creaturæ, quæ cùm sit ab intrinseco limitata, & finita, semper augeri potest in sua perfectione, quod patere potest exemplo continui, cuius quacumq. parte data, adhuc alia minor dari potest in infinitum, absq. eo quòd ad infinitam minorem perueniatur. Qui processus in infinitum fundatur in infinita Dei perfectione, quæ nunquam adæquari, & exhauriri potest, quantumcumq. à creatura participetur, sed quacumq. creatura perfecta producta, adhuc hæc in infinitum à perfectione Diuina distabit.

Resp. Arriag. disp. 10. Phys. sec. 3. rationem non concludere, quia sumpta tota collectione creaturarū possibilium, adhuc est verum dicere, quòd tota hæc collectio distat infinitè à Deo, & tñ inde non licèt inferre, ergo est possibilis aliqua creatura, quæ perfectius, quàm tota ista collectio Deum participet, ergo nec valebit eadem forma argumenti in vna sola creatura; Vnde ad materiā argumenti respondet, quòd omnis creatura ex conceptu suo debet infinitè distare à Deo, nec illa distantia pôt repleri per creaturā magis perfectam, quousq. inter illas, & Deum nulla sit vacuitas, alioquin esset aliqua, quæ solùm finitè à Deo distaret, quod repugnat, non ergo ex distantia infinita potest inferri possibilem esse aliam perfectiorem. Sic Arriag. qui tñ valde decipitur; supponit .n. quòd tota collectio creaturarum à Deo possibilium sit quid certum, ac determinatum, vt possit totum simul accipi, & ad actum reduci, quod tñ omnino falsum est, vt infra clarius constabit, est .n. quoddā confusum, & indeterminatum, sicut tota diuisio continui, quæ nunquam simul accipi potest. Admissa tñ per impossibile tota illa collectione, licèt inde non valeret inferri, quòd sit possibilis aliqua

qua

qua creatura, quæ perfectior esset tota illa collectione, valeret tñ inferre, quòd intra latitudinem infinitam illius collectionis possemus sine fine semper ad creaturas perfectiores progredi in infinitum, absq. eo, quòd ad perfectionem Infinitam Dei perueniatur, quod exemplo manifestari potest; sicut ex eo, quòd infra hominem possibiles sunt infinitæ species animalium, inferri potest, quòd intra latitudinem infinitam illius generis dari potest processus in infinitum ascendendo in productione animalium, quæ nunquam attingant perfectionem humanæ speciei, sic in casu &c. Doctrina deinde, quam affert ad materiam argumenti, quid illi prodest? Si .n. admittit quod infinita distantia inter Deum, & creaturam nunquam repleri potest per creaturas magis, ac magis perfectas, euidenter sequitur, non posse dari statũ in aliqua creatura omnium perfectissima, quia hæc finitè adhuc à Deo distaret, ergo nobis potius, quàm ipsi suffragatur.

Resp. Vulp. loc. cit. benè sequi ex huiusmodi processu Syncathegorematico, quòd demum deueniendum sit ad speciem infinitè perfectam saltem per Diuinum Intellectum simul comprehendentem omnes partes Infiniti Syncathegorematici. non placet, vt benè aduertunt Mastr. & Bell. nam Deus non nouit res, aliter quàm sint, alioquin falleretur, sed talis species infinito modo Deum participãs in tota entis latitudine, non est factibilis, ergo illam Deus non cognoscit, etiam si distinctè totum processum infiniti Syncatheg. comprehendat; & manifestatur exemplo continui, nouit .n. Deus in continuo simul, & semel totum processum Syncathegorematicum diuisionis continui, non tñ ex hoc valet inferre, quòd cognoscat minimam, vel infinitè minorem, & ratio est, quia hæc non est dabilis à parte rei, alioquin continuum ex indiuisibilibus componeretur; Sic in proposito, quia hæc species infinitè perfecta non est dabilis à parte rei, ità neq. in mente Dei reperitur, vt eruditè Bassol. docuit loc. cit. in solut. ad 6.

Resp. Smisinch. talem progressum repugnare in speciebus ex parte differentiæ, quæ cùm sit proportionata generi, sicut genus tanquam perfectibile est determinatæ perfectionis, ità & differentia specifica, vt actus illius, & consequenter hac ratione tota latitudo specierum sub eodem genere erit perfectionis determinatę. benè, sed de facto, non de possibili; eius enim ratio non probat, quòd non sit possibilis differentia perfectior, contrahens illud idem genus pro perfectiori specie. Et quando etiam in aliquo certo genere statum dari deberet, in aliqua specie suprema, vt in genere animalis, species humana, quod probabile censetur, ex hoc tñ inferre non licèt, non posse dari perfectiorem speciem extra illud genus, & in tota entis creati latitudine, in quo sensu pręcipuè hęc quæstio agitatur.

Resp. Rada tom. 1. controu. 19. quod huiusmodi progressus implicat, quia ponendo statum in speciebus, creata specie suprema, estò finita sit, & limitata, implicabit vtiq. perfectiorem istà posse produci, alioquin illa non

fuisset suprema, & perfectissima creabilis. Non valet, quia petit principium, hoc est .n. quod in quæstione ponitur, an sit in speciebus dare supremam, vel potius quacumq. data possit adhuc dari perfectior; quantùcũq.n. suprema ponatur, sẽper adhuc distat infinitè à Deo, ergo super illam dari possunt aliæ, & aliæ species in infinitum perfectiores, intra limites adhuc finitatis.

Probatur 2. Conclusio ex Bassol. In numeris potest in infinitum abiri sm̃ D. August. 12. de Ciuitate Dei c. 18. & quælibet vnitas variat speciem numeri, ergo cùm species se habeant sicut numeri ex 8. Meth. tex. 10. poterit in eis dari progressus in infinitum. Et Smisinch. quòd in numeris ideò non est per se status, quia additio, quæ fit, non est formalis, sed materialis, vel per appositionem pluriũ entitatum perfectionis æqualis, sicut sunt vnitates in numero, & ideò species numerorũ dicũtur nõ esse de perfectione vniuersi, at differẽtię specierũ, q sũt de pfectione vniuersi sũt pfectione inæquales, & ideò earũ multiplicatio est formalis, nõ materialis; & licèt Arist. 3. Phis. 68. & 69. concedat, additionem sm̃ materiam posse in infinitum procedere, id tñ negat de additione sm̃ formam. Discursus est ingeniosus, frustra tñ adhibitus ad solutionem argumenti. Ratio est, quia in sententia eorum, qui verã rationem speciei dant numeris, non sunt vnitates materiales, quæ numerum constituunt, sed sunt vnitates formales, vnde alia est vnitas speciei ternarij, alia quinarij &c. & de istis loquẽdo, vna est alia perfectior, vt Arithmetici obseruant, & præsertim de numero ternario, & ideò gratis dicitur species numeri non pertinere ad perfectionem vniuersi. Tum quia quando Arist. negat additionem sm̃ formam procedere in infinitum, loquitur de potentia naturali, vt Bassol. aduertit loc. cit. ad 4. non de supernaturali, vt nos loquimur.

Probatur 3. ex Infinita potentia Dei, quæ si ad certum numerum specierum, & non vltra præfigeretur, esset ipsam certis limitibus coarcere, finitam reddere, & exhaurire, quod durum, & horridum sapit fidelibus; ponendo verò Deum posse producere in infinitum plures, & plures species, eius potentia non coarctatur, sed potius in infinitum elucescit, & dilatatur, quæ doctrina fundatur in verbis D. Dyonisij de Diuin. Nom. vbi ait: *Deus est infinita vi, & potentia præditus non solum, quòd vim omnem in lucem proferat, sed etiam, quòd omnem quoq. vim ipsam multùm superet, quodq possit etiã infinitè infinitas alias potentias, præter eas, quæ sunt, in lucem proferre*. Nec dicere valet infinitatem potentiæ Dei, non consistere in productione extensiua specierum creatarum, sed in modo producendi eas ex nihilo, quia est manifesta extorsio textus D. Dyonis. & sequeretur etiam, quòd Diuina potentia esset infinita potius sm̃ modum, quàm sm̃ rem; & tandem hic modus dicendi, vt benè aduertunt Bell. & Mastr. satis fauet errori Abaylardi, & Vuichleph. damnato in Concil. Constan. vt refert Vualdensis tom. 1. lib. 1. art. 1. Cap. 11. Qui hęretici asserebant, Deum non posse plures species producere præter eas, quas produxit, & producet, & damna-

damnati fuerunt in præfato Concil. quia sic dicendo, infinitam Dei potentiam lædebant, & Suar. in Meth. disp. 30. sec. 13. nu. 19. sententiam Aduersariorum, vocat intolerabilē, & erroneam.

Obiectiones.

Ob. Primò, non repugnat substātia omnium infima, & imperfectissima, vt materia prima, ergo nec repugnat substantia omnium perfectissima, vltra quam non possit dari alia perfectior, hinc D. August. 12. Confess. c. 7. ait: *duo fecisti Domine, alterum prope te, idest naturam Angelicam, alterum propè nihil, idest materiam primam.* ℞. Negando conseq. & ratio disparitatis est, vt Complut. aduertunt, quia creaturæ eò crescūt in perfectione, quò magis ad Diuinū esse accedunt, ideò sicut in isto accessu fieri potest processus in infinitum, ità semper possibilis est perfectior, & perfectior creatura; decrescunt verò creaturæ, quò magis à Diuino esse recedunt, & sicut est possibilis omnimodus recessus ab eo, talis .n. est annihilatio, ità in descensu potest dari status. D. Aug. loquitur de speciebus iam factis, & vult quòd suprema facta in genere substantiæ sit Angelus, & infima in eodem genere sit materia prima, absolutè verò loquendo accidens est inferius materia prima; at de possibili dari potest species semper perfectior in genere substantiæ intellectualis, omnibus Angelis iam creatis, nisi intelligere velimus August. loq. de natura Angelica sm̄ gradū genericum intellectiuum, quo fortè non potest perfectior dari, non autē sm̄ species. ità Multi Scotist. defēdūt, & tunc tale genus diceretur infinitū tm̄ extrinsecè, & negatiuè, sicut Maternitas Dei dicitur infinita, quia in tali genere non potest esse maior. an possit autem fieri substātia imperfectior materia prima, Scot. in 2. d. 12. q. 2. §. *Ad argum.* lit. E, manet dubius, an talis descensus fieri possit saltem in alijs generibus; & quādo talis descensus Syncatheg. in quocunque genere negaretur, non ideò negandus esset ascensus.

Ob. Ex D. Dyonis. de Diuin. Nomin. dicens, quòd species procedunt à Deo, vt numerus ab vnitate, sed aliquis numerus est ità vnitati propinquus, vt inter hunc, & illum alius cadere non possit, vt inter binarium, & ternarium non potest dari mediū, ergo etiam dari debet aliqua creatura ità Deo propinqua, vt inter ipsam, & Deum alia effici nequeat. & ibidē ait, quòd infima iunguntur supremis per media, ità vt supremum infimi attingat infimum supremi. ℞. Cum Bassol. loc. cit. sensum S. Doctoris esse, quòd sicut numeri in vnitate continentur, tanquam in radice, & in ea quodammodò vniuntur, sed ab illa profecti multiplicātur, ità species ōnes in Deo quodammodò vniuntur, sed extra illum multiplicantur; vnde paritas nō valet quò ad immediationem, cum inter Deum, & creaturā, quantumuis perfectam, sit infinita distantia. Alia auctoritas intelligitur non de connexione inter Deum, & creaturam, sed creaturarum adinuicem.

Ob. ex Arist. 2. Meth. C. 2. In essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum, sed inter species inuenitur ordo essentialis, ergo &c. ℞. Auctorit. intelligendam esse de causis

causis essentialiter subordinatis, nam cùm ibi vna essentialiter ab ea dependeat, certè omnes actu esse debent in rerum natura, & ideò non potest dari processus in infinitum, sed species solùm in eo sensu dicuntur subordinatæ, quatenus vna semper est alia perfectior, & nunquam fieri potest, vt duæ sint perfectione essentiali pares, sic.n.non differrent species enim sunt sicut numeri, ex Arist. 8. Meth. tex. 10.

Ob. Processus ad mensuram est finitus, ergo etiam processus ad speciem superiorem in aliquo genere, quæ est metrum, & mensura cæterarum, est finitus, & limitatus. ℞. Ad antecedens, Processus ad mensuram intrinsecam est finitus, concedo, ad mensuram extrinsecam, neg. hic processus non est ad mensuram intrinsecam, scil. ad aliquam speciem supremam, ad quam possit peruenire, quę sit metrum cæterarum, sed ad mensuram extrinsecam, quæ est infinita perfectio Dei, ad quam nunquam creatura pertingere potest, ideò falsa est consequentia.

Ob. Smisinch. ex his, quæ de facto creata sūt, & in genere suo, ità sūt aliqua pfecta, vt pfectiora fieri neqāt; ità communiter sm Theolog. est vnio hypost. Maternitas Dei, Visio beata &c. ℞. Vt supra, illa dici infinita tātū moraliter, extrinsecè, & negatiuè, quatenus supremā quādā dignitatem contrahunt ex termino, vt Vnio hypost. & Maternitas B. Mariæ ex Verbo, & Visio beatifica ex obiecto, quæ nobilitas suprema non est illis forma intrinseca in genere Physico. Addūt Bell. & Mastr. loc. cit. posse adhuc dari Vnionem hypostaticam perfectiorem saltem ex parte subiecti, si scil. Verbum vniretur naturæ Angelicæ; & perfectiorem maternitatem, si nimirum fundaretur talis maternitas in humanitate aliqua pura, sicuti est Christi humanitas; item & perfectiorem visionem beatificam, ex diuersitate modi tenēdi ad ipsū idem obiectū specificū; & tādē dari posse speciē animalis homine perfectiorem, sicut .n. Angelicæ species intra latitudinē proprij generis multiplicari possunt in infinitū, ità de animalibus videtur etiam esse possibile.

Arguit tandē Arriag. semper Nominalium sententijs adhærens potest Deus producere creaturam summè perfectam, quam potest, quæ propositio est identica, ideoq. verissima, producat ergo illam, vel ergo hæc est omnium perfectissima, vel non, hoc secundum est contra suppositum, ergo primum. ℞. Bona pace Arriag. in hoc argumento petere principiū, accipit .n. in assumpto, quòd debebat probare; nos .n. dicimus, quòd non potest aliquam creaturam summè perfectam creare, sed quacumq. perfecta creata, adhuc Deus potest aliam perfectiorem producere; Ipse verò assumit pro probatione, quòd potest Deus creaturam summè perfectam producere, sed non probat, nos verò probamus, hoc .n. est de ratione processus in infinitū in actu, quod patet in numeris, & diuisione continui, in quibus nunquam potest perueniri ad summum, vel vltimum. Concedimus posse dari creaturam Deo summè propinquam, non tñ determinatè, & signatè, quasi designari possit vna species suprema, quæ sit Deo summè vicina, sed indetermina-

tè, &

tè, & confusè, quatenus vna semper excedit aliam, & magis, ac magis accedit ad Deum sine termino, propter distantiam infinitam, quæ inter Creatorem, & creaturam reperitur. Arriaga ipse iam admittit inter hominem, & lapidem infinitas species animalium, quare igitur inter Deum & creaturam quantumcumq. perfectam negat infinitas species possibiles, si maior distantia concipitur inter Creatorem, & creaturam, quàm inter hominem, & lapidem?

ARTICVLVS QVINTVS.

An dari possit Infinitum Cathegor. in multitudine.

SCot. licèt de Infinito Syncatheg. quantum ad perfectionem essentialem dubius, & anceps remanserit, de Infinito tñ Cathegor. in multitune, resolutè affirmauit dari non posse per nullam potentiam. Ità docuit in 2.d.1.q.3.& 7.& quol.2. & in 3.d. 13. & 14.q.2. vbi oppositam sententiã, ait contradicere auctoritati Phylos. & SS. Patrum, Sensus igitur quæstionis non est de Infinito Syncathegor. nam in quibusdam rebus negari non potest, & saltem in numeris concedunt omnes dari posse processum in infinitum cum D. Aug. 12. de Ciuit. Dei cap. 18. vbi de tali infinitate loquens, ait: *certissimum est numeros esse infinitos*, & licèt Arist. 3. Phys. tex. 41. negat eos esse actu infinitos, posteà tñ tex. 68. docet in infinitum augeri, sicut magnitudines in infinitum diuiduntur, & illi, qui art. præcedenti hoc infinitum in speciebus negabant, gratis id concedunt in indiuiduis, quia ipsa natura speciei quantum est ex se, est in infinitũ multiplicabilis, nec ab intrinseco ad aliquẽ certum numerum indiuiduorum determinatur, quòd Scot. docuit in 2.d.3.q.6.& 7.& quol.2. licèt perperàm Hurt. disp.13. Phys. sec.1. pro opposita sententia Doctorem citet.

Tota igitur difficultas deuoluitur ad Infinitum Cathegor. & communior opinio docet illud implicare etiam per potentiam Dei absolutam, ità D. Tho. 1. p. q. 7. art. 4. cum suis Asseclis apud Tellez. Lisbonensem, & Carmelitas, Scot. loc. cit. cum suis D. Bonau. in 1.d.43. art.1.q. 3. cum Alijs. Nõ desũt tñ, q partẽ oppositã ostendere conantur esse etiam probabilem; ità Ocham quol.2.q.5.& in 1.d. 44.q.1. Gregor. d.43 & ex nostris Miyr. & Bassol. ibidem. Nolanus in Pincotheca q. 10. Vulp. tom.2. p. 1. disp. 42. art. 10. qui defendunt etiam de facto dari saltem in accidentibus spiritualibus, & nouissimè Poncius tertio Physicorum absolutè asserit de potentia Dei absoluta dari posse infinitum in actu Cathegor. tàm in magnitudine, quàm in multitudine, & ex Neut. sequuntur Vasq. 1. p. disp. 26. Hurt. disp. 13. Phys. Arriaga disputatione 13. Physicorum sectione quarta, Fasolius, 1. p. q. 7. articulo quarto dub. 12. & Alij. Amicus tract. 18. q. 6. dub. 2. art. 3. ait, nec possibilitatem, nec impossibilitatem huius infiniti euidenter ostendi posse, ideò sibi displicere obstinationem quorumdam pro sua parte pugnantium.

Conclusio.

Dicimus cum cõi Infinitum Cathegor. in multitudine repugnare. est Scot. loc. cit. cum Cæteris Scotist. Canon.

non. 3. Phys.q.3.art.2. Barg. in 1.d. 8. q. 2. Smisinch. Parisiens. Carpenedol. in Phia lib. 4. tract.3.q.6.nu. 3.Mast.& Bell. disp. 10. Phys.q.3. cũ Alijs.& relictis Antiquorum rationibus, quas vt inutiles refert, & reijcit Auersa, probatur primò ex rationibus naturæ Infiniti repugnantibus, vt diximus art. 2. daretur .n. vnum infinitum maius alio, si .n. producta infinita hõnũ multitudine, crearet Deus infinitã multitudinẽ Angelorũ in eorũ custodiã, hoc iã supposito certè numerus Angelorum, & hominum simul maior erit numero hominum seorsim accepto; & tñ ex alia parte infinito excedi repugnat, quia in illo excessu iam finiretur, & terminaretur. Tum quia, vt arguit Canon. sicut Deus producere posset Infinitũ, itá etiam videtur eum destruere posse, sed ex alio capite id non videtur possibile, ergo &c. probatur minor, tollantur ab hoc numero infinito, decem, vel centum vnitates, vel vnitates, quæ remanent sunt finitæ, vel infinitæ, si primum, ergo totus numerus finitus erit, Infinitum .n. constare non potest ex partibus finitis; Si Secundum, cũ illud residuum esset pars numeri præcedentis, ergo pars esset æqualis toti, & totum non maius sua parte. ℞t Vulp. loc.cit. nõ esse maiorem multitudinem Angelorum, & hominum simul, quàm altera tantum; addens quòd non essent duo infinita formaliter, sed tantùm materialiter secundum connotata diuersæ speciei.

Sed Contra, vt bene arguunt Aliq. Scotis. Recẽt. implicat fieri additionẽ sine augmento, ergo si multitudini hominum infinitæ, addatur alia Angelorum infinitas, sicut in duplo plures erunt entitates, itá, & vnitates; & multitudo. Tum quia antea erat multitudo solùm continens infinitos homines, postea est multitudo continens infinitos homines, & infinitos Angelos, ergo est maior. Tum quia stante multitudine Infinita hominũ, & Angelorum, potest vnam Infinitatem destruere Deus V.g. Angelorũ, altera remanente scil. hominum, ergo multitudo hominum, & Angelorum simul essent duo Infinita etiã formaliter, non materialiter tantùm, essent .n. duæ multitudines singulę seorsim formaliter Infinitæ.

Resp. Alij ad Argumentum quò ad detractionem partium ab infinito, quod infinitum est vtiq. capax detractionis, vt tñ habet rationem totius, non vt habet rationem infiniti, & itá non sequitur, quòd pars esset æqualis toti, quia pars sit minus in ratione totius.

Sed Contra, quod conuenit positiuè generi, & vt supponit absolutè conuenit etiam singulis eius speciebus, ex illa regula antepraedic. quidquid dicitur de superiori in recta linea, dicitur etiam de inferiori, sed totum est superius, & veluti genus ad finitam, & infinitam quantitatem, ergo si infinitum est capax detractionis, vt totum, similer etiam & vt Infinitum. maior est irrefragabilis, minor Probatur, quicquid constat ex plurib. partib. habet rõnem totius, sed tam finitum, quam infinitum constant ex pluribus partibus in quas diuidi possunt, ergo. Resp. duplex esse totum, vnum essentiale, quod itá pendet à partibus, vt sine aliqua illarum conseruari non posset, Alterum integrale, quòd sine aliqua

aliqua illarum potest esse, vt homo sine brachio, vel pede &c. Infinitum, detractis partibus perit, & minuitur, vt totum integrale, sed conseruatur, vt totum essentiale, quia adhuc manet ratio totius, vt Infiniti: Responsio est ingeniosa, sed falsa. ratio est, quia multitudo non habet aliam essentiam, quàm esse totum integrale, & itá pendet ex partibus collectiuè acceptis, vt vna ex illis partibus detracta, tota destruitur, vt patet de multitudine ternarij, quarij &c. ergo sicut in numero finito, vna sola ablata finitate, destruitur species, & minuitur numerus finitus intra latitudinem finitatis, itá in numero infinito, detracta aliqua vnitate, deficit Infinitū intra latitudinem Infinitatis, & hoc etiam sub ratione totalitatis essentialis. Exemplum de homine non est ad propositū, nam manet idem secundum rōnem specificam, & essentialē, sed non secundum rōnem totius integralis, sed tale totum remanet adhuc truncum, & incompletum. Admittunt hoc Aduersarij, sed dicunt, quòd sicut per additionem, vel ablationem non destruitur ratio numeri finiti, sed variatur tantum determinata species finiti; itá per ablationē, vel additionem, non destruitur ratio Infiniti, sed variatur determinatio talis infiniti, quia etiam sub Infinito variæ species continentur, sicut sub finito. Non valet, nam contra istos reddit difficultas, quòd daretur vnū Infinitum maius alio. aliæ solutiones pro hoc argumento patent ex dictis.

Probatur 2. & præsertim contra illos, qui admittunt huiusmodi Infinitum possibile esse etiam in rebus corporeis: ex hoc .n. sequeretur, quod infinitæ arenulæ æquale spatium occupare possunt, ac infiniti mōtes, quia non minus spatium occupare possūt quàm Infinitū. Imò sequeretur infinitas arenulas posse occupare maius spatium, quàm infinitos mundos, nam illæ itá possent inter se constipari, vt occuparent omne spatium, at non itá Infiniti orbes, cùm vastum inter singulos interiaceret spatiū. quod si dicant, Infinitatē orbiū fore maiorē Infinitate arenarum, nec probant, & reddit difficultas, quòd vnum Infinitum esset maius alio sub eodem genere. hæc & alia absurda, & paradoxa, longo sermone à Doctoribus adducuntur contra positionem huiusmodi Infiniti, quæ breuitatis gratia relinquimus, & ne inuicem Intellectus obruantur; ad quæ fautores infiniti Respondent, illa portentosa, & mira nobis videri, eò quia naturā infiniti non penetramus, cùm conditionibus finiti assueti sim⁹. Sed bene ait Auersa ex hac doctrina defendere possemus, possibilem esse chimeram, à Deo contradictoria fieri posse, hominem asserere irrationalem, asinum rōnalem &c. quia si diceremus has esse rōnes inter se pugnantes, id negaret proteruus, asserens, quòd si nobis hæc mira videantur, hoc ideo esse, quia assueti sumus ad concipiendam naturam hominis rōnalem, & asini irrationalem.

Obiectiones.

Ob. 1. Auctoritate D. Thomæ qui opusc. 27. in fine, manifestè ait: *adhuc non est demonstratum, quòd Deus nō possit facere vt sint infinita in actu.* & q. 2. de verit. art. 10. eādē difficultatē exagitās, indecisā reliquit, ergo saltē in sententia D. Tho. non videtur re-

tur repugnare infinitum actu, & Cathegor. per Dei potentiam, & consequenter falsum est, sententiam negatiuam de Infinito in actu esse vtriq. scholæ communem. Rñt Aliqui Thomistæ, mentem Sancti Doct. fuisse, hanc veritatem non esse ibidem monstrandam, sed alibi; vel quòd locutus fuerit ex modestia, ità suam opinionem proferendo, vt alteri noluerit præiudicare.

Ob. 2. ex Hurt. infiniti hõnes, & infinitæ partes quãtitatis sũt ẽtia realia possibilia; q̃ cognoscũ tur à Deo; ergo nulla erit ĩplicãtia, vt ponãtur in re, cũ õne possibile dicat potẽtiã ad existẽdũ. Si dicatur esse possibilia secũdũ se, sed nõ cõpossibilia, sicut assensus, & dissẽsus sũt ẽsẽtia realia, & in eodẽ intellectu possibilia, nõ tñ cõpossibilia. Cõtra vrget, vnus homo nõ est cũ alio incompossibilis, nec vna pars quãtitatis permanentis cũ alia, sicut assensus, & dissensus incompossibiles sunt; ergo neque ex hoc capite auspicari potest impossibilitas infiniti. Si dicatur repugnare, quia actualis infinitas ex se implicat, hæc est manifesta petitio principij. ℞. Hoc argumentum insinuatum esse à Scoto in 3. d. 13. q. 1. vbi tenuit probabiliter dãdum esse summum in qualitatibus, quòd tñ soluendum est ex doctrina eiusdem in 2. d. 2. q. 9. lit. K. vt ipse respondet de diuisionibus continui, scil. quòd estò quælibet singularis sit vera, & quælibet signata productio compossibilis sit cum alia in eodem nunc, vt sit verum dicere: in isto nunc potest simul ꝓduci hic homo, & ille, & sic de singulis signatis, vel signabilibus, non tñ adhuc vniuersalis rectè infertur, dicendo, ergo omnes homines possibiles produci possunt, & in isto nunc creari; sed est fallacia figuræ dictionis à pluribus determinatis ad vnam indeterminatam. Declarat Doct. hanc doctrinam manifesto exemplo: ponamus, ait, quòd iste portare non possit decem lapides, sed tñ nouem, & sint illi lapides prorsus in pondere æquales; hæc propositio: possibile est õnem lapidẽ portari ab isto, falsa est, nõ q. a aliqua ꝓpositio singularis in se sit falsa, nec quia aliqua singularis determinata sit alteri determinatæ incõpossibilis, sed aliquib. determinatis est aliqua indeterminata incompossibilis, quæcumq. n. nouem singularia sunt compossibilia, & decimum indeterminatum est eis incõpossibile. Potest etiam idem explicari de existentia locali, nam istæ singulares sunt veræ: potest esse Petrus sine isto loco, & sine illo, & illo naturaliter, nec vlla determinata propositio repugnat alteri, & tñ non valet inferre vniuersalem; ergo potest naturaliter esse sine omni loco, quia quibuscumque determinatis, est aliqua indeterminatè incompossibilis; sic in proposito, licèt cuilibet singulari acceptæ, vel acceptibili nulla singularis determinata accepta, vel acceptibilis repugnet pro eodẽ nũc, veræ. n. sunt istæ singulares, nunc potest hic homo produci, & ille, nec vlla determinata repugnat alteri, q. a non est homo signatus, vel signabilis, qui non possit produci in eodem nũc; non valet tñ inferre vniuersalẽ; ergo omnes homines possibiles possunt in isto nunc produci, quia quibuscumq. determinatis, repugnãt infinitæ indeterminatæ, infinitudo n. est indeterminata, sicut multitudo numeralis.

Tota

Tota igitur magnitudo, vel multitudo à Deo possibilis non est quid certum, ac determinatum, vt possit totum simul accipi, & ad actum reduci, sed indeterminatum, & confusũ, sicut tota diuisio continui; quod etiã docuit Tromb. quæst. de præscientia Dei art.4. vbi ait: Aliud est loqui de existentia rerum simpliciter, & aliud de coexistentia. omnes numeri absolutè possunt existere, sed non omnes simul coexistere, quia multitudo numeralis est indeterminata, & ideò non tota simul producibilis. Addunt Mastr. & Bell. quòd quando etiã concederemus totam rerum producibilium congeriem posse simul à Deo produci, adhuc negandum esse talem multitudinem esse Cathegorematicè infinitam, ratiò est, quia sicut quando illa multitudo erat potentialis, nõ erat cathegorematicè infinita, sic etiam dicendum est, talem remanere si actu produceretur tota, quia diuersitas status non variat naturam multitudinis, & ex vna infinitate non rectè deducitur alia, vt supra diximus ex Doct. 2. Meth. q. 6. §. *ad rationes &c.* quamuis ex tali casu impossibili, aliud quoq. impossibile sequeretur, scil. ꝙ infinito Syncatheg. nulla posset fieri additio, quod est contra naturam eius.

Ex his patet responsio in forma ad argumentum Hurt. negatur .n. consequentia, & ad probationem, committit fallaciam figuræ dictionis, arguendo ex pluribus propositionibus determinatis ad vnam indeterminatam, vt est multitudo infinita. Neq. nos principium petimus, asserendo hoc prouenire ex natura, & conditione ipsius infiniti, statim .n. hoc efficaciter probamus, vt in cõclusione visum est, & probatio innititur infinitæ potentiæ Dei, quæ nunquam exhauriri potest in productione quorumcumq. factibilium.

Ob. 3. ex eodem Hurt. non repugnat rebus infinitas in esse obiectiuo, nã in mente Dei simul existunt õnes, ergo neq. repugnat in esse reali quia õnes repugnãtiæ, quæ afferuntur cõtra infinitum in esse reali, obijci possunt in esse obiectiuo. Tum quia Deus videt infinitam multitudinẽ actu existentium in tota æternitate, alioquin tandem veniretur ad vltimum, & sic finirentur damnatorũ cruciatus, quod est falsum. Probatur antecedens, ꝗa futura non cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis, quæ terminatur ad rem, vt existentem à parte rei. Resp. communiter concedendo antecedens, negando consequentiam, quia licèt posset omne possibile adæquari simul per cognitionem ab intellectu, non tũ à virtute actiua per productionem, modus .n. cognitiuus est compositorius, quia cognitio plura attingit per modum vnius, modus verò productionis est resolutorius, itàut, quod vnum erat in mente, necessariò fit multa positũ in actu existentiæ. Hæc responsio licèt rectè neget consequentiam, quia non benè deducitur ex eo, quòd aliqua coexistant in mente Dei, possint etiam coexistere à parte rei, nam assensus, & dissensus; omnes diuisiones continui possibiles; partes temporis, & motus, simul sunt in mente Diuina, non tũ simul sunt à parte rei, non adhuc tamen benè disparitatem assignant, Deus .n. non intelligit plura per modum vnius, sed distinctè, sicuti sunt, & solùm intellectus fucatus est,

qui concipit per modum vnius, quatenus plura concipit confusè, & indistinctè; ideo rectius cum Canonico, quem sequuntur Aliqui Scotist. negatur antecedens, & ratio est, quia sicut essentia Diuina non est exemplar infinitorum, quia hæc non sunt possibilia, sed finitorum in infinitum, ità etiam non infinita Deus cognoscit, sed finita in infinitum. Eodem modo ℞. Ad 2. negando, quòd actus, & cogitationes per totam æternitatem futuri sint infiniti cathegorematicè, sed solùm syncathegor. & quamuis non consideretur sub mera potentialitate, sicut res possibiles, sed quatenus futuræ, & in ordine ad existentiam, quia tñ non sunt ità futuræ, vt aliquādo sit verum dicere, totam cogitationum seriem esse iam expletam, & ad finem reductam, sed ità semper se habebunt, quòd nunquam tot erunt, quin plures futuræ sint, hinc potius infinitæ syncathegorematicè dicendæ sunt, & eo modo à Deo cognosci, quo cognosceret diuisiones omnes continui, si ab Angelo per totā æternitatem diuidendum esset; & parum refert, quòd isti actus ad scientiam visionis spectent, & non simplicis intelligentiæ, quia futuritio non mutat essentias rerum, & ideò non tollit à rebus futuris rationē infiniti Synch.

Ob. 4. ex eodem: quòd Deus cognoscit esse possibile produci, potest producere, sed Deus cognoscit infinitos homines ꝓducibiles, ergo pôt infinitā hominū multitudinē producere. ℞. Concedendo maiorem, eo modo, quo possibile petit produci: ad minorem, Deus cognoscit infinitos homines producibiles successiuè, non simul, Deus .n. cognoscit res, sicut sunt à parte rei producibiles, nō opposito modo.

Dices, non implicat, vt id, quòd est in potentia reducatur ad actum, sed numerus V.G. Angelorum est in infinitum multiplicabilis; ergo non implicat talem numerum ad actum reduci. ℞. Ad maiorem, eo modo, quo est in potētia cōcedo, alio modo, nego. si .n. aliquod est in potentia ad esse in actu totum simul, reduci debet ad actum totum simul; si successiuè, reduci etiam successiuè debet; Vnde D. Thom. 1. p. q. 7. art. 4. ad 1. ait, ꝙ multitudo infinita, sicut & dies reducitur in actum, non vt sit tota simul, sed successiuè, quia post quamlibet multitudinem potest sumi alia multitudo in infinitum.

Ob. 5. ex Nominalib⁹: Potest Deus in hoc instanti singulas continui partes diuidere, & non magis hanc, quā illam, ergo poterit omnes. Itē potest in quolibet instanti istius horæ vnum Angelum creare, & illum cōseruare, & quia in continuo sunt infinitæ partes proportionales, & in hora infinita instantia, peracta diuisione continui, habebimus infinitum in actu, & completa hora, Angelos infinitos. Communis responsio est, ꝙ in his, & similibus argumentis committitur fallacia, quia fit processus à sensu distributiuo ad collectiuum, nam potest Deus in hoc, & in illo instanti vnum Angelorum creare, sed non in ōnibus collectiuè; potest etiā in hoc instanti diuidere in continuo hanc, & illam partem distributiuè, sed non omnes collectiuè, quam doctrinam non approbat Scot. in 2. d. 2. q. 9. sup. K. sed vult, quòd procedere à sensu distributiuo ad collectiuum, sit opti-

sit optimus arguendi modus, in quo fundatur vis, & energia inductionis, in qua semper fit processus à pluribus singularibus sufficienter enumeratis ad vnum vniuersale; Vnde vniuersalis æqualet singularibus copulatiuè acceptis, & è cõtrà, ità vt quãdo terminus supponit distributiuè, potest sub eo descendi ad omnia singularia copulatiuè sumpta, quia terminus distributus stat pro singulis, nullo excepto, vnde hæc vniuersalis homo currit, æquiualet his singularibus, Petrus currit, Paulus currit, Frãciscus currit, & sic de alijs.

Melius, & clarius respondet M. Iacob. Brun. q. 14. art. 3. cum Caiet. & pluribus Thomistis, quòd Deus in quolibet horæ instanti *diuisim* potest producere vnum indiuiduũ, vel plura, quia assignato vnoquoq. instanti, potest Deus in illo, quidquid producere voluerit, non tñ potest in omnibus *coniunctim*, nõ propter defectum virtutis Diuinæ, sed quia repugnat ex parte facti.

Subtilius Scotistæ eadem regula, & doctrina Scotica vtentes, qua solutum fuit primum argumentũ Hurt. & sequitur Tatar. 3. Phys. q. 2. quòd scil. estò omnes singulares sint veræ, non propterea rectè inferunt vniuersalem, sed adhuc requiritur, quòd omnes sint compossibiles, cùm vniuersalis æquiualeat singularibus copulatiuè sumptis, & in hoc vis illatiua inductionis consistit, & debet intelligi per *ly sufficienter enumeratis*, cuius sensus est, quòd singulares omnes sint veræ, & simul compossibiles, at in proposito licèt in hoc instanti singulæ diuisiones continui sint possibiles, quia diuisiones continui non habent inter se ordinem essentialem, ità vt prius diuidi debeat in vna parte, quàm in alia, adhuc tñ quibuscũq. determinatis, & acceptis repugnant infinitæ indeterminatæ ait Scotus, & sic etiam dicendum est de Angelorũ productione in hoc, & illo instanti, quòd estò nulla determinatè signata, vel signabilis alteri repugnet, repugnant tñ infinitæ indeterminatæ, & ratio est, quia multitudo Angelorum à Deo producibilis nullum habet terminum intrinsecum, nec eius possibilitati actus ad æquatus correspondere potest, sed semper potentiæ permixtus, quia multitudo numeralis non habet terminum.

Ob. 6. ex Doct. in 2. d. 2. q. 3. lit. I. in permanentibus, quicquid fieri potest successiuè, potest fieri simul; ergo si potest multitudinem, vel magnitudinem infinitam successiuè producere, potest etiã simul efficere. ℞. Dictũ Scoti intelligendum esse de quacũq. multitudine determinata, & signabili, quia nulla talis in permanentibus potest fieri successiuè, quæ non possit fieri simul, falsum autem est de omni multitudine, vel magnitudine absolutè possibili, cùm .n. hæc non sit determinata, sub certa productione cadere non potest, sed pluribus, & pluribus in infinitum.

Ob. 7. Mundus potuit esse ab æterno, & in sententia Aristotelis fuit ab æterno, ergo cùm Anima rationalis sit immortalis, modo forent infinitę Animę. ℞. Negando mundum potuisse esse ab æterno quoad generationes, & entia successiua, quia non minus hoc implicat, quàm infinitum actu, vt suo loco dicetur; de mente Arist. variè Peripatetici loquuntur; & quan-

& quando etiam mundus ab æterno fuisset, non adhuc benè colligeretur Animas rationales esse cathegorematicè infinitas, & ratiò est, quia adhuc tali multitudini additio fieri potest, nisi velimus omnipotentiā Dei ad minus quam par est restringere, & coarctare.

Pócius admittit in Physica, & iterū in append. apolog. nu. 47. quòd de potentia Dei absoluta dari possit infinitum in actu cathegorem. tàm in multitudine, quàm in magnitudine, & subdit nullum locum ex Doct. adduci posse, in quo oppositum docuerit, nam in 2. d. 2. q. 3. lit. I. respondendo argum. quinto 2. opinionis, ibi vt videre est, prudenter abstrahit à præsenti controuersia de possibilitate infinitorum in actu, sed ab hoc independenter, soluit argumentum ad hominem. Nom valet, nam ibi Scot. directè negat tale infinitum, etiam si mundus creatus esset ab æterno, vt Aduersarij prætendebant, dicens: *si in infinitis instantibus huius diei non potest creare infinitas animas, quia hoc non est factibile; nec in infinitis diebus totius præteriti posset infinitas animas creasse*, vbi supponit infinitum *in actu non esse factibile*, subdens in fine: *concederent tamen Aliqui Phylosophi non esse impossibile infinitatem esse in accidentaliter ordinatis*; innuens, quòd non deessent Phylosophi, qui tale infinitum admitterent, quod ipse negat in solutione talis argumenti, etiam si mundus ab æterno esse potuisset. Et abstinendo ab auctoritate Mastr. & Bell. quibus ipse Poncius nunquam fiditur, adducitur Smisinch. de Deo vno tract. 3. disp. 7. num. 82. Vir vtiq. eruditus, & in textu Doct. versatissimus, qui in citato loco exponit Doctorem in illo argumento, *negasse infinitatem in actu*. Et Tatar. etiam ibidem in 2. cit. interpres fidelissimus, ait: *Breuiter ergo Scot. vult dicere, quòd implicat infinitam multitudinem esse in actu &c.* idem sentit de opin. Scoti Lych. ibid. inter Scotis. Expositor cādidus, & eruditissimus, & licèt Ponc. aliqua loca afferat quibus ostendere nititur Doct. Infinitum Cathegorem. āmittere, sed quàm fæliciter iudicēt Docti; ibi .n. apertè de infinito syncathegor. loquitur, cum omnib. eius expositorib.

ARTICVLVS SEXTVS.

An dari possit Infinitum in magnitudine cathegor. vel saltem Syncathegor.

SCot. sicut admisit Infinitum Syncathegor. in multitudine, & negauit cathegorematicum, sic etiam consequenter procedit de infinito in magnitudine, negando cathegor. & admittendo syncathegor. vt videre est in 2. d. 2. q. 9. N. & in 3. d. 13. q. 1. & in 2. d. 2. q. 3. & 2. Meth. q. vlt. & sæpè alibi, circa quod quæsitum tres extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema concedit possibilitatem vtriusq. infiniti, ità Nominales quamplures cum illis, qui præcedenti articulo infinitum actu in multitudine concedebant. Secunda extrema negat in quantitate continua possibilitatem vtriusq. infiniti, ità Henric. quol. 5. q. 22. Aureol. in 1. d. 44. q. vn. art. 2. proposit. 2. & Alij, qui asserunt, terminatam, & definitam esse ex natura rei certam magnitudinem possibilem, vltra quam etiā per poten-

potentiam Dei maior esse non possit. Et eodē modo loquuntur aliqui Scotistæ de qualitate, & quantitate, quatenus rationes, quas affert Scot. in 3. d. 13. q. 1. pro determinatione qualitatis, etiam de quantitate vrgere videntur. Tertia sententia media, negat in magnitudine possibilitatem infiniti cathegor. & admittit infinitatē syncathegor. & amplectuntur illi omnes, qui possibilitatem infiniti cathegor. negabant, Ita D. Thom. quol. 9. art. 1. & p. p. q. 7. art. 3. & 7. cum suis. D. Bonau. in 1. d. 43. q. 3. Scot. loc. cit. Egidius in 1. sent. d. 39. princip. p. q. 3. Tolet. Conimb. & ferè omnes PP. Iesuitæ apud Tellez, & Fasolum 1. p. q. 7. art. 4. qui citant viginti Authores pro hac sent. contra Vasquiū, Hurt. Arriag. Climentinum, Ricchardū Lynceum lib. 7. Phys. tract. 6. cap. 2. fol. 308. & Alios. quæstio igitur est, an dari possit corpus infinitum, vel infinita linea.

Conclusio.

Dicimus prorsus repugnare infinitum cathegorematicè in magnitudine, non autē Syncathegor. Est Scoti cit. quē sequūtur Canon. Barg. Mastr. & Bell. hic disp. 10. q. 4. & quamplures Scotistæ, & ex nostris Carpenedolus in sua Phylos. lib. 4. tract. 3. q. 6. num. 4. fol. 760. ex D. Bonau. Patet ex dictis art. præced. & confirmatur adhuc, quia infinita magnitudo in actu constat ex multitudine partium æqualiū eodē modo infinita, ergo si talis infinitas partiū repugnat, cōsequēter & magnitudo ex eis constituta repugnabit. Hinc non consequenter loquitus fuit Vulp. tom. 1. p. 1. disp. 27. art. 8. qui admittens possibilitatem infiniti in multitudine, etiam in rebus corporeis, hic vero negat infinitum in magnitudine, quæ duo non benè cohærent; sicut .n. posset Deus infinita corpuscula, vt maris arenas V. g. producere separata, ità etiam coniuncta producere posset, vel per continuationem, vel per contiguationē, quomodo molem construerent infinitam, & infinitum spatium occuparent. Tum quia, vt eruditè arguit Canon. talis magnitudo vtiq. diuisibilis foret, cum esset quanta, & ab ea posset aliqua pars detrahi, ergo quæ remanet, vel est finita, vel infinita, si primum, ergo tota magnitudo finita erit; si secundum, ergo pars erit æqualis toti; vel dabitur infinitum maius alio; & responsio, quàm afferunt Aduersarij ad hanc, & similes rationes, quòd scil. vna magnitudo potest aliam excedere materialiter, non autem formaliter, explosa manet ex dictis. Tum quia in quacumq. magnitudine tot essent palmi, quot semipalmi, & tot vlnæ, quot palmi, cùm tñ quælibet vlna octo palmos cōtineat, & sic de singulis mensuris maioribus; vnde daretur totū æquale parti, vel vnum infinitum maius alio, nam infinita magnitudo palmorum, minor esset, quàm infinita multitudo vulnarum, & opus esset dicere, quòd in quacumq. magnitudine infinita reperirentur infinities infiniti palmi, quod est falsum, cùm ad vnam magnitudinem infinitam constituendam sufficeret vna tm̄ palmorum infinitas: idem argumentum fieri solet de multitudine infinita respectu numeri binarij, ternarij, &c. illud .n. infinitum quod ex infinitis binarijs constaret, esset maius illo, quod ex solum vnitatibus.

Alia

Alia probatio eſt de virga, vel columna infinita, tàm verſus Orientem, quàm Occidentem, poteſt .n. Deus quatuor annihilare palmos talis virgæ in ea parte, quæ ei placuerit, & poſtea illas virgas ſic diuiſas, iterum reunire, quo caſu ex defectu quatuor palmorum duo præfiguntur termini; nam in illa adunatione, & reunione illæ virgæ neceſſariò deſerunt duos palmos ſpatij, quos antea occupabant, atq. ità tangendo vtriuſq. virgæ extremitates verſus illos palmos vacui derelictos, verum eſſet dicere, hi ſunt termini huius virgæ. Ait Hurt. quòd facta illa diuiſione, poſſet à Deo virga illa reuniri, aut per rarefactionem aliquarum partium, aut per nouarum additionem, vel aliter, at modo, quo ponitur in argumento implicat contradictionem, quia totum illud corpus, vel virga non poſſet moueri, quia motus eſt deſertio termini à quo, & acquiſitio termini ad quem, latio .n. eſt inter duos terminos, ſed illæ virgæ verſus Orientem, & Occidentem nullum haberent terminum. En manifeſta fuga, quam accipit ad vim argumenti declinandã; ſi illis virgis deficiunt duo palmi, facta diuiſione; cur non habent terminum, vnde poſſint moueri? Iſti Patres huius infiniti defenſores ad 2. argum. D. Thom. 1. p. q. 7. art. 3. ſic oſtẽdentis repugnare corpus infinitum, ſcil. ſi daretur corpus infinitum, illud eſſet, & non eſſet mobile, quæ contradictoria ſunt; eſſet mobile, quia eſſet corpus naturale, conſtans materia, & forma, atq. adeo mobile, *cum natura ſit principium motus & quietis*; Non eſſet mobile, eo quia mole ſua omnem locum occuparet, & ità ſibi deficeret ſpatium, per q. moueatur. *Reſp. ad D. Thom.* quòd licèt illud corpus non poſſet moueri motu recto, ſaltem moueri poſſet per latus, quia ſic non deficit ſibi ſpatiũ. At ſic dicendo, noſtram confirmant ſententiam, quia cùm illæ virgæ in caſu, habeant in longum ſpatiũ duorum palmorum, poterunt à Deo per illud moueri, & mediante tali motu riuniri. Reſpon. Hurt. implicare illas virgas ſic vniri, quia ex eo quod approximentur, ſequitur eſſe terminatas, verſus Orientem, & Occidentem, & ex hypoteſi ſunt infinitæ verſus illas partes. Sed potius debebat Hurt. ex illo caſu infinitam magnitudinem negare, quàm ità infirmam facere potentiam Dei, vt non poſſet illam virgam iterum vnire, & copulare, à qua potuit quatuor palmos annihilare, & tot, & tanta abſurda admittere ſine neceſſitate.

Alij cum Ouiedo, vt ab his ſe liberent anguſtijs, admittunt non poſſe fieri magnitudinem infinitam in ordine ad ſpatium, ſed ſaltem fieri poſſe in ordine ad ſe; ità vt tota compenetrata exiſteret in vno palmo, vel etiam in vno pũcto loci. Inanis labor. Quæ paradoxa ſunt iſta, vt neceſſitemus Deum ad facienda duo miracula ſimul, vnum reſpectu infinitatis, alterum reſpectu talis compenetrationis. Tum quia ſi infinitas in quantitate continua neceſſariò petit compenetrationem partium eius, ergo ratio infinitatis directè pugnat cũ rõne quantitatis, quæ petit occupare locum, & reponi in ſpatio per extrapoſitionem ſuarum partium.

Alia probatio deducitur ex illo principio Mathem. quòd ſcil. duæ li-

neæ

neæ facientes angulum, quò magis protrahuntur, eò magis inter se distant; vnde si tales infinitæ fierent à Deo, interciperent distantiam finitã, & infinitam, finitam quidem, quia totum illud interuallum duabus illis lineis terminatur, & clauditur; infinitam verò, quia supponuntur infinitè distare. Resp. Hurt. negando, ꝙ spatium infinitum illis lineis terminetur, quia per illas non ponitur vltimum in infinito, Deus .n. videt, ꝙ incipiendo ab vna, non potest successiuè venire ad aliam, termini autem sunt extrema rerum, quæ successiuè pertransiri possunt ab vno ad aliud. Sed contra, ideò spatium infinitum dicitur pertransiri non posse, quia non habet terminos, sed supposito, quòd illud spatium inter duas lineas clauderetur, iam haberet terminum. Tum quia Deus benè videt extremitates illius distantiæ, & eas signando dicere potest, vsq. ad hanc lineam peruenit hæc distantia, & non vlterius, ergo illæ lineæ verè sunt termini, & extrema illius spatij interiecti.

Arriag. disp. 13. nu. 4. resp. non esse contra rationem infiniti in magnitudine, vel multitudine duobus terminis includi, quia ratio infiniti non consistit in eo, quòd terminis careat, sed præcisè in eo, quòd ex vno termino ad alium successiuè peruenirì non potest, & ex eo probat, quia inter hominem, & lapidem clauduntur infinitæ species animalium, resspectu quarum homo est vltimus, qa est perfectissimus illarum, & lapis est primus, quia est imperfectissimus illarum, est Error peior priore, Nam ratiò infiniti formalissimè in hoc consistit, quòd terminis caret, hoc .n. sonat infiniti nomen ꝙ sine fine, ac termino, & contra ipsum videtur probata illa sẽtẽtia D. Thom. quol. 9. art. 1. *Qui sic loquitur, videtur ignorare propriam vocem infiniti, quia infinitum dicitur per remotionem terminorum*. Ideo .n. infinitũ pertransiri non potest, quia terminis caret, sicut è contra finitum dicitur pertransibile, quia habet terminos, & extrema: Exemplum verò quod Arriag. affert. de infinitate specierũ possibilium inter hominem, & lapidem non facit ad rem, quia talis infinitas non est cathegorematica, de qua loquimur, sed syncathegor. cui non repugnat terminus extrinsecus, ad quem fit in via, nunquam tñ attingat, atq. adeò non rectè homo appellatur terminus vltimus illius infinitatis, quia per hoc propriè significatur, quòd sit terminus intrinsecus; infinitum autem cathegor. vtroq. termino caret intrinseco, & extrinseco. plures aliæ, & variæ responsiones pro solutione huius argumenti ab Aduersarijs adducuntur, sed semper insufficienter, & nil veritatis apparet, nisi paruula intellectus ostentatio.

Vltima probatio desumitur ex limitatione entis creati, in quocumq. .n. genere ponitur Creatura, semper finita est, cùm finitas sit intrinsecus modus realiter identificatus cùm Creatura, & per potentiam Dei inseparabilis, sed quælibet quantitates, seu corpus quantum est creatũ, ergo finitum, & limitatum, & hac vnica ratione vtitur Magister Bonherba in Phys. dub. 7. de Infinito ex Ægidio primo sent. d. 39. princ. 1. q. 3.

Quoad aliam partem conclusionis scil. quòd possit dari infinitum syncatheg. in magnitudine per potentiam Dei, saltem in homogeneis, docet Scot. in 2. d. 2. q. 9. N. ex Arist. ignis .n. cresceret in infinitum, si continuò sibi apponeretur combustibile. Tum quia Deus posset mundum perpetuare, & singulis diebus eidem quantitati vnum palmum addere, ergo &c.

Aduersarij respõdent admittẽdo, posse Deum, quacũq. magnitudine data, alteram distinctam procreare, sed negant posse semper vnam alteri continuari, & vniri, si .n. illa sit in termino, alia quantitas etiam minima non potest illi addi. Sed hæc est manifesta petitio principij, nam nos dicimus, sẽper posse fieri additioné, ex eo, quia nunquam illa magnitudo ad maximum quod sic peruenire potest, nam dato, quòd Deus tantam aquarum colluuiẽ crearet, quanta sufficeret ad maximum quod sic, & super illam vas magnum aquæ postea creatæ effunderet, mirum esset, quòd aqua non egrederet à vase, vel egressa maneret suspensa, vel versus illam partem non moueretur, in quã à Deo impellitur; & adhuc paradoxum esset, quòd si daretur ignis in suprema magnitudine, & in eũ parum stuppæ projceretur, non posse eam comburere, imò potius, quia maximus est, citissimè deberet eam comburere, quia magnitudo in igne, non impedit, sed potius promouet actionem.

Obiectiones.

Ob. primò cõtra prima partẽ conclusionis: infinitum est ens reale, quia 3. Phys. 63. definitur, & quod definitur est ens reale, ergo nõ repugnat. Item 1. Phys. 32. ponitur proprietas quantitatis; & si infinitum daretur, in prædicamento quantitatis poni deberet; ergo frustra negatur, & contra euidentiam. ℞. Neg. assumptum, & ratio est, quia ens reale dicitur per ordinem ad realem existentiam possibilem ex Doct. in 1. d. 36. q. vn. quæ infinito cathegor. competere non potest: in 3. Phys. Arist. describit infinitum syncatheg. non cathegor. imò istud, vt prorsus impossibile reijcit, & infinitum in actu describi solet, sicut describitur Chymera, Hircoceruus, & similia entia fictitia, & cùm Philos. posuit infinitatem passionem quantitatis, loquebatur de infinitate poteriali, vt Scot. docet. 2. Meth. q. 6. si tñ daretur, ait Doct. in pdicamẽto quãtitatis reponi deberet, quia maiorem cum ea haberet affinitatem, quàm cum alijs, at conditio si, nihil ponit in esse, & Philos. loquebatur conditionatè.

Ob. 2. Infinitas non repugnat enti, vt ens est, quia iam datur ens primũ infinitum, nec enti creato, vt creatum est, quia quod non est infinitum in essentia, nil obstat, quin sit infinitum in quantitate. ℞. Infinitatem repugnare enti, vt creatum est, cuius est intrinsecus modus, cum ipsa creatura realiter identificata, sicut infinitas opposita est intrinsecus modus Dei, vel eius prædicatum quidditatiuum.

Ob. 3. Illud non est denegandum Diuinæ Omnipotentiæ, cuius oppositum per nullam rationem demonstratiuam potest conuinci, sed oppositum huius conclusionis scil. quòd infinitum in actu secundum quantitatẽ continuam possit existere per Diuinam

nam potentiam, non potest demonstratiuè conuinci, ergo &c. ℟. Negando minorem, & iam ostendimus rationem repugnanti æ, cur per Diuinam potentiam fieri non posset, & & si à priori pro statu isto demonstrari non posset, manifestè tñ deducitur à posteriori.

Ob. 4. Deus est infinitæ potentiæ, ergo potest actu facere infinitum saltem in genere quantitatis. Probatur consequentia, quia infinitas potentiæ ex infinitate actus deducitur; sed Deus habet infinitã potentiam actu, ergo potest infinitum in actu producere, vt infinitam lineam &c. ℟. Concedendo de infinito syncathegor. negando de cathegor. actus .n. proportionatus infinitæ potentiæ, non est infinitum in actu completo, & cathegor. sed infinitum incompletum, & syncathegorematicum.

Ob. 5. supposito, quòd in continuo sint infinitæ partes proportionales, arguitur sic: Deus potest omnes partes continui separatim conseruare, ergo potest etiam infinitum in actu producere. Consequentia est clara ex illa suppositione, Antecedẽs probatur: quicquid Deus conseruat mediante causa secunda, potest se solo conseruare, sed Deus conseruat in continuo partes proportionales interuentu vnionis earundem partiũ, ergo potest easdem sine vnione conseruare. ℟. Negando antecedens cũ sua probatione, tunc .n. Deus se solo facere potest, quicquid agit cum secunda, quando non est implicantia; potest Deus per albedinem facere parietem album, sed hoc se solo facere nõ potest, quia implicat, Deũ per se ipsum concurrere in genere causæ formalis; sic ad propositum, repugnat continuum posse actu diuidi in omnes suas partes, ex quibus constat, quia tunc partes essent diuisibiles, & non essent diuisibiles, quia iam earum partitio esset exhausta, & ità continuum esset ẽx indiuisibilibus; potest igitur Deus mediante vnione partes illas in continuo conseruare, at non potest sine vnione illas conseruare diuisas, quia hoc repugnat naturæ continui.

Arguitur contra secundam partẽ scil. q̃ nõ possit dari infinita magnitudo syncatheg. omnis quantitas est tantitas, ergo habet terminum. ℟. Admittendo, quòd quantitas semper sub tantitate existat, idest sub aliquo termino, quantitas .n. non existit à parte rei, nisi determinata, tñ secundum se non exigit esse sub aliquo termino, nisi vagè; ideò potest esse maior, & minor, & consequentia in hoc sensu, de quo loquimur, est falsa; vel de facto habet terminum determinatũ concedo; de possibili nego.

Ob. Quæcumq. magnitudo permanens potest à Deo fieri successiuè, potest fieri simul; sed nulla magnitudo infinita potest simul fieri, ergo neq. successiuè. ℟. Maiorem esse veram de quacumq. magnitudine signabili, vel determinata, non de quacumq. absolutè possibili, & confusè, vt est infinitum syncathegor.

Ob. Tandem ex Arist. 2. de Anima 41. omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis, & augmenti; ergo &c. ℟. Ex Scoto in 2. d. 2. q. 9. ibi Arist. loqui de corporibus animatis, & in ordine ad potentiam naturalem, non supernaturalem.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An dari possit Infinitum Cathegorematicum in Qualitate, vel saltem Syncathegorematicum.

SCot. de hoc Art. differit in 3. sent. d. 13. q. 1. loquens de gratia Christi, vbi eius Expositores, qua in cõtrouersia tria sunt etiam Authorum placita, duo extrema, & vnum medium. Primũ extremũ asserit, vtrũq. Infinitum esse possibile in qualitate; ità Nominales, quos ex Recentioribus sequuntur Hurt. Arriag. Ouuied. Fasol. & Alij. Secundum extremum negat vtrumq. ità Henric. quol. 5. q. 22. Aureol. in 1. d. 17. p. 3. D. Bonau. in 1. d. 17. art. 2. q. 4. cum Multis Scotistis. Bassol. 1. d. 17. q. 3. Rada tom. 1. contr. 19. Smisinch. trac. 3. disp. 7. q. 5 n. 78. Vulp. t. 1. p. p. disp. 27. Art. 8. Fuentes & Alij, quamuis inter istos aliquod sit discrimen, an hæc terminatio intensionis oriatur ex parte formarum, quæ natura sua determinatum gradum versus maximum petant; an potius ex parte subiecti, ꝗ finitæ, & determinatæ est capacitatis. Medium placitum, quòd est cõmunius defendit Infinitum Cathegorematicum non esse possibile in qualitate etiam de potentia Dei absoluta, bene verùm possibile esse infinitum Syncatheg. Ità D. Thom. 3. p. q. 7. art. 11. & 2. 2. q. 24. Art. 7. cum eius discipulis (Caetano excepto) qui, 3. p. q. 7. Art. 10. & 12. admittit summũ in qualitatibus, & terminum intrinsecum etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam. Ægid. in 1. sent. d. 4. princ. 2. q. 3. Auersa, & Neuterici communius. Et ex Scotistis sequuntur Tatar. 1. Phys. q. 4. not. 1. Sghem. 1. Phys. digress. 3. q. 5. Herrera in 1. disp. 15. q. 6. Canon. 3. Phys. q. 3. Cauellus. Sampson, Mastr. & Bell. in Phys. disp. 10. q. 5. art. 1.

Conclusio Prima.

Dicimus cum communi, & Scotist. vltimo loco cit. Nec naturaliter, nec supernaturaliter dari posse qualitatem cathegorematicè infinitam in intensione, siue naturalis siue supernaturalis sit qualitas; & quoad qualitatem naturalem Ità Probatur: Si daretur lapis in concauo orbis lunæ cum Infinita grauitate, quæ est iam qualitas, deberet in instanti descendere, vt Arist. docuit 1. Cęli text. 51. & 52. nam quò grauitas est intensior, eò motus celerior, sed motus localis in instanti repugnat, vt infra dicemus, ergo &c. quæ ratio ad omnem aliã quallitatem extenditur, cùm .n. qualibet sit ferè actiua, posset quæcumque suum effectum in instanti ponere, & ità calor infinitus transferre posset corpus frigidum à frigiditate ad summum calorem in instanti, vt Canon. loco cit. arguit, & sic de alijs qualitatibus. Greg. in 1. d. 43. q. 4. ad 2. hac rõne conuictus, non erubuit motum localem instantaneum admittere, quod omnibus displicet; Ideo aliter Resp. Hurtad. negando sequelam maioris, & ratio est, quia lapis ille non descenderet cum tota, atque infinita Velocitate, sed posset semper cum maiori, & maiori, vel breuiori, & breuiori tempore descendere, sicut illi Doctores, qui negant possibilitatem Infiniti Cathegorematici in rebus Creatis, fatentur adhuc Dei Potentiam esse Infinitam; Ideòque asserunt Deum posse maiorem semper effectum producere, nunquam tñ actu Infinitum,

Auersa

Auersa estò nobiscum sit in Conclusione, propter hanc apparentem similitudinem affirmauit hanc cōem Antiquorum rōnem parum roboris continere. At parcat nobis Auersa, est .n. maxima disparitas inter productionem effectuum ex parte Dei, & descensus deorsum ex parte lapidis, nam lapis Infinitè grauis esset causa naturalis, quæ necessariò operari deberet iuxta totam suam Virtutem, & non haberet vnde determinaretur ad tantam, & non maiorem velocitatē in tempore; At Deus est causa libera, & ideò pro libito suo potest sic, & sic effectus determinare; Quod præuidentes Doctores oppositę sententię, affirmant lapidem illum determinari à Deo ad certam velocitatis mensuram; Quod si ponatur casus, vt Deus nolit determinare, subdit Auersa, ꝙ lapis non descenderet, nec mirum esse deberet, quia idem esset ac si Deus nollet concurrere ad vllū motum talis lapidis, sine autem concursu Diuino, nulla operatio ab vlla causa creata perfici potest. Non valet, quia nos in casu quęrimus quid fieret de illo lapide, supposito concursu Dei generali, qui causas secundas finit suos motus agere, & quid fieret de illo descensu ex natura rei, nullo adhibito miraculo, non.n. posset Deus velocitatē grauitatis illius lapidis determinare sine miraculo, & concursu eius speciali, & Ità non sumus in casu, quia tunc oporteret duo miracula admittere, vnum quòd lapis sit Infinitæ grauitatis, alterum, quòd non operetur naturaliter secundum propriam virtutem sibi innatam. Tum quia falsum est, vt bene aduertunt Bell. & Mastr. loc. cit. idem esse, Deum nolle determinare velocitatem illius grauitatis, ac illi denegare concursum generalem; Imò tunc verè non denegat, cùm illam non determinat, & è contra, tunc verè concursum generalem denegaret, & miraculum adhiberet, quando illam determinaret; & asserere, quòd in casu, quo Deus nolit velocitatem lapidis illius determinare, lapis non descenderet, est idem ac dicere, quòd lapis tāta præditus grauitate moueri non posset sine miraculo, & simile illi amentiæ, quòd ignis maximus nō posset stuppam in eo coniectam comburere.

In qualitatibus supernaturalibus multæ solent adduci probationes, sed omnes insufficientes, vel saltem non probant vniuersaliter, ideòque ratio generalis ad probandam repugnantiam inte sionis infinitæ non potest ex alio capite efficacius ostendi, quā ex repugnantia Infiniti in Multitudine, vt benè notāt Auersa, cū multis Scotistis, nā in intensione Infinita, infiniti etiam gradus necessariò forent assignandi, quia supponimus, intensionem fieri non posse, nisi per additionem gradus ad gradum ex Doc. in 1. d. 17. q. 3. vt ostendemus lib. de gener. qua suppositione facta, contra intensionem infinitam, adduci possunt rōnes, quæ contra Infinitum in multitudine, & extensione militabant. Et quòd vna intensio infinita esset maior alia, & quòd pars adæquaretur toti, & multæ aliæ contradictiones ibi assignatę.

Obiectiones.

Multa argumenta, quæ ab Aduersarijs obiciuntur, coincidunt cum illis, quæ pro defensione infiniti in

actu

actu adducebantur, quæ eadem facilitate, qua supra, soluta, & explosa remanent.

Ob. 1. Christus habuit de facto gratiam infinitam iuxta illud Ioannis 3. non in ad mensuram dat Deus Spiritum Filio &c. Et ratio est, quia se extendit ad infinitos homines iustificandos, qua rõne Christi meritũ ponitur Infinitum; Si autem finita esset, posset gratiam alicuius creaturæ tantum crescere, vt pertingeret ad intensionem gratiæ Christi. R. Cũ cõi Gratiam Christi Domini esse in genere Physico finitam, & solùm dici Infinitam in genere moris, quatenus est gratia Capitis, & quòd fuerit illi collata sine mensura, quatenus tantam habuit gratiam, ad quam omnes creaturæ præteritæ, præsentes, & futuræ nunquam peruenire potuerũt de lege ordinaria, in quo sẽsu gratia habitualis dicitur proportionata gratiæ vnionis. Hinc neque etiam apud illos, qui Christi meritũ ponunt intrinsecè, & formaliter infinitum, ideò talis dicitur, quia procedit à gratia intensiuè infinita, quia operationes Christi etiam secundum illos finitæ fuerunt, & solùm infinitę dicuntur secundum meriti dignitatem, propter excellentiam suppositi infiniti, ad quam dignitatem necessaria non erat intensio infinita gratiæ. Et licèt de potentia Dei absoluta posset pura creatura maiorem gratiam habitualem habere, quàm Christus habuerit, attamen quoad modum, gratia Christi semper excedit quamcumque gratiam possibilem haberi in pura Creatura. Tum quia Christus habuit gratiam Capitis; Tũ quia eam habet inamissibiliter, saltẽ proximè in sententia Scotist. (quia remotè esset aliter dicendum,) quia non est purus viator, sed etiam cõprehensor; Tũ qa Christus eam habet vt filius naturalis, & pura Creatura, vt filius adoptiuus, vt dicetur tract. de Incarnatione.

Ob. 2. Grauitas peccati est infinita, nam crescit ex infinita proportione inter creaturam offendentem, & Deũ offensum, & si aliquis occidere vellet omnes homines, non solùm existentes, sed etiam possibiles, tale peccatum infinitam malitiam haberet, quia velle occidere vnum est alicuius malitiæ, velle occidere duos, est maioris malitiæ; ergo occidere omnes homines possibiles esset malitiæ Infinitæ, & ità qualitas infinita. R. vt alibi diximus, q infinitas peccati non est in genere Physico, sed morali; nec est infinitas positiua, sed negatiua, quatenus in genere mali obtinet supremum gradum, intra quam tñ infinitatem adhuc admitti debet latitudo, vt vnum esse possit grauius alio, & non omnia æqualia, vt Nouitianus hæreticus asserebat; Et malitia crescit ex dignitate personæ offensæ secundum proportionem, sed non ad æqualitatem; Sic etiam in actu volendi occidere infinitos homines, si essent, non infertur infinita malitia, nisi secundum quid, idest summa in quantum haberi potest ex circumstantia quantitatis, obiecti malitiam aggrauantis, intra eamdem speciem, vt docent Bell. & Mastr. loc. cit. quatenus ex tali circumstantia non posset dari actus peior; simpliciter tñ, & absolutè malitia est finita, quia adhuc augeri potest ex alijs circumstantijs, at Infinito repugnat additio

ditio in eo genere, in quo est infinitũ. Ideò nihil contra nos.

Ob. 3. Tota latitudo graduum in qualitatibus procedit in Infinitum, ergo tota latitudo, quam Deus cognoscit vt possibilem est infinita. R. Consequentiam valere de Infinito Syncathegor. nam tota gratia possibilis non est vna determinata qualitas factibilis vnica factione, sed sunt plures, & plures gradus in infinitũ, & inter eas non videt Deus vltimam possibilem, quia talis non datur, sed tota latitudo gratiæ cognoscitur à Deo vt finita in infinitum sicuti est.

Ob. 4. Sit subiectum palmare vniformiter calidum, vt vnum, & Deus auferat calorem ab vno semipalmo, & ponat in alio, tunc erit ibi calor vt duo, & si Deus totum calorem reducat ad millesimum punctum, fiet calor vt mille, & tandem cum possit Deus totum calorẽ reducere ad solum punctum, tunc resultabit infinita caloris intensio. R. Hoc Argum. quod magni faciunt Aduersarij parũ esse tutum, & ratio est, quia supponunt pro vero casum impossibilem; Tunc. n. auferri deberet à partibus qualitatis tota vnio extensiua, & conuerti in intensiuam, quod aliud non est, nisi diuidere rem quantam, in omnes sui partes, vt benè aduertit Auersa, hoc autem est impossibile ex dictis; Potest vtique Deus vnionem extensiuam auferre à pluribus, & pluribus partibus extensis qualitatis, eas in eadem parte subiecti collocando, & vnionem intensiuam tribuendo, non tñ ab omnibus partibus extensiuis potest vnionem extensiuã auferre, & simul intensiuam tribuere, eas in puncto collocando, quia non potest continuum simul in omnes suas partes diuidere, vt sæpius dictum est.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. quòd estò qualitas respectu causarum naturalium habeat summum gradum, & terminum suæ intensionis intrinsecum, attamen in ordine ad potentiam supernaturalẽ, certum non habet terminum, sed potest in infinitum à Deo intendi. est Communior, & in terminis sequuntur Mastr. & Bell. loc. cit. art. 2. num. 29. & estò Scot. in 3. d. 13. oppositum sentire videatur de gratia Christi, id tñ nos terrere non debet, Addunt præfati Doctores, quia hoc ibi non docuit vt omnino certum, vt etiam aduertit Cauellus 2. Meth. q. 6. fol. 1. quod colligitur ex illis diuotissimis verbis: *incommendando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere.* Probatur cõclusio ex proportione extensionis in quantitate, nam sicut quantitas in ordine ad potentiam Dei absolutam, nullum habet terminum intrinsecũ, sed potest in infinitum augeri, Ità pariter de qualitate dicendum erit respectu intensionis, cùm nulla ratio afferri possit de quantitate, quæ non etiam de qualitate conuincat, vt Tatar. adnotauit 1. Phys. q. 4. Not. 4. vbi etiam nostræ fauet sententiæ, & lychet. in 3. disp. 13. q. 1. eodem modo loquitur de quantitate, & qualitate; attamen plures Authores tertiæ sententiæ, & Scotistæ quasi omnes conantur paritatem negare, & quantitatibus terminum negantes, assignãt tñ qualitatibus; Dicunt igitur diuersam esse rationem extensionis, & intensio-

tensio-

tensionis; Nam intensio est perfectio magis intrinseca qualitati, quàm extensio quantitati, & Ideò in quantitate potest dari processus in infinitum, nam additio in quantitate est materialis, seù per multiplicationem plurium entitatum æqualis perfectionis, sed in qualitatibus additio graduum est formalis, quia fit per accessum maioris perfectionis, iuxta Doctrinam Arist. 3. Phys. text. 68. & 69. vbi ait: Augmentum secundum materiam posse in infinitum procedere, non tñ sm formam.

Sed Cõtra; Augmẽtũ fit vtrobiq. per partes homogeneas, & quarũ vna nõ est alia pfectior, nec vna aliã ex natura rei supponit, sed tm̃ per accidens; ergo si additio graduum est cõpossibilis cum quantitate, similiter cũ qualitate, & Arist. loc. cit. vt aduertit Scot. etiam augumentum secundũ magnitudinem vocat additionem secundum formam; hinc Lychet. ait, quòd ire ad formam, est ire ad perfectionem, quod contingit in augmẽto, vel secundum intensionem, vel secundum extensionem. Tum quia ad summum Arist. negauit processũ in infinitum in augmento secundum formam, quòad potentiam naturalem. Fuentes loc. cit. num. 17. Resp. gradus qualitatis esse Ætherogeneos, & inæqualis perfectionis, quare si daretur processus in infinitum, tandem deueniretur ad gradum infinitè perfectum secundum entitatem, quia gradus superior semper continet perfectiorem, at partes quantitatis cùm non sint inæqualis perfectionis, facta quacumque additione, eius perfectio non augeretur; Et ait hoc esse fundamentum Scoti, cur negat processum Syncathegor. in qualitate, non verò in quantitate. Non placet, nec verũ est hoc esse fundamentum Doctoris, Semper .n. agnoscit gradus in qualitate homogeneos, nunquam Ætherogeneos, vt præsertim patet in 4. d. 13. q. 3. ac etiam in lib. de gener. patebit disp. de alteratione. Tum quia secundum communem sententiam Scotist. differentiæ indiuiduales sunt inæqualis perfectionis numericè, & tñ multiplicari possunt in infinitum. Tum quia quando etiam gradus superior contineret perfectionem inferioris formaliter, vel virtualiter, neque ex hoc haberetur qualitas infinitæ perfectionis, quia nunquam aliqua cõtineret perfectiones infinitas, sed tm̃ finitas ei subordinatas; sic etiã de facto quantitas maior continet minorem, siue continua sit, siuè discreta, & tñ in vtraque admittitur processus infinitum.

Alij sunt, quòd saltem de Charitate processus in infinitum repugnat; Et ratio est, quia cùm Charitas dicat perfectionem simpliciter, ac propterea sibi non repugnaret infinitas, deueniretur tandem ad Charitatem simpliciter infinitam ℞. Cum Bassol. loc. cit. negando, quòd Charitas creata dicat perfectionem simpliciter, nam si talem dicit perfectionem, hoc non habet nisi secundum rationem transcendentalem, qua conuenit cũ Charitate Diuina, secundum quam non intenditur, vel remittitur, sed in indiuisibili consistit. Et quando etiam Charitas creata diceret perfectionẽ simpliciter, adhuc negatur, quòd in tali processu in intensione ad Charitatem infinitam deueniret, quia hoc processui Syncatheg. repugnat, vt supra diximus. Pro-

Probatur 2. Conclusio, nam ex triplici capite posset hæc determinatio intensioni prouenire scil. vel ex parte formæ sibi certum limitem determinantis, quem transgredi non potest; vel ex parte agentis, cuius virtus limitata est ad formam in subiecto traducendam; vel tandem ex parte subiecti, quod maioris intensionis capax non est; sed ex nullo capite illorum potest huiusmodi determinatio prouenire, ergo &c. Probatur minor, quia non ex parte formæ, nam licèt qualitates mediæ naturales, in intensione videantur certum terminũ habere, quia per progressum infinitum, facilè in alterum extremum transire poterunt, vt viriditas quando in nigredinem transiret, & pallor in albedinem; Cæteræ tñ qualitates nullum ex natura sua terminum habent, & maximè in ordine ad Dei potentiam absolutam, vt Bassol. aduertit loc. cit. Hinc Doct. in 2. d. 2. q. 9. quibus formis negat terminum intrinsecum versus minimum, eisdem negat etiam versus maximum. Tum quia tale augmentum non ponit qualitatem extra limites creaturæ, ergo semper erit finita, cùm hic sit intrinsecus modus creaturæ identificatus. Tum quia vnibilitas est passio conueniens indiuiduis homogeneis, & eiusdẽ rõnis, ideò si qualitas ad talem conditionẽ peruenire posset, vt amitteret vnibilitatem cùm cæteris indiuiduis eiusdem rõnis, posset à posteriori argui, quòd tale indiuiduum in sua essentia, & quidditate iam mutatum fuisset. Tum quia hæc est manifesta petitio principij, dicere, quòd ratio cur qualitas non possit augeri est, quia iam est in termino, nam hoc est, quod impugnatur. Neque hæc determinatio sumi potest ex parte agentis, quia cùm sit infiniti valoris, semper poterit qualitatem augere. Nec tandem desumi potest ex parte sub ecti, cùm .n. hoc talem intensionem recipiat per potentiam obedientialem passiuã ex Doct. in 3. d. 13. q. 4. lit. I. sicut hæc extensio nullum intrinsecum terminum magnitudinis habet, Ità per ipsã non determinatur subiectum ad tot gradus recipiendos, & non plures, sed tñ per terminum extrinsecum. Tum quia vt ibidẽ Scot. docuit lit. F. *Quando accidens est habens gradus, & conueniens subiecto, et non determinatur subiectum ad aliquem gradum certum habendum, non videtur quare non possit sibi quicumque gradus inesse; quia non inuenitur contradictio, & vbicumque non inuenitur contradictio, illud ponitur absolutè possibile.*

Obiectiones.

Quia lis principalis est inter Scotistas, ideò oportet ad auctoritates Scoti respondere. Scot. igitur locis cit. probabiliter oppositum tenuit de gratia Christi tribus rõnibus, quarũ prima est: Si quacumque Charitate finita, potest perfectior fieri, sequitur tandem dari posse gratiam infinitam, quæ in ascendendo infinitè distabit à gratia determinata infima, & cùm ipsa videatur ab intellectu Diuino sicut vnum creabile, poterit vna creatione creari. ℞. Cum Bassol. in 1. disp. 39. q. 3. Art. 3. & Tromb. 9. de præscientia Dei art. 8. quos sequuntur Bell. & Mastr. hanc rõnem non concludere, & fundamentum est, qa de rõne processus in infinitũ est, vt nunquã attingatur infinitum in actu;

 neque

neque est necesse, vt qualibet assignabilis qualitas versus maximum distet ab infima infinitè, vt patet de speciebus numerorũ, quia inter hanc, & illam speciem semper erit distantia finita, sicut etiam in diuisione continui, vbi inter primam partem proportionalem assignatam V. g. palmarem, & quamcumque aliam inde assignabilem minorem, & minorem, semper erit distantia finita, & semper progressus vlterior.

Secunda Ratio Scot. est fundata in quadã Aristotelis auctorit. tertio Phys. tex. 60. scil. quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu, ex qua sic arguit: omnis vna potentia, vnica factione potest reduci ad actum, quia vna potentia potest habere totum id, quod adæquatè respicit, sed potentia ad augumentum in quibuscumq. permanentib. est vna, ergo potest reduci ad actum, & ità habebimus infinitum in actu. ℞. Quòd etiam ipse Doct. asserit illam Arist. & Comment. propositionem ex falso fundamento procedere, ideò negatur maior, & affertur exemplum de materia prima, cuius potentia est vnica ad omnes formas, & tñ non potest naturaliter omnes recipere. Potentia voluntatis ad volendum, & nolendum est vna, & tñ neq. supernaturaliter potest simul reduci ad actum perfectum; quare maior valet de potentia indiuisibili, quæ adæquatur per actum indiuisibilem; si autem potentia est indiuisibilis in se, sed ordinata ad actum diuisibilem, vel ipsa in se est diuisibilis, non necessariò habet actus simul sibi adæquatos, sed eo modo, quo ipsi actus esse possunt; & talis est potentia, quam habet continuũ ad diuidi, vel augeri; non .n. est vnica potentia per simplicitatem, sed per integritatem ex pluribus partialibus, quarum licèt quæcumq. signatæ, vel signabiles possint simul reduci ad actum, nec vna determinata repugnet alteri, tñ quibuscumq. determinatis repugnant infinitæ indeterminatæ. Tota igitur intensio, vel extensio à Deo possibilis, non est quid certum, & determinatũ, sed confusum, sicut tota diuisio continui.

Tertia Scot. ratio: Quantamcumq. Charitatem Deus potest facere, tantam in actu facere potest, ponatur ergo in esse, quòd quantamcumq. potest creare tantam creet, tunc non poterit vlterius maiorem creare, & per consequens non potest facere maiorem in infinitum, vel illa creata erit infinita. ℞. Quòd ipsemet Doct. concedit tale argum. non concludere gratia formæ, sed esse fallaciam consequentis, sicut si diceretur, si tu potes currere, potes moueri; ergo si potes curre, moueris; Vnde licèt potentia sequatur potentiam in antecedenti, non tñ actus illam potentiam sequitur, sed sic poni deberet, si tu curris, moueris, & si potes currere, potes moueri, ponendo simul antecedens, & consequens. Sic Scot. ipse in Reportatis. ℞. Adhuc distinguendo assumptum, nam vel *ly quantamcumq.* supponit disiunctim, vt sensus sit, quòd determinatè, & singillatim loquendo de hac, & illa charitate, potest Deus facere maximam, & sic verum est assumptum, sed consequentia est falsa, nam hac data, quantumuis maxima, potest adhuc Deus aliam charitatem maiorem, & maio-

maiorem facere; vel supponit collectiuè, vt sensus sit, Deus potest facere simul vnica factione quantamcumq. magnitudinem, vel multitudinem, vel qualitatem, quam potest facere disiunctim, ità vt nihil sit amplius producendum, & sic assumptum est falsum, nam *ly quantumcumq.* in hoc sensu supponit determinatè, quasi totum, quod Deus facere potest sit determinatū, quod nō est cōcedendum.

Dices, & vndè Scot. tàm acrimonia ingenij prædictus similibus rōnibus sit confisus, seipsum obligans, ad id quoq. tenendum de quantitate tàm continua, quàm discreta in permanentibus, cùm ipse inter corpora admittat posse dari maiora, & minora in infinitum? Resp. Scotistæ, qui nostram defendunt opinionem, Doct. non tàm motum fuisse illis rōnibus, quas etiam ipse solubiles videbat, quàm ex deuotione, affectu, & reuerentia erga Christum Saluatorem, quod illis deuotissimis verbis declarauit, loc. cit. H. *Quantum ad 2. quæstionem, de facto probabile est dicere, quòd Deus tantam gratiam ei cōtulerit, quantum potuit, potuit autē ex præcedenti quæst. conferre summam gratiam, ergo &c. in commendando n. Christum, malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita &c.* intellectum suum subtilissimum captiuando in obsequium Christi iuxta præceptum Apost. & potius de ignorātia, q̄ de indeuotione notari ꝑmisit.

Est igitur tenendum, quòd qualitas ex natura sua nullum terminum determinatè petit, sed tm̄ vagè, sicut quantitas exigit figuram, & illam habet, quam ei determinat agens; & quia agens naturale eam perficere non potest, nisi intra latitudinem finitæ perfectionis, & singulæ formæ substantiales exigant qualitates in determinato gradu; Inde oritur ꝙ qualitas iuxta capacitatem naturalē, quæ attenditur in ordine ad causas naturales habet summum gradum; Per potentiam autem obedientialem, quæ attenditur in ordine ad agens supnaturale, pōt adhuc habere plures, & plures gradus. Et licèt intensio dicatur perfectio naturalis essentiæ qualitatis, quatenus ad certos gradus dicitur ei connaturalis, & debita ex naturali eius constitutione, tū quò ad cæteros gradus possibiles, dicitur etiam naturalis, non quia eos positiuè exigat, sed quia non habet ad eos repugnantiam; hinc Amicus ait, ꝙ gradus illi non essent supernaturales quoad substantiā, sed tm̄ quo ad modum. Neq. ex hoc sequitur, quòd talis potentia obedientialis ponat in subiecto infinitam perfectionem, quia potentia obedientialis est eadem realiter cum naturali, & solùm distinguitur penès diuersa agentia; & quando potentiam naturalem dicimus infinitam syncath. & in potentia, hoc intelligi debet per denominationem quasi extrinsecam, quatenus eadem prorsus finita remanens, potest recipere à superiori agente perfectiorem formam in infinitū. Ex qua doctrina non benè deducitur, quò talis potentia sit infinita in actu, sed solùm, quòd perfectius in infinitum actuari possit, & quia hæc actuatio semper finita est, sed tendens in infinitum, potentia obedientialis ex hoc capite solū sm̄ quid, & Syncath. infinita dicitur, quatenus quacumq. intensione formæ recepta, potest adhuc maiorem, & maio-

maiorem recipere, eo ferè modo, quo diuisio continui infinita in potentia appellatur.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An saltem in mente Dei admittendū sit Infinitum in actu & Catheg.

SCot.q.3.prol. lit. Aa. vnico verbo hanc quæstionem decisit, dum loquens de Theologia Beatorū, ait: *possibile est eam esse de omnibus scibilib quia scibilia non sunt infinita.* & frustra Vulpes tom.1.p.1.disp.27. art.8.cum Al quibus Scotistis explicat Doctorem loqui de speciebus, nō autem de indiuiduis specierum, quia idem iudicium de vtrisque ferendum est, vt ex dictis patet, quia sicut indeterminata sunt indiuidua sub specie, sic etiam, & species sub genere. Duæ sunt sententiæ. Prima est, quòd obiecta à Deo cognita tàm possibilia, quàm futura sint actu, & cathegorematicè infinita, quamuis .n. à parte rei non sint possibilia, vel futura, nisi cum successione, & finita in infinitū; attamen quia in mente Dei simultatem habent in esse cognito, ideò in tali esse obiectiuo ponunt in mente Diuina infinitum Catheg. ità multi ex Antiquis, D. Thom.p.p.q.14.art. 12.& 13. D. Bonau.in 1.d.39.art.1. q.3. Argent. in 1.d. 38.q.1.art.3.& quamplures Recentiores, Vasq. 1. part. disp. 63. c.2. Lorc.in 3.p.q.10. disp.48.Ruu.lib.3.tract.2.de infinito q.2.nu. 78. Conimbr.l.3.c.8.q.4.art. 1.Murcia in Physf. Hurt. Arriag. & Alij: & ex nostris Bassol. in 1.d.35. q.7.Vulp.loc.cit.nu.6.cōcl.1.Faber, Nolanus, & Alij. Opposita sententia docet, Deum non cognoscere infinita in actu, sed tm finita in infinitum, eo modo, quo sunt producibilia: ità Durand.in 3. d. 39. q. 2. Maior ibidem d.14 q.3.Almain in 1. d.36.q.1.Tromb.q. de præscientia futurorum cōting. Nicolaus de nisse tract.1.p. 3. Canon. ex professo plurib.in locis, præsertim 2.Phys.q.vlt. & 3.Phys.q.3 & 6.Phys.q.vn.in quibus locis negat, Deum cognoscere infinita in actu, sed tm finita in infinitum, & sequuntur Auersa q. 24. sect.9.in solut.ad 3.Valent.1.p.q.14. p. 6. Lisbonensis, Nazarius, Amic. tract.18.q 6. dub.5. estò etiam alterā opinionem probabilem putet, & nouissimè Mastr. & Bell. disp.10. Phys. q.6.& M. Iacob. Brun. in Phys.q.14. art.3.

Conclusio.

Dicimus cum hac 2. sententia, & consequenter ad superius dicta, obiecta cognita à Deo non esse actu, & cathegorematicè infinita, sed tm finita in infinitum.prob.& explicatur conclusio: eodem modo loquendum est de rebus in mente Dei, quo sunt possibiles à parte rei, quia res omnes cognoscit sicuti sunt, ergo sicut extra nulla infinitas cathegorematica reperiri potest, ità nec in mente Diuina. Antecedens patet; res .n. sicut se habent ad esse, ità ad cognosci, nec Deus res opposito modo cognoscit. Consequentia patet ex dictis, negauimus .n. dari infinitum siuè in multitudine, siuè in magnitudine, siuè in intensione. Quare sicut res extra possibiles sunt finitæ in infinitum, eodem modo cognoscuntur à Deo, ità vt nūq̄ verū sit dicere, Deus infinita cognoscit, sed solùm non tot cognoscit possibilia, quin adhuc plura cognoscat: non cognoscit tantam magnitudinem possibilem, quin adhuc cognoscat maiorem. Tum quia

si res

si res successiuè possibiles infinitæ essent in intellectu Diuino, tunc continuum esset obiectiuè diuisum in mente Dei, & sic sequeretur à parte rei constare ex indiuisibilibus, quia Deus cognosceret partes non vlteriꝰ diuisibiles, quam rationem fusè prosequuntur Tromb. & Canon. Nec quantum adhoc, verum assignari potest discrimen inter possibilia, & futura per totam æternitatem, vt sunt Cogitationes Angelorum, & hominum sicuti Alij imaginantur, nam Deus non aliter futura intelligit quàm sint in se futura, sed cogitationes Angelorum, & hominum ità sunt futuræ per totam æternitatem, vt nunquam verum sit dicere, nunc positæ sunt in actu cogitationes infinitæ, sed potius semper erit verum dicere, non tot sunt, quin sint futuræ plures, cùm etiam ipsa Æternitas nunquam habebit finem, ergo cùm sint sic successiuæ, & finitę in infinitum, non autem actu infinitæ, ità quoq. cognoscuntur à Deo.

Ruu. 3. Phys. tract. 2. q. 2. resp. quòd cogitationes futuræ posũt in duplici statu considerari, vel quòad existentiam realem, vel quòad obiectiuã in mente Diuina, & estò in primo statu sint infinitæ in potentia, tñ in secundo, sunt infinitæ in actu, quia omnes sunt præsentes in Diuina cognitione, & nulla dantur ibi futura. Non valet, nam cùm dicimus, Deum intelligere cogitationes illas, sicut futuræ sunt, & non aliter, hoc non ità intelligimus, quòd Deus eas cognoscat cum successione, se tenente ex parte Dei, sed ex parte rei, & quia cum tali successione, & potentialitate intelliguntur, hinc rationabiliter inferimus, non efficere infinitum in mente Diuina, quod declarari potest exemplo diuisionum continui, quia non alia ratione Deus cogitationes futuras cognoscit, quàm cognosceret diuisiones futuras continui, si per totam æternitatem ab Angelo diuidendum foret; sed dato casu, nunquam Deus cognosceret diuisiones continui actu infinitas, aliter continuum iam foret in mente Diuina in indiuisibilia resolutũ, quod est falsum. Resp. Ruu. negando paritatem, & hanc assignat rationem, quia omnes, & singulæ cogitationes collectiuè, ac diuisiuè sumptæ sunt futuræ per totam æternitatem, itaut in tota æternitate habituræ sint extra suas causas, sed diuisiones continui etiam si à Deo fiant, non erunt omnes faciendæ, imò neq. omnes futuræ per totam æternitatem collectiuè, sed tñ diuisiuè, & ratio huius est natura eiusdem continui, quod cùm non cõponatur ex indiuisibilibus, implicat vnquam esse in omnes partes diuisum etiam per totam æternitatem; Vnde sequitur nec verum esse, quòd omnes diuisiones collectiuè sumptæ sint præsentes Diuinæ cognitioni, neq. quòd omnes sint futuræ, sed tñ hoc verificari potest diuisiuè, cogitationes verò cùm sint inter se distinctæ, & nulla dependeat ab altera, non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè sumptæ futuræ sunt per totam æternitatem, ex quo non sequitur, quòd aliquando erit verũ dicere, õnes cogitationes in actu positæ sũt. quia tunc per totam æternitatem non multiplicarentur.

Sed Ruu. in hoc verborum apparatu, sibi fontem mali inuenit; nam sicut diuisiones continui nõ sunt possibi-

sibiles omnes, vel omnes futuræ etiã per totam æternitatem collectiuè, sed solùm diuisiuè, ità etiam futuræ cogitationes, quòd etiam ipse concedit, dum ait, quòd per totam æternitatem nunquam verum erit dicere, quòd cogitationes futuræ fuerint omnes acceptæ, hoc.n. idem est ac dicere, non esse omnes futuras per totam æternitatem, nisi diuisiuè, quatenus non tot erunt, quin plures futuræ sint: hinc ratio discriminis à Ruuio assignata nulla est, nam adhuc remanet ratio communis pro diuisionibus continui, & cogitationibus, quia tã collectio diuisionum continui, quàm futurarum cogitationum, quid incertum important, ac indeterminatum, nunquam ad actum completum reducibile. Et cùm Ruu. addit, quòd cogitationes, quia sunt inter se distinctæ, & nulla ex altera dependens, hac ratione non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè sumptæ, sunt possibiles, & futuræ; eadem ratione id ipsum asserere debebat de diuisionibus continui, vt benè Bell. & Mastr. exprobant, quia etiam istæ sunt inter se distinctæ, & nulla ex altera dependet, cùm inter illas non sit ordo essentialis, vt Aliqui putabant, nam in quolibet puncto signato, vel signabili potest vna diuisio exerceri independenter ab alia. Tùm quia Ruu. dixerat, non posse asseri, quòd omnes cogitationes sint positæ, quia tunc per totam æternitatem non multiplicarentur, qua ratione ergo asserit, quòd non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè futuræ sint per totam æternitatem? Quod igitur Aduersarij dicunt de diuisionibus continui in mente Diuina, idem nos asserimus de cogitationibus futuris, cæterisq. possibilibus, nam eodem modo, quo ipsi defendunt, nullam continui diuisionem latere intellectum Diuinum, sed omnes esse actu illi præsentes, nec tñ per hoc in esse obiectiuo, actu esse infinitas, sed tm̃ finitas in infinitum, eodẽ modo etiam nos hoc ipsum defendimus de cogitationibus futuris, & de possibilibus.

Obiectiones.

Ob. 1. Aduersarij: de ratione infiniti syncathegor. est aliqua potentialitas, & successio quoad existentiã, & ei potest fieri additio, at creaturæ in Diuina mente quoad existentiam obiectiuam, seu quoad esse cognitum, nullam habent potentialitatem, aut successionem, & eorum multitudini nulla potest fieri additio, alioquin Deus omnia possibilia non attingeret, ergo cùm non sint numero finitę, erunt infinitæ cathegor. Et hoc est vnicum fundamentum Aduersariorũ, futile tñ, & inane, & mille æquiuocationibus scatens. Maior est falsa, vt supra diximus, quòd scil. potentialitas necessaria ad infinitum sycathegor. sit ad existentiam realem, & quòd tota illa multitudo debeat esse in potentia ad existere, potentialitas .n. quæ constituit infinitum syncathegor. vt sic, est indeterminatio illa accipiendi partem post partem, & hic est proprius modus huius infinitatis, vt ex Doct. aduertunt Scotistæ citati, per quod explicatur, quòd eius partes non sint tot, quin plures; ratio verò infinitatis cathegor. est, quòd eius partes tot sint, quòd nequeant esse plures, cum sint in maxima multitudine, & ideò abstrahit ab illa indeterminatione. Item potentiali-

tas,

tas, quæ infinitum syncathegor. à cathegor. distinguit, est capacitas illa, quam habet, vt possit adhùc augeri per majorem, & maiorem accessum ad infinitatem actualem, quæ infinito cathegor. omnino repugnat, cùm ponatur intrinsecè infinitatem attingere. Minor etiam est falsa, nam illa simultas tota se tenet ex parte Diuini intellectus, non ex parte obiectorũ, quia verum est dicere, Diuinum intellectum simul omnes creaturas possibiles cognoscere, sed non vt simul, sed vt successiuæ sunt, cùm Deus cognoscat res, sicut sunt; cognoscit igitur Deus successiua, & potentialia, sed non successiuè, & potentialiter. Tum quia existentia obiectiua nihil ponit in obiecto, nisi denominationē quandam extrinsecam, ergo si multitudo rerum in se est syncathegor. non poterit simultanea existentia obiectiua illam variare, & cathegor. facere, sicut mille homines successiuè existentes, si simul concipiantur, non per hoc plures euadunt, cognitio enim non variat, nec essentiam, nec quantitatem obiecti. Et tandem breuius dici potest, quòd Deus cognoscit infinitè, sed non infinita: cognoscit infinitè, quia cognitio Dei est infinita, vt ipsemet Deus; at non cognoscit infinita, quia non sunt, sed solùm infinitus est ipsemet Deus, & ideò seipsum adæquatè cognoscit.

Ob. Res omnes possibiles, & cogitationes futuræ per totam æternitatem, ità per cognitionem Diuinam omnes accipiuntur, vt non remaneāt aliæ cognoscendæ, ergo in esse cognito dici non possunt syncathegor. infinitæ. Probāt. conseq. quia sicut in essēdo res dicūtur syncatheg. īfinitæ, q̃a nō tot existūt, quin plures existere possint, ità cognosci res dicentur cathegorematicè infinitæ, quando tot cognoscuntur, vt non remaneant aliæ cognoscendæ. &c. Hoc argumentum retorqueri posse contra Aduersarios de instantia diuisionis continui per totam æternitatam, ad quod etiam ipsi respondere tenentur. Ad tollendam tamen omnem æquiuocationem circa hoc, & similia argumenta, adnotamus cum Canon. lib. 2. Phys. q. 4. & Tromb. q. de præscientia Dei, quòd signa hæc vniuersalia scil. omnis, quilibet &c. possunt dupliciter accipi, nempe collectiuè, & diuisiuè: Collectiuè sumpta non possunt in materia infiniti adhiberi sine fallacia, quia collectio habet rationem finitionis, & supponit in rebus collectis determinationem, & complementum, quæ infinito penitus repugnant: diuisiuè accepta possunt adhiberi, quia sic supponunt pro aliqua finita multitudine, quo sensu Arist. admittens mūdum æternum, ait: ante omne tempus fuisse tempus, & ante omnem diem fuisse diem, & sensus est, ante illud tempus fuisse tempus, & ante istum diem fuisse diem, at si *ly omne* acciperetur collectiuè, esset manifesta implicantia, quia extra omne tempus non est tempus. hoc admisso, negatur antecedens, quia *ly omne* sumitur collectiuè, & solùm est verum diuisiuè, quatenus nulla potest signari multitudo, quæ Deo non sit cognita, sed quæcumq. assignata, remanet adhuc alia signanda Deo cognita, atq. ità semper cognoscet finita in infinitum, veluti res sunt à parte rei.

Vulpes loc. cit. nu. 6. ait, temerariam

riam esse opinionem, asserentem Deum sua scientia infinita attingere non posse actu infinita scibilia, siuè possibilia sint, siuè futura indiuidua in quacumque specie entiũ. Probat: quicquid n. Deus potest simul, vel successiuè facere, simul vnico, ac simplicissimo actu suæ scientiæ perfectissimè attingit, cùm habeat intellectum formaliter infinitum; at Deus simul, vel saltem successiuè infinita indiuidua in quacumq. specie potest efficere, cùm habeat potentiam formaliter infinitam, ergo &c. Sed parcat nobis Vulpes. Deus non habet etiam infinitam potentiam respectu specierum? non potest sine iactura fidei negari. Cur ergo producere non potest infinitas species, sicut infinita indiuidua? Respondebit, quòd licèt Deus habeat infinitam potentiam in se, tñ vbi est contradictio, non potest eius potentia operari, cũ non sit ad contradictoria, sed tm̃ possibilia, benè. Sed vnde colligit contradictionem ad productionem specierum? Resp. ex suo falso principio, quòd tunc daretur Creatura actu infinitè perfecta, sicuti est Deus, & ideò repugnantia oritur ex parte creaturæ, non ex parte ipsius Dei. Sic etiam, & nos dicimus, repugnare infinitum in multitudine, in quantitate, & intensione, quia sic terminaretur, & finiretur infinita potentia Dei, cùm data tali multitudinè infinita hominum, non potest Deus sua infinita virtute alium hominẽ creare &c. Vnde data tali hypotesi, quòd Deus posset infinitũ actu producere, sequitur, quòd etiam illud infinitum cathegor. cognosceret; Sed suppositum est falsum ex dict. s. At quia nos tenemus cum communiori quòd Deus non potest nec multitudinem actu infinitam producere, nec magnitudinem, nec intensionem; ideò rectè etiam, & consequenter negamus Deum infinitũ actu cognoscere, & est doctrina conformis eius dictis concl. 2. nu. 7. vbi probare volens, ꝙ Deus sua scienta de facto attingere non potest infinitum actu in magnitudine molis, vtitur hoc medio. Quicquid Deus potest directè, & immediatè intelligere, potest efficere, at continuum actum infinitum, seù corpus aliquod infinitè extensum fieri à Deo absolutè implicat, ergo similiter à Deo directè, & immediatè cognosci implicabit. Hac ratione, qua ipse vtitur pro magnitudine, nos vtimur etiam pro multitudine, & intensione, & magis nos consequenter loquimur, omne infinitum Cathegor. creatum negantes cum communiori, quàm ipse, concedendo tale infinitum in vno genere, & negando in alio, vt supra contra ipsum asseruimus.

DE LI-

DE LIBRO QVARTO PHYSICORVM IN QVO DE LOCO, VACVO, & Tempore Agitur.

DISPVTATIO QVARTADECIMA.

ARist. postquàm egit in 3. Phys.de motu in cõi, in hoc 4. agit de mensura extrinseca motus localis, quæ sunt locus, & tempus. Et primò agit de loco, 2. de vacuo contra Antiquos, quod ponebant gratia motus, & 3. de tempore. Agit tñ de loco in ordine ad corpus, qui circumscriptiuus appellatur, vt quædam passio est, sequens adæquatum obiectum in eius Philosophia, quod statuimus Corpus naturale; At quia nos Phiam sm totam suam latitudinem consideramus, quo sensu statuimus pro adæquato obiecto substantiam finitam naturalem, hinc consequenter nè dum de loco corporum, sed etiam de loco substantiarum immaterialium agẽdum aggredimur, cuius locus diffinitiuus appellatur. Et de vtroq. promiscuè agemus tàm materialiter, quàm formaliter.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid propriè, & Adæquatè sit locus.

SCot. de hoc articulo disertè agit in 2. sent. d. 2. q. 6. §. Ad Quæst. R. P. *Illuminati à Collisano Capuc.* &c. & quol. 11. per totum; & alibi. pro cuius intelligentia præmittimus, varias esse loci acceptiones, quandoq. n. metaphoricè accipitur, vt est illud Arist. 3. de anima tex. 6. vbi appellat mentem, locum formarum, idest specierum intelligibilium; & Plato vocauit materiam primam locum formarũ substantialium. Quandoq. sumitur pro loco artificiali, in quo sensu vas, vt amphora dicitur locus aquæ, & quodlibet corpus, quod continet aliud per modum vasis, quia scil. cum eo mouetur, dicitur locus eius, sed artificialis. Nos hic de nullo horum loquimur, sed de loco Physico, & propriè dicto, quod nempè sit aliquod extrinsecum rei locatæ, & ità in se recipit, & continet locatum, vt non moueatur cum eo, de quo propriè loquitur Arist. in hoc 4. sed quia locus Physicus adhuc duplex est, proprius scil. cuiuscumq. corporis, & communis, quale est Cælum respectu inferiorum, sermonem instituimus de loco proprio, sed neq. de proprio prout inuoluit qualitates conseruatiuas, aut destructiuas rei locatæ, quo

 sensu

sensu in naturalem, & violentum diuiditur, sed præcisè de eo, vt ab omnibus abstrahit qualitatibus, quod propriè dici solet mathematicè sumpt⁹, q̃a sic etiã accepit Arist. disput. 4. Phys. vt Scot. docet in 2. cit. Item q̃a locus sic sumptus, potest adhuc dupliciter considerari, nempè materialiter, idest pro ea re, quæ locus dicitur; & formaliter scil. pro ipsa formalitate loci, quæ rem ipsam constituit in ratione loci, non quærimus hic de loco pro formali, quia in hoc non erat inter Philosophum, & Antiquos controuersia, vt ex tota illa disputatione patet, omnes .n. conueniebant in hoc, quòd formalitas loci consistit in receptione, & continentia locati, vt ex tex. 30. liquet, vbi Arist. ait: *censemus igitur locum esse primum quidem, quod continet illud, cuius est locus*. Vnde controuersia erat de re, cui talis continentia, & receptio conueniret, Antiqui .n. contẽdebant, hoc esse interuallum illud inter latera corporis continentis inclusum, Arist. verò asserebat potius esse ipsam superficiem concauam corporis continentis, quia ab hac corpus inclusum dicitur contineri, & ambiri, non à spatio, seu interuallo.

Ex his manifestè deducitur pro Scotistis, quòd locus formaliter consistat in relatione, spectans ad prædicamentum Vbi, illa .n. continentia, qua dicitur locus continere locatum, aliud non est, nisi respectus continentis ad contentum, quod Vbi actiuum appellatur, locus siquidem formaliter, nõ videtur intelligi posse sine ordine ad locatum, vt Doctor quol. 11. eruditè demonstrat. Supponimus etiam hic, quòd continentia hæc, in qua formalitas loci consistit, poni debet tàm actualis, quàm aptitudinalis, nam de rõne loci actualis est continentia actualis, quia tunc actu locus est, cùm locatum est ab eo actu circumscriptum, & de rõne loci potentialis est continentia potentialis, ità Mastr. & Bell. in Phys. disp. 11. q. 1. Contra Auersam q. 27. art. 1. qui contendit, ad absolutam loci denominationem sufficere continentiã potentialem, capacitatem nempè, & aptitudinem ad continendum. Non valet, quia ex hac doctrina sequeretur, quòd baculus V. g. ex aqua extractus adhuc dici posset esse absolutè in aqua, vt in loco, & aqua locus eius, quia potest eum recipere, & locare. Item Aduertimus, quòd spatium, seu interuallum non rectè ponitur esse aliquod reale positiuum à parte rei Æternum, vel infactum, aut necessariò productum, & immobile, vt Fonseca posuit 5. Meth. cap. 5. de fide .n. est nihil ab Æterno extra Deum existere, & quòd nunquam inceperit, & annihilabile non sit. Sed spatium erit negatio, vel priuatio corporis, cum capacitate, seù possibilitate ad corpus accipiendum, quæ priuatio destruitur ponendo, vel cogitando ibi corpus.

Quantùm igitur ad locum pro materiali, cui scil. hoc munus recipiendi, & continendi corpora, conueniat tres extant sententiæ: Prima affirmat locum esse spatium inter latera corporis continentis inclusum, & à corpore contento occupatum, non quidem in eo sensu, quo ponebant Antiqui, esse nempè corpus aliquod de genere substantiæ, vel de genere

genere quantitatis, excepto tñ Mafio, qui 4. Phys.cap.5.sec.1.q.5.ait: *Ego verò nisi authoritas Arist. & D. Thom. compelleret, manibus, pedibusq. in sententia de internallo libēter abirem.* Sed accipiendo pro spatio internallum illud, vel inane, quod in vase intelligeretur; in hoc sensu accipiendo spatium, ab omnibus ferè Recentioribus amplectitur, qui dicunt Philosophum reijcisse opinionē Veterum de spatio in primo sensu, non autē in hoc secundo. Alij distinguunt de duplici loco, intrinseco scil. & extrinseco, primus dicitur occupari à locato; secundus, à quo locatum dicitur contineri, & ambiri, & spatium asserunt esse locum intrinsecum, nam dimensiones, quas imaginamur in eo, putamus compenetratas cum dimensionibus realibus corporis locati; superficiem verò appellant locum extrinsecum, quatenus ab ea locatum continetur, & ambitur ab extrinseco, & de hoc aiūt Arist. locutum fuisse, ità Auersa loc. cit. Morisanus disp.5. Phys.q.1. Amic. Conimbr. Vallef. & probabilem putat Tolet.4. Phys.q.3.cōcl.3. Secūda sententia est Arist. cum Peripateticis communiter, qui absolutè docuit, non spatiū inter latera corporis continentis inclusum, sed potius latera ipsa, seu superficiem corporis continentis esse locum corporis. Tertia sententia, quæ post Arist. orta est, affirmat, locum consistere in situ, quem habent corpora in vniuerso, quatenus singula situm quemdam in orbe occupant, qui præsertim designari solet per comparationem ad puncta fixa vniuersi, quæ sunt poli, & centrum mundi, sub qua comparatione dicimus, rem esse hic, aut ibi, à quacumque supficie abstrahendo, quę opinio tribuitur Damascio, qui fuit simplicij Magister, & eidem simplicio, ac Aureolo in 2.d.2.q.3.& eam sequuntur qui constituunt rationem loci in relatione distantiæ à polis mūdi, & à Centro.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, locum non esse spatium, quocumq. modo explicatum, siuè imaginarium, siuè reale, nec situm, quem habent corpora in vniuerso in ordine ad polos, & centrum mundi. Prima pars est contra Stoicos, Platonicos, & Doctores relatos pro prima sententia. Secunda pars est cōtra Doct. tertiæ sententiæ. Prima pars est clarif. in textu Arist. D. Thom.4.Phys.lec.6.& 7.cum suis sequacibus. Scot.loc.cit.cum suis, & communis. apud Peripat. & probatur primò, quòd locus non possit esse spatium imaginarium. Omne corpus naturaliter tendit ad suum proprium locum, à quo continetur, & conseruatur, sicut piscis in aqua, sed spatium imaginarium nihil reuera est, sed tñ obiectiuè in imaginatione, estò cum fundamento in re à nobis concipiatur, ac si aliquid esset à parte rei, ergo si spatium imaginariū esset locus, res naturales tenderēt ad nihilum, & à nihilo conseruarentur. Tum quia munera loci sunt recipere rem locabilem, eam continere, & ab ea repleri, sed hæc illi spatio conuenire non possunt, quia hæc munera sunt realia, & positiua, & spatium à fautoribus talis opinionis, nō est qd positiuum, sed purum nihil, quia est mera negatio repugnantiæ ad capiēda corpora, quæ ab ipsis appellatur cape-

capedo quædam negatiua, ergo munera illa exercere non potest, & cõsequenter res nullibi esset tanquam in loco, cùm tñ quod est in alio, vt in loco, semper alicubi sit.

Resp. Auersa cum Molina.& Alijs, quòd tale spatium non esset quodcumq. nihil, sed tale nihil, quòd dicat illam non repugnantiam ad corpora capienda, & sic res, quæ est in spatio, est quidé in nihilo reali, idest non in alio ente reali, est tñ realiter in hac inanitate, quæ suo modo apta est continere res locabiles, quia res non est in spatio quasi subiectiuè, aut alio modo positiuo, sed coexistendo tali spatio de se inani; & similiter res diceretur esse nullibi idest, non in aliquo loco positiuo, sed verè est alicubi, hoc est, in aliquo spatio, & eodem modo illa omnia munera accipiendi, & continendi res locabiles poterunt spatio applicari.

Non placet, nam licèt admittenda sit hæc negatio tamquam realis, vbi nullũ est corpus, contra Arriag. qui disput. 12. Phys. sec. 3. contendit, spatium esse purum ens rõnis fictum ab intellectu, verè namque extra Cęlum datur negatio alterius orbis cum non repugnantia, vt ibi sit, nullo intellectu negotiante, sicut dantur aliæ negationes reales, tenebrę, cęcitas, &c. Et licèt res spirituales huic negationi coexistere valeant, res tñ corporeæ ei coexistere non possunt, & ratio est euidens, nam cùm inanitas illa, & vacuitas aliud non dicat, quàm negationem corporis cum non repugnantia, vt ibi sit corpus, vtiq. sicut per positionem corporis, dicitur inane repleri, ità etiam eò ipso tollitur negatio corporis, quia negatio non stat cum forma, quam negat, quomodo ergo corpus locabile, seu locatum cum illa negatione corporis coexisteret? Tum quia Vacuũ, & spatium sunt idem formaliter, & solùm differunt ratione connotati, nam spatium non connotat terminos reales, sed est negatio diffusa sine termino, hinc spatiũ, ꝙ est extra Cælũ, inane dicitur, non vacuũ; vacuum auté connotat terminos reales, Vnde destructo aere huius aulæ, relictis parietibus, vanum quod remaneret, diceretur vacuum, sed vacuum formaliter est negatio corporis contenti cum non repugnantia, vt ibi sit, quo ibi posito, tollitur talis negatio, ergo similiter, & negatio spatij, & ità falsum est, quòd corpus tali spatio coexisteret, & consequenter etiam nullibi esset, vt in loco.

At resp. Amic. 4. Phys. tract. 21. q. 5. dub. 1. art. 2. quòd negatio, quæ cõstituit spatium, non est per se, & propriè negatio corporis repletiui, sed negatio repugnantiæ ad illud capiendum, quæ manet etiam si prima tollatur per aduentum corporis; cùm .n. concipiatur, vt receptaculum, & capedo corporis, non debet tolli per aduentum eius, quia recipiens non destruitur per receptum, sed potius perficitur. Addit adhuc infra, spatium differre à vacuo, nedum ratione connotati, sed etiam ratione formalis significati, quia licèt vtrumq. formaliter negationem dicat, tñ Vacuũ per se, & formaliter dicit negationẽ corporis replentis, & ideò per eius aduentum tollitur, sed spatium per se non dicit talem negationem, esto per accidens aliquando etiam habeat annexam, vt erat spatium, ante mundi

pro-

productionem, & modo est extra Cælum.

Non satisfacit, vt benè Bell. & Mastr. vrgent loc. cit. & ratio est quia Amicus confundit potentiā subiectiuam, cum obiectiua; negatio corporis cum non repugnantia ad corpus capiendum per spatium formaliter importata, est negatio extra genus, seu extra subiectum, ac proinde cōnotans in termino talem non repugnantiam, & aptitudinem, quæ negatio repugnantiæ se tenens ex parte termini, dicitur potentia obiectiua, sicut quando se tenet ex parte subiecti, dicitur subiectiua; sed potentia obiectiua, in hoc differt à subiectiua, quòd illa perit in aduentu actus, subiectiua verò permanet, ergo posito corpore in spatio, non solùm tollitur negatio corporis, sed etiam negatio non repugnantiæ ad ibi corpus existendum. Minor est Arist. 9. Meth. tex. 6. & 7. maior probatur, quia licèt talis negatio concipiatur à nobis ex parte spatij per modum capedinis, & receptaculi, reuera tñ aliud non est quàm possibilitas obiectiua corporis, vt ibi sit, sicut determinata capedo aliud realiter non est, quàm tanti corporis possibilitas ad ibi existendum; vt Scot. breuiter explicat quol. 11. lit. F. & sequuntur Suar. disp. 51. sec. 1. nu. 12. & Hurt. disp. 14. sec. 2. Hinc asserere spatium extra mundum posse infinitos mundos recipere, aliud non est, quàm posse infinitos mundos creari, vbi nunc nihil est. Id autem quod subdit Amicus, Vacuum, & spatium differre etiam in formali significato, est contra communem Doctorum sensū, & contra rationem, Omnes .n. fatentur nullam aliam differentiam intercesse inter spatium, quod modò extra Cælum est, & illud quod esset inter Cęlum, & terram medijs corporibus destructis, nisi quia illud in infinitū procederetur, hoc verò non, sed terminis clauderetur, q̄ differētia tantùm penès connotata est.

Quod neque locus corporum sit verum spatium, & internallum, probatur, nam tale interuallū V.g. ollæ non esset substantia spiritualis, quia hæc non potest esse locus corporum: Neq. substantia materialis affecta quantitate, quia continendo intra se corpus quantum, daretur penetratio corporum naturaliter: Neq. posset esse accidens separatum à subiecto, vt de se patet, & deberet existere continuum miraculum: Neq. accidens inhęrens corpori, quia tunc duo accidentia solo numero distincta, nempè interuallum, quod esset quantitas longa, lata, & profunda, & quantitas propria illius corporis locati essent in eodem subiecto, quæ omnia falsa sunt, ergo interuallum illud est fictitium, & ideò non posset esse locus corporum.

Probatur vltima pars cōclusionis, quòd scil. neque sit situs, quē res obtinent in ordine ad polos, & centrum mundi, nàm quiescente aliqua columna in aere, per Dei potentiam potest totus mundus moueri versus vnā differentiam positionis V.g. versus Antipodes, quo casu maneret ibi columna immota, & tñ variaretur ordo illius, seu dista tia ad polos, & centrum. Nec dicere valet, quòd columna retineret eamdem positionem ad puncta imaginaria; quia cum hæc sint prorsus ab intellectu ficta, non

potest

potest per ea constitui locus verus, & realis corporum. Tum quia neq. positioni conueniunt munera, & attributa loci, nam locus est in locante, positio est in re locata: locus continet rem locatam, illam recipit, & est ei æqualis, non sic positio: locus est terminus motus localis extrinsecus ex 4. Phys. 30. & 32. non sic positio, quia distantia à polis, & centro est relatio intrinsecus aduenìens, ad quā non est motus, nam statim insurgit positis extremis, ergo locus non potest in tali positione consistere.

Obiectiones.

Ob. Primò Amic. Conimb. Hurt. & Alij, quòd ratio loci consistit in spatio; locus est terminus, seu finis motus localis, ergo ille dicetur locus, qui per motum localem acquiritur; sed per motum localem acquiritur *spatium imaginarium*, & non vltima superficies, ergo &c. maior est euidens, minor probatur, si. n. motus fieret in vacuo, non acquireretur superficies continens, cùm nullum esset ibi corpus, neq. spatium reale, ergo spatium imaginarium. ℞. Negando minorem, quia tunc per motum non acquireretur vbi reale ab intrinsecum reale inhærens mobili, extrinsecè verò nullibi esset, nisi in superficie imaginaria.

Hinc supponimus pro maiori facilitate ad solutionem argumentorū, quòd nos etiam concedimus spatium reale negatiuum, vbi corpora non sunt, idest extra Cęlum, non tñ in hoc vniuerso, quod modò corporibus plenum est, nam spatium reale negatiuum formalissimè tollitur per positionem spatij realis positiui, vt tenebra per lucē; &c. nō possumus tñ dicere, quòd Deus hunc mundum produxerit intra spatium illæ, nam ante quam corpus alicubi producatur, ibi præcedere intelligitur spatium reale negatiuum corpori locabili commensuratum, quod statim in aduētu corporis tollitur. Nec sēp repugnātia est duorum respectu tertij, nam potest etiam dari repugnantia duorum ad inuicem; Vnde duæ species vltimæ dicuntur ad inuicem incompossibiles, non solùm quia cōuenire nequeunt in vnam tertiā speciem, sed quia etiam vna in alteram transire non potest; Vnde asserimus, quòd duæ quantitates, ideò incompossibiles sunt, quia ambę recipi nequeunt intra concauum eiusdem superficiei, cuius indiuisibilitas solùm facit, vt superficies conuexa corporis locati sit secum simul cōpenetrata cum superficie concaua, non tñ quòd duo corpora possint ad inuicem cōpenetrari in ipsa superficie inclusa, & tali superficie concaua ablata, adhuc remanebit extremitas corporis ambientis, quæ ad locandum sufficeret.

Ob. 2. Spatium hoc negatiuum est ità necessarium ad motum localem peragendum, vt sine eo fieri non posset, ergo necessariò admitti debet, antecedens est Scoti in 2. d. 2. q. 6. lit. I. vbi docet, solùm inter illa duo vbi, fieri motum localem, inter quæ est spatium interceptum; & ibidem q. 9. propè finem ait, successionem essentialem motus ex hoc spatio prouenire. ℞. Negando assumptū, & Doctor loquitur de spatio reali, & positiuo, q̄ ex corporibus interiectis inter terminos motus constituitur, quod

quod etiam clarissimè docuit ibidem q.9. Bb. asserens, quòd ex diuisibilitate, & tantitate spatij pleni sumatur modò successio essentialis motus, accidentalis verò ex conditione accidentali eiusdē spatij pleni scil. subtilitate, vel densitate, vnde sicut in vacuo successio essentialis motus sumeretur ex distantia terminorum priuatiua, & totus motus d ceretur ex tantitate corporis possibilis inter illos terminos, sic modò in pleno, successio essentialis sumitur ex distātia positiua, & tantitas motus ex tantitate corporis de facto interiecti inter illos terminos.

Ob.3. Locus colligitur ex translatione corporū succedentium in eundem locum, sed corpora succedunt in idem spatium, nam vbi nunc est homo, postea succedit aer, ergo &c. Resp. negando minorem, corpora ℞. non in idem spatium succedunt, nam adueniente corpore, spatium tollitur, sed succedunt in idem concauum corporis ambientis, & huius ratione, hoc corpus dicitur esse vbi erat aliud.

Ob.4. Si Deus corpora omnia inter Cælum, & nos destrueret, adhuc verè essemus in loco, & talis motus in vacuo factus diceretur localis, non alia de causa, nisi quia partem replemus illius magni spatij, & per motum, partē vnam spatij amitteremus, aliam acquirendo. ℞. Cum Mastrio, & Bell. ex Doct. quòd in tali casu realiter, & Physicè nusquam essemus localiter, sed tm̄ in loco imaginario, quod etiam non esset spatium, quia hoc est incompossibile cum corpore, sed esset superficies imaginaria nos ambiens, sed de hac difficultate fusius suo loco agetur.

Ob. 5. Ex Aureolo, probando, quòd locus in præfato situ consistat: Per solam comparationem ad centrum, & polos res dicitur esse hic, aut ibi, quæ sunt aduerbia localia, idest à loco desumpta, ergo in huiusmodi situ ratio loci consistit, probatur assumptum, si varietur continens, & quoduis aliud, manente tñ eadem positio in ordine ad vniuersum, semper res erit in eodem loco. patet de Turri vento flante, quia hac rōne dicitur esse in eodem loco, quia scil. semper eamdem retinet distantiam ad polos, & Centrum, vt etiam fatetur Scot. in 2.d.2.q.6. & è conuerso, maneat idem continens, si variatur positio, dicitur variari locus, vt patet de aqua in fluuio simul cum Cymba dilabente, eamq. circumdante, estò .n. eadē sit aqua, & perseueret, Cymba tñ dicitur continuò variare locū, quia variat distantiam ad polos, & centrum mundi. ℞. Negando assumptum, ad probationem, concedimus, nos dici esse hic, vel ibi per comparationem ad Centrum; & polos, qui sunt immobiles, in quo sensu etiam loquitur Scot. at hæc est prorsus per accidens, non per se, nam casu, quo Deus Cęlum impelleret versus vnā partem, terra immota, adhuc Turris, & Ciuitas in eodem essent loco, vt nunc sunt, & tñ non eandem retinerent distantiam à polis, & eumdem situm in toto Orbe; & è conuerso, si cum Cymba, & flumine decurrerent etiam poli, & totum vniuersum, ità vt semper Cymba eamdem seruaret distantiam ad polos, & centrum mundi, adhuc localiter moueri diceretur, at ex eo quòd merè accidit, non possumus deducere formales rerū rōnes.

Ob. 6.

Ob. 6. Illa sunt eadem essentialiter, quæ habent easdem differentias, sed locus, & positio, sunt huiusmodi, nam sursum, & deorsum, quæ sunt differentiæ loci, conueniunt etiam positioni, imò per positionem loco conueniunt, nam locus ille dicitur sursum, qui Cælo appropinquatur, & ille deorsum, qui terræ centro approximatur, ergo. ℞. Ad minorē, sursum, & deorsū nō esse differentias essentiales loci, sed merè accidentales, Si .n. Deus Cęlum, & Centrum destrueret, & columna permaneret eodem aere circumdata, verè diceretur esse in loco, & in concauo aeris, nec tamen esset sursum, vel deorsum, cùm ex hypotesi non esset neq. Cęlum, neq. Centrum, respectu quorum locus dicitur sursum, aut deorsum.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. nomine loci absolutè, & simpliciter intelligi debere superficiem vltimam Corporis continentis primò, & immobiliter. ità Arist. in hoc 4. Phys. quem veri Peripat. sequuntur, & Classici Doctores. D. Thom. loc. cit. D. Bon. in 1. d. 37. par. 1. art. 1. q. 2. & in 2. d. 2. p. 2. art. 2. q. 1. quem sequitur eius primus Commētator Trigos. q. 6. & Carpened. in sua Philos. lib. 4. q. 2. Titelman. lib. 4. & 9. Scotus cum suis, & Alij communius. probatur facillter: nomine loci intelligitur communiter aliquod extrinsecum, quod continet, & est receptaculum rei locatę; sed excluso corpore circumscribente, nihil aliud remanet, quòd possit talibus fungi muneribus, ergo &c. probatur minor, dum .n. locatur corpus, non remanet spatium negatiuum, vt probatum est; Neque etiam Vbi passiuū, quia propriè non est locus, sed terminus motus localis; Nec situs, aut positio possunt id munus obire, nàm hæc omnia sunt intrinseca, & inhærentia rei locatæ, atq. ideò non se habent, vt receptaculum rei locatę. Tum quia proprietates loci propriè superficiei adaptantur, vt infra patebit, ergo &c.

Obiectiones.

Ob. 1. Communi, sed difficili argumento: Si superficies esset locus, posset res immota manens mutare locum, nam flante vento, mutantur continuò superficies Turrim ambientes, ipsa è proprio loco non egrediente, quia semper habet eamdem distantiam, & propinquitatem cum rebus, quam antea habebat, sed hoc est falsum, ergo &c. Si dicatur cum Aliquibus, Turrim esse in odem loco, quia superficies aeris succedentes continent Turrim in eadem distantia, non iuuat, quia instat Scot. loc. cit. in 2. initio art. Si subiectum, quòd est superficies non manet idem, ergo nec consequenter distantia, quę super ipsam superficiem fundatur, quia accidens non migrat de subiecto in subiectum. Tum quia terra immota seruata, posset Deus Cęlum premēdo, variare distantiam ad polum, & tū Turris maneret in eodem loco, variata superficie, & distantia. Melius igitur ℞. Cum Scot. negando sequelam maioris, ad probationem dicimus, quòd estò circa Turrim superficiei præcedenti, alia numero diuersa reuerà succedat, est tū illi eadem per æquiualentiam, non quomodocumq. sed quantùm ad motum localem, vt Scotus explicat, nam illæ superfi-

perficies immediatè succedentes se habēt omnino ac si essent idem locus numero; at termini inter quos fieri debet motus localis, ab vno in alium, non solùm numero, sed etiam specie differre debent propter spatium interceptū; & quatenus alium respectum specie habent ad totum vniuersum; ad motum igitur, vel mutationem localem, non sufficit varietas loci numeralis, quia hæc esse potest sine spatio intercepto inter vnum, & alium locum, sed requiritur necessariò diuersitas specifica, quæ ex spatio intercepto arguitur, atq. ideò absolutè dicendum est, quòd Turris in eodem loco permaneat, estò circa ipsam superficies varientur, quia vt locum mutaret, oporteret, quòd continuò superficies acquireret in rōne loci specie diuersas. Et eodem modo respondendum erit in casu, quo reliquæ Orbis partes mouerentur, sola turri excepta, quia adhuc inter sup̄ficies aeris sibi succedētes impossibilis foret localis mot⁹ nā null⁹ sic inter vnā, & aliā sup̄ficiē daretur spatiū interceptum, quod tñ simpliciter necessarium est inter duos terminos, vt ab vno in alium motus fieri possit. Et hæc est vera, & per se ratio, Cur turris sit in eodem loco, licèt superficies varientur, illa verò, quòd noua superficies contineat turrim in eadem distantia ad vniuersum, sicut prima superficies, est causa per accidēs secundum Scot. & de facto valet, dum poli, & cętrū immobiles permaneāt.

Sed Cōtra obijcies, vel Turris variata sup̄ficie, habet eundē numero locū, quē pri⁹ habebat, vel non, si primū, ergo sup̄ficies non est locus, quia variata sup̄ficie, iā manet idē numero locus; si non, ergo est mutata localiter, quia localiter moueri, est aliter se habere nunc, quàm prius in ordine ad locum. ℞. Quòd licèt variatio superficierum circa Turrim sit aliqua mutatio, non tñ dici debet propriè, & rigorosè mutatio localis, & ratio est, quia hæc non est, nisi inter terminos specie diuersos, vt iam diximus, & tales non sunt, nisi quādo inter eos spatium interijcitur, & est Doctrina ad sensum omnium Philosophorum, qui ideò localem motum appellant motum lationis, quia inter terminos eius reperitur spatium interiectum, nam translatio corporis non potest concipi, nisi à termino ad terminum, scil. à termino à quo, ad terminum ad quem, inter quos spatium intercipiatur, quare ad hoc, vt corpus dicatur localiter moueri, non sufficit, quòd aliter se habeat ad locum quomodocumq. sed aliter se habere debet per sui trāslationem, quia hac ratione dicitur motus localis. Vnde in forma argumenti, concedimus, quòd variata superficie, adhuc Turris manet in eodem numero loco, ad probationem, quòd sequeretur, superficiem continentem non esse locum, quia variata superficie, adhuc manet idem numero locus, negatur sequela, quia vt Turris sit in eodem loco, sufficit, vt reperiatur in eadem superficie specie, licèt in alia distincta numero, quia loci variatio, p̄priè dicta sit per acquisitionem noui loci specie diuersi à priori, & diuersitas numeralis se habet tm̄ materialiter, ità Bassol. in 2. d. 2. Canon. 4. Phys. Sampson 4. Phys. q. 2. Tatar. 4. Phys. q. 1. art. 2. Conimb. q. 3. & Alij, & videtur etiam sententia

D. Tho. 4. Phys. lec. 6. & potest exẽplis explicari, quã etiam dicimus manere eundem numero ignem sm̃ formam, licèt sm̃ materiam varietur per appositionem commustibilium. Dicitur manere idem numero animal, licèt partes succedant; & idem numero fluuius saltem æstimatiuè, & moraliter propter continuationem superficierum aquæ, & cum eadem distantia à ripis, à mari, à fonte. sequuntur M. Iacob. Brun. q. 15. art. 2. Masius, & Aliqui Thomistæ.

Sed Contra adhuc instabis, si hæc doctrina esset vera, nauis in flumine, vel in mari decurrens, semper esset in eodem loco, quod est falsum, sequela est euidens ex allata doctrina, quia superficies eam continẽtes, ità sibi immediatè succedunt, vt inter vnam, & aliam non sit spatiũ interceptum, sicut se habent superficies circa Turrim. ℞. Negando sequelam, ad probationem negatur paritas, nam superficies in flumine, ità succedũt vt inter eas semper aliq̃ spatium interijciatur, quale non experitur inter superficies aeris Turrim circumdantis, quod facilè deprehenditur ex distantia ad vniuersum, quod non experimur in variatione superficierum circa Turrim.

Ob. E contra, si superficies esset locus, res poterit localiter moueri, eundem retinendo locum, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela ponatur quod Nauis recedẽs ab hoc Messanæ portu, Romam perueniat cum eadem aquæ superficie, tunc diceretur in eodem loco Nauis permanere, quia eamdem superficiem retineret, & idem asserendum erit de vase aquæ hinc, & illuc translato, quæ omnia sunt falsa. Nec dicere suffragatur, Nauim in aqua currentẽ, & aquam in vase non esse tanquam in loco, sed vt in vase, sicut vniuersaliter contigit quando contentum mouetur cum continente, vt Arist. ait in hoc 4. tex. 41. vnde fit, vt sicut vas mouetur per se, vasatum verò per accidens, sic in casibus allatis, Nauis Romam perueniens, aqua deferens diceretur mutare locum per se, Nauis verò per accidens, sicut etiam de vase deferente, & aqua in vase delata; hoc non iuuat, quia nauis post quam Romam peruenit, esto dicatur mota per accidens, nempè ad motum alterius, adhuc tñ Romæ existens, iam habebit proprium Vbi Romanum, distinctum ab vbi Messanæ, ergo etiam per se, & non tñ per accidens mutauit locum. ℞. Negando sequelam mai. ad probationem dicimus, quòd cùm Nauis Romam peruenerit, non erit in eodem loco, & ratio est, quia superficies aquæ quæ ipsam deferebat, non habebat rationem loci, sed vasis, vt in argumento dicebatur, vnde dicitur in diuerso loco ratione totius, scil. ex aqua currente, & naui delata constituti, quod totum per se mouebatur in mari, & successiuè alias, & alias superficies maris acquirebat, & continentias specie differentes ob spatium interceptum inter distantiam ad polos, & centrum mundi, & eodem modo resp. ad argum. de aqua in vase ex vno in alium locum traslato.

Ob. Locus debet esse æqualis locato, sed corpus locatum habet trinam dimensionem, nempe longitudinẽ, latitudinem, & profunditatem, super-

perficies tm̃ duas scil. longitudinem, & latitudinem, ergo locus non est superficies, sed potius interuallum illud Antiquorum. ℞. Cum Auerroe com. 33. distinguendo mai. locus debet esse æqualis locato æqualitate trinæ dimensionis negatur, æqualitate continentiæ, & mensuræ, conceditur, quia corpus locans, & corpus locatum debent adæquari solùm sm̃ extremitates, quæ sunt ipsorum superficies.

Ob. Locus attrahit, & conseruat locatum, vt aer aues, aqua pisces &c. sed hoc est proprium qualitatis, non superficiei, ergo locus potius erit qualitas, quàm superficies. hinc D. Thom. 4. Phys. lec. 8. ait: *locus naturalis non nominat solum aliquod continens, sed etiam conseruans, & formans locata*. ℞. Ex Doct. Angelico distinguendo maioré, locus conseruat locatum rõne sui, seu essentialiter, negatur; concomitanter, seu ratione corporis Physici, & naturalis cui adiungitur, vel ratione qualitatis, & virtutis influxiuæ, quam à primo locante recipit, vel ab aspectibus planetarum, conceditur; & tunc concessa minori, negatur consequentia.

Ob. Si locus esset superficies, sequeretur, quòd idem corpus esset naturaliter in pluribus locis, quod est falsum, probatur sequela, si. n. poneretur palus in fluuio fixus, simul, & semel ambiretur superficiebus terræ, aquæ, & aeris, ergo ℞. Negando sequelam, quia tunc palus sm̃ varias partes esset in diuersis locis partialibus, non verò totalibus.

Ob. Sequeretur quòd Christus Saluator in Eucharistia esset sub speciebus tãquàm in loco, quia iam ambitur à superficie specierum. ℞. Negãdo sequelam, & ratio est, quia superficies, vt sit locus itá debet continere locatum, vt ei commensuretur, quo sensu Christus non ambitur à superficie panis, cùm sit totus in toto, & totus in qualibet parte panis.

Ob. Si hæc doctrina esset vera, sequeretur, quòd sola superficies conuexa corporis esset in loco, non autem corpus ipsum, sed hoc est falsũ, ergo &c. probatur sequela, nam superficies loci, in tantum continet locatum, in quantum ipsum tangit, sed non tangit locatum, nisi in superficie, ergo &c. ℞. Negando sequelam, nam locatum non est in loco rõne superficiei conuexę, vt præcisè superficies est, scil. vt dicit latitudinem sine profunditate, sed ratione superficiei, vt est terminus totius profunditatis ãte se, at quod accidit superficiei sic sũptæ, toti corpori accidit, sic etiam dicimus corpora se tangere, cùm tñ tactus solùm in superficiebus fiat.

Ob. Tandem, quòd saltem superficies poni non potest locus substantiæ spiritualis, quia hæc per suam locationem, non facit distare latera continentis, itá vt intra superficiem eius recludatur. ℞. Neq. sequelam ex Doct. nam superficies corporis continentis naturaliter locat corpus circumscriptiuè, & definitiuè, circumscriptiuè quatenus itá est illi cõmensurata, vt tota toti correspondeat locato, & singulæ ipsius partes, singulis locatis partibus; definitiuè, quatenus corpus est itá infra hãc superficiem continentem, vt nihil eius corporis sit extra talem superficiem, hinc estò superficies non possit Angelum

gelum locare primo modo, potest tñ secundo modo, nam etiam Angelus certum habet terminum suæ sphæræ localis, vbi signari potest in circuitu certa superficies, ad quam pertingat, nè vlterius progrediatur, & dici ità infra hanc superficiem contineri, vt nihil eius sit extra, ità Bell. & Mastr. loc. cit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Definitio loci sit rectè tradita ab Arist.

Scotus de hoc dubio adamussim differit quol. 11. art. 2. & in 2. sent. d. 2. q. 2. q. 6. & alibi, pro resolutione cuius supponimus ex Logica, quòd duplex est definitio, vna per genus, & differentiam, & dicitur quidditatiua; altera per subiectum, & formam accidentalem, & dicitur per additamentum; primo modo definiuntur res habentes conceptum per se vnum, vnitate absoluta, qualia sunt omnia entia absoluta, quæ dicunt vnam naturam compositam, absque alterius connotatione; Secundo modo definiuntur res habentes conceptum compositum per se vnum vnitate connotatiua, qualia sunt omnia entia, in quorum integro conceptu plura includuntur, sed quia sunt diuersorum generum, & non apta facere per se vnum, non includuntur æquè per se primo, quia sic facerent quoddam aggregatum per accidens, sed vnum dicunt primariò, aliud secundariò, quæ subordinatio conceptuum benè saluat vnitatem entis connotatiui, qua definitione definiri solent præsertim concreta accidentalia.

Præmittimus 2. sic locum definiri ab Arist. in hoc. 4. *scil. locus est vltimum corporis continentis immobile primum*. vbi locum definiuit per superficiem, & varius est expositorum sensus circa huius definitionis particulas, Quidam .n. volunt superficiem in hac definitione stare loco generis, continentiam verò, & immobilitatē stare loco differentiæ, ità Sot. q. 1. concl. 4. Tolet. 4. Phys. q. 4. Conimb. q. 1. art. 2. Faber Theor. 47. c. 7. cum Alijs; Alij verò docent superficiē in hac definitione se habere per modum subiecti, continentiam verò, & immobilitatem per modum formarum subiectum illud denominantium. ità Ruu. 4. Phys. tract. de loco q. 2. Complut. disp. 19. q. 4. Amic. tract. 20. q. 4. dub. 3. art. 3. qui etiam affirmat locum primò significare superficiem, secundariò verò continentiam, & immobilitatem, ità quòd formale, & principale significatū loci sit superficies, connotatum verò, & materiale, seu additum, continentia, & immobilitas, quod etiam sentire videtur Faber 6. Meth. disp. 17. cap. 1. & Ruu. loc. cit.

Conclusio.

Dicimus rectè locum definiri ab Arist. quòd scil. *sit vltimum corporis continentis immobile primum*; & ꝙ per superficiem definitur, veluti per subiectum, non verò tamquàm per genus. colligitur ex Scoto loc. cit. & sequuntur Mastr. & Bell. disp. 11. q. 2. art. 1. & probatur primo generaliter, 2. specialiter, singulas definitionis particulas explicando: locus est concretum accidentale, quia non dicit conceptum simplicem, sed compositum, vt ex eius definitione patet, constat .n. ex rebus diuersorum generum,

nerum; nam superficies spectat ad quantitatē, continentia verò ad præcicimentum Vbi, & consequenter non æquè primò omnia importare potest; cùm igitur entia connotatiua, & præsertim accidētalia per subiectum definiri debeāt ex Arist. 7. Meth. cap. 13. optima censetur loci definitio, quòd nempè sit vltima superficies corporis continentis &c. ità etiā sentit Mag. Bonherba in sua Phys. disp. de loco, dub. 1. nu. 4. vbi pro se citat Ægid. in 4. Phys. lect. 7. addens, quòd estò in definitione loci ponatur superficies, tamquàm pro materiali, non tamen superficies se habet tamquàm quid extrinsecum, & accidentale in ordine ad locum (vt Aliqui falsò putant) sed se habet vt quid intrinsecum in suo ordine, sicut album V. g. dicit corpus sub albedine; primum pro materiali, & subiecto, secundum pro formali, & vtrumque intrinsecum in suo ordine.

Ex quo apparet, non rectè Sotum cum Doct. primo loco citatis asserere, locum definiri per superficiem, tamquàm per genus, nam Concretū accidentale non sic definitur; Tum quia differentia contrahens pertinet ad idem prædicamentum cum re cōtracta, at continentia, & immobilitas non spectant ad prædicamentum quantitatis, in quo est superficies, ergo &c. Tum quia Deus facere potest superficiem sine omni continentia, & etiam sic conseruare, non tamen genus sine differentia, vnde colligitur, quòd superficies respectu continentiæ, & immobilitatis, potius se habeat vt genus Physicū, seu subiectum, quàm Methaphysicum.

Ex hoc etiam patet cōtra Aliquos, quòd locus non potest primò significare superficiē, & secundariò continentiam, ità vt formale, & principale significatū loci sit superficies, connotatum verò, & materiale sit continentia; ratiò est, quia Arist. 7. Meth. cap. 13. manifestè docet concretum accidentale per subiectum definiri, tamquàm per additum, ergo si locus definitur per superficiem tāquàm per subiectum, vt etiam Amicus fatetur, superficies erit additum, & materiale, non formale, & principale significatum. Tum quia vniuersaliter loquendo, Concretum de principali significato dicit formam, & connotat subiectum, vt diximus in logica, ergo &c.

Nec etiam Immobilitas includitur in conceptu loci tamquàm ratio formalis eius constitutiua, aut eius principale significatū, sed tm̄ veluti connotatum, quatenus continentia localis, vt à continentia vasis distinguitur, fundari potest in superficie immobili; vnde in ratione formali conueniunt vas, & locus ex Arist. 4. Phys. tex. 41. & solùm rōne connotati differunt, quod postea declarans, ait, mobile, & immobile differre ratione, quatenus scil. vas est locus mobilis, sed locus vas immobile. Tum quia ex communi omnium conceptu locus concipitur, vt aliquod continens aliud, nec expressè concipitur in eo immobilitas, sed potius à vulgo hoc ignoratur, nam vas appellat locum aquæ, dolium vini &c. & tñ cognoscit, locum debere recipere & continere locatum, ergo immobilitas non potest importare primarium, & principale significatum loci,

loci, sed tale principale significatum erit continentia, & quidem actualis, nam aptitudinalis non distinguitur ab ipsa superficie, quatenus verò superficies est immobilis, est materiale, & connotatum, super quod fundatur respectus continentiæ actiuæ, ità quod in ratione principalis significati, locus erit in prædicamento Vbi, ratione verò connotati in prædicamento quantitatis.

Probatur modo, definitionem loci esse rectam, discurrendo per singulas eius particulas. Dicitur *vltimum extremum, seu terminus continentis.* cuius ratio est, vt Scotus aduertit in 2.d.2.q.6. lit. D. quia corpus continens non ambit, nec locat contentum immediatè sūi partes, sed sūi vltimā, & indiuisibilem superficiē, quia verò tale indiuisibile per se non existit, sed semper est in aliquo diuisibili, cuius est terminus, ideò istud præcisum contineus dicitur vltimum, & extremum alicuius corporis; & si daretur superficies concaua à corpore separata, non minus locaret, quàm modo. Dicitur, *superficies vltima corporis continentis,* & non continēs in recto, quia vt Doct. docet, vltimitas illa, vt sic, non est de ratione loci, si .n. superficies concaua posset per se esse, & se sola ambire locatum, ità benè locaret, & rectè locus dici deberet, sicut modò, nec aliquid ei deficeret, vt locus diceretur, quia omnia munera loci circa locatū exerceret; nam illud reciperet, ambiret, & illi æqualis esset æqualitate continentiæ. Tum quia sicut rōne superficiei conuexę, corpus locatum dicitur contineri, ità rōne concauæ corpus locans dicitur continere, quia quod conuenit superficiei, vt est terminus totius profunditatis ante se, toti etiam corpori solet attribui, vt patet de contactu qui fit medijs superficiebus, & tñ tribuitur corporibus. Tum quia superficies dici solet locus naturalis, quatenus corpus ipsum medio contactu per superficiem habito, communicat locato qualitates sibi proficuas, vnde si non esset superficies terminatiua talis corporis, sed ab ipso separata, quamuis posset esse locus absolutè, & mathematicè, non tñ naturalis.

Additur 3. *Immobilis*, ex communi conceptu Philosophorum, Quicumque .n. de loco sermonem fecerunt, omnes eidem immobilitatem tribuerunt, quā particulam sic probat Scot. Si locus esset mobilis, iam moueretur ad locum, quia locus est terminus motus localis, & ità loci daretur locus, & quia ille alius locus deberet moueri ad alium locum, daretur processus in infinitum. Tum quia sequeretur, quòd res immota manens posset mutare locum, vt patet de arbore fixa in flumine, & è contra mota è loco, eumdem retineret locum, quæ omnia falsa sunt. Ex quo apparet quanta necessaria sit loco immobilitas, non solùm per se, sed etiā per accidens; hinc Arist. in hoc 4. tex. 20. ait, locum non esse materiam, nec formam, quia hæc mouentur localiter per accidens; vnde ponere locum immobilem hoc tantùm modo, nempè per se, & non per accid. est facere locum immobilem, sicut alia accidentia, quæ sunt vtiquæ immobilia per se, mobilia verò per accidens ad motum subiecti, & tñ inter omnia alia accidentia locus quodam

dam modo speciali, immobilis dicitur.

Neque immobilitas loco necessaria, est sola immobilitas opposita mobilitati vasis, vt docuit Auerroes 4. Phys. cõm. 40. & 41. cum Alijs, quos sequitur Auersa sec. 3. sed est est præsertim immobilitas opposita motui locali, ex Doct. ità vt locus nulla ratione, nullo sensu, motu locali moueri possit, vt locus est, alioquin eo ipso quomodocumq. moueri dicatur, omnia allata absurda sequerentur. Addit tñ Scot. quòd locus sit mobilis motu corruptionis, & destructionis, quod intelligendum est nè dum de loco pro formali; verùm etiam pro materiali, vt Lych. aduertit in 2. d. 2. q. 6. nam recedente corpore ab hoc aere, statim concurrunt partes illius aeris, nè d tur vacuum, & illud vltimum corrumpatur, ac propterea non solùm destruitur respectus continentiæ, sed etiam ipsamet superficies extrema continens; subdit tñ Scotus, quòd potest aliquando locus dici incorruptibilis sm̃ æquiualentiã per comparationem ad motum localem, & esse quando variæ superficies ità sibi immediatè succedunt circa idem locatũ, quod fixum manet, vt singulæ illud contineant in eadem distantia ad vniuersum &c. vt diximus supra.

Tandem dicitur *Primus*. idest immediatus, & proximus, quæ particula desumitur ex diuisione loci, quem fecit Aristotelis in communem, & proprium, communis est ille, qui ità locatum continet, vt etiam alia plura præter illud contineat, sic aqua dicitur locus piscium, aer auium, terra quadrupedum; proprius est, qui ita continet locatum, vt ei sit immediatus, & adæquatus, & præter ipsum non contineat aliud, vt locus meus V. g. est vltima, seu concaua superficies aeris, quæ immediatè, seu primò tangit, & circumdat corpus meum, & non aliud. Et hic est locus ab Arist. hic tex. 41. definitus.

Obiectiones.

Ob. 1. Superficies in loci definitione ponitur in recto, continentia in obliquo, ergo superficies est principale significatum loci, non continentia, sed potius hæc est connotatum. ℞. Negando antecedens, nam illa prædicatio, locus est superficies, est materialis, & sensus est, locus est relatio continentiæ fundata in superficie, & ità vniuersaliter explicari solent concretorum definitiones, cùm per subiectum definiuntur, si .n. in formalẽ prædicationem resoluantur, forma erit in recto, & subiectum in obliquo. Vel admisso antecedenti, negatur consequentia, illa .n. non est bona regula cognoscendi rõnem formalem concretorũ, quæ omnia definiri debent per rationem materialem in recto ex 7. Meth. cap. 14. vt benè aduertit Amicus.

Ob. 2. Omnes loci proprietates fundantur in superficie, & illi conueniunt, ergo in ipsa loci essentia consistit, nam proprietates, rei essentiæ competunt ℞. Arist. hic inquirere locum pro materiali, non pro formali, atque ideò omnes ferè proprietates ab ipso enumeratæ, sunt loci pro materiali.

Ob. 3.

Ob.3. Continentia dicit maioritatem respectu contenti, ergo non potest in ea formalitas loci consistere, qui æqualis locato esse debet. ℞. Negando assumptum, continens .n. & contentum debent esse æqualia.

Sed contra, si ambo essent æqualia, non esset ratio cur vnum potius esset continens, quàm alterum, nec maior possit assignari ratio, cur hæc superficies, & non potius conuexa locati, dici debeat locus, cùm sint æquales. ℞. Negando sequelam, nam ad hoc, vt vnum aliud continere dicatur, non sufficit quicumq. contactus, sed id, quod continet, debet circumambire, & intra se contentum includere, ità vt verè dici possit, hoc contentum est ità intra hanc superficiem, vt nihil eius sit extra, & hęc est ratio, cur superficies concaua cōtinentis continere dicitur contentū, & corpus mediante ipsa; illa autem maioritas molis corporeæ est solùm ratio per accidens.

Ob. Tandem superficies continens conuenit etiam vasi, sedi, vestibus &c. & per immobilitatē ab omnibus his distinguitur, ergo immobilitas est principale significatum, seu differentia essentialis, quæ locum constituit in ratione loci. assumptum patet, cōsequentia probatur, nam illa dicitur ratio formalis, per quam res vltimò distinguitur ab alijs, nam idem est principium distinctiuum, & constitutiuum. ℞. Neg. consequentiam, & probatio valet in absolutis, non verò in connotatiuis, in quibus, id per quod differunt, non primariò significatur, sed connotatur, vt in omnibus connotatiuis inductione patere potest; sic priuatio à negatione differt, quia est in subiecto apto, non verò negatio, quæ tm̄ dicit negationem in subiecto, non connotando aptitudinem, & tñ non per hoc dicimus, aptitudinem esse rationem formalem, ac principale significatum priuationis, sed potius eius quidditas consistit in simplici carentia, nec differt à negatione, nisi rōne connotati, & sic de alijs connotatiuis; ità in proposito, vas, & locus non differunt essentialiter, & in principali significato, sed tm̄ rōne connotati, scil. immobilitatis, sine qua vas dicitur non locus.

ARTICVLVS TERTIVS.
De Attributis, & proprietatibus loci.

Scotus De his differit in 2.d.2.q.6.& quol.11.& alibi. Arist. in hoc 4. tex. 30. enumerat proprietates, & attributa loci, quorum Primum est, continere locatum, idest ità ipsum circumscribere, ac terminare, vt non sit aliquid illi locato intrinsecum scil. nec materia, nec forma, nec pars integralis, nec accidens illi inhęrens, aut alio modo ipsi adiacens, vt cum eo moueatur, sicuti vestis, sed sit prorsus illi extrinsecum, contineas tñ, & ambiens ipsum; vnde hoc attributum non est continentia ipsa, cùm iam posita sit ratio formalis eius, continentia .n. non continet, sed tale attributum est modus sic continendi, qui competit superficiei concauæ corporis continentis, quia superficies nihil est locati, est omninò illi extrinseca, rōne figuræ illud circumambit, & materialiter intra se claudit; & merito relationis actiuæ in ipsa fundatæ dicitur

tur etiam formaliter illud continere, & hoc dicimus contra eos, qui asserunt, præciso omni alio accidente, statim hac ponitur vnum corpus intra aliud, intelligi cõtinentiã formalem. & rem esse formaliter locatam. Non valet, nam præter extrema, sũt etiã necessariæ relationes ipsæ prædicamentales ad tribuendas denominationes formales intrinsecas, sicut modus subsistentiæ ad denominandũ substantiam formaliter subsistentem, & modus inhærentiæ ad denominãdum accid. inherens, vt diximus in logica, disp. de relatione, quæ difficultas omnibus relationibus cõis est.

Secundum attributum est, quòd locus sit æqualis locato, quod de æqualitate continentiæ sm̃ extensionem intelligitur, non de æqualitate cuiuslibet dimensionis, hinc vt locus sit æqualis locato, sufficit si superficies cocaua loci sm̃ longitudinem, & latitudinem commensuretur locato, nec requiritur, quòd secundum profunditatem sit illi æqualis, quia sic cũ re locata penetraretur, quod est falsum, quòd autem hoc attributum superficiei conueniat, patet, nam hæc æqualitas attenditur penès superficiẽ locantis, & locati scil. concauam illius, & conuexam istius.

Tertium loci attributum est, separabile esse à quocumq. locato, distributiuè quidem, non collectiuè, nè daretur vacuum naturaliter, quod etiam superficiei conuenit, experiẽtia .n. constat, in eadem concaua superficie, diuersa corpora successiuè recipi, vnum post aliud, in superficiebus præsertim corporum solidorũ, quæ recedente locato, non variantur, in corporibus verò fluidis, vt in aqua, vel aere, licèt recedente corpore, quod intra ambitum aquæ cõtinebatur, partes eius concurrant, & eius concauum destruatur, hoc tñ est per accidens, vt corpus fluidum est, non verò, vt locus est.

Quartum attributum est, quòd sit terminus motus localis, vt Arist. docet in hoc 4. tex. 32. quod attributum etiam superficiei conuenit, quia etiã ad terminandum motum exigitur in termino motus stabilitas, & consistentia quædam talis motui prorsus opposita, alioquin ipsum terminare non potest.

Quintum tandem, & præcipuum loci attributum est immobilitas omninò opposita motui locali, quæ prorsus necessaria est pro terminatione motus localis, sed quo pacto superficiei conuenire possit, satis Peripatetici laborant, experientia .n. videmus, superficies corpora continentes moueri ad motum corporum locantium, quorum sunt superficies.

Thomistæ affirmant immobilitatẽ superficiei conuenire ex determinato ordine, & distantia ad centrum, & polos mundi, qui sunt Articus, & Antarticus super quos rotatur Cęlum, vnde licèt materialiter locus moueri possit quò ad vnam, vel alteram superficiem, tñ formaliter quò ad certam distantiam à punctis mundĩ fixis est prorsus immobilis, & rõne huius ordinis, ac distantiæ Turris dicitur semper in eodem loco manere, estò continuò circa ipsam aeris superficies varientur, idq. deducunt ex Philosopho, qui tex. 42. probare volens, locum esse immobilem, ex eo probat, quòd sursum quod est in concauo Orbis lunæ, & deorsum, ꝙ

est centrum, sunt penitùs immobilia. probat etiam rõne, quia sicut respectus iste distantiæ est causa vnitatis loci, vel multiplicitatis, eadem .n. superficie manente, variatis distantijs, variatur locus, vt patet de aqua in vase hinc inde translato, & manente eadem distantia, variatis superficiebus permanet idem locus, vt patet de Turri vento flãte, ità pariter erit causa immobilitatis. ità Complut. Masius, Iauell. Iacob. Brun. & Alij qui citant D. Thom. hic lec. 6.

Qui dicendi modus reijcitur à Boneto 8. Phys. q. 4. & sequuntur Mastr. & Bell. loc. cit. ratio est, quia manente eadem distantia ad centrum, & polos, adhuc res localiter moueri possit, posito casu, quòd totus orbis simul cũ terra à Deo moueretur per spatium imaginarium, seruata eadem dispositione corporum, & elementorum.

Resp. M. Brunus, quòd tunc corpora intra vniuersum contenta mouerentur motu per accidens, sicut qui deferuntur in curru, non motu proprio; nec acquirerent nouum locum extrinsecum, quia remanerent in eadem reali distantia, qua antea ad veros polos. Non placet, nam eodem modo dicere possemus, quòd Turris, mutatis circa eam superficiebus vento flante, esset in eodem loco solum per accidens, quatenus cum toto orbe in eodem situ permaneret, cæterùm sicut centrum, & poli sunt absolutè mobiles, Turris non esset per se, & absolutè in eodem loco. Tum quia ponamus, quod Deus deprimat Cęlum versus Antipodes, terra seruata immota, adhuc terra in eodem loco permaneret, cũ nullus circa eam accideret localis motus, ergo ex huiusmodi respectu ad polos, & centum mundi, non potest per se, & absolutè desumi vnitas, vel multiplicitas loci, nec immobilitas superficiei. Tum quia sicuti rès non dicitur propinqua rei non existenti, ità neque distans ab ea, vel ab ea mobilis; at illa puncta non existunt verè à parte rei, sed sunt ficta, & imaginaria, ergo loci immobilitas, quæ consistentia quædam realis est, & positiua, non potest à chimęra, & mero figmento desumi. Tum quia id, à quo sumi debet immobilitas superficiei, omninò, & absolutè immobile esse debet, at talis ordo ad centrum, & polos mundi, est absolutè mobilis, data hypotesi, quòd orbis moueretur ad spatium Imaginarium, ergo &c. Ad Arist. R. Quòd explicauit loci immobilitatem per polos, & centrũ, quia modò de facto immobilia sunt, & eadem rõne per comparationem ad ea, modò vnitatem, & diuersitatem locorum accipere solemus, at hoc est omninò per accidens, cum absolutè poli, & centrum, & quicumque respectus ad ea mobilia sint.

Alius dicendi modus, qui Scoto, & Scotistis tribuitur tenet, quòd superficies vtique immobilitatem accipiat ab illo ordine ad centrum, & polos mundi, non tamen immobilitatem simpliciter, vel identitatem, vt Thomistæ velle videntur, quia mutata superficie, non remanet reuera idem numero respectus, sed tñ per æquiualentiã, quo sensu vẽto flante in eodem loco esse dicitur non simpliciter, sed per æquiualentiam, quatenus superficies succedens Turrim continet cum ordine eiusdem

rõnis

rõnis ad vniuersum, & sinon eodem numero, & hunc etiam modum dicendi sequi videntur Aliqui Thomistæ, vt videre est apud M. Iacob. Brunū q.15.art.1.qui ait,ꝙ locus dicitur immobilis,& vnus, non vnitate simpliciter, & omnibus modis, sed vnitate coordinationis, & successionis superficierum ad eundem terminum scil.ad totum Cælum sphericū. Sed quia respectus iste ad polos, & centrum est absolutè mobilis, vt Bonetus docet, & possit res mutare locum, ipsa distantia nō variata, vt iā ostendimus, idcirco à tali respectu nō potest superficiei immobilitas absolutè desumi. Nec rectè hic dicendi modus Scoto tribuitur in 2.d.2.q.6. vbi per æquiualentiam non contendit ibi saluare immobilitatem, sed incorruptibilitatē, vt manifestè patet legenti textum, & Faber aduertit Theor.47.cap.1.contra Benedictum Pererium. Neq. Doct. loci incorruptibilitatem, seu identitatem explicat per comparationem ad polos, & centrum, quasi Turris esse sēper dicatur in eodem loco per huiusmodi comparationem, sed docet manere in eodē loco per æquiualentiā, comparatione ad motum localem, vt supra dictum est.

Aliqui Scotistæ asserunt immobilitatem loci sumi debere à tali, vel tanta distantia ad terminum ad quem motus localis, quo mouetur corpus à loco ad illum terminum, vt .n. motus fiat, debet distantia intercedere inter terminum à quo, & terminum ad quem, locus autem vt dicit talem distantiā debet esse immobilis, alioquin mobile nunquam ad terminum perueniret, & hunc modum dicendi sequitur Poncius, quem Bell. & Mastr. tribus rationibus confutant in hoc 4. loc. cit. & iterum Mastr. pro sui disensione in Apologia generali contra Poncium &c.

Neotherici communiter affirmāt, immobilitatem loci, ab immobilitate spatij prouenire, quod fixum semper est, neque potest vlla rōne mutari, vnde realis superficies habet, vt sit immobilis, quatenus habet præsentiam ad certum spatium imaginariū, quæ præsentia est omninò immobilis localiter, sicut spatium ipsum, explicari tñ solet huiusmodi immobilitas per polos, & centrum, quia eamodò non mutantur, reuera tñ immobilitas ꝑ se absolutè loquēdo potius attēdi debet à pūctis spatij imaginarij,in q̄ alia in vniuerso modò incidunt. ita Amic.4. Phis.trac.20.q.1. dub.9.art.2.vbi alios citat,& in hanc etiam explicationē coincidunt Thomistæ illi, qui volentes seruare loci immobilitatem per distantiā ad centrum,& polos, casu quò Deus totam Cęlorum machinam versus vnā partem moueret, re aliqua manente in inferiori mundo in eodem loco, quo prius, aiunt in tali casu eamdem adhuc distantiam remanere ad easdem Cæli partes, & puncta, non quidem reales, sed ad easdem imaginarias, semper.n. imaginantur quædā pūcta, vel partes respondere in eodem situ alijs, quæ ibi antea erant, ità Thomistæ apud Masium q.4.ad 4.

Sed neque hic modus dicendi satisfacit, nam loci immobilitas est positiua quædam consistentia, licèt per negationem explicata, ergo attendi non potest à spatio, quod est mera negatio. Tum quia hcc spatium ima-

ginarium, si daretur corporibus coexistens, non maiorem realitatem haberet, quàm puncta Imaginaria Thomistarum, sed ab istis non rectè sumitur loci immobilitas, vt Neotherici contendunt, & videre est apud Amicũ loc.cit.art.3. Hurt.disp.14. Phys. sec.3. & Alios, ergo neque à spatio Ipsi Neotherici talem immobilitatẽ sumere valebunt. Tum quia rõnes omnes, quæ contra puncta imaginaria fieri solent, nempè quòd ex determinata distantia ab illis, loci immobilitas attendi nequit, quia vt res, non dicitur propinqua rei non existenti, ità neque distans ab illa, benè retorqueri possunt contra spatiũ imaginarium, quòd scil. ex propinquitate cum eo immobilitas loci non possit attendi, sicut .n. puncta imaginaria, quia nihil sunt, veram & realem distantiam terminare nõ possunt, ità neque spatium, veram propinquitatem, cùm nihil sit.

Tandem Mastr. & Bell. hic, alium dicendi modum sequuntur, quem tradidit Bonet. loc.cit. de mẽte Aliquorum Scotist. quòd scil. loci immobilitas, vnitas, & diuersitas desumi debeant ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes virtuales Diuinæ substantiæ, quia cum hæc ob suã immensitatem sit vbique diffusa, etiã extra vniuersum, vt infra patebit, non potest dari superficies, quæ non sit illi intimè præsens, & coexistere alicui parti eius, non formali, quia formaliter indiuisibilis est, & tota in toto vniuerso, & tota in qualibet eius parte, sed virtuali; cùm .n. substantia spiritualis per suam illimitationẽ per locum extendatur, non minus ac si esset corporea, & diuisibilis, necessariò in ipsa concipere debemus pluralitatem partium virtualem, resq. creatas aliquibus illarum coexistere, & non omnibus, ideſt toti substantiæ spirituali coexistunt, sed non totaliter. Cùm igitur Diuina Substantia, & qualibet eius pars virtualis sit prorsus immobilis, & coexistens, immobilis etiam erit respectus præsentiæ, quem dicit superficies ad ipsam, atq. ideo ex tali intima præsentia benè desumi potest superficiei immobilis, sicut etiam vnitas, & diuersitas loci, quatenus ex determinata præsentia, & ordine ad determinatas partes Diuinæ substantiæ superficies contrahitur ad hunc, vel illum locum constituendum, non quidem vt genus logicum, vt supradictum est, quia immobilitas, quæ talem præsentiam inuoluit, non habet rationem differentiæ, sed vt est genus Physicum. Hic dicẽdi modus estò nõ sit satis versatus, magnam tñ habet probabilitatem. Dices, etiam vas in hoc sensu esset immobi'e, quia cum tali ordine ad determinatas partes Diuinæ substantiæ, nequit hinc aliò transferri. Rx. argum. vrgere etiam cõtrà illos, q imobilitatẽ superficiei auspicantur ab intima præsentia ad spatium, nam vas etiam sub istis respectibus est immobile, licèt ergo cũ tali respectu præsentiæ ad determinatas partes Diuinæ substantiæ, etiã vas sit immobile, stante tñ rõne vasis, potest hinc aliò transferri, imò mobilitas translatiua est de eius rõne, locus verò est prorsus immobilis immobilitate opposita omni motui locali, & translatiuo, quod vasi non conuenit, ideòq. talis immobilitas conuenit loco, quæ vasis repugnat.

Sed

Sed Contrà hunc modum dicendi vrget ipsemet Bonet. 8. Phys. cit. c. 4. de mente Aliorum: Prima intelligẽtia est omnibus in quocunque loco existentibus æqualiter indistans, seu præsens, vnde Aliquis existẽs in occidente est ità præsens Diuinæ substantiæ, sicut si esset in meridie, vel in oriente, ergo non variatur respectus pręsentiæ ad Diuinam Substãtiam sm̃ variationem locorum. ℞. Negando consequentiam, nam falsum est, quòd Diuina substantia non possit propter eius virtualem diuisibilitatẽ varios respectus præsentiæ terminare, vt Doct. docet in 2. d. 2. q. 7. Ad 2. princ. lit. C. & in 4. d. 10. q. 3. ad 3. D. Cùm .n. Deus sit ens illimitatum quo ad locum, non sequitur (ait Scot.) quòd qui est simul cũ Deo Romæ, & qui est simul cum Deo Parisijs, sint simul inter se, nam potest Deus diuersas præsentias terminare ob suam illimitationem; vnde etiam si idem corpus in diuersis mundi partibus replicetur, adhuc per diuersos respectus diceretur Deo præsens. sunt alia loci attributa ab Arist. assignata, quæ non conueniunt loco absolutè, sed quatenus vel naturali, vel per assignationem à nobis deriuatam.

ARTICVLVS QVARTVS:
An præter locum extrinsecum, admitti debeat Vbi intrinsecum in re locata.

SCot. quol. 11. art. 3. & in 2. d. 2. q. 6. & in 4. d. 10. q. 1. & 2. affirmatiuè respondet. Nominales verò negatiuè, asserentes, Vbi esse solùm quamdam extrinsecam denominationem deriuatam à loco, seu superficie vltima continentis in rem locatam, & nihil ei ex natura rei superaddere; ità Greg. in 2. d. 1. q. 4. art. 1. Rubion. in 2. d. 2. q. 6 & sequuntur Fonseca 6. Meth. c. 15. q. 10. sec. 5. Coninch. de Sacram. ad q. 75. art. 4. dub. 1. & Alij.

Conclusio.

Dicimus, præter locum, & rem locatam admitti debere peculiarem modum præsentiæ localis, qui dicitur Vbi, vt quid ex natura rei superadditum, quo formaliter res dicitur esse alicubi p̃sens localiter. est Scoti loc. cit. & Scotist. & apud Omnes receptissima, quam sequuntur Neotherici ferè omnes, Suar. disp. 51. Meth. sec. 1. Vasq. in p. p. disp. 29. Conimb. 4. Phys. c. 3. q. 2. Hurt. disp. 14. Phys. sec. 2. Arriag. disp. 14. nu. 7. Ioan. de Lugo disp. 5. de Sacram. Euc. sec. 4. Auersa q. 27. sec. 1. & 2. Amic. Turrian. M. Iacob. Brun. & Alij. Probatur à Scoto quol. cit. potest esse V. g. hoc corpus in rerum natura, & etiã hæc superficies, absque eò quòd tale corpus dicatur esse hic, vel in tali loco, ergo hoc corpus esse hic, seu in tali loco accidit, & aliquid superaddit entitatibus loci, & corporis, ab eis realiter distintum, eritq. intima coniuntio rei, & loci, seu præsentia huius rei in tali loco, & appellatur Vbi. Confirmatur, res quæ posita est in vno loco, potest illum amittere, & acquirere per motum alium locũ, tali re, & tali loco adhuc perfectè existentibus, ergo Vbi ex natura rei, & accidentaliter ab vtroque distinguitur, hæc est .n. natura accidentis, vt adsit, & absit, præter subiecti corruptionem, & hac etiam ratione ostendimus, extrema ab vnione distingui, quia possunt esse sine

tali

tali vnione. an verò hæc distintio sit appellanda realis, vel modalis, est quæstio de nomine, vt sæpius dictum est.

Resp. Coninch. loc. cit. quòd vt aliquid dicatur esse in loco, non requiritur res ab vtroque realiter distincta, sed sufficere solam localem indistantiam vnius ab alio, quæ indistantia est simplex negatio distantiæ, quatenus res prius distabat, postea non distat. At contra, motui reali, & positiuo, debet terminus realis, & positiuus assignari, ergo per motum localem, qui est motus realis, & positiuus, non acquiri debet sola negatio distantiæ, sed indistantia positiua, seu intima præsentia rei locatæ ad locum. Immò vt benè vrgent Mastr. & Bell. in hoc 4. disp. 11. q. 3. art. 1. dum hi Aduersarij explicant indistantiam per simplicem negationem distantiæ, & distantiam per negationem indistantiæ, nostram apertè profitentur sententiam, cùm negatio negationis q̃d positiuũ dicat.

Resp. denuò Coninch acquiri quidem per motum, terminum realem, scil. nouam superficiem ambientem, vel nouum spatium, rõne cuius res dicitur esse vbi prius non erat, sed talis terminus non est locato intrinsecus, cum hoc totum dicatur per solam extrinsecam denominationem, & connotationem noui loci extrinseci, & hæc est communis responsio Nominalium. Sed Contra, motus localis est actio Physica, atq. adeò productiua alicuius termini, qui modo est, & antea non erat, sed hic terminus productus, qui est adductio mobilis ad locum, non est entitas rei locatæ, neque superficies continentis, quia non fit de nouo entitas superficiei, vel rei locatæ, ergo erit Vbi intrinsecum, seu forma præsentiæ localis, per quam redditur indistans ab vno, & distans ab alio corpore. Tum quia terminus per motum acquisitus debet esse in ipso mobili, sicut est ipse motus, nam ipsum est quod mouetur, ergo talis terminus nõ est ꝑ solã extrinsecã denominationẽ. Tũ q̃a res nõ dicitur vere mutari ꝑ solã denominationẽ extrinsecã ad mutationẽ intrinsecã factã in alio subiecto, aliàs Deus verè diceretur mutari, quia in tẽpore ex vera mutatione in creaturis reciperet nouas extrinsecas denominationes. Hinc Turrianus ait, quòd hæc Nominalium Phylosophia iam diu à scholis relegata, immeritò à Coninch. & sine causa ab exilio reuocatur, quia intelligi non potest noua simultas rei cum loco, absq. aliquo de nouo. Vnde Ioan de lugo fusam contra Coninch. circa hanc rem init disputationem.

Obiectiones.

Ob. Masius, & Io: Martin. quadam. D. Thom. Auct. 1. p. q. 110. art. 3. vbi S. Doc. ait: *Mobile secundum locum non est in potentia ad aliquod intrinsecum inquantùm huiusmodi, sed aliquod extrinsecum scil. ad locũ.* ergo ex hoc, quòd corpus subijcitur loco extrinseco, non acquirit vbi intrinsecum. Resp. M. Brunus q. 15. art. 2. S. Doctorem intelligendum esse, q non acquirat aliquid intrinsecũ per modum absoluti, & rei, non tñ negat, quin acquirat aliquid intrinsecũ per modum entis respectiui, & modi.

Ob auct. Arist 4. Phys. tex. 30. & 32. vbi nullum alium motus localis terminum agnoscit præter locum, &

8. Phys.

8. Phys.tex.95.docet, per motum localem non mutari intrinsecè ipsum mobile, sicut mutatur per alios motus. ergo non datur terminus intrinsecus motus scil. Vbi. ℞. Verum esse ibi Arist. non cognoscere alium terminum extrinsecum motus localis præter locum, agnouit tñ etiam terminum intrinsecum, cùm 5. Phys. ponat motum ad Vbi. 8. Phys. noluit absolutè negare, quòd res per motũ localem, nullam omninò mutationem intrinsecam patiatur, sed quòd non tm̃ patiatur, quantùm per alios motus accidentales alterationis, & accretionis, quæ sensibiles sunt, quia reuera Vbi est forma magis subiecto extranea, quã sit quantitas, & qualitas. hinc Scot. in 4.d.10.q.2.G. ait *vix est alia habitudo accidentalior suo fundamento, quàm sit Vbi.*

Ob. Præcisa hac præsentia, vel Vbi intrinseco à locato, & relicto corpore extrinseco continente, vel erit alicubi, vel non; hoc secundum dici nequit, ergo primum. ℞. Quòd stante indistantia corporis ab hac superficie, nõ potest tolli circumscriptio passiua, quia hæc est ipsamet præsentia localis corporis ad superficiẽ ex Doct. quol. 11. art. 4. & si per impossibile tolleretur, tunc non esset alicubi formaliter, sed solùm fundamentaliter, vt de hac & illa albedine dicimus esse similia, præcisa similitudine formali.

Ob. Ex Greg. Si interrogetur de Petro, Vbi est? & respondeatur esse in Ecclesia, in Schola &c. benè responderetur, sed ista significant ipsa loca extrinseca, non aliquam rem formaliter locato inhærentem, ergo &c. ℞. Quòd talis interrogatio popülariter quærit de loco pro materiali, & continente, cui etiam sæpè satisfacimus per locum communem, est in Ecclesia, in platea &c. & hoc quia ista notiora sunt, quare ex hoc populari modo loquendi, nihil ad rẽ contra nos deducere possunt.

Ob. esse alicubi nihil est, quàm esse in aliquo loco, idest ab aliqua superficie contineri, quod est mera extrinseca denominatio, ergo &c. ℞. Negando assumptum, ratio est, quia circumscriptio passiua in re locata, est terminus motus realis, & positiui, ideoq. in mobili non potest solam extrinsecam denominationem importare.

Ob. Rubion: quod præsupponitur esse in loco, non prærequirit aliquod aliud, vt illud dicatur in loco, sed Vbi est huiusmodi, præsertim si ponatur forma respectiua, supponit .n. corpus, & superficiem intimè approximata, ergo &c. ℞. Ad minorẽ, quòd Vbi supponit corpus in loco fundamentaliter tm̃, & materialiter, non verò formaliter, & hoc est commune omnibus extremis relationum, conceptis præcisa relatione, sicut duo alba dicuntur fundamentaliter similia, ante quã relatio similitudinis resultare intelligatur; & concipere substantiam solum fundamentaliter subsistentem, ante quàm modus subsistentiæ ab ea dimanare intelligatur, vt diximus in Logica disp. de relatione.

Ob. Locatum est immediatè in loco, ergo nihil poni debet realiter distinctum, quo medio sit in loco, alioquin immediatè in loco non foret. ℞. Cum Bell. & Mastr. loc. cit. negando consequentiam, & ratio est quia Vbi

Vbi non mediat, vt Quod in loco, sed vt Quo aliud per ipsum formaliter est in loco, hoc autem non tollit immediationem locationis, sicut oculus parietem videt media visione, non propterea dicimus, non videre immediatè, quia visio non mediat, nisi vt ratio formalis videndi.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quænam forma sit Vbi.

SCot. de hoc quæsito ex professo agit quol. 11. & in 2.d.2.q.6.& alibi, docens, quòd Vbi, seu præsentia localis sit relatio quædam extrinsecùs aduenìens in locato passiuè relicto ex actiua circumscriptione superficiei continentis, iuxtà definitionem traditam ab Authore sex Princ. 5. *Vbi, est circumscriptio corporis locati à circumscriptione loci proueniēs.* Neotherici verò ferè omnes fatentur, Vbi esse formam quamdam absolutam, per ipsum motum in re locata productam, includentem relationem trascendentalem ad spatium imaginarium; Vnde Ioan. de Lugo, & Arriaga asserunt, Vbicationes in re tàm esse absolutas, quàm albedinem, & nigredinem.

Conclusio.

Dicimus, Vbi, non esse formam absolutam, sed merè relatiuam respicientem per se, & directè superficiem corporis continentis, non verò spatium imaginarium vt Aliqui putant. Est Scoti loc.cit.& Scotist.& quò ad primam partem scil. quòd Vbi, non sit forma absoluta, patet ex dictis in logica disp.14.art.1.& 3. non .n. omnia sunt semper repetenda, & nobis etiam ex parte consentit M. Iacob. Brun. in log. q.14.art. 1. & 3. vbi ait, sex vltima prædicamenta non esse denominationes extrinsecas, sed intrinsecas, & formas quasdam imperfectas, & modales, intrinsecè relictas in subiecto ex applicatione alicuius extrinseci, vnde saltem nobiscum est, quòd non sint formæ merè absolutæ, vt Neotherici contendunt. Quòd etiam non sit forma absoluta, includens essentialiter respectum, sæpius etiam probatum est, tum in logica, tum in Physica, ex illa regula generali, quia tunc nō importarent genus per se vnum, implicat .n. quòd idem sit ad se, & sit ad aliud, quamuis etiam transcendētaliter sic dicatur. Probatur etiam illa generali rōne, qua ostenditur in Meth. nullam entitatem modalē poni debere absolutam, nam modus talis esse debet naturæ, vt etiam Aduersarij fatentur, quòd esse non possit sine re, cuius est modus, sed necessariò petit esse illi affixum, ex quo etiam clarè deducitur, naturam eius esse debere relatiuam, si .n. est entitas absoluta, iam posset per se esse, & conseruari, quia hac rōne dicimus quātitatem, & qualitatem posse separatas à substātia existere, & conseruari. Quòd si dicas, modis repugnat per se existentia, ea rōne, qua talis entitas absoluta est, scil. modalis, de cuius rōne est, vt rei semper affixa existat, non valet, nam differentia debet esse proportionata generi, quod contrahit, non illi repugnans, ergo entitas absoluta, quæ significat entitatem per se existentem, non bene per modalitatem contrahitur, quæ hoc directè negat, ergo omnis modus accidentalis poni debet entitas respectiua, quia hac rōne suæ naturæ rela-

relatiuæ petit necessariò semper subiecto affixa esse.

Neque etiam verum est, quod Neuterici peculiariter de Vbi asserunt, nempè quòd tantā necessariā habeat connexionem cum rebus, quòd eftò res esse possit sine quocumq. Vbi distributiuè, non tū collectiuè; nam maiorem vtiq. affinitatem habet modus substantialis subsistentiæ cum substantia, quā modus accidentalis Vbi, & tū natura substantialis potest quacumq. subsistentia creata collectiuè expoliari, vt de natura à Verbo assumpta patet, ergo multo magis de Vbi asserendum erit. Tum quia quælibet res prior est suo Vbi, etiam vagè accepto, & ab eo independens, quia dependentia rei à loco est mere accidentalis ex Doct. quol. 11. art. 1. ergo quocumq. Vbi etiam collectiuè sumpto expoliari posse videtur, cū omne absolutum prius alio absoluto, & ab eo realiter distincto, & independens separari possit per Scot. in 3. d. 12. q. 2.

Arriag. disp. 14. à num. 49. quia posuit vbicationem in suo conceptu, esse ità absolutam, ac albedinem, & nigredinem, affirmat consequenter præsentiam localem non esse modū, sed rem, & accidens perfectum, ità quòd de potentia Dei absoluta à subiecto separari possit, vt de quantitate, & qualitate asserimus. probat, quia non est maior ratio, cur albedo nigredo, actus videndi &c. sint accidētia realia, & non modi. Opinio noua, & singularis, quia hucusq. omnes Authores, communiter fassi sunt vbicationem esse modum, non rem, à re vbicata prorsus inseparabilem, quod manifestè ex dictis patet, nam si Vbicatio, & præsentia, mera relatio est, & non entitas absoluta, vt in Logica diximus, euidenter sequitur, non esse rem, sed modum, quia relatio ex suo genere, entitas modalis est, & consequenter separari non potest à re vbicata, quia relatio soluta à fundamento existere nequit. Tum quia ipsemet Arriag. loc. cit. sec. 4. tenet, quòd res creata esse non potest sine omni vbicatione, ergo tantò minus vbicatio sine quocumque subiecto, quia hoc est prius illa, ac facilius est, prius separari à suo posteriori, quàm è contra, ergo. Vnde ad suum argumentum negatur paritas, quia albedo, & nigredo sunt entia absoluta, non autem Vbicatio.

Quòd deinde Vbi sit modus relatiuus per se respiciēs corpus extrinsecum ambiens, non autem spatium, patet ex dictis, nam spatium per repletionem à corpore factam prorsus tollitur; ergo corpora non vbicantur per ordinem ad illud. Tum quia hic, & ibi dicuntur aduerbia localia, idest à loco desumpta, at locus non est spatium ex dictis, sed vltima superficies corporis ambientis, ergo Vbi constituitur in esse in ordine ad superficiē corporis, non ad spatium. Nec audiendus est Suar. disp. 51. Meth. sec. 2. nu. 7. quòd scil. hæc aduerbia dicūtur localia per accidēs, quatenus modò semper connotatur præsentia ad corpus extrinsecum circūstans, propriè tū dici deberent præsentialia, nempè ex determinata præsentia ad hanc, vel illam partem spatij, & ex hac per se desumi, nam ablato quocumq. corpore extrinseco, adhuc res diceretur hic, vel ibi, cum toti spatio non coexisteret, vt

Deus. Non valet, quia ablato quocumque corpore extrinseco, in ordine ad partem spatij, non posset dici propriè hic, vel ibi localiter, propriè enim nullibi esset localiter ex Doct. in 2.d.2.q.6. vbi docet, quòd si aliquod corpus, ac etiam Angelus extra vniuersum poneretur, nullibi esset localiter, quod etiam affirmat de materia prima in 2.d.12. q. 2. D. tamen esset natura quædam absoluta, & hunc modum dicendi sequitur ex exteris nouissimè M. Iacob. Brun. loc. cit. contra Suarium, vbi ait: Si Deus annihilato vniuerso crearet hominem, vanum esset quærere de illo, vbi esset, esset .n. extra causas, sed non in loco, & sic nullibi esset; & Bell. & Mastr. loc. cit. addunt, & benè, quòd licèt tunc res dici posset hic, vel ibi præsentialiter, id tñ non diceretur per ordinem ad spatium, quia vt iam dictum est, sicut res dici nequit æqualis rei non existenti, vel impossibili, neque ab ea distans, ità neq. dici potest illi propinqua, & intimè præsens, aliàs dicere possemus, Deum ab æterno futuris rebus coexistere, imò & possibilibus nunquam futuris, & maiori quidem ratione, quàm res diceretur spatio coexistere, nam illa sunt entia realia saltem nominaliter, quod de spatio affirmari non potest. Tum quia præsentia dicitur propriè de vna rè in ordine ad aliam, non in ordine ad nihil, ergo ablato quocumq. corpore, non posset res dici hic, vel ibi per ordinem ad spatium, quòd nihil est, sed potius per ordinem ad diuersas partes virtuales Diuinæ substantiæ vbique diffusæ, vnde res creata diceretur esse hic, & non ibi, quatenus non coexisteret toti Diuinæ substantiæ, & totaliter, sed tñ determinatæ parti iuxta suam limitationem, ità Mast. & Bellutus.

Obiectiones.

Ob. 1. quod Vbi non sit relatio, Auct. Arist. 5. Phys. 10. vbi docet, quòd ad relationem non est motus, relatio .n. non acquiritur, vel deperditur per se primò, at ad Vbi est per se motus, ergo &c. Resp. Scotus quol. cit. Arist. loqui de relatione intrinsecus adueniente, quæ nec per se primò acquiritur, nec deperditur, ad relationē verò extrinsecùs adueniēte, qualis est Vbi, benè datur motus, quia habet propriā nouitatē, & cōsequenter esse potest terminus motus.

Ob. 2. Si Vbi esset relatio, esse non posset nisi relatio propinquitatis, & indistantiæ, non .n. alia relatio per motum localem acquiri concipitur, sed hęc relatio supponit extrema esse simul hic, vel simul ibi, sicut relatio distantiæ supponit vnum extremum esse hic, & aliud ibi, ergo si Vbi est relatio, potius erit intrinsecùs adueniens, quàm extrinsecùs. ℞. Quòd per motum localem, duplex in re locata acquiritur respectus; primus est intimæ præsentialitatis ad locum; alter est tantæ distantiæ, vel propinquitatis ad aliam rem, qui necessariò consequitur ad primum respectum; ille per se primò acquiritur, & est respectus extrinsecùs adueniens, in quo consistit Vbi, iste propinquitatis non acquiritur per se, sed illum supponit, & dicitur respectus intrinsecus adueniens, ideòq. maior falsa est.

Ex his colligitur, quòd vt respectus Vbi resultet, exigitur extremorum approximatio, nam vt

corpus ab hac superficie locari formaliter dicatur, debet esse infra illã, ità vt superficies eius conuexa sit cũ concaua continentis contigua, & tùc ex tali extremorum positione, insurgit intima præsentia rei locatæ ad locum, quæ dicitur Vbi passiuum, & è contra, intima præsentia loci ad rem locatam, quæ dicitur Vbi actiuum.

Ob. 3. Superficie ambiente variata, adhuc corpus manet, vbi prius erat localiter, vt patet de Turri vento flante, non alia ratione, nisi quia in eodem permanet spatio; & è contra, Si corpus cum eadem superficie corporis continentis spatium mutaret, non amplius dicitur manere hic, vbi prius erat, vt constat da naui, si cum eadem superficie aquæ ad alium locum pergeret, ergo Vbi constituitur prorsus per ordinem ad spatium, non ad superficiem ambientem. ℞. Negando assumptum, ratio est quia variata superficie ambiente, Turris dicitur manere adhuc vbi antea erat, quia aduenit superficies priori æquiualens, quatenus Turrim continet in simili ordine ad easdem partes Diuinæ substantiæ, & non spatij, quod ibi non est, cùm iam sit plenum; & è contra verò si circa idem corpus eadem superficies ambiens permaneat, & cum eo moueatur, non habet rõnem loci, sed vasis.

Ob. 4. fieri potest motus localis in vacuo, & inani extra Cælum, & terminus motus localis est vbi, ergo cõstitui non potest per ordinem ad corpus extrinsecum ambientẽ absolutè, sed potius per ordinem ad spatium. ℞. Quod motus in vacuo, vel inani factus, non esset motus localis, quia non esset ad locum, cùm ibi non sit locus, sed esset motus lationis ad aliam, & aliam præsentiam in ordine ad diuersas partes virtuales Diuinæ substantiæ, quatenùs mobile nõ coexisteret illi toti, & totaliter, atq; ideò rectè negatur consequentia, quod.n. nihil est, nihil terminare potest; at talis præsentia virtualis partis Diuinæ substantiæ benè posset terminare motum, cùm sit respectus extrinsecus aduaniens, sicut de facto determinat Vbi, cùm mobile non coexistat omnibus eius partibus.

Ob. 5. Relatio distantiæ, & propinquitatis inter aliqua duo, fundatur super Vbi, ideò namq. corpus hoc distat ab illo, quia istud est hic, & illud ibi; sed distantia reperitur etiam inter duo corpora extra Cęlum posita, vno V.g. ex parte orientis, alio ex parte occidentis, destructo namq. Cęlo, & Orbe, adhuc videret Deus illa duo corpora non esse simul, ergo Vbi attendi debet non in ordine ad Corpus extrinsecum, sed ad spatium Imaginarium ℞. Quòd duplex esse potest distantia inter duo corpora, vna positiua, & localis, quæ attenditur penes spatium reale, & positiuũ interceptum, & fundatum in Vbi, à loco extrinseco deriuante; altera priuatiua, & præsentialis, quæ fundatur super diuersas præsentias rerũ ad diuersas partes virtuales Diuinæ substantiæ, quare in casu posito, inter illa duo corpora, Orbe destructo, non remaneret distantia localis, & positiua, sed sola priuatiua, & præsentialis, & vnum illorum corporum diceretur esse hic, & aliud ibi, vt hæc aduerbia præsentialia sunt, & non localia, & in hoc sensu minor est vera, sed consequentia falsa.

Ex his facile est argumenta Fuentis soluere loc. cit. procedunt .n. ex falsa imaginatione, imaginatur .n. quod præsentia definitiua sit quid absolutum, non respectus, quod tñ falsum est, nam quælibet præsentia siuè definitiua, siuè circumscriptiua, semper dicit respectum ad aliud siuè circumscribens, siuè definiens sit, & Scot. & Scotistæ semper Vbi, respectum extrinsecum appellarunt.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum vltima Sphæra sit in loco.

Scot. in 2.d.2.q.6.§.*Ad Quæstionem &c.* lit. C.& quodl.11.art. 1. respondet negatiuè, vbi loquitur de esse in loco actualiter, non potentialiter, nam in hoc sensu nullum dubium est, vltimam sphęram esse in loco, vt benè aduertit Sampson.q.3. nulla .n. est repugnantia, vt vltima sphæra ab alia sphæra maiori ambiatur, cùm quodlibet corpus quantum ex se habeat capacitatem ad locum, & sit eius proprietas in 4. modo; nec difficultas est de alijs corporibus, sed de vltima sphæra, quæ vltima est ascendendo, & prima descendendo: & quæ ab Arist. vocatur Cælum stellatum, sed in sententia Theolog. est Cęlum Empireum lucidum totum, ac immobile, cætera verò corpora cùm sint contigua, clarum est quòd sunt in loco, luna in Mercurio, Mercurius in Venere, Venus in Sole, Sol in Marte, Mars in Ioue, Iuppiter in Saturno, Saturnus in Cęlo Stellato, & hoc est vltimum in sententia Philos. sed non in sententia Theologorum.

Conclusio.

Dicimus, corpora omnia excepto vltimo Cęlo, siue hoc sit primum mobile, in sententia Philos. siue Empireum in sententia Theologorum, esse in loco. est Scoti loc. cit. quem sequuntur Mastr.& Bell.disp.11.Phys. q. 4. art. 1. Carpenedolus noster tract.4.q.7.asser.3.& 4.vbi etiam citat Ricard. in 4.d.10.art.2.q.1.ad 2. Durãd.in 4.disp.11.q.1.Bellar.tom. 3.cõtrou.lib.3.de Sacram. Eucharist. c.3.& alios; & probatur primò Auct. Arist.4.Phys.43.vbi docet, non esse in loco, quod non habet aliud corpus extra se continens, & quod habet extra se continens esse in loco, sed omnia corpora præter vltimum Cęlũ sunt huiusmodi, ergo &c. probatur 2. rõne: locus est superficies corporis continentis ex dictis, ergo quod non continetur in alio corpore, non est in loco, ergo omnia corpora, vltimo Cęlo excepto, sunt in loco.

Resp. Aliqui Recentiores nouitatis amici, vltimum Cęlum esse in loco, quia est in spatio, quod occupat, & replet. Sed hæc responsio explosa manet ex dictis; spatium .n. non potest propriè dici locus, sed abusiuè tantum, quia munia loci exercere non potest. Tum quia spatium imaginarium non est cum corpore compossibile, sed ad eius positionem tollitur, dum ab eo repletur, & occupatur. *Resp.* Auerroistæ, quòd primum mobile est in loco ratione centri circa quod mouetur. quem modum dicendi benè reijcit Canon. 4. Phys.q.3. quia nullũ continens est in loco rõne contenti, sed Cęlum continet terram, ergo &c. probatur maior, quia aliter idem esset locus, & locatum respectu eiusdem, quod

repu-

repugnat. Tum quia locus est æqualis locato, & extra ipsũ, sed Centrũ non est huiusmodi respectu primi mobilis, ergo &c.

Scotistæ communiter respondent, vltimum Cęlum esse in loco quo ad locare, non quo ad locari, quatenùs indefinenter alio, & alio modo locat per modum circularem corpora inferiora. At bona pace Istorum, nunquam continens est in contento tanquam in loco, sed è contra, & hæc sententia incidit in opinionẽ Auerr. com.4.3. ponentis vltimum Cælum esse in loco ratione centri, circa quod voluitur, & inaniter afferunt Scotistæ Doct. pro eorum sententia quol. 11. nam ibi Scot. solum ait, quòd vltimum Cęlum non mouetur localiter quò ad locari, seu quo ad vbi passiuum, sed tñ quò ad locare, seu quò ad vbi actiuum.

Resp. Thomistæ ex D. Thoma 4. Phys. tex. 43. & 45. quòd vltimum Cęlum est in loco ratione partium suarum, quatenus vna pars in alia côtinetur velut in loco. Non placet, nam Arist. 4. Phys. 34. & 44. docet, quod neq. totum propriè est locus partiũ, neq. pars locus alterius, quia vna pars continuatur alteri, non sic locus locato, cui solum est contiguus, & non continuus. Præu dens tñ hoc D. Thom. subdidit, partes Cæli, quia sunt ad inuicem continuatæ, non esse actu in loco, sed potentia, vnde si Cęlum diuideretur, tunc actu esset in loco. Non satisfacit, nam præsens quæsitum mouetur de loco actuali, non potentiali, & de Cęlo, vt modo integrum est, non de Cęlo fracto, & diuiso in partes. Tum quia si de loco potẽtiali fieret quæsitũ præstaret dicere, esse in loco potẽtialiter, quatenùs ambiri potest à sphæra maiori, vt Sampson aiebat, sed de hoc quis dubitare poterit? Scio Masium, & Complut. multa adducere ad hanc doctrinam glosandã, sed quantò plus dicunt, tantò maiores difficultates reuera congerunt. Dicunt quòd, vt aliqua pars moueatur motu circulari, non est necessarium, quantum est ex vi huius motus, quòd actu mutet locum, qui sit locus in actu, sed satis est mutare locum, qui sit locus in potentia. Non valet, quia si motus est in actu siue rectus sit, siue circularis debet habere terminum in actu, aliter daretur respectus sine termino, & motus sine Vbi, ideò melius, & magis adæquatè loquitur M. Iacob. Brun. q.15. art.3. vbi ait: vltima sphæra nõ est actu sub alia superiori spęra à qua ambiatur, aliàs non esset vltima, vt supponitur, est tñ in potentia, vt sibi aliud corpus supponatur, & ab eo circumscribatur, at sic dicendo, cessat controuersia, nam Scot. quærit de vltima sphęra in actu, quomodo est actu nunc constituta.

Obiectiones.

Ob. 1. Auct. Arist. 4. Phys. tex. 1. & 13. vbi manifestè ait, omne corpus esse in loco, sed in specie id asserit de Cęlo tex. 32. ea rõne, quia semper est in motu, & locus inuentus est propter motum localem; & tex. 45. explicans quomodo id esse possit, ait, Cęlum esse in loco per accidens, idest per partes. ℞. Quòd initio 4. Phys. Arist. loquebatur secundum communem tunc sententiam, quæ asserebat, locum esse spatium, & sm talem sententiam clarum esset etiam vltimum Cęlum esse in loco, quam tñ postea in pro-

in progressu confutauit. Vel tunc Philosophum non fuisse locutum de vltimo Cęlo, sed de corporib⁹ inferioribus sublunaribus scil. de grauibus, & leuibus, vt locutus fuerat in 3. Phys. tex. 54. ratio autem desumpta ex motu, quam affert tex 32. examinabitur hic obiect. 2. in tex. 45. accipit Cęlum pro vniuerso, pro vt exponit Auerr. tex. 43. & 53. vnde ait esse in loco ratione partium, quatenus vna pars vniuersi locatur in alia, nempe terra in aqua, aqua in aere &c. vt ipsemet Philos. explicat tex. 46. & est communis sensus expositorum.

Ob. 2. Primum mobile, seu vltimum Cęlum mouetur localiter in orbem, ergo debetur ei locus, in quo fiat talis motus, & à quo denominetur localis, eò præsertim, quia locus inuentus est propter motũ ex Arist. tex. 32. cit. R. Ex Scoto quol. 12. vltimum Cęlum moueri localiter, quò ad locare, non quò ad locari, seu sm̃ Vbi actiuum, non passiuum, quatenus per illum motum semper alium, & alium acquirit respectum in suis partibus continentiæ actiuæ ad alia, & alia corpora contenta, nõ aliũ, & alium respectum continentiæ passiuę, cùm nullum extra se continens habeat. Attamen quia præter Vbi locale actiuum, datur etiam Vbi præsentiale passiuum in ordine ad diuersas partes virtuales Diuinæ substantiæ vbiq. diffusæ, hinc etiam asserimus cum Bell. & Mastr. loc. cit. vltimum Cęlum acquirere etiã sm̃ partes diuersa Vbi præsentialia ad diuersas partes Diuinæ substantiæ virtuales; ex quo tñ Vbi passiuo, non potest Cæli motus dici localis, quia Diuina substantia non est locus rerum, sed tñ præsentialis. Et hic est reuera melius modus dicendi, nam dicere, Deum in tali casu non posse mouere Cęlum, est prorsus irrationabile, & falsum, cùm defectus ex parte Dei esse nequat, nec ex parte corporis, cui etiam in vacuo nõ repugnat motus, vt infra patebit; & dicere, quòd moueretur ad Vbi imaginarium, esset affirmare, quòd motus ille non esset verus, & realis, sed imaginarius, vt est terminus eius, quia motus non potest habere maiorem realitatem suo termino, à quo specificatur; Vnde motus Cęli ex eo capite, quòd continuò sm̃ partes variat Vbi passiuum, non esset localis, sed tm̃ præsentialis, ex eo verò capite, quo continuò variat Vbi actiuum, esset localis, nam vt diximus, ità Vbi passiuum locale, quam actiuum nata sunt motum localem terminare.

Ob. Corporeitas est ratio essendi in loco circumscriptiuè, ergo omnia corpora sunt necessariò in loco, ea ratione, qua corpora sunt, & consequenter etiam vltimum Cęlum cũ sit corpus. R. Cum Scoto quol. 11. art. 1. corporeitatem esse rõnem fundamentalem essendi in loco circumscriptiuè, non formalem, & fundamentum esse potest absq. tali respectu locali actuali ad locum, quamuis non sine aptitudinali, sicuti homo potest esse sine risu actuali, non sine aptitudine ad ridendum, sic est de vltima sphæra.

Petes, an sicut Corpus expoliari potest Vbi locali, ità vt verè nullibi sit localiter, quod de quolibet accidere potest si extra Cęlum poneretur ex Doct. in 2. d. 2. q. 6 sic etiam expoliari posset quocumq. Vbi præ-

sentiali,

sentiali, ità quòd verè nullibi dicatur etiam præsentialiter. ℞. Rem esse in vtramq. partem disceptabilem de quo videri poterit Amicus tract. 20. q. 5. dub. 1. ex nostris principijs resoluendum esset, quòd si Vbi ponatur forma absoluta cum Recentioribus, videtur affirmatiuè respondendum, quia omne absolutum prius alio absoluto, & ab eo realiter distinctum potest eo expoliari, vt Scot. docet in 2. d. 12. q. 2. At ponendo illud Vbi esse respectum quamuis extrinsecus aduenientem, videtur respondendū negatiuè, nam etiam hæc relatio necessariò insurgit positis aliquibus, vt diximus in log. disp. 14. art. 1. & docet Lychet. quol. 11. posito .n. corpore, & loco, non necessariò sequitur; sic etiam posita materia, & forma, non necessariò sequitur vnio, sed posita forma in materia, sequitur necessariò &c. sic etiam in proposito Philosophandum erit de Vbi præsentiali, quia cū hoc habeat pro termino Diuinam substantiam vbiq. in infinitum diffusam, non potest Corpus, vel in hoc mundo, vel extra poni quin semper illi coexistat. Vnde licèt esse possit sine quocumque tali Vbi distributiuè, nempè sine hoc, vel illo, non tñ collectiuè, quia necessariò semper aliquod sibi vagè determinat.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An etiam omnes spirituales substantiæ sint in loco.

SCot. hunc articulum determinasse videtur in 2. sent. d. 2. q. 6. vbi docet, quòd si Angelus extra mundum poneretur, ibi vtiq. non existeret localiter. Ergo supponit, quòd in hoc mundo existens, localiter existeret. Præmittimus pro decisione articuli, quòd Aliqui affirmarunt res omnes in vniuersum loco gaudere, etiam Deum ipsum per suam Immēsitatem in omni loco diffusam. Alij verò Doctores negant, non solum Deum in loco esse, sed neq. etiam Angelos, sed tm̃ res corporeas. nos verò

Conclusio.

Dicimus, substantias omnes spirituales esse in loco, solo Deo excepto, qui potius esse cum loco dici debet ratione suæ Immensitatis, quam esse in loco. Est ad mentem Scoti loc. cit. & sequuntur Scotist. Smisinchi tract. 2. disp. 5. q. 2. Sampson 4. Phys. q. 4. Bell. & Mastr. disp. 11. q. 4. art. 2. & Alij. Duas habet partes, & prima supponit, Angelos intra hunc mundum existere, non extra; & tali facta suppositione Scripturæ, & PP. loquuntur, dum Angelis locum tribuūt, dicentes, bonos esse in Cęlo, malos verò à Cælo ad Infernum deiectos, & post prælium non amplius eorum locum esse in Cęlo. Hoc supposito, probatur etiam ratione, & quò ad primam partem: Illud propriè dicitur esse in loco, extra quod est corpus, quod ipsū contineat ex 4. Phys. 43. sed Angeli ità se habent in hoc mundo existentes, vt nullus Angelus ità præsentialiter per orbem diffusus reperiatur, quin habeat suę sphęræ localis terminum, vbi scil. signari possit in circuitu certa superficies, ad quam pertingat, & non vltra, & dici infra hanc superficiem ità contineri, vt nihil eius sit extra, ergo &c.

Probatur alia pars; quia Diuina substantia ratione suæ immensitatis

est

est ità præsentialiter diffusa, vt nullū corpus extra habeat, quod ipsam extrinsecè localiter terminet, & contineat, ità vt sit verum dicere, quòd tota Diuina substantia, & totaliter infra superficiem huius corporis cōtineatur; hinc Sacra Scriptura, & PP. rationabiliter negant Deum esse in loco, ità D. Aug. lib. 83. qq. q. 20. vbi ait: Deus non est alicubi, quod .n. est alicubi, loco continetur, & D. Ansel. in Monol. c. 22. inquit, quòd Deus in nullo loco propriè dicitur esse, quia omninò à nullo alio continetur. Quia tñ ex alio capite rōne suæ immensitatis per generalem illapsum est intimè præsens omnibus rebus; hinc dicendum erit esse cum loco, quatenus etiam illi ea ratione, qua res quædā creata est intimè præsens illi, per illapsum generalem.

Obiectiones.

Ob. ex communi modo loquendi Scripturarum, & PP. affirmantium Deum esse in loco, & in omni loco, per suam Immensitatem. Deinde è contra Plures SS. PP. negant Angelos esse in loco, & Boet. lib. de Hebd. dicit, hanc esse communem animi conceptionem, incorporalia non esse in loco. ratio esse potest, q̄a locus debet esse locato proportionatus, sed superficies non est spiritibus proportionata, sed solùm corporibus, ergo licèt superficies esse possit corporum locus, non tñ Angelorum. ℞. Cum Smisinchio Bell. & Mastr. cit. quòd cùm Scriptura, & PP. asserunt Deum esse in loco, non loquūtur de loco. vt locus est, & vt munus loci exerceat, quod est continere locatum, sed vt res quædam est, vnde sicut est in alijs rebus per indistantiā, ità est in loco, non verò per continentiam passiuam. Ad illud de Angelis, cùm PP. negant illos esse in loco, intelligi debet de modo essendi in loco circumscriptiuè, & per materialem commensurationem, non verò diffinitiuè & per simplicem præsentiam. Ad rationem, concedimus, superficiem aptam non esse, vt spiritus circumscriptiuè contineat, potest tū continere definitiuè quatenus verum sit dicere infra hanc superficiem ità spiritum contineri, vt extra eam non sit, Vnde sicut nulla est repugnantia, quòd anima rationalis reperiatur in corpore, vt forma in materia, tantò minor erit, vt Angelus infra aliquam superficiem reperiatur, vt locatum in loco.

Ex qua doctrina colligitur, quòd licèt in specie maximè diuersi sint modi essendi in loco rerum Corporalium, & Spiritualium, vt manifestiùs infra patebit, possunt tū genere conuenire in aliqua rōne communi, vniuoca ab illis præcisa, quod sic solet ab Aliquibus Scotistis declarari. Plures modi essendi in loco assignari possunt, alius nempè est modus essendi in loco indefinitè, idest sine fine, in omni loco, & etiam extra omnem locum in spatio imaginario, & ità solus Deus dicitur esse in loco indefinitè, & immensiuè: Alius modus est essendi in loco definitè, idest in certo, & determinato loco, & ità qualibet substātia creata est in loco: Alius modus essendi est in loco circūscriptiuè, idest cum extensione partium, & extra positionem cum materiali cōmensuratione ad partes loci, qui modus est proprius corporum: Alius tandem modus est incircum-

scrip-

scriptiuus scil. sine tali commensuratione, & est proprius modus rerũ spiritualium; licèt ergo rebus creatis, & increatis assignari non possit ratio communis verè vniuoca essendi in loco, cùm Deus propriè non sit in loco, rebus tñ omnibus creatis, corporibus, & incorporibus assignari potest, nempè continentia passiua, seu realis præsentia rei locatæ ad locum, à quò continetur, abstrahendo à circumscriptiua, & definitiua, quæ vniuocatio probari poterit eisdem rationibus, quibus sępè probari solet vniuocatio quorumdam trascendentium, licèt cum aliqua Analogia admixta, vt solent Scotistæ.

Quæres, an omne corpus circumscriptiuè locatum, sit etiam necessariò situatum, ità vt circumscriptio sine situ intelligi nequeat. Respon. affirmatiuè cum communi, & ratio est, quia esse in loco circumscriptiuè, est esse in loco dimensiuè, ità quòd totum locatum toti loco correspondeat, & partes locati partibus loci, at situs aliud non est, quàm prædictus ordo partium locati ad partes loci, vt diximus in Logica art. proprio de situ, ergo &c. Vnde in schola subtilium, vt ex Scoto colligitur in 4. d. 10. q. 1. lit. M. in hoc differt situs ab Vbi (de Vbi passiuo loquendo) quòd Vbi in re locata resultat ex habitudine ad totum locum; situs verò ex habitudine partium rei locatæ ad determinatas partes loci, quod etiam manifestè colligitur ex definit. situs trad. ab Auct. sex principiorum. Ex quo etiam deducitur, quòd inuariato Vbi, possit mutari situs, vt cum V.g. vinum in vase agitatur, semper totũ vinum intra eamdem superficiem côcauam vasis manet, & in eodem loco; singulæ tñ partes vini vicissim diuersis partibus eiusdem superficiei correspondent. Hinc sicut duplex datur Vbi Circumscriptiuum, vnum quod solam affert præsentiam diuisibilem, cuius fundamentum est corporeitas, & rei materialitas, & conuenit omnibus corporibus etiam seclusa quantitate, nam ratione materialis extensionis implicat natura sua esse tota in toto, & tota in qualibet parte loci; Alterum Vbi, quod vltra diuisibilitatem præsentiæ, affert quoq. impenetrabilitatem, quæ per solã quantitatem habetur, quæ corpora in loco constituit occupatiuè, & impenetrabiliter; sic etiam consequẽter duplex erit situs distinguẽdus, vnus correspondens Vbi circumscriptiuo primi generis, quem præcisè corpora rõne suæ materialitatis habent, alter correspondens Vbi circumscriptiuo secũdi generis, quem præcisè corpora habent rõne quantitatis. Situs corporeus est ordo partium corporis contenti ad determinatas loci partes sine repugnantia penetrationis vnius partis cum alia; Situs verò quantitatiuus est ordo partium corporis quanti ad determinatas partes loci cum actuali impenetratione, ità quòd repugnet, corpus esse ità situatum, & vnam partem cum alia compenetrari. quę doctrina, vt benè Bell. & Mastr. adnotant, ex illo principio oritur, quòd substantia materialis diuisibilis est in partes entitatiuas, & integrales, seclusa quantitate.

ARTICVLVS OCTAVVS.
Explicatur modus essendi in loco rerum spiritualium.

SCotus Art. hunc determinat in 2. sent. d.2.q.6. & quidem licèt Authores omnes in hoc conueniant, quòd Angelus, & anima rõnalis sint in loco definitiuè, & incircũscriptiuè; definitè vtiq. ratione suæ limitationis, quia limitatio in entitate arguit etiam in re limitationem in ordine ad locum, incircumscriptiuè autem, quia sunt in loco per præsẽtiam indiuisibilem, & sine commensuratione ad illum rõne suæ spiritualitatis; Adhuc tñ magnum est inter eos dissidium, quomodo explicanda sit hæc indiuisibilis præsentia substãtiæ spiritualis in loco, & præsertim in quo fundari debeat, an in eius substantia immediatè, vt Seraphicus Doctor affirmat in 2.d.2.par.2.art.2. q.1.Scot.loc.cit.cùm suis discipulis, Nominales omnes, cum Neuthericorum torrente, Suar.disp.51.Meth. sec. 3. & 4. & l.4. de Angelis cap. 2. Vasq.p. 1. disp. 188. c. 7. Conimb. dub.1.Hurt.Molina, Moris.& Alij, an verò talis præsentia fundari debeat in operatione, vt D. Thom.docet p p.q.52.art.1. cùm suis, qui affirmant Angelum esse in loco per operationẽ, fundando præsentiam ad locum, aut veluti per ipsam rõnem formalẽ essendi præsens loco, iuxta varium modum explicandi sententiã D.Thomæ. *Conclusio Prima.*

Dicimus, substantiam spiritualẽ, nempè Angelum, & animam esse in loco fundamentaliter, non per suam operationem, sed per suam substantiam, in quantùm est natura limitata actualiter existens. Est D. Bonau, Scoti, & Doct. supra relat. probatur euidentissimis rationibus, quarum prima est: Quando dicunt Thomistæ, quòd Angeli sunt in loco per operationem, vel intelligunt de operatione transeunte, qualis est motio, quam circa corpora exercent, vel de immanenti, qualis est intellectio, & volitio; non primum, quia operatio transiens non potest esse ratio alicui, vt in aliquo loco sit, patet experientia, quia sol non est in terra sm̃ substantiam suam, estò in ea operetur. Tum quia ratio essendi in loco debet esse in re locata, vt patet de quantitate respectu corporum, quia .n. quantitas est per nos ratio essendi in loco impenetrabiliter, est in corpore locato, non in loco, sed operatio transiens non est in Angelo, sed in corpore moto, ergo &c. Tum quia Angelus motor alicuius orbis habet pro mobili sibi adęquato totum illud Cęlum, & in toto Cęlo operatur, & tñ non est in toto Cęlõ, alioquin simul esset in Oriente, & Occidente. Tum quia quando aliquid est in loco per aliud, eodem modo est in loco, sicut illud, vt quia corpus est in loco per quantitatem fundamentaliter, sicut quantitas est in loco commensuratiuè, ità & corpus, sed operatio transiens Angeli est cõmensuratiuè in loco, cùm sit materialis, ergo sic etiam erit Angelus, quod est falsum.

Neq. hoc verum est de operatione immanente, quia hæc abstrahit à loco, sicut ipsamet Angeli substantia, nam respicit locum tm̃ intentionaliter, sicut cætera obiecta. Resp. Caiet. 1.p.q.52.art.1.quòd actio immanens, qua solùm intentionaliter attingitur corpus, abstrahit à loco, sicut essentia,

tia, non vero actio, qua vult Angelus applicare suam virtutem executiuam, seu motiuam ad producendum aliquem effectum externum circa aliquod corpus, quia operatio immanens in hoc sensu, quæ est virtualiter trãsiẽs, nõ solùm abstrahit à loco, sed etiã cõstituit Angelũ formaliter in loco.

Sed Contra, vt benè vrgent Mastr. & Bell. disp. 11. q. 5. art. 2. Si hæc doctrina esset vera, sequeretur, quòd si Diabolus aliquam talem volitionem haberet circa Cęlum, statim esset in Cęlo. Tum quia accidere potest, quod circa aliquod corpus habeat Angelus talem actionem immanentẽ, quæ appellatur à Thomistis virtualiter trãsiens, & tñ quòd non sit in eo corpore tamquam in loco, ergo &c. probatur antecedens ex illo Danielis 10. vbi Angelus missus à Deo, vt populum liberaret à Captiuitate Babilonica, volebat in Persidem ire ad populũ liberandum; Vnde circa illam Prouinciam habebat applicationem virtutis, & tamen ibi non erat, quia resistebat ei Princeps Regni Persarum. Tum quia siuè dicatur Angelus esse in loco per operationem immanentem, siue transeuntem, nulli dubium est posse Angelum à quacumque tali cessare, vel ob suam libertatem, vel ob denegatum à Deo concursum, & tñ adhuc substantia eius indistans ab eo loco remaneret, vbi prius operabatur. Detur casus, quòd Angelus prius operaretur in hac cella attingendo aerem, vel virtutem ad hunc effectum externum applicando, cesset deinde ab hac operatione, & ab omni alia actione, vel propter suã libertatem, vel ob Dei denegatum concursum ad omnẽ actionem, equidem hac data hypotesi, remanebit Angelus in hac cella, quia sine actione non potest hinc discedere, ergo sine vlla operatione erit in loco. Quòd si dicant, tunc non esse hic nec alibi, sed nullibi: Contra est, nam talis Angelus per solam denegationẽ concursus Dei ad eius actiones non est annihilatus, & Deus videt illum esse in vniuerso; videt etiam illum non esse Romæ, Neapoli, Parisijs, nec in aliqua vniuersi parte, sed tm in hac aula, ergo in tali casu Angelus adhuc alicubi foret. Si dicant tunc fore in hac cella, vt in loco fundamentaliter, non formaliter, tunc esset contra illos, qui negant Angelũ esse fundamẽtaliter in loco, per suã substãtiam. Tum quia rem esse formaliter alicubi, est esse ab eo loco indistantẽ, sed dato casu, iam esset indistans ab hoc numero loco. Tum quia Angelus potest suapte natura pro sua libertate desistere ab operatione circa quamcumq. corpoream creaturam, saltem pro aliquo instanti, & se totum circa spiritualia occupare, quò casu vbi esset? venentur Thomistæ.

Deinde probatur, quòd ipsamet substantia Angeli possit immediatè fundare præsentiam localem, quia nulla potest adduci contradictio, cùm Deus rõne suæ immensitatis dicatur sic intimè præsens rebus omnibus creatis; sic etiam res materialis, est n. in loco per suam substantiã, ità quòd si Deus ab ea quantitatem auferret, non ob hoc desisteret esse in eodem loco, ergo etiam, & res spiritualis poterit esse pñsens per substãtiã suã &c.

Resp. Aliqui Thomistæ non esse idem, rem esse alicubi præsentem, & esse in loco reali, nam primum solùm

 dicit

dicit rem esse præsentem alicui spatio loci, sicut per durationem intrinsecam dicitur res coexistere spatio durationis, at esse in loco reali præter præsentiam rei respectu spatij, addit contactum aliquem, & proportionem cũ loco reali scil. corporeo. hinc postea addunt, quòd potest vtiq. Angelus esse alicubi nẽpè ab aliquo spatio indistans per solam exhibitionem suæ entitatis, & ad hoc nihil prorsus confert actualis operatio, & hoc Scoti argumenta demonstrant. inquiũt tñ necessariam esse operationem transeuntem, vt dicatur Angelus esse in loco reali per virtualem contactum, nullus .n. alius contactus esse potest inter Angelum, & locum realem, & in hoc sensu D. Thomam explicant.

Sed licèt hæc doctrina, quò ad primum dictum, quòd scil. aliud sit rem esse alicui præsentialiter, & aliud esse alicubi tãquàm in loco reali vera sit, quatenus reuera spatium exercere non potest munera loci, tñ quod postea addunt, rem posse dici alicubi præsentialiter ratione spatij à quo est indistans, non est probabile, nam spatium cùm nihil sit, sicut hac rõne non potest verè rem denominare localiter vbicatam, ità neque præsentialiter, cùm purum nihil non posset terminare veram, realem, & positiuam præsentiam, per quam res dicitur esse hic, & non alibi. Falsum est etiam non posse inter locum realem, & Angelum interuenire, nisi contactum virtualem, & quòd hic fieri non possit, nisi media actione transeunte, & corporea, vtrumque falsum, nam præter contactum Mathematicum fundatum in quantitatibus, & virtualem in actionibus, admitti etiam debet alter contactus, qui dicitur entitatiuus consistens in immediata vnione, vel intima præsentia vnius rei ad aliam, quo genere contactus, Deus ab vnoquoq. nostrum dicitur indistans, quia etiam cõtactus ipse virtualis sine operatione fieri potest per virtutem sumptam in actu primo, qualis est essentia, & substantia Angeli, talis .n. contactus potest etiam dici virtualis, sicut ipsa substantia Angeli dicitur quantitas virtutis.

Obiectiones.

Ob. 1. Thomistæ In substantia corporea sola quantitas molis est ratio fundamentalis essendi in loco, ità q̃ si quantitas auferatur, substantia materialis in punctum conflueret, ergo & in spirituali sola quãtitas virtutis, quæ est operatio transiens, vel applicatio virtutis ad operandum, est ratio fundamentalis essendi in loco definitiuè. ℞. Negando assumptum, nam substantia corporea, etiam seclusa quantitate, vt sæpè inculcatũ est potest præsentiam circumscriptiuam, & etiam definitiuam suscipere, & per quantitatem solùm impenetrabiliter in loco constituitur; & quando etiam assumptum esset verum, adhuc negãda erit consequentia, nam quantitas virtutis non est operatio, sed essentia, & substantia Angeli in tali gradu perfecta, qua rõne quantitas perfectionis, & virtutis dici solet. Hinc quando dicitur quòd homo habet quantitatem molis, & Angelus habet quantitatem virtutis, hæc differentia non intelligitur, quò ad operationes, nam etiam homo suas operationes habet, sed intelligitur quò ad substãtiam,

tiam, quatenùs homo est natura sua corporeus, & consequenter quantus, Angelus verò cùm sit merè spiritualis, dicitur quantus virtute, & perfectione.

Ob.2. Ex nostra doctrina sequeretur, quòd Angelus semper esse deberet in æquali loco, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quia sic esset in loco rōne substantiæ, quæ semper est eadem, & inuariabilis, sicut à simili, ideò corpus semper occupat æquale spatium, quia ratio occupandi est quantitas, quæ nisi varietur, sēper erit in æquali loco. ℞. Negando sequelam, ratio est, quia substantia Angeli est ratio tm̄ fundamentalis, cur absolutè Angelo debeatur præsentia, & determinatus locus versus maximum, cùm sit limitatà, & finita, formaliter verò est in loco per præsentiam proximè causatam à virtute eius motiua, ex imperio voluntatis applicata, vnde talis, & tanta præsentia, pendet à voluntate Angeli; & per hoc substantia spiritualis à corporea differt, quamuis n. in vtraque sit determinata capacitas tanti loci, hæc tñ capacitas in Angelo subditur eius voluntati, quò ad occupationem actualem tanti, vel tanti loci intra propriā sphęrā, quod de corporea dici non potest ratione suæ extensionis, qua necessariò occupat quicquid potest, vt clarius infra patebit.

Dices, Si Angelus per imperium voluntatis suæ, virtutem motiuam applicantis, est in hoc, vel illo loco, tanto, vel tanto, ergo erit in loco per applicationem virtutis. ℞. Negando consequentiam, nam per talē applicationem Angelus constituitur in loco solùm effectiuè, non verò tāquàm per rationem essendi in loco fundamentalem, vel formalem, in quo sensu agitatur quæstio. Sed Contra, ergo Angelus poterit ab omni Vbi absolui, cùm præsentia ponatur efficienter à sua voluntate pendere. ℞. Quòd posset absolui ab omni Vbi locali, si V.g. extra mundum se conferret, sed non ab omni Vbi præsentiali, ea ratione, quæ supra allata est &c.

Ob. 3. Vt aliquid sit in alio tāquā in loco, necesse est, vt illud tangat ex 4. Phys. sed ex Arist. duplex tm̄ habetur contactus, Mathematicus, scil. & virtualis, ergo cùm nequeat Angelus locum attingere primo cōtactu, qui solùm fit per quantitatem molis, illud attinget medio virtuali, qui media fit operatione. minor patet ex 6. & 7. Phys. vbi Philos. solùm mentionem facit de contactu, qui fit media quantitate, & media actione, & passione. ℞. Maiorem esse veram de eo, quod est in loco dimensiuè, & de his propriè Arist. loquitur, at in alijs sufficit immediata vnio vnius ad aliud, ità quòd inter vtrumq. nullum interponatur spatium, licèt hic propriè fit inter corpora. Falsum est etiā præter contactum Mathematicum, & virtualem, non dari alium, nempè entitatiuum, explicatum per præfatam vnionem, neq. Arist. loc. cit. hunc negauit, sed tm̄ illos retulit, qui suo instituto sufficiebant; Vel in contactu per quantitatem subintellexit etiam vnionem per essentiam, quæ dicitur quantitas perfectionis, & virtutis, Et tandem probatio ex auctoritate negatiua, nihil facit.

Ob. Tandem, per quemdam art.

Pari-

Parisiensem, vbi determinatur, quòd substantia non est ratio essendi in loco definitiuè, ergo erit aliqua operatio, & modus substantiæ superadditus. ℞. Gratis admittimus, substantiam, vt sic non esse rōnem fundamētalem, aut formalem essendi in loco definitiuè, quia tunc etiam Diuinæ substantiæ competeret esse in loco, sed ratio sic essendi in loco est substātia in quantum finita est, & limitata.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Rationem formalem, per quam substātia spiritualis in loco constituitur, est forma relatiua sibi intrinseca, quæ dicitur Vbi incircūscriptiuum, seu definitiuum, non vnum indiuisibile ad totum locum, & illius partes terminatum, sed tot esse præsentias partiales, quot sunt partes proportionales ipsius loci, indiuisibiles quidem ex parte subiecti, diuisibiles tñ ex parte termini, seu loci, iuxta diuisibilitatem earum partium. Colligitur ex Scot. loc. cit. & probatur quò ad singulas eius partes. Quòd Angelus sit in loco per præsentiam sibi inhærentem, & non per solam simultatem cum loco, patet ex dictis in hac eadem disp. art. 4. vbi determinauimus præter locum, & rem locatam, debere etiam admitti modum, qui dicitur Vbi, quo formaliter res in loco constituitur iuxta suam naturam.

Quòd Vbi, quo Angelus in loco constituitur, non sit vnicum, & indiuisibile, in ordine ad totum locum, & singulas eius partes, sed multiplex iuxta earum multiplicitatē, probatur, si n. esset vnicum Vbi, & indiuisibile, quo totus Angelus esset in loco V. g. bipalmari, & totus in qualibet eius parte, casu quo desereret palmum, & solùm in alio remaneret, non tñ amisisset præsentiā illius palmi, sed etiam istius, cùm fuerit vnicum Vbi indiuisibile in toto spatio bipalmari, sed hoc est falsum, quia Angelus nunquam cessauit esse præsens huic palmo, estò cessauerit esse præsens illi, ergo præsentia hæc est diuersa ab ea, quæ destructa fuit in altero palmo, quia hæc adhuc manet, illa destructa. Confirmatur à simili de vnione animæ ad corpus, quæ non est vnica vnio, qua anima indiuisibiliter vnitur corpori, & singulis eius partibus, sed tot sunt vniones animæ, quot partes corporis proportionales, ergo sic etiam in proposito. Antecedēs patet, quia si vnio esset tñ vnica, tunc per scissionem cuiuscumq. minimę partis corporis destrueretur integra vnio animæ, & corporis, & ità animal moreretur, quod est falsum, hoc autem absurdū vitatur, si ponamus plures vniones, & has etiam diuisibiles, non ex parte subiecti, sed ex parte terminorum, nam ea rōne, qua indiuisibiles sunt ex parte subiecti, sunt singulę in toto subiecto, sicq. totam animam ponūt in singulis corporis partibus, ea verò rōne, qua plures sunt, & ex parte termini diuisibiles, sequitur quòd vnio, qua anima informat caput remanet, quamuis destruatur vnio, qua pedē informet. sic in proposito &c.

Obijcies, licèt anima sit vna, & indiuisibilis, tñ rōne suæ spiritualitatis potest esse vnita diuersis partibus materiæ, & Angelus diuersis partibus loci propter eamdem rōnem, ergo etiam vnio vtriusq. ad corpus, & locum ratione spiritualitatis poterit respi-

respicere diuersas partes corporis, & loci; quamuis vnica sit, & indiuisibilis. R. Negando paritatem, & ratio est, quia Angelus, & anima sunt res absolutæ, vnio verò, & præsentia sunt respectus, quæ hac de causa multiplicari debent ad extremorum multiplicationem, cùm ab eis essentialiter pendeant.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. Substantiam spirituale habere locum determinatum quò ad magnitudinem, non tamen quò ad paruitatem, quia semper esse potest in minori, quocumq. assignato, etiam in puncto, estò non propriè, vt in loco. Est etiā ad mentē Scoti, & Communis contra Durandum. Probatur Sicut solus Deus est immensus, ità ipse solus non est quò ad locū determinatus, quare sicut ex infinitate Dei rectè infertur immensitas, ità ex limitatione Angeli, vel animæ debet limitatio eorum quò ad locum inferri. Tum quia Angeli verè localiter mouentur, ergo habent locum determinatum. Quòd si dicas, Angelus est in loco ex imperio suæ voluntatis, atq. ideò sicut liberè se applicat tali, & tanto loco, ità maiori, & maiori in infinitum; non valet, nam substātia Angeli subditur imperio voluntatis, non quò ad esse in loco absolutè, sed quò ad esse in tali, vel tanto loco intra terminum tñ præfixum eius limitatæ naturæ. Probatur Cōclusio quò ad aliam partem, nam licèt Angeli substantia sibi necessariò exigat aliquod Vbi vagè, nullum tñ determinatè, quia capacitas tanti, vel tanti Vbi intra sphęram loci adæquati, pēdet à voluntate Angeli, ergo poterit ad eius libitum semper in minori, & minori parte loci se constituere; quā etiam ratione deducitur, se posse in puncto constituere, estò non tanquā in loco propriè, quia locus est quantus, & diuisibilis. Confirmatur à simili, nā quia homo est liber, in eius potestate est se cōstituere in tali, vel tali loco, sed quia adhuc est corporeus, & quantus non est in eius potestate se constituere in tanto, vel tanto, nā corpus eius necessariò extendi debet in loco sm̄ totam quantitatem suam, cùm eius partes nō possint ad libitum hominis se penetrare; at Angelus est liber, & incorporeus, atque ideò in eius potestate remanet, vt se constituat in tali, vel tali loco, tanto, vel tanto iuxta propriā sphęram. Tum quia idem spiritus aliquādo occupat corpus viri, aliquando pueri. Nec audiendus est Bassol. in 2.d.2.q.4. respondens quòd cùm spiritus obsidet puerum, occupat etiam partem aeris circumstantem necessariam ad latitudinem sphæræ localis eius; non valet, nam est contra praxim quotidianam Exorcistarum, qui spiritus cogūt se retrahere multoties in paruo digito corporis obsessi.

Ob. Semper Deus, & necessariò habet præsentiam adæquatā suæ substantiæ infinitæ, sic etiam anima in corpore, & corpora in loco, vt in minori esse non possint, ergo idem de Angelo asserendum erit. R. Negando paritatem, & ratio est, quia Angelus est in tali, vel tanto loco intra suam sphæram per suam libertatem, ideò benè esse potest modo in maiori, modò in minori, nō sic Deus, quia ob suam Immensitatem, & immutabilitatem nequit mutare præsentiam; neque anima in corpore, quia non est in

est in ipso, vt locatum in loco, sed vt forma in materia, ideòq. quandiu corpus informat, necessariò habet præsentiam corpori adæquatam; nec tandem paritas valet de corpore, nā hoc est in loco ratione quantitatis, quæ per extensionem occupat quicquid potest, quia eius partes nequeunt in eodem spatio se naturaliter penetrare, ac proinde semper erit in loco sibi adæquato, quæ ratio non militat de Angelo.

Aduertendum est hic, quòd Scotistæ communiter negāt, Angelum se reducere posse semper in minorem, & minorem locum, & etiam in puncto, & Citant Doctorem loc.cit.qui stare pro opposita sententia videtur. Verum, vt notant Bell.& Mastr.loc. cit.Scot. reuera libertatem dedit declinandi in hanc, vel illam partem, sicut & de existentia Angeli in puncto, ita vt de hac loci Angeli determinatione quo ad paruitatem per totam illam quæstionem semper disputatiuè, & dubitatiuè loquitur, vt ex ipso textu manifestè liquet.

ARTICVLVS NONVS.

An Deus sit in spatijs Imaginarijs extra Cælum.

SCot. licèt pro parte negatiua afferatur ab aliquibus Scotistis, & præsertim à Vulp. tom. p. p. 1.disp. 28.art. 3. ex his, quæ habet Doctor in 1.d.37.q. vn. tamen pro parte affirmatiua ab Alijs Scotistis rationabiliter adducitur, ex alijs principijs, & locis à Doctore adductis, & præsertim in 2. d. 2. q. 9. lit. Z. & quol. 11.art. 2.vbi docet vacuum esse possibile, & in eo fieri posse motū successiuum. Et licèt reuera quæstio hæc sit potius de modo loquendi, quàm de re, tū quia Doctores modò illam agitant, vt eam videantur facere quæstionem de re, sic etiam nos in eodem sensu loquimur. Vulpes igitur loc.cit. Vasq. 1.p.disp.19. & Alij, negant Deum extra hunc mundum reperiri, & in tantum asserunt Diuinam Immensitatem hoc mundo non concludi, non quia ex vi eius modò sit extra Cælum, sed quia natus est fieri præsens alteri vniuerso, & infinitis si existerent; at nos

Conclusio.

Dicimus, Deum ratione suæ Immensitatis ne dum in toto hoc mundo esse, verum etiam extra hunc mundū per spatium illud inane reperiri. Est ad mentem Scoti, vt manifestè patebit, & sequuntur quo ad rē Smisinch. tract.2.disp.5.q.2. & Mastr. & Bell. in Phys. disp. 11. q.6. contra Vasq. Vulp. & Alios. Probatur primo pluribus Scripturæ Sacræ testimonijs, 3. Reg. *Cælum, & Cæli Cælorum te non capiunt*, & Iob.11.*quē totus non capit orbis*, & Ecclesia canit: *quia quem Cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti*. Quæ auctoritates non de aptitudinali præsentia loquuntur, sed manifestè de actuali, & iuxta hunc sensum eas PP. intelligunt, ità Beda lib. 9. cap. 11. Gregor.lib.10.Moral.cap.8.Dionys. de Deo cap.9. Aug.tom.4.lib.de Diuina Essentia, & 7.Confess.cap.5.qui omnes affirmant, Deum eiam extra hunc mundum existere, quamuis expresè non dicant esse in spatio imaginario; sed hæc est quæstio de modo loquendi; si .n. extra mundum non est nisi spatium Imaginarium, vel vtrumq. admittendum est, vel neutrū,

& quia

& quidem spatium extra Cęlum verè admittendum est, veluti negatio realis corporum cum non repugnātia ex parte eorum, vt ibi sint nullo intellectu considerante, sicut dantur aliæ negationes, & priuationes reales, vt cæcitas, tenebræ &c. Vnde etiam dicere possumus, Deum esse in tali spatio, idest tali negationi coexistere, sicuti absente sole, dicimus mundum esse in tenebris, cęcitatem in oculo &c. materia ligni sub priuatione formæ ignis &c. quæ loquendi formulæ non insinuant, nisi coexistentiam subiectorum his negationibus. Addimus ad maiorem declarationem, quòd cùm dicimus Deū esse præsentem illi spatio, non accipimus præsentiā pro relatione reali, & positiua, quæ versatur inter duo extrema positiua sibi inuicem indistanter coexistentia, quo genere præsentiæ dicimus, Deum esse huic mundo præsentem, cùm .n. spatium imaginarium sit mera negatio, non potest fundare, nec terminare veram, & positiuam relationem præsentiæ; sed accipimus præsentiam pro simplici indistantia, quæ dici solet præsentia negatiua, & explicatur per negationem absentiæ. sic igitur explicata conclusio.

Probatur etiam secundò ratione iuxta Scoti Principia, & Authorum ferè ōniū: fieri potest mot⁹ in vacuo, nè dum terminato, sed etiam interminato, ergo si per vacuum spatium potest lapis moueri, vel Angelus, iam in eo supponitur existere, cum motus necessariò supponat existentiam mobilis in spatio, in quo fit motus, ergo sicut in vacuo tunc verè existeret corpus, vel Angelus absq. alterius corporis existentia, ità & multò magis Deus existere potest in illo spatio inani extra Cęlum. Hoc argumentum ità euidens est, quòd Vulpes vt suam sententiam defenderet, non erubuit negare vacuum fieri posse virtute Diuina, quod est contra cōē sensum Theolog. imò quāplures addunt etiam virtute Angelica id fieri posse si à Deo permitteretur, vt dispsequenti patebit, & Doct. apertè docuit in 2. & quol. cit. & mirum quidē est, quomodò tam celebris, & ingeniosus Scotista ausus fuerit, & communi sententiæ de vacuo se opponere, & Magistrum manifestè relinquere.

Sed quicquid sit de hoc, ponamus casum etiam à Vulp. & Vasq. admissum, quòd scil. Deus extra Cęlum possit aliquod Corpus, vel Angelum creare, petimus ab ipsis, quomodò se haberet tunc Angelus ad spatium illud extrà Cęlum? Resp. Vulpes, nos vtiq. imaginari, quòd esset in spatio, sed reuera non esset nisi in seipso negatiuè, quatenus nulli corpori esset localiter præsens, vel tamquàm in loco. At hoc est, quod intendimus. ponamus ibi de facto Deum, eo modo, quo tunc corpus, vel Angelus esset extra Cęlum, & intentum habebimus, non .n. apparet qua ratione concedatur corpus, & Angelum poni extra Cęlum, & ibi existere, & postea negare, Deum ibi de facto existere; quod si Vulp. non admittit in eo casu Angelum, vel corpus esse in eo spatio tamquā in loco, neq. nos dicimus Deum esse in illis spatijs imaginarijs tamquàm in loco, ità vt ly *esse in*, dicat realem coexistentiam loci, & locati, vel realem, & posi-

positiuam præsentiam vnius ad aliud, sed tm dicimus illi negationi extra genus per spatium importatę coexistere, & ab eo spatio esse indistantem, in quo posset alios, & alios mundos producere; quæ conclusio sic explicata, ità verissimam ratam habeo, vt nesciã quo adæquato motiuo eã negare audeant.

Resp. Vasq. negando paritatem, hoc .n. non repugnat corpori, quia rõne suæ molis facit spatium reale, non ità substantia spiritualis, quæ propriè nõ replet. Error peior priore; quod nam est hoc spatium reale, quod corpus facit? hoc esse non potest, nisi corpus ipsum, ergo si corpus potest à seipso denominari esse in spatio, etiam ibi vbi nihil erat, cur non etiam res spiritualis sm̃ suã substantiam realiter diffusa? Imò magis de rebus spiritualibus id affirmãdum videtur, nam substantiæ spirituales per suam diffusionem, propriè nec replent, nec tollunt spatium, sed corpora hoc efficiunt, cum spatium sit priuatio corporis, vt supra iam probatum est, ergo de spiritibus propriè dici potest intimè coexistere negationi importatæ per spatiũ. Tum quia etiam res spirituales habent suã extensionem spiritualem correspondentem extensioni quantitatiuę corporis, ergo si possunt corpora rõne suæ extensionis materialis verè dici per spatium diffusa, sic etiam & res spirituales per æquiualentem extensionem. Quia igitur Deus rõne suæ immensitatis in spirituali extensione æquiualet corpori infinitæ magnitudinis, sicuti hoc, si daretur repleret omne spatium, ità & nunc Deus.

Probatur 3. Si Deus modò non esset extra Cælum, poterit verè, ac propriè moueri, sed hoc est falsum, nam Deus est immobilis, ergo &c. probatur sequela, potest Deus hunc mundum mouere de hoc spatio in in quo est, ad aliud, in quo creari poterat, & simul cum ipso transferri, velut nauta mouetur ad motum nauis, & Angelus transfertur cum corpore assumpto, & anima cum corpore, quod informat, ergo verè, & propriè moueretur, quia illud Vbi præsentiale de nouo acquireret, in quo prius non erat. Resp. Aliqui, in tali casu Deum propriè non moueri, quia non moueretur per se, sed per accidens ad motum mundi. At Contra, non solùm id, quod per se mouetur, verè, & realiter moueri dicitur, sed etiam id quod mouetur per accidens, vt patet de illo, q in naui vehitur, qui non per hoc quòd Nauta cum naui moueatur, ideo sequitur, quòd nouum Vbi non acquirat, cùm Romam perueniat.

Resp. Aliqui, non posse mundum moueri extra Cęlum, quia non potest fieri motus in vacuo. Isti magis consequenter loquuntur, sed motum in vacuo non repugnare disp. sequẽti demonstrabimus, & contra Ipsos adhuc vrget argumentũ, casu quo Deus hunc mundum annihilaret, & alium in alio spatio crearet, tunc .n. verè vnum spatium deseruisset, & aliud de nouo acquisisset, & ità mutatio in Deo. Nec valet responsio Quorumdam, quòd tunc esset in nouo mundo per extrinsecam denominationẽ, non valet, quia intima præsentia vnius rei ad aliam, vt Angeli V.g. ad corpus assumptum, non resultat inter extrema quomodocumque, sed

inter

inter extrema intimè approximata, & indistantia, ergo similiter realis, & positiua præsentia Dei cum mundo, non resultat in eos, nisi prius supponantur approximata, & in eodem spatio coexistentia, ex quo dignoscitur disparitas denominationum creâtis, & præsētis, quia ad hoc vt in Deo relatio creatis resultet, sufficit sola rei creatio in quacumq. distantia at vt Deus dicatur rei intimè præsens, non sufficit sola eius creatio, sed requiritur, vt eidem rei approximetur, vt dicatur illi præsens.

Probatur tandem 4. ex paritate de Æternitate assumpta, qua sæpè Doctor vtitur: Per Æternitatē Deus omne tempus actuale supergreditur, nam fuisse dicitur āte ōne tēpus reale per totum tempus imaginarium, etiam infinitum præcedens, non quidem, per aliquam realem, & positiuam coexistentiam, sed quia verè coexistebat negationi temporis realis, quare si non coextitit positiuè tempori reali, defectus non fuit ex parte fundamenti, sed ex parte termini, vt Scot. docet in 1.d.39.lit.B. sic etiam immensitas omnem locum actualem supergreditur, ità vt Deus sit etiam extra omnem locum realem in spatio imaginario, non quòd sit in eo per realem, & positiuam coexistentiam, sed solùm quatenus etiam coexistit extra mundum negationi reali. Et sicut cùm dicimus, quando tempus reale non erat, tunc etiam Deum extitisse, benè dicimus, quia ly tunc, non significat aliquam durationem realem, sed ipsamet Dei durationem, vt aptam ad coexistendum tempori, quod antea esse posset; ità cū dicimus, Deum ante mundi creationem extitisse hic, vbi nunc creatùs est mundus, rectè loquimur, quia ly hic, vel ibi non significat locum realem actu existentem, sed solam Dei præsentiam per immensitatem, vt de se apta ad coexistendum localiter cuicumque corpori realiter ibi existenti. ità Bell. & Mastr. loc. cit. de mente Scoti.

Obiectiones.

Ob. 1. Auct. SS. PP. qui nunquàm dixerunt Deum esse in spatio imaginario, imò quærentes vbi fuerit ante mundi creationem, dicunt nullibi fuisse, sed tm in seipso. ità Aug. Bernard. & Alij. ℞. Cum Sm finchio, q̄ licèt PP. expresè non dixerit, Deū esse in spatijs imaginarijs, dixerunt tn̄ esse extra mundum; & per id, quòd Deus fuerit tm̄ in seipso, solùm significare voluerunt, nihil ab æterno, vel ante mundi constitutionē Deo coextitisse, in quo tāquàm in aliquo reali fuerit, nam præsentia propriè videtur dicere relationem ad aliam rem, cui altera dicitur esse præsens.

Ob. 2. Ex D. Bonau. in 1.d.37. & Scoto ibidem, vbi vterq. Doctor negant præsentiam Dei actualem extra mundum, & præsertim Scotus loc. cit. d. 37. in fine, negat Deum esse extra mundum, etiam vt *esse in*, dicit simplicem indistantiā, vbi ideò probat ex omnipotentia non inferri formaliter immensitatem, quia Deus potest agere in distans, & vbi non esset per impossibile in aliqua parte huius vniuersi, & ità de facto ait creasse mundum in spatio, vbi non erat, ergo Scotus manifestè negat omnem præsentiam Dei in spatio imaginario tā positiuam, quàm negatiuam. ℞. Immeritò quidē hos Doctores pro opposita

posita sententia adduci. Non Seraphicus Doct. quia pro nostra sententia clariùs loqui non potuit in 1.cit. p.2.art.1.q.2.ad vlt.vbi tangens tertiam rõnem allatam ex immobilitate Dei sic ait: *Cum res mouetur, Deum non dimittit, nec ad Deum accedit, nec Deus cum re venit, quia sic est in re, vt sit extra rem, ideò nec res eum dimittit, nec nouum inuenit, & hoc est intelligibile, si quis potest intelligere, quod Deus est immensus, quia .n. est immensus, ità est intra, quòd extra*. Hæc Sanctus Doctor, qui non poterat reuera clarius loqui, ex hoc.n.quòd Deus est immensus, rectè infert, quòd ità est in mundo, vt sit etiam extra mundum.

Neq. Subtilis Doct. in oppositam sententiam trahi debet ex loc.cit.sed solùm quòd negauerit præsentiam positiuam. Pro clariori huius puncti elucidatione, qui est alicuius mométi in præsenti controuersia, sciendum est, quòd tunc Scot. disputabat cum D.Thoma, qui contendebat omnipotẽtiam necessariò præexigere immensitatẽ, & quòd ideò potuit creare mundum, vbi nihil erat, quia erat Immensus. Negat Scot. hanc consequentiam, non absolutè, sed veluti necessariam ad effectum omnipotentiæ habendum, quia & si reuera in illo spatio immensitas præcesserit, non tñ vt ibi præsens Deus mundum condidit; & estò reuera Immensitas potentiã præcesserit, non tñ (ait Scot.) præexigebatur potentiæ, vt potentia est; & ratio est, quia etiam si Deus per impossibile non esset immensus, & esset omnipotens, adhuc agere posset, vbi non est præsens, cũ posset operari in distans, Vnde negat indistantiam Dei à spatio, vbi mundũ creauit, veluti necessariam ab intrinseco ad omnipotentiam; & dum ait potentiam prius habuisse terminum suum, quàm immensitas, loquitur de præsentia reali, & positiua, quæ est intima, & positiua coexistentia ad aliud reale, ità Mastr. & Bell.tex.exponunt, & videtur magis idonea expositio, quàm illa Smisinch. sic etiã R. ad illam aliam Scoti authoritatem in 1.d.39. lit. Y. quòd scil. loquebatur de præsentia positiua, & patet ex ipso contextu.

Ob. 3. Ratione: Si Deus rectè dici potest esse in spatijs imaginaris, poterit etiam rectè dici esse in omnibus negationibus, in priuationibus, impossibilibus, in chimæris ab intellectu nostro confictis &c. sed hoc est absurdum, ergo &c. R. Negando sequelam, quia non omnes negationes, priuationes, impossibilia, & chimeræ aptæ sunt ad eamdem denominationem suscipiendam, cùm etiam inter ipsa detur suo modo distinctio; vnde tenebra tollitur per lucem, non per tactum; cęcitas tollitur per visum, nõ per olfactum &c. sic in proposito, negatio extra genus per spatium importata, est negatio peculiaris à cæteris distincta, cui specialiter conuenit repleri per substantiam corpoream, vel spiritualem modo suo; neq. possibilia, & chimeræ aptæ sunt ad talem denominationem, sicut spatiũ. Tum quia cùm hæc omni realitate actuali prorsus careant, non possunt cũ veritate dici, Deum eis actu coexistere; at spatium importat negationem realem actu existentem extra mundum, eo modo quo existentia negationibus adaptari potest, scil. nega-

negationem corporis cum non repugnantia ex parte ipsius corporis, vt ibi fit, sicut dicere solemus, mundum esse in tenebris, Petrum in cęcitate &c. Dicitur autem spatium imaginarium, quatenus à nobis cōcipitur per modum extensionis positiuæ realis, illud imaginando cum trina dimensione, realibus corporibus correspondentem, sub qua fictione est formaliter ens rationis; cæterum absq. hac fictione, nō est ens rationis, sed realis negatio corporis à parte rei, sicut cæterę negationes, & priuationes reales. quòd si te pudet dicere, Deū esse in spatijs imaginarijs, dicas esse extra mundum, quia dum conuenimus in re, de modo loquendi parùm curamus.

Ob. 4. Quod est in spatio, est in nihilo, quia spatium nihil est, ergo tantum valet dicere, Deum esse in spatio, ac esse in nihilo, vel nullibi. Rx. Quod si esse nullibi neget existentia in loco; verum est antecedens; si neget etiam simplicem indistantiam ab isto spatio, vbi corpus aliquod creari potest, falsum est cum sua cōsequentia.

Est hic notandum, quòd hæc doctrina non pugnat cum dictis art. 1. & 3. huius disputationis, vbi ostendim⁹, vbi locale non posse desumi in ordine ad spatium, quia nihil est; Et eadem rōne, nec loci immobilitas, nam ibi loquebamur de immobilitate loci, quæ est passio positiua, & de præsentia importata per Vbi locale, hic verò loquimur de præsentia merè negatiua, & pro sola indistantia.

ARTICVLVS DECIMVS.

An plura corpora esse possint in eodem loco.

Scot. de hoc art. disertè agit in 4. d. 49. q. 16. & quol. 11. art. 3. & sparsim alibi, quem Scotistæ communiter sequuntur, & quidem de spiritibus non est dubium, omnes. n. vnanimiter confitentur posse esse in eodē loco etiam naturaliter, q̄ ex Euangelio constat, dum vnum corpus, vna dæmonum legione obsessum fuisse legitur, quod more Romanorum constat ex sex millibus, sexcentis, & sexaginta dæmonibus. Neque dubium est si vnum corpus est extensum, aliud verò careat extensione locali, nam Corpus Christi, & species sunt in eodem loco, species circumscriptiuè, Christus verò sine extensione locali, & anima quæ est spiritualis, est simul compenetrata in eodem loco cum corpore; Vnde solùm remanet difficultas de corporibus, an naturaliter, vel saltem supernaturaliter in eodem loco esse possint. Tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema affirmat, id esse possibile etiam naturaliter, ità Fernelius lib. 2. suæ Phisolog. cap. vlt. Petrus Ioann. Prouēz. quol. 3. q. 7. & inclinat Argent. in 4. d. 49. q. 1. art. 4. Altera extrema asserit implicare contradictionem, duo corpora in eodem spatio consistere, ità Durand. in 4. d. 44. q. 6. & Palud. q. 3. art. 3. Media sententia defendit id esse impossibile viribus naturæ, possibile tū per potentiam Dei absolutam.

Conclusio Prima.

Dicimus primò non esse possibile naturaliter duo corpora esse simul, & se-

& semel in eodem loco.est Scot.loc. cit. D.Thom. opusc. de Trinit. & cõmunis contra Fernelium, & relatos Authores, & ità facilè probatur ratio præcisa cur naturaliter duo corpora sunt in eodem loco incompossibilia, est eorum quantitas, quia hæc est, quæ rebus omnibus impenetrabilitatem affert, vt diximus disp. de continuo art. 1. ex Scoto in 4. d. 49. q. c. 6. §. *Alij dicunt &c.* q probat ex Arist. 4. Phys. 76. vbi habet, quòd si dimensiones essent à corporibus separatæ, adhuc inuicem repugnarent, & incompossibiles essent. quod etiam nobis ex fide innotescit, dum videmus in Sacramento Eucharistiæ, vnã hostiam consecratam cum alia non se penetrari, ergo cùm res omnes corporeæ sint quantitate prædıtæ, consequens est; vt plures corporeæ in eodem spatio compenetratæ naturaliter esse nequeant, si distinctas habent quantitates.

Obiectiones.

Ob. Pro Fornelio, & Alijs Aduersarijs: Plura accidentia materialia eiusdem corporis sunt ad inuicem compenetrata in eodem loco, vt patet de albedine, & dulcedine in lacte, ergo &c. ℞. Quòd penetratio propriè spectat ad res corporeas quãtitatem habentes distinctam, qualia non sunt plura accidentia materialia eiusdem corporis, quæ vnica quantitate extenduntur; Vnde non possunt dici propiè compenetrata, sed potius esse simul in eodem subiecto, ideoq. negatur consequentia. eodem modo ℞. ad illud argumentum, quòd quãtitas de facto, & naturaliter penetratur cum materia, & forma, ergo potest dari penetratio naturaliter. consequentia est falsa, quia quantitas ideò penetratur cum materia, & forma, quia non inuenit illas quantas, sed ipsa reddit illas quantas formaliter penetrando se cum illis.

Ob. 2. Duæ superficies duorũ corporum se tangunt in eodem spatio, ergo penetrantur. ℞. Distinguendo antecedens, se tangunt se totis, negatur, quo ad extremitates conceditur, tunc nil contra nos, quia extremitates sunt indiuisibiles, & ideò nõ dicuntur propriè compenetrari, cùm careant quantitate, sed potius esse simul, & contigua in eodem loco.

Ob. 3. Multis experientijs, ad quas ferè omnes Scot. loc. cit. in 4. Resp. primò videmus quod panis recens vino immersus, ebibit vinum. 2. cùm ex aqua, & farina panis conficitur, aqua in omnes, & singulas farinæ partes penetrat. 3. in ferro cãdenti ignis coexistit simul cum ferro. 4. spiritus vitales per partes animalis discurrunt, & per easdem partes penetrãt alimentum, vt fiat nutritio. Demum vas aquæ plenum admittit secũ multum auri, & vas plenum cineris multum aquæ, ergo &c.

Resp. Scot. ad primum, vinũ recipi in poris panis, nam omnia ferè corpora partes quasdam habent solidas, quasdam porosas, in alijs verò partibus, non est vinum, sed humiditas quædam extra circũdans. Ad 2. aqua miscetur cum farina per iuxtà positionem, non per penetrationem. Ad 3. ait, in poris ferri cãdẽtis latere ignem, qui cum lucidus sit, alias partes lucidas reddit. Ad 4. inquit, spiritus vitales diffundi per totum corpus per poros illos, vbi non est caro solida, & idem dici debet de nutritione,

tione, nempè alimentum recipi in poris, qui in corpore animato frequentissimi sunt. Ad 5. auro immisso in vase aquæ pleno, non statim aqua dilabitur, propter siccitatem labiorũ, sed in medio intumescit, at labijs madefactis, statim aqua effunditur. Aqua verò in cineribus immissa, se insinuat in multos meatus, & poros cineris, & resoluitur etiam à cinere in crassos vapores, qui etiam secum trahunt aliquas ipsius cineris partes absq. penetratione.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. posse per absolutam Dei potentiam plura corpora esse in eodem loco per mutuam penetrationem. est communis cum Scoto in 4.d.49. q. 16. Tost. ad caput 17. in Metth. q. 119. Henr. Ricard. Argent. Conimb. Bellarm. Ruu. & Alij; Ad quam autem earum inclinent Doctor Angel. & Doctor Seraphicus, non est apud Doctores adeò manifestum, nã Aliqui putant D. Thom. eamdem cũ Durando tenuisse sententiã, ità suus discipulus Capreol. in 4. d. 44. q. 3. art. 1. concl. 3. citans ipsum Angel. ibidem q. 2. art. 2. ad 3. Ità etiam ex Bonauẽturistis Aliqui opinantur sẽsisse Seraphicum, quoniã in 4. d. 49. part. 2. art. 3. secundi principalis q. 1. ait: *duo corpora esse penetrabilia, si alteri eorum dos subtilitatis tribuatur*. Verùm pro nostra sententia stare D.Tho. contendit M. Iacob. Brun. in Phys. q. 15. art. 4. vbi citat D. Tho. in 4. d. 43. q. 2. art. 2. & ità reuera censetur apud Recentiores Tomistas, vt videre est apud M. Lisbon q. 6. art. 5. Complutenses, & Alios. Quantùm ad mentem Seraph. Doctoris P. Carpened. nő iter in sua Philos. g. p. lib. 6. tract. 6. q. 8. mordicùs defendit Sanct. Doct. esse cũ cõi cõtra Durãdũ, & illum citat in 1. d. 42. art. 2. q. 2. & 3. & affert verba Seraphici, quę clarissima sunt, vt in proprio fonte videri poterunt.

Probatur primò manifestè ex Sacra Script. & nostræ fidei misterijs. Vnde SS. PP. vnanimiter docẽt Christum Dominum illęso Virginis vtero fuisse natum; & Euangelistæ testantur, ianuis clausis esse ad discipulos ingressum; & Paulus ad Hæbreos 4. manifestè ait, in ascensione Cęlos penetrasse, & frustra Durand. mititur hæc scripturæ testimonia declarare, dicendo, Christum per simplicem dilationẽ Vasis virginalis absq. vllius membri fractione egressum esse, vel egredi potuisse, sicut peperissent mulieres in statu innocẽtiæ sine fractione membrorum. Et quòd cęnaculum intrauerit, vel per fenestras apertas, vel citissimè apertas, & statim clausas. Vel quòd huiusmodi egressus, & ingressus fuerint a Christo operati trãseundo de extremo ad extremum, nõ trãseundo per medium, sicut de facto Corpus Christi, quod est in Cęlo, ponitur in Eucharistia, non pertransito medio. Non valet, quia huiusmodi expositiones valde sensum textus extorquent, & PP. omnes declarant in his casibus penetrationem corporũ accidisse, vt videre est apud Amic. tract. 20. q. 7. dub. 1. art. 3. Complut. q. 7. Mas. sec. 2. q. 4. & Alios.

Et quantùm ad responsionem de partu Virginis, meatus dilatatos &c. quæ est etiam responsio Bedę, meritò quærit ab his Bernardinus Mazziotta tom. 1. q. 8. Vnde hęc didicerunt? quam scripturam proferunt? quem

Patrem

Patrem viderunt? oppositum docuit Guerric. Abb. homil. 12. dicens: *Nequaquam Rex gloriæ vincula laxauit, aut dilatauit*. Et Cirillus homil. Contra Nestorium, & Augustin. appellant partum Virginis, admirandum miraculum, peregrinum, imperceptibilem, singularem, non habentem exemplum, ergo non peperit, sicut in statu innocentiæ mulieres peperissent, tunc.n.non fuisset magnum miraculum, & tantò magis, quia mulieres in tali statu, quamuis absq. dolore peperissent, nō tñ corporalē integritatem seruassent, & Hieron. ad Eustachium ait, quòd Virginitas semel amissa, recuperari non potest, sicut nec innocentia per peccatum deperdita, & Ioan. Fornelius lib. de partium corporis humani descriptione, cap. 7. docuit, amissionem Virginalis integritatis non consistere in fractione alicuius membranæ, sed in sola partium coiunctarum dilatatione, ergo admissa etiam solutione, nihil probant.

Ad illud de ianuis apertis, & iterum clausis &c. non est sensus accōmodatus ad Christi intentum, nam ipse ianuis clausis ingressus est, vt discipulos erudiret de gloria sui corporis, & de veritate resurrectionis corporum, ad quod magis accommodatum erat vt se cum ianuis penetraret.

Ad aliud de transitu Christi de extremo ad extremum &c. licèt sit responsio tolerabilior, tñ Auctoritas Pauli relata, hanc expositionem non admittit, qui clarissimè ait, in sua ascensione Cęlos penetrasse. Tum quia hic transitus ab extremo ad extremum non est minus difficilis, quā corporum penetratio, ergo si primū fieri potest miraculosè, etiam & secūdū; & licèt isti ingressus, & egressus Christi Domini, ità fieri potuissent sine corporum penetratione, Scripturæ tñ; & PP. docent euen sse cum corporum penetratione.

Addit tñ Durandus in 4. d. 44. q. 6. nu. 16. & 19. hæc verba: *Non est absolutè, & simpliciter dicendum, quòd duo corpora nullo mnodo possint esse simul virtute Diuina; sed solum vt quantitatiuè extensa, & ad locum: & huic conclusioni sic intellectæ non obuiant dicta scripturæ, nec Auctoritates Sanctorum, & si quis contendat oppositum esse verum; ego salua fide, & veritate melius iudico, alieno intellectui cedere, quàm contensionibus deseruire*. Quæ verba faciunt, vt Durandi opinio rigidis Theologorū censuris non subiaceat, quia loquitur modestè, & salua fide, & veritate. Tum etiam, quia non negat duo corpora posse esse simul, sed vt localiter extensa, quod est dicere: duo corpora posse esse simul, si tamen ambo, vel vnum eorum careat extensione locali; quæ opinio tribuitur Scoto in 4. distinctione quatragesima quęstione sextadecima ad 2. qui putat hoc esse possibile, si vnum corpus careat extensione locali, vt est de Corpore Christi in Eucharistia, nam Corpus Christi, & species sunt in eodem loco, species circumscriptiuè, Corpus verò Christi sine extensione locali, & Seraphicus Doctor ait, id esse possibile, si alteri eorum dos subtilitatis tribuatur, qui tñ à Theologis non censurantur. verùm licèt Scot. & S. Bonau. asserant hoc modo, duo corpora esse posse

posse in eodem loco, adhuc tñ docent posse ambo esse circumscriptiuè, & cum extensione locali, in hoc n. controuersia agitatur, & Scot. est clarissimus loc. cit. §. *Alius est intellectus &c.* lit. B. & §. *Resp. ad Quæst.* quidquid dicat Auersa quæstione 27. sec. 5.

Prob. 2. Conclusio rõne ex Scoto in 4. d. 49. q. 16. explicando modum, quo fieri potest corporum penetratio: Ex quantitate oritur duplex potentia, & aptitudo, prima est aptitudo occupandi locum diuisibiliter, cuius aptitudinis actus, est actualis occupatio loci, & repletio, quæ dicitur actualis extensio in ordine ad locum, & dicitur Vbi circumscriptiuum; Secunda aptitudo, quæ quasi à prima immediatè emanare videtur, est potentia expellendi aliam quantitatem ab eodem spatio, in quo ipsa est, quæ aptitudo dicitur impenetrabilitas, cuius actus est actualis exclusio, seu expulsio alterius quantitatis ab eodem spatio; quare vnum corpus ideò aliud à proprio loco pellit, quia locum illum replet, & occupat; licèt ergo passiones istæ sint à quantitate inseparabiles, vt ei realiter identificatæ, actus tñ harum passionum sunt merè accidentales, estò iuxtà communem naturæ cursum cũ illis necessariò connexi, atq. adeò per absolutam Dei potentiã possunt ab ipsa quantitate separari; potest. n. Deus (ait Doctor) facere causam naturalẽ sine suo effectu cõnaturali, si pẽdeat ab ea in genere causæ efficiẽtis, vel si sit in genere causæ formalis, etiam effectũ impedire si non sit effectus primarius, ex supradictis, ergo potest Deus plura corpora in eodem spatio compenetrare; & hoc quidem duobus modis inquit Scot. iuxtà duplicem effectum actualem quantitatis, per quos naturaliter penetratio corporum impeditur; nam potest Deus impedire non concurrendo ad vtrumque quãtitatis effectum, scil. tam actualem repletionem vnius quantitatis, quàm expulsionẽ, & in tali casu erunt duo corpora in in eodem loco compenetrata. Potest etiã ĩpedire tãtũ effectũ negatiuũ scil. expulsionem, non impediendo positiuum, scil. repletionem, & occupationem, & tunc ambo corpora erunt repletiuè, & occupatiuè in spatio, & in hoc sensu corpora Beatorum de facto dicuntur se penetrare per dotẽ subtilitatis, quæ in sententia Scoti loc. cit. lit. I. non consistit in aliqua Physica qualitate Beatis corporibus inhærente, sed est potestas penetrãdi omnia ex speciali Dei assistentia, impedimenta naturalia auferentis.

Obiectiones.

Ob. Pro Durand. quantitas est ratio repugnantiæ plurium corporum in eodem loco, ergo ipsa permanente in corporibus, nunquàm poterunt in eodem spatio constitui, etiam per absolutam Dei potentiã. probatur consequentia, tum quia impenetratio est passio intrinseca quantitatis, ac proinde ab ea prorsus inseparabilis. Tũ quia expulsio est effectus formalis quantitatis, qui etiam à Deo impediri nequit. ℞. Cum Scot. in 4. cit. lit. C. quòd estò quantitas sit ratio repugnantiæ duorum corporum simul in eodem spatio virtute naturali, quæ non potest facere causam sine suo effectu naturali, non tñ virtute Diuina, ideòq. cõsequentia est falsa. Neq.

hæc repugnantia est formalis (ait Scot.) sed potiùs virtualis, ac proinde potiùs ad genus causæ efficientis reducibilis. negat etiam impenetrationem esse passionem quantitatis, cũ hæc potius sit impenetrabilitas, impenetratio verò sit eius actus secundus à Deo impedibilis. Quantitas igitur est ratio fundamentalis repugnandi, non formalis, nam talis est actualis expulsio, & impenetratio, quæ expulsio, aut non est effectus formalis quantitatis, aut est effectus formalis secundarius à Deo impedibilis. doctrina valde notanda in hac materia, ex qua tota resolutio huius quæstionis pendet, & pluriès inculcata, tum hic in Physica, tum etiam in Logica.

Ob. 2. Si duo corpora esse possunt in eodem loco, ergo pariter, & duę partes eiusdem corporis poterunt seinuicem penetrare, quia sicut naturaliter diuersis corporibus diuersą loca debentur, ità diuersis partibus eius, diuersæ loci partes; at hoc est falsum, maxima .n. paradoxa sequeretur, quòd scil. pars foret æqualis toti, totum in minima parte inclusũ, Cęlum, imò & vniuersum in bursa &c. quæ omnia sunt contra rõnem quantitatis, quæ suapte natura partes postulat extra partes, vt extensionem faciat. Illi qui tenẽt essentiam quantitatis non consistere in habere partem extra partem in ordinem ad locum actu, sed tm̃ aptitudine, seu in principio exigitiuo eius, Resp. concedendo consequentiam, & negando illa esse paradoxa, & absurda per potentiã Dei, quia essentia quantitatis non consistit in extreitate actuali partium in ordine ad locum, sed in tali ordine in actu primo, quare cùm aptitudo possit suo actu à Deo priuari, poterunt partes quantũmuis magnæ molis in pũcto spatij se compenetrare, & ità de facto contingit in mysterio Eucharistiæ de partibus Corporis Christi, cum quo adhùc stat inæqualitas partis cum toto, quia adhuc totum est sua natura exigitiuũ maioris extensionis localis, quàm pars. hæc responsio est communis, & veram continet doctrinam, non tollit tamen totaliter difficultatem tactam in argumento, casu quo vtraq. haberet suam extensionem localem, vt aduertit Auersa.

Meliùs igitur respondendum est cum Bassolio in 4. d. 49. art. 2. ad 10. quem Bellut. & Mastr. sequuntur, negando absolutè consequentiam, estò .n. duo corpora esse possint per Dei potentiam in eodẽ loco circumscriptiuè, non inde sequitur, ergo pariter, & duæ partes, vel plures eorum corporum in eodem spatio existentium; ratio est, quia esse in loco circumscriptiuè, est ità esse in loco, vt totũ corpus toti loci correspondeat, & singulæ partes singulis loci partibus, vnde implicat in terminis, quòd corpora illa sint in loco circumscriptiuè, & quòd partes eiusdem corporis sint inuicem compenetratæ, nam partes eiusdem corporis esse ità cõpenetratas formalissimè infert, corpus, cuius sunt partes, non esse in loco circumscriptiuè; Quare non implicat absolutè penetratio partiũ ad inuicem, si .n. fieri potest in corporibus, etiam & in partibus fieri poterit, vt patet in Eucharistia, sed implicat facta suppositione, quòd corpus, cuius sunt partes sit in loco circum-

cum-

cumſcriptiuè; in caſu autem, quo partes penetrarentur ad inuicem, benè ſaluatur inæqualitas partium reſpectu totius, vt communis reſponſio explicauit.

Ob. 3. Idem effectus non poteſt adæquatè à duabus cauſis totalibus produci, ſeu dependere, ergo neq; idē locus à duobus corporibus adæquatè repleri ℞. Negando paritatem, nam quæ penetrantur licèt ſint plura, ſe habent tñ per modum vnius, & conſequenter poſſunt vni loco coexiſtere, at nullo modo poteſt vnus, & idē effectus à duabus cauſis pendere, propter eſſentialem dependentiam, quā dicit ad vtramq. vt effectus primarius, & eſſentialis.

Ob. 4. Ex hac poſitione ſequeretur, quòd illa duo corpora in eodem loco compenetrata eſſent duo ex hypoteſi, & eſſent vnum, quia ſunt ſimul, quod eſt abſurdum. Probatur ſequela, nam ſicut punctum cum alio puncto ſimul, non facit, niſi punctum, & ſuperficies cum ſuperficie, non facit niſi vnam ſuperficiem, ità aſſerendum videtur de corpore poſito ſimul cum alio. ℞. Concedendo, quòd vnum punctum alteri additū non facit maius, ſed falſum eſt, quòd non ſint duo, quare ſiunt vnum penetratiuè, quia non faciunt maius quantitatiuè, ſed non ſunt vnum entitatiuè; ſic etiam in propoſito, duo corpora fierent vnum penetratiuè, quia non facerent maiorem molem, quā ſi eſſent tñ vnum, tñ duo eſſent entitatiuè; hoc autem non eſt abſurdum, quia non ſunt reſpectu eiuſdem.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An eadem res ſiuè corporea, ſiuè incorporea eſſe ſimul poſſit in pluribus locis.

SCot. de hac celeberrima Controuerſia agit in 4. d. 10. q. 2. & Quol. 10. cum ſuis ſequacibus. Pro cuius intelligentia præmittimus, difficultatem non eſſe de locis inadæquatis intra propriam ſphærā exiſtentibus, quia iam de facto experimur, corpora per ſuam quantitatem plura loca partialia occupare sm̄ diuerſas partes, ex quibus locus adæquatus integratur toti corpori correſpondens, quod etiam aſſeritur de Angelo in ſpatio ſuæ ſpheræ per ſuam quantitatem virtutis in eo continuè diffuſam: ſed difficultas eſt de locis adæquatis, ac etiam inadæquatis extra propriam ſphæram exiſtentibus, & in ordine ad potentiam ſupernaturalem, quia naturaliter omnes vnanimiter negant. Quantùm igitur ad ſubſtantias ſpirituales ſpectat, non eſt dubium apud Auctores, cum .n. eorum eſſendi modus in loco ſit in extenſus, & indiuiſibilis, id per potentiam Dei abſolutam contingere poſſe non inficiantur; ſed ſi aliqua repugnantia eſt replicationis rei in pluribus locis, hoc oritur ex replicatione extenſa, & diuiſibili; Vnde Aduerſarij admittunt ſubſtantiam corporeā poſſe etiam in pluribus locis replicari, ſed non niſi modo in extenſo, & & ſpirituali, ſicut de facto Chriſti Domini Corpus exiſtens in Cælo circumſcriptiuè, replicatur certè in pluribus hoſtijs conſecratis, ſed non præſentia eiuſdem rationis cum ea, quam habet in Cęlo, ſed alterius, inextenſæ, ſcil. & indiuiſibilis; Ità D.

Thom. in 4.d.16.q.1.art.1. & 3.p.q. 75.art.1.ad 3.& q.81.art.1. quem sequuntur Thomistæ, Ægidius quol. 1. q.1. Complut. Masius. Zenard. Durãd. & Alij. Item Henric. & ex Recentioribus Vasq. 3.p.disp.189.& Mazziotta q.5.sec.2.

De mente D. Bonau. est aliquod dubium, nàm communiter ab Alumnis vtriusq. scholæ, citatur pro sententia D. Thomæ etiam ex nostris, imò & à suo fidelissimo commentatore P. Theodoro à Bergamo viro eruditissimo, & in eius doctrina versatissimo, ex his quæ Seraph. Doctor habet in 4.d.10.p.1.art.1.q.3. Verùm Carpened. in Philosophia p.par. lib. 4.tract.4.q.9.S.Doctorẽ trahit in sẽtẽtiã Scoti, ex pluribus locis, præsertim ex 1.sent.d.42.art.1.q.2.& 3. vbi sic Seraphic⁹ loquitur: *Vno modo aliquid impossibile dicimus per limitationem potentiæ alio non per limitationem potentiæ. sed nostræ intelligentiæ, vt duo corpora esse in codẽ loco, & idem in pluribus locis, & maius in minori*, & paulò inferius subdit: *Deus potest facere quod est impossibile à parte limitationis potentię, & intelligentiæ*. Ex quibus verbis, & alijs in diuersis locis relatis Carpenedolus mordicùs defendit sententiam D. Bonauenturæ esse eandem cum illa Scoti, imò quòd Scot. à Seraph. suam sententiam ad literam mutuauerit. Ruu. est problematicus, & vtramq. opinionem probabilem putat.

Opposita igitur sententia est Scoti loc.cit. quòd sic l. sicut substantiæ spirituales possunt in pluribus locis suo connaturali modo à Deo replicari, ità etiam corporeę suo modo connaturali scil. corporeo, & extenso, quę opinio est communior, & receptissima peculiariter à scriptoribus contra Hęreticos, quem præter Scotistas oẽs, sequitur Ocham q.4. cum Cæteris Nominalibus, & torrens totus Recentiorum, Suar.3.p.tom.3.disp. 48.sec.4. Valẽt.q.3. de Euchar.punt. 1. Conimbr.4.Phys.cap.5.q.5. Amic. tract. 20.q.7.dub.2.art.3. Argent.p. p.q.1.art.1. Bellar.tom.3. Controu. de Eucharist.lib.3.cap.3.& 4. Bonetri⁹ nr lib.2.de examine lutheranorũ, & Caluenist. examine 1. Auersf. q. 27.sec.6. Hurt.disp.16. Phys. sec.5. Iugo, Tellez. Arriag. & plures Alij, & ex Antiquis docuerunt Alensis 4. part.q.11.art.1. & Ricard.art.2.q.2. & 2.quol.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, nullam rem, siuè corpoream, siuè incorpoream, posse simul esse naturaliter in pluribus locis adæquatis, aut inadæquatis extrà propriam sphæram sui naturalis loci. Est Scoti in 2.d.2.q.7.& in 4.d.10.q. 2. & sine controuersia conceditur ab omnibus. Probatur: locus adęquatus est, quem replet Angelus, vel corpus iuxta limitationem suæ substantiæ, vel quantitatis, & ad quem replendum Angelus se mouet sm vltimum suæ potentiæ motricis, ergo nõ possunt naturali virtute plura talia loca replere, nam hoc directè tolleret limitationem quantitatis virtutis in Angelo, & molis in corpore, & locus nõn esset adæquatus Angelo, vel corpori, vt supponebatur. Per quod etiam probatur hoc esse impossibile naturaliter de locis inadęquatis extra sphęram loci naturalis existentibus, nam hic agimus de loco

natu-

naturaliter respondente virtutis in Angelo, & molis in corpore, ergo si ponamus locum palmarem V.g. adęquatè respondere substantiæ incorporeæ, vel corporeæ, & hunc ab his esse repletum per pręsentiam palmarem, implicat naturaliter Angelum, & corpus extendi posse ad replendũ simul quãtũlibet exiguũ spatiũ, extra palmũ, alioquin loc⁹ ille palmaris nõ fuisset adæquatus, vt iam supponitur.

Sed ob. contra hanc conclusionẽ, ea ratione qua Scot. vtitur in 4.d.10. q.2. §. *Dico ergo &c.* ad probandum idem corpus esse posse in pluribus locis adæquatis Diuina virtute, quatenùs scil. rem esse in loco, non dicit nisi respectum præsentiæ extrinsecùs aduenientem, sed tales respectus plurificari super idem fundamentum nõ implicat, quià respectus intrinsecùs aduenientes, de quibus minùs videtur, ità plurificantur, vt patet de albedine plures similitudines fundante, ergo non implicat (ait Scot.) rem à Deo in pluribus locis constitui simul & semel. At hoc argumentum retorqueri potest contra Scot. ex Rubion in 4.d.10.q.3. plurificatio respectuũ intrinsecùs aduenientium fit naturaliter, ergo tantò magis fieri potest plurificatio præsentiarũ, cùm sit magis accidentalis. Qua etiam ratione retorta, probat Rubion, plura corpora esse posse naturaliter in eodem loco, quia sicut naturaliter ad vnicũ album sunt diuersæ similitudines, ità respectu eiusdẽ loci poterũt naturalites esse plura Vbi, si ratio Scoti valet. Sampson 4. Phys. q.6. circa finem, ob hanc rationem ait, Scoti argumentum esse dialecticum, & persuasiuum. At Melius Resp. Mastr. & Bell. disp. 11.q.8. quòd rõne allata Doct. vult ũn ostendere non implicantiam plurificationis Vbi, super idem fundamentum, cùm naturaliter contingat in respectibus intrinsecùs aduenientibus, quæ sunt minus accidentales; tñ ex alio capite magnam Doct. cognoscit disparitatem, vt patet in 4. d.49.q. 16 *ad* 2. *princ.* quia natura non potest dare, nec causare mutationem positiuam sine priuatiua, in quibus nata sunt concurrere V.g. nõ potest dare albedinẽ, nisi priuet subiectũ nigredine, at in illis, in q̃b. nõ sunt nata concurrere positiua, & priuatiua mutatio, benè dari potest positiua sine priuatiua. In proposito ait Scot. omnis motus ad diuersa Vbi, est talis quasi ad contraria, vnde absolutè loquendo, non potest natura facere, quòd corpus aliquod accipiat vnum Vbi, & non priuetur alio, quia in talibus natæ sunt concurrere mutationes positiuæ, & priuatiuæ; hoc autem non euenit in acquisitione illorum respectuum intrinsecùs aduenientium similitudinis, æqualitatis, paternitatis &c. quia vt vnum album fiat simile alteri albo, non oportet, vt desinat esse simile alteri, sic de patre respectu alterius filij &c.

Ob. 2. Pluralitas locorum adæquatorum non excedit capacitatem rei, aliàs neq. Deus posset illam ponere in pluribus locis, ergo neq. excedit virtutem actiuam naturalem, quia naturalis capacitas passiua, naturali actiuæ commensuratur, quod saltem de Angelo negari non potest, cùm adęquatio eius cum loco non sit per commensurationem, qualis est adæquatio corporis. ℞. Antecedens esse verum de capacitate passiua obedien-

tiali,

tiali, quomodò respicit agens supernaturale, falsum de capacitate naturali correspondête actiuitati agentis naturalis; & hoc etiam de Angelo asserendum erit, quia licèt non commensuretur loco Mathematicè, commensuratur tñ Methaphysicè, & entitatiuè, per limitationem entitatis suæ.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. possibile esse per Dei potentiam, non solùm eumdem Angelum, sed etiam idem corpus in pluribus locis adæquatis reperiri incircumscriptiuè, seu definitiuè. Est Scoti, & defenditur ab omnibus Catholicis citra Controuersiam; ità.n. fides docet de corpore Christi in pluribus hostijs consecratis incircumscriptiuè replicato. Probatur, nam plurificatio respectuum præsertim extrinsecùs aduenientium, quales sunt illæ præsentiæ super idem fundamentum, non implicat absolutè, vt Scot. docet in 4. cit. d. 10. q. 2. §. *Dico ergo &c.* Tû quia estò natura causare nequeat mutationem positiuam sine priuatiua in quibus natæ sunt concurrere, & consequenter neq. etiam hanc præsentiam causare in eo, nisi alia priuet, id tñ negari Diuinæ omnipotentiæ non debet, quæ sicut duo contraria componere potest in eodê subiecto, ità à fortiori duas præsentias, quæ propriè non sunt contraria, ex Doct. in 4. d. 49. q. 16. ad 2. principale.

Quòd autem Corpus à Deo expoliari possit suo connaturali modo essendi in loco, & ibi poni indiuisibiliter ad modum spiritus, probat Scotus in 4. d. 10. q. 1. M. & d. 49. q. 16. C. vbi benè ostendit, posse Deum impedire effectum naturalem corporis replendi locum, & consequenter ipsum priuare positione de genere situs, quæ est illa materialis commésuratio totius corporis ad totum locum, & partium eius ad partes istius; ex hoc autem, quòd corpus non est in loco diuisibiliter, consequenter Dei virtute manet in ipso indiuisibiliter ad modum spiritus.

Obiectiones.

Ob. 1. Limitatio rei creatæ ad locum prouenit ex limitatione entitatis ipsius, ergo sicut non potest à Deo fieri illimitata quò ad esse, ità nec etiam quò ad locum. ℞. Cum Scoto in 2. d. 2. q. 7. ad 2. lit. C. & in 4 d. 10. q. 2. negando consequentiam, nam finitas in entitate est modus intrinsecus creaturæ realiter identificatus, non ità actualis limitatio, & determinatio ad vnum locum, sed hæc est actus aptitudinis illius, quam res creatæ habent ex vi potentiæ naturalis essendi in vno loco tantùm, qui potest à Deo impediri, sicut & actus cuiuscumque alterius aptitudinis. Et licèt res creata diceretur tunc illimitata in ordine ad locum, non tñ est illimitata quo ad esse, aut immensa, quia hanc illimitationem non haberet ex principijs intrinsecis, sed ex potentia agentis infiniti, ad quod est in potentia obedientiali; sicut à pari ex eo, quòd res aliqua fuisset ab æterno creata, non per hoc æternitatem Dei participaret, quia talis illimitatio in duratione non sibi conueniret ab intrinseco, & necessariò, sed tñ ab extrinseco, & contingenter. Neq. inconueniens est, quòd res creata in ordine ad locum habeat limitationem ex vi potêtiæ naturalis, & nô habeat ex vi obedientialis, nã passim in alijs rebus

rebus experimur, subiectū.n. non est capax cōtrariorū ex vi potētię naturalis passiuę, benè tñ est capax ex vi obedientialis, q̄ potētia obedientialis in creatis ad id, quod excedit naturalem earum facultatem non infert infinitatem in rebus, sed tm̄ in potentia agentis supernaturalis, à quo eleuantur; & hoc, Tum quia haec est potētia passiua, q̄ à toto genere nullā dicit pfectionē ex Doct. Tū qa quādo et à in creatis esset actiua, nō est sufficiens, & completa, sed inchoata tm̄, & insufficiēs, vt sæpius dictum est.

Ob. 2. Rem esse in loco definitiuè est esse ità hic, quòd non alibi, ergo implicat in terminis posse rem poni in pluribus locis definitiuè. ℟. Negando consequentiam in ordine ad potentiam supernaturalem, nam hic est modus naturalis rerum essendi in loco, quem sibi vendicant naturaliter, & eo expoliātur statim ac ponūtur in pluribus locis virtute Diuina.

Ob. 3. Non potest eadem res simul esse in diuersis temporibus, ergo nec simul in pluribus locis. ℟. Negando paritatem, nam quòd res simul esse nequeat in diuersis temporibus, oritur ex parte temporis, quod est in continuo fluxu, ideò nunquam duo tempora possunt simul esse, at loca non fluunt, sed manent.

Ob. 4. Ex absurdis, ex hac sentētia sequeretur, quòd terminus motus à quo, & ad quem essent simul compossibiles, quod est absurdum, & contra rōnem, & Philos. 5. Phys. patet sequela, quia duo Vbi esse possunt termini motus. ℟. Scot. in 4. d. 10. q. 2. O. absurdum esse, & impossibile, quòd termini motus sint simul, loquendo de terminis primis, quales sunt forma, & priuatio, non autem de secundarijs, & concomitantibus, qui scil. coniunguntur terminis prædictis, & ambo sunt positiui, isti n. sunt compossibiles, quod patet in augmento, vbi quantitas præcedens manet; in proposito Vbi, & Vbi sūt termini concomitantes, non termini motus per se primi.

Ob. 5. Sequeretur, quòd idem posset esse à seipso diuisum, nam Messanæ existēs, esset diuisum à seipso existente Panormi. ℟. Concedendo in casu posito idem esse à seipso diuisū, sed tm̄ secundum locum, non sm̄ essentiam, quia res in pluribus illis locis replicata non diuideretur in plura seipsa, sed semper eadem res esset, diuersas fundans præsentias.

Ob. 6. Idem esset distans, & indistans respectu eiusdem loci, nam quatenùs Messanæ distat ab Vrbe Panormi, sed quatenùs Panormi replicatus non distat. ℟. Ex Scot. ad 2. princ. O. non esse inconueniens idem per Vbi, quo Messanæ constituitur, distare ab Vbi Panormi, & ab eadem non distare per vbi Panormitanum, quia hoc eueniret respectu diuersarum præsentiarum, quibus saluaretur contradictio.

Ob. 7. Quòd hoc repugnet potentiæ actiuæ rei creatæ, nam ex hoc sequeretur posse in ōnibus locis agere, si in omnibus passum reperiat, & ità scintilla ignis totum poterit comburere mundum, & parua candela totum mundum illuminare, & Angelū replicatum vbiq. posse omnia corpora mouere. ℟. Ex Doct. in 4. d. 10. q. 2. lit. I. negando sequelam, nām sicut se haberet res in vno loco existens in ratione actiui ad diuersas res ib-

dem

dem sibi approximatas, sic se habebit existens in pluribus locis, quia per replicationem præsentiarum non augetur virtus actiua eius, nec extẽsiuè, nec intensiuè; vnde sicut ignis in vno loco existens non combureret omnia combustibilia, si essent sibi sufficienter approximata, sed ageret in aliquod illorum, præcisè à Deo determinandum, vel si in quamlibet ageret, valde remissè ageret, ità dicendum erit de eodem igne in pluribus locis replicato, vt Scot. ait loc. cit. Q. Neque hoc mirum est, virtus .n. naturalis minor est in plura, quã in pauciora. Sic etiam dicendum erit de Angelo, quia si hic mouendo corpus totam suam exerat virtutem, alibi nullũ corpus mouebit, q si totã nõ exerit, poterit, & alibi mouere, sed semper debiliùs, quò plura moueret. Ad illud de actione illuminatiua cãdelæ in qua non interuenit resistentia passi, virtutẽ agẽtis redundãs, videtur posse cõcedi, ꝙ õnia loca illuminaret, in quibus replicaretur, q a talis illuminatio fieret per productionem luminis, quæ in sententia nostra est species lucis, ac propterea non videtur negandum, quòd vbicumque corpus replicetur, possit species intentionales sui in medio multiplicare.

Ob. 8. Hoc repugnare videtur motui locali, qui nullo modo fieri potest ab extremo ad extremum, non transeundo per mediũ, at si res posset simul esse in pluribus locis, id fieri posset per immediatam productionem secundi Vbi, quo constituitur in secundo loco. R. Ad assumptum cum distinctione, licèt .n. fieri non possit transitus de extremo ad extremum sine transitu per medium, loquendo de motu successiuo includẽdo totam realitatem motus, scil. terminum à quo, & terminum ad quem, potest tñ fieri loquendo de motu successiuo includente solam realitatem termini motus, qui propriè mutatio localis dicitur, vnde in casu proposito fieret mutatio localis acquisitiua, sine deperditiua, & hoc modo de facto Corpus Christi fit p̄sens, in Eucharistia, neq. de Cęlo descẽdens, nec per mediũ transiens, ità Bell. & Mastr. loc. cit. *Conclusio Tertia.*

Dicimus 3. non implicare idem corpus à Deo poni in pluribus locis adæquatis, etiam modo circumscriptiuo. Est Scot. loc. cit. contra Thomistas relatos, qui estò concedant idem corpus esse posse in pluribus locis adæquatis, in vno circumscriptiuè, in alijs definitiuè, ad saluandũ tm̃ Eucharistiæ Sacramentum negãt tñ esse posse in omnibus circũscriptiuè; Aduertimus tñ, quòd esse in loco circumscriptiuè, non eodem modo à nobis accipitur, ac ab Aduersarijs; nam Isti dicunt, quòd esse in loco circumscriptiuè, est ità corpus circumscribi hoc loco, vt non sit alibi, & consequenter manifestè deducitur idem corpus esse non posse in duplici loco circumscriptiuè, & ità cessaret punctus controuersiæ, Nos verò per esse in loco circumscriptiuè, intelligimus, quòd corpus ità sit in loco, vt totum corpus toti spatio, & pars corporis parti spatij corsespondeat, sicut è contrà, esse in loco definitiuè est ità esse, vt res sit tota in toto loco, & totum in qualibet parte loci, in quo etiam sensu Aduersarij nobiscum luctant.

Probatur primò ex pluribus apparitio-

paritionibus Christi factis D.D. Petro, & Paulo, in quibus casibus non videtur ꝓbabile, nec satis scripturæ consonum, Christum Cęlum tunc deseruisse, licèt Complut. id admittant cum D. Thoma 3. p. q. 57. art. 6. nam ex Sacra Scriptura habemus Christum Dominum non relicturum Cęlum corporaliter, nisi die Iudicij, vt clarè habetur 3. Acto. *quem oportet Cęlum suscipere vsq. in tempora restitutionis omnium*. Quod Aug. cõfirmat relatus de consecrat. dist. 2. c. 1. hæres. vbi ait: *donec finiatur sęculum, sursum est Dominus*. Nec satisfaciunt Complutenses asserentes, inconueniens non esse in illis casibus per breuem morulam Christum reliquisse Cęlum, & Scripturas, & PP. solùm intendere Christum ante iudicium nõ recessurum à Cęlo per spatium temporis notabile. non valet, quia neq. in die Iudicij Cęlum relinquet per longum tempus, sed per breuem morulam, in qua Iudicium perficietur, ergo eorum explicatio non est ad sensum scrip. & PP. Neque etiam benè Alij explicant huiusmodi apparitiones fuisse imaginarias, nam præfatæ apparitiones Christi enumerantur à D. Paulo 1. ad Corint. 5. inter eas, quæ confirmant veritatem resurrectionis Christi, ergo non fuit imaginaria, sed realis, & vera, aliter testimoniũ Pauli inane, & inutile de Christi resurrectione fuisset. Sunt Aliqui, quòd D. Paulus in illo itinere Damasci vidit Iesum in Cęlo manentem, sicut vidit eum Stephanus miraculosè aperientem Cęlũ &c. hoc potuit Deus efficere, sed sine dubio plura miracula hic necessaria fuissent, tum ex parte naturæ Cęlorum, tum ex parte visionis ob tantã distantiam, quàm ponendo multiplicationem respectuum præsentiarum in pluribus locis &c.

Probat Scot. conclusionem rõne: Potest Christi Corpus pluribus in locis constitui modo inextenso, & indiuisibili eius naturæ repugnanti naturaliter, ergo tantò magis poterit constitui in pluribus locis modo extenso, qui est ei connaturalis, hoc .n. est minus miraculum, nam hic vnũ tantùm miraculum interuenit, quatenus explicatur modo naturali definitiuo, quo ex vi potentiæ naturalis, ità ad vnum locũ limitatur, vt simul in alio esse nequeat; at ibi ne dũ hoc modo connaturali definitiuo expoliatur, sed etiam circumscriptiuo; & certè difficiliùs est explicare, quomodò corpus diuisibile, & extensum esse possit in pluribus locis modo spirituali, & in extenso, vt in conclusione præcedẽti determinauimus, quàm quòd possit esse in pluribus locis modo diuisibili, & extenso.

Resp. Complut. negando paritatẽ, nam quòd corpus sit in duobus locis, in vno per proprias dimensiones, & in alio sacramentaliter ex vi conuersionis alterius in ipsum, vt est de Corpore Christi, quod est in Cęlo ratione propriæ dimensionis, & in Sacramento ex vi conuersionis substantiæ panis in ipsum, nulla est implicantia, implicat tñ, quòd quantitas quæ est ratio occupandi vnum locum, sit simul ratio occupandi aliũ.

Sed Contra, vt benè arguit Scot. loc. cit. lit. E. conuersio alterius in istud, non est isti formaliter ratio essendi hic, ergo sine aliqua contradictione potest alicui conferre esse hic,

hic, absq. conuersione aliqua alterius in ipsum, probatur antecedens, quia potuit Sacramentũ Eucharistiæ institui absq. eo, quòd desineret substantia panis, vt Scot. eruditè probat in 4.d.11.q.3.falsum est etiam, quòd quantitas sit ratio essendi in vno loco tãũ, nam ex se indifferens est ad occupandum hunc, vel illum locum.& sicut naturaliter fundare potest plures præsentias successiuè ad diuersa loca, ità supernaturaliter potest illas fundare simul, nec ad multiplicationem posterioris, vt est relatio, necessariò sequitur multiplicatio prioris, vt sæpè dictum est.

Resp. Masius, quòd species derelicta post conuersionem est corpori Christi ratio existendi in hostia, vnde in Cęlo est circumscriptiuè per proprias dimensiones, in Sacramento autem per alienas scil. per dimensiones hostiæ consecratæ, in quo nulla implicantia consideratur, sic etiam respondet Bonherba ex Ægidio. At Contra vrget Doct. ibidem & quol. 10. I. species illa, seu dimensio hostiæ non est formaliter in corpore Christi, ergo non est ratio corpori Christi essendi formaliter in loco, sed Corpᵘ Christi est ibi formaliter præsens, ergo per aliquid aliud, quàm per conuersionem, vel speciem conuersi. Tùm quia, vt benè arguũt Bell. & Mastr. si dimensio hostiæ esset ratio formalis corpori Christi essendi in Sacramẽto, tũc Christᵘ esset in Sacramẽto dimensiuè, & modo extẽso, dimensio.n. non potest esse ratio essendi in loco indiuisibiliter, & inextensè; vndè licèt necessarium sit, corpus existens in pluribus locis existere in illis per diuersas præsentias, falsum tamen est existere debere per diuersas dimensiones, cùm vna, eademq. dimensio plures præsentias fundare possit.

Aliter respõdẽt Cõpluten. scil. ꝙ pręsentia quantitatiua conuenit corpori Christi in Cęlo ratione proprię quantitatis, præsentia verò sacramẽtalis conuenit illi rõne suæ propriæ substantiæ, non qualitercũq. sed quatenus substantia panis conuersa est in substantiam Corporis Christi; Vnde conuersio est ratio causalis, substantia verò ratio formalis, cur sit præsens in hostia. Non valet, nam substantia corporis Christi in hostia, nõ est sine quantitate, estò .n. ibi non sit quantitas ex vi conuersionis, adest tñ ratione concomitantiæ cum corpore, ergo si substãtia corporis Christi quanta potest recipere Vbi inextensum, & indiuisibile, præter Vbi extensum, quod habet in Cęlo, tantò magis recipere potuisset aliud Vbi extensum, & diuisibile, quia hic est proprius modus illi connaturalis, nõ ille. Hinc benè aiunt Bossol. & Rubion, nullam reuera afferri posse ab Aduersarijs instantiam contra replicationem circumscriptiuam corporis pluribus in locis, quæ æquè benè non militet cõtra definitiuã, & Sacramẽtalẽ pñtiam corporis Christi, vnde factum est, vt Scoti Sententia sit modò ferè communis, & omnibus plausibilis.

Probatur 2. Conclusio cum Suar. & Lugo, potest corpus quantum priuari à Deo omni extensione locali, vel vbicatione circumscriptiua, ex D. Thom. d.44.q.2.art.2. q. 3. ad 3. ergo poterit etiam corpus quantum habere simul duas extensiones locales,

les, vel vbicationes circumscriptiuas. probatur consequentia, magis repugnat corpori quanto priuari omni extensione locali, quàm habere duas, sicut à pari magis repugnat igni carere omni calore, quàm habere duplicatum calorem; illud .n. esset carere passione, quam postulat, hoc autè solùm est accipere, quod non postulat, ergo si Deus potest facere primũ, poterit, & secundum.

Obiectiones.

Ob. 1. Complut. de ratione loci circumscriptiui est, vt intra se comprehendat locatum, atq. adeò, quòd sit adæquatus respectu illius, ergo implicat locatum comprehendi ab illo loco, & simul esse extra illum. Nec respondere valet, hanc circumscriptiuam comprehensionem importare solùm, quod totum locatum sit intra terminos loci, totum scil. in toto, & pars in parte, quod vtiq. reperitur etiam si ab vtroque loco ambiretur. Non valet, quia non vt cumq. continetur locatum à loco, sed tamquàm à termino intra quem est, sed id quod continetur in aliquo tamquàm intra terminum, implicat quòd sit extra illud, ergo &c. maior patet ex 4. Phys. 41. vbi locus dicitur termin⁹ extrinsecus, & extremitas locati, minor patet ex 5. Meth. cap. de estremo, vbi definitur ab Arist. esse id, extra quod nihil rei possumus vsurpare, & hoc est Achille Thomist. quod habent ex D. Thom. quol. 1. art. 2. vbi post ꝙ explicauit, quomodò possint duo corpora penetrari in vno loco, non verò vnum corpus replicari posse in duobus locis, ait: *Vnum corpus esse localiter in duobus locis implicat contradictionem, quia de ratione loci est, quòd sit terminus locati, terminus autem est, extra quem nihil est rei, vnde si ponatur esse in duobus locis, sequitur, quòd sit extra locum, & ità quòd sit locatum, & non locatum.* Præuidens autē S. Doctor instantiā, quæ fieri posset de corpore Christi, quod simul cum sua quantitate est in Cęlo, & extra Cęlum in Eucharistia, ait non obstare, quia Corpus Christi in Sacramento non existit sicut corpus in loco scil. extensè localiter, sed sicut in Sacramento, nempe per conuersionem sine extensione in ordine ad locum; vndè non propriè, sed per quandam similitudinem dicitur existere in pluribus locis, addunt Thomistæ.

Resp. quòd si hæc esset implicantia, militaret etiam contra præsentiam Sacramentalem Corporis Christi, nam etiam Christi Corpus est circumscriptiuè in Cęlo, ergo nullo prorsus modo alibi esse poterit, quia tunc extra illum locum aliquo modo foret, & ità esset locatum, & non locatum; & parum refert, quòd sit extra illum modo diuisibili, vel indiuisibili dummodò extra illum locũ sit. Facit etiam contra replicationem definitiuā Angeli in præcedenti cōclusione; nam etiam superficies infra quā continetur Angelus, est terminus, & extremitas substantiæ Angeli contentæ, non minùs, quā corporis. Sed vrgent Complut. .n. 85. non concludere contra Sacramentalem, quia locus circũscriptiuus exhaurit virtutem locabilem, quam habet corpus rōne quantitatis, cùm sit terminus eius sm̃ hanc rōnem consideratę, non verò virtutem quam habet ad essendum in pluribus locis ra-

 tione

tione conuersionis alterius substantiæ in ipsum.

Sed Contra, Corpus Christi in Cælo est circumscriptiuè rõne quantitatis, quam habet, ergo exhaurita fuit eius virtus locabilis, & ità terminata, vt alibi reperiri non possit, quod est contra Mysterium Eucharistiæ. Tum etiam quia adhùc sub illis speciebus Corpus Christi est quantũ, ergo &c. hinc rectè diximus, quòd conuersio panis in Corpus Christi, non est ratio formalis, cur Corpus Christi sit in Eucharistia, sed ad sũmũ causalis, at præsentia sacramentalis conuenit illi rõne suæ propriæ substantiæ, vt ipsi DD. fatentur nu. 80. ergo cùm illa eadem substantia intra locum circumscriptiuum contineatur in Cælo, & rõne quantitatis, vllo modo potest extra illum constitui. Cum igitur dicunt, locum circumscriptiuum exhaurire virtutem locabilem corporis, vel hoc intelligunt absolutè, vel de virtute locabili modo tm̃ circumscriptiuo; si primo modo, ergo locus erit ità terminus rei locatæ, vt nullo prorsus modo possit alibi existere; si secundo modo, vt intelligere videntur, est manifesta petitio principij, nam hoc est, quod controuertitur, an scil. locus circumscriptiuus sit ità terminus rei locatę, vt extra illum esse nequeat.

℞. Modò ad Argumentum, quòd de rõne comprehensionis localis est, vt contineatur totum, quod comprehenditur intra ambitum loci, ità vt nihil sit illius, quòd sub comprehensione non contineatur, non tñ impedit, quin idem totum possit etiam simul ab alio comprehendi, vt patet ex obiecto scientiæ, quod comprehensum per vnam cognitionem, potest etiam per alterius cognitionem cõprehendi. Et ad instantiam, quòd locus est terminus rei locatæ, & de rõne termini est non solùm, ꝙ comprehendat rem terminatam, sed etiã quòd nihil eius sit extra illam, dicimus hoc intelligendum esse sm̃ eã præsentiam, quæ ipsum respicit, vndè si corpus est Romæ, locus ità terminat corpus per præsentiam, & Vbi Romanum, vt ex vi illius nequeat esse alibi, hoc tñ non impedit quin alibi esse possit per aliam numero præsentiam etiam eiusdem rõnis, nempè circumscriptiuã. Nec Arist. cognouit absolutam Dei potentiam, ideò eius auctoritas si militat contra nos, etiã contra ipsos militabit, qui etiã concedunt idem corpus in pluribus locis reperiri, vno modo circumscriptiuè, altero incircumscriptiuè; quare absolutè dicendum erit, quòd locus dicitur terminus rei locatæ, quatenùs debet rem locatam intra se claudere, non verò quòd non possit eadem res simul alio loco contineri.

Ob. 2. Si vnum corpus per proprias dimensiones posset esse in duplici loco circumscriptiuè, ergo eadem rõne posset esse in omnibus, & ità Vbiq. & immensum, quod implicat. Nec respondere valet, corpus illud nõ fore immensum, quia id non haberet ex vi suæ essentiæ, & independenter ab alio, & per vnicam præsentiam, quæ ad immensitatem omnia requiruntur; Nam contrà vrgent Complut. ex eo, quòd aliqua creatura posset tãquàm causa principalis, licèt per participationem à Deo, producere aliquid ex nihilo, vel

vel effectus sm̃ essentiam perfectiores, & perfectiores vsq. in infinitum, optimè colligitur, illam esse, & non esse creaturam; habere, & non habere omnipotentiam, ità in casu si corpus esset vbiq. rectè inferrem⁹, esse, & non esse immensum. ℞. Quòd hęc implicantia militaret etiam contra replicationem Corporis Christi, & contra replicationem definitiuā Angeli, vt benè arguunt Mastr. & Bell. loc.cit.nu.131. & viris doctis patere potest. Nos verò, qui breuitati studemus, negamus cōsequentiā, cū relatis Doctoribus, & M. Iacob. Brun. in Phys. q. 15. art. 5. fol. mihi 428. vbi ait, quòd hæc ratio non inuenitur in in D.Thom. nec omnino eius consonat doctrinæ, nam dato, quòd corpus esset vbiq. non esset immensum, quia esset vbiq. non primò, & per se per infinitatem essentiæ, vel virtutis sicut Deus, sed per repetitionem præsentiæ finitæ ex D.Tho.p.p. q.8.art.4. ad 4. Vndè sicut per ipsos Complut. disp.29 ex eo quòd corpus creatur ab æterno, non tñ participat æternitatem Dei, quia & si repleret totum spatiū durationis imaginariæ, non tñ id ei conueniret ex principijs intrinsecis, sed merè per accidens, & contingenter; ità in proposito, licèt corpus repleret infinitum spatium loci, eadem rõne non posset immensum dici, nec infinitas in ipso inferri, sed tm̃ quædam indifferentia, & indeterminatio ad illa Vbi ex vi potentiæ obedientialis. Ad impugnationem, negatur paritas de potentia creatiua, & repletiua loci, nam potentia creatiua est virtus actiua, & ideò si sufficeret ad producendos effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum, argueretur in ea infinitas; at potentia repletiua loci in corpore, est potentia merè passiua ad plura, & plura Vbi recipienda, quæ nullam dicit perfectionem, vt Lych. aduertit in 3.d.1.q.2. ac proinde si per eamdem quantitatē esset corpus in pluribus locis, non idcircò deberemus in ipsa infinitatē arguere, sed tm̃ indeterminationem, & indifferentiam ad vnum, vel plura Vbi.

Ob.3. Esse diuisum à se, & indiuisum in se opponuntur, vt potè vnum numero, & non vnum, sed illud corpus quantum positum in pluribus locis circumscriptiuè, esset indiuisum in se, quia ponitur esse vnum vnica quantitate quantum, vt supponitur, & diuisum à se, quia esset extensum situaliter in locis adæquatis inter se distantibus, diuisis, & discontinuis, ergo corpus vnica quantitate quantū nequit miraculosè poni in duobus locis circumscriptiuè. hinc D. Thom. in 4. d. 14. q.2. art.2. quæstiunc. 3. ad 4. ait: *indiuiduo ratione indiuisionis, quam dicit, repugnare esse in pluribus locis.* Nec respondere valet, quòd corpus diuideretur à se localiter, non autem entitatiuè, nam instant Thomistæ, quia non potest effectus formalis multiplicari, estò sit secundarius, quin multiplicetur forma, quia posterius à priori dependet, sed extensio, & prēsētia quātitatiua est effectus formalis quantitatis secundarius, ergo non potest multiplicari talis extensio, manente quantitate immultiplicato corpore, ergo multiplicatio locorum circumscribentium arguit diuisionem in re locata, non tm̃ localem,

lem, sed etiam entitatiuam. ℟. Retorquendo argumentum, nam hęc implicantia impugnaret etiam replicationem Sacramentalem Corporis Christi, & definitiuam Angeli; & si ex vnitate, & multiplicate loci deduci valeret vnitas, & diuersitas corporis, neque duo corpora esse possent in eodem loco. Imò non solùm pluralitas locorum non obest vnitati entitatiuæ corporis, sed nec etiam pluralitas quantitatum, quæ est magis intrinseca, cùm possit Deus facere, quòd duæ quantitates idem corpus informent; & frustra laborant Complut. asserentes, non valere hanc implicantiam cōtra replicationē Sacramentalē, eo quia ibi Christus non est cum proprias dimensiones; non valet, quia adhùc ipsa substantia Christi est res locata Sacramentaliter in pluribus locis. Vndè si hoc contingere potest de substantia absq. diuisione entitatiua à seipsa, hoc idem contingere poterit de ipsa quantitate, quòd scil. esse possit in pluribus locis, vel per plurificationem præsentiarum in ea, vel per cōuersionem alterius quantitatis in ipsam; & certè rationem assignare non possunt, cur possit eadem substantia in pluribus locis replicari, nō autem quantitas sine distintione entitatiua à seipsa.

Resp. Modò in forma, negādo cōsequentiam, nam ex distinctione, & diuisione locali, qualiscumq. illa sit inferri non potest diuisio rei entitatiua, eadem .n. res esse potest in pluribus locis per eamdem rationem fundamentalem, licèt non per formalem præsentiam; & ad probationem, negatur maior cum sua probatione, immò quia posterius depēdet à priori, & non è contra, stat cum vnitate prioris multiplicatio posterioris, sicut de facto experimur extensiones, & præsentias quantitatiuas multiplicari successiuè in eadē numero quantitate, cuius ratio est, quia hæc, & illa extensio est effectus secundarius quātitatis inadæquatus; & quòd hæc implicantia impugnet etiam replicationem sacramentalem, inde patet, quia estò corpus Christi sit ibi modo indiuisibili, adhùc tñ est ibi verè cum tota sua quantitate, quā habet in Cęlo, & verè dici poterit quantitas corporis Christi in hostia diuisa, & discontinua à seipsa in Cęlo, quia interponitur corpus mediū, vt sunt Cęli, & duo elementa; sicut etiam mediant plures partes mundi inter hoc Sacramentum hic Messanę, Romæ, Hispanijs, Indijs &c. Sed cōtra instat Magister Iacob. Brun. loc. cit. pluralitas figurarum consequitur ad quantitatem, sed non potest per potentiam Dei eadem quantitas esse simul recta, & curua, ergo estò pluralitas locorum consequatur ad corpus, & non opponatur immediatè vnitati corporis, non sequitur plura loca simul esse in eodem.

Resp. Negando paritatem, nam rectitudo, & curuitas, vel sunt differentiæ ipsi' quātitatis, vel saltē modi intrinseci, seu proprietates ipsius, ideòque necessariò inter se incompossibiles, non sic autem varia loca, vt doctis patere potest. Et nota, q hæc ratio præsertim vrget contra Thomistas, qui tenent figuram esse modum solius quantitatis, quod nos negamus in Logica disp. 12. de qualit. art. 1.

Ob.4.

Ob. 4. Impossibile est, multiplicari occupationem loci, non multiplicata rõne occupandi locum, sed hęc non multiplicatur, cum eadem quantitas supponatur, ergo &c. ℞. Maiorem esse veram de rõne formali occupandi locum, quæ est Vbi circumscriptiuum, & præsentialitas, non de fundamentali, quæ est quantitas, quæ vna, & eadem numero manens, potest esse ratio occupãdi loca diuersa, fundando diuersas p̃sẽtias successiuè naturaliter, simul supnaturaliter.

Ob. 5. Si per eãdem quantitatem potest corpus simul esse in pluribus locis, idem esset æquale maiori, & minori, & consequenter æquale, & inęquale sibi, quod implicat, sequela patet, quia locatum est æquale loco, ergo existens in duobus locis, erit æquale vtriq. simul, qui est duplo maior quouis seorsim, & itá maius seipso. ℞. Quòd hæc implicantia retorqueri poterit contra penetrationem duorum corporum in eodem loco, quia sicut locatum est æquale loco, itá locus locato, negatur igitur sequela, nã corpus V. g. palmare non æquatur loco bipalmari semel sũptũ, sed bis replicatũ, in quo sẽsu palmus adęquat vlnã otto palmorũ replicatus vt octo, in quo nullũ est absurdũ.

Ob. 6. Quòd ex nostra sententia, multa sequerentur paradoxa, & mirabilia, nam sequeretur, quòd idem homo posset magnum exercitum cõficere, & secum choræas ducere, & sibi ipsi occurrere, quo casu difficile est diuinari an seipsum expelleret, vel potius seipsum penetraret.

2. Quòd posset virtute propria de illis locis discedere, & itá plures p̃sentias simul acquirere posset virtute propria, quod est impossibile, quia pluralitas præsentiarum simul, vires naturales excedit, quam rõnem valde exagerat Vasq.

3. Quòd posset eadem gutta aquæ toties replicari, & vniuersam terram inundare, atq. itá totus orbis in vnica gutta summergeretur, & super illam solam nauale bellum committi posset. Hæc & similia paradoxa sequerentur, quæ intellectus humanus capere non potest.

Resp. cum Scot. hæc omnia, & similia, puerilia esse, & imaginationi sensus innitentia, qui intelligere assetus est, Vnicum corpus, vnicũ tantum locum sibi vendicare; at si rõnem attendamus, facile erit hæc omnia intelligere, ad quod maximè conducit ratio Scoti supra relata, quòd scil. per replicationem præsentiarum non augetur virtus actiua rei locatæ, nec intensiuè, nec extensiuè. Hinc ad primum dicimus, quòd si homo toties replicaretur, vt integrum conficeret exercitũ, non inde acquireret maiorem virtutem, sed solùm maiorem locum.

Ad 2. Resp. Hurt. disp. 16. sec. 5. §. 47. Arriag disp. 14. nu. 129. & Fuentes 4. Phis. diff. 5. art. 3. negantes corpus replicatum in pluribus locis moueri amplius posse virtute propria, sed moueri debere nouo influxu virtutis Diuinæ. potest tñ concedi cum Scoto, quẽ sequuntur Auersa, Ioan. de lugo disp. 5. de Sacram. Euch. num. 30. & Mastr. & Bell. loc. cit. quòd supposita priori replicatione illius à Deo facta in pluribus locis, potest virtute propria adhùc ab vno loco in alium moueri, hoc. n. non videtur denegandum eius virtuti naturali, sup-

supposito priori miraculo, eo modo, quo cęcus nequit vtiq. naturaliter visionem attingere, at si à Deo visum recipiat, potest supposito illo miraculo, eam naturaliter sine nouo miraculo attingere.

Ad 3. Concedimus cum Doctore, & Scotistis communiter, quòd gutta aquę posset omnia animalia sumbergere, nam hoc fieri potest sine augmento actiuitatis aquæ, replendo solum guttur animalis, ità vt aer attrahere non possit, quod solùm sufficit ad animalis sumbersionem ex Scot. loc. cit. nō tñ ità facilè admitti debet super eam replicatam fieri posse nauale bellum, nam aquam sustentare nauim, videtur in ipsa arguere virtutem quamdam actiuam, qua etiam rōne concedendum est totam hanc colluuiem ex vna sola gutta aquæ coalescentē, ac totum mundum inundare posse, & sine vllo labore fieri, cùm ampliatio loci non augeat potentiam; sic etiam si lapis sępius replicaretur, & ex ipso solo sibi immediatè pluries collocato turris fabricaretur, eadem facilitate turris illa portaretur, ac si esset vnicus lapis eadem rōne. ità Bell. & Mastr.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Qua actione res eadē poneretur in pluribus locis, & num in omnibus easdē formas, & affectiones haberet.

SCot. vtrumq. dubium resoluit in 4. d. 10. q. 2. quantùm ad primum igitur dubitatur, an si corpus, vel Angelus poneretur à Deo in pluribus locis, id fieret per simplicem adductionem, producendo plura vbi in eadem re, & eamdem accidentaliter replicando in pluribus locis; an potiùs per replicationem substantialē eiusdem rei, id est per iteratam productionē eius in illis pluribus locis. Cōmunis sententia Scholast. est fieri primo modo, Coninch. tñ de Sacram. q. 75. art. 4. dub. 3. & Moris. in Phys. disp. de loco q. 4. affirmant, non posse aliter fieri, nisi secundò modo. Alterum dubium est, an quando res replicatur in pluribus locis, necessariò replicari debeat cum omnibus formis, & accidentibus, quæ haberet in vno loco existens, ità vt dùm manet in pluribus locis, si mutatur in vno per aliquam formam ibi de nouo acquisitam, necessariò etiam mutari debeat in altero per eamdem formam. Et licèt Auctores omnes, qui stant pro nostra sententia, in hoc cōuenire videantur, quòd formæ pendentes à præsentia locali, vt stare, sedere, moueri, distare, quiescere, & alia huiusmodi, variari possint ad varietatem locorum, de formis tñ absolutis, & à loco indepēdentibus, quales sunt albedo, scientia, sanitas &c. est adhùc controuersia, nam Alij defendunt, has nullo modo variari posse, sed rei debere inesse vbicumq. existant; Alij verò è contra contendunt has quoq. variari posse sicut priores; neq. hanc difficultatem subterfugiunt illi Auctores, qui & si negent replicationem extensam eiusdē corporis in pluribus locis, non tñ negant replicationē Angeli, vel corporis inextensam.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, quòd si eadem res poneretur à Deo in pluribus locis, hoc esset per replicationem accidentalem,

talem, ponendo in ea plures præsentias locales, non per replicationem substantialem, eam iterum atq. iterũ producendo. Est Scot. loc. cit. vbi manifestè docet hoc fieri per adductionem, & fieri non posse per reproductionem eiusdem rei præexistentis, & patet ex disput. de collatione causarum art. 7. vbi ostendimus, non posse eundem effectum duplici productione totali produci, aut conseruatione conseruari, & clarius patebit in lib. de gen. vbi ex professo probatur, quòd res quamdiu existit, non potest substantialiter reproduci, immò & qui cõcedunt eiusdem effectus plures causas totales dari posse, negant tñ, rem dum existit, posse denuò fieri. Probatur adhuc, quia productio substantialis dicit respectum ad non esse immediatè præcedens, ergo implicat rem præexistentem produci, nam tunc dicitur conseruari, nec potest aliquid reproduci, nisi sit prius corruptum. Tum quia productio substantialis est à non esse simpliciter, ad esse simpliciter, quia habet pro terminis à quo, & ad quem esse substantiale, ergo quod est productum, nequit iterum reproduci, nisi prius desinat esse, & sit in termino à quo, Vnde Arist. absolutè definiuit generationem, quòd sit transitus de non esse ad esse. Tum quia adhuc talis reproductio substantialis esset impertinens, vt in pluribus locis poneretur, nam ex vi productionis non ponitur magis hic, quàm ibi, quia à Deo produci potest in eodem loco, ergo &c.

Obijciũt Moris. & Coninch. Actio qua de facto Christi corpus in pluribus locis constituitur sub speciebus Sacramentalibus est substantialis, vnde à Concilijs, & PP. vocatur transubstantiatio, ergo est ꝑductio eiusdem, patet consequentia, quia nuda adductio, non potest dici actio substantialis, & transubstantiatio, cùm terminus illius sit sola forma accidẽtalis scil. Vbi. ℞. Cum Mastr. & Bell. disp. 11. q. 9. negando consequentiã, ratio est, quia sicut in transmutatione distinguitur actio transmutatiua ab ipsamet transmutatione, quia transmutatio intrinsecè respicit tãtum subiectum, formam, & priuationem, non autem agens; ità & in transubstantiatione, seu conuersione panis in corpus Christi distingui debet actio conuersiua ab ipsamet conuersione; nam conuersio intrinsecè solùm respicit substantiam desinentem, vt terminum à quò, & succedentem ex vi desitionis illius, vt terminum ad quem, non autem agens conuertens; Vnde licèt conuersio Substantiæ panis in Corpus Christi, sit substantialis, & rectè transubstantiatio dicatur, quatenùs est transitus substantiæ in substantiam, & habet pro termino ad quem substantiam succedentem ex vi desitionis alterius substantiæ, actio tñ, quæ ibi interuenit non est substantialis, quia substantia Corporis Christi non de nouo ibi producitur, sed tñ noua eius præsentia sub speciebus Sacramentalibus, ideòq. est tñ accidentalis.

Vrgebis, si ad conuersionem requiritur desitio termini à quo, vt possit verè dici conuerti in terminum ad quem, ergo pariter requiritur noua inceptio termini ad quem, ad hoc, vt terminus à quo dicatur in ipsum cõuersus. ℞. Negando paritatem, & ratio differentiæ inter terminum à quo

à quo, & ad quem est, quia terminus à quo est ille, qui denominatur conuersus, & per consequens desinens in aliud, ac propterea ex parte eius requiritur desitio simpliciter, terminus verò ad quem solùm denominatur per conuersionem succedens termino à quo; ad hoc autem non est necesse, quòd incipiat habere esse de nouo, sed solùm, quòd succedat termino à quo ex vi desitionis illius, quomodocumq. succedat; hinc notandum, quòd in hoc differunt transmutatio substantialis, & conuersio substantialis, quòd vbi transmutatio substantialis denominatur præsertim à termino ad quem, conuersio tm̄, seu transubstantiatio denominatur à termino à quo, quia conuersio est transitus vnius substantiæ in aliam, & terminus desinēs dicitur conuersus, & transubstantiatus, ergo præsertim ab isto conuersio dicitur substantialis, & non quod debeat produci noua substātia. ità Bell. & Mastr. loc. cit. qui etiam multa alia argumēta pro Coninch. & Morif. addunt, quæ ex allata doctrina facilè diluuntur.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. affectiones, quæ pendent à loco, veluti sunt, quæ posteriora sunt ipso loco, vel simul natura cum ipso, diuersæ sunt in eodem subiecto pro diuersitate locorum, in quibus est; at quæ, illi insunt independenter à loco, si ei conueniunt in vno, debent etiam conuenire in alio, & oppositum neq. per potentiam Dei absolutā fieri potest. Duas habet partes hęc cōclusio, & quò ad primā conceditur ab ōnibus, qui nostrā sequuntur sententiam, quò ad secundam, est aliquod dissidium, ideò sic à Scoto probatur in 4. cit. d. 10. q. 2. lit. H. & clarius q. 4. sub K. Corpus, vel Angelus existēs in pluribus locis est idem numero, ergo quæ ei conueniunt absolutè, & independenter à loco, necessariò ei conuenire debent, vbicūq. sit, alioquin sequeretur contradictio, quòd idem numero subiectum esset album, & non esset album, viuens, & non viuens, & sic de alijs formis absolutis, à loco independentibus argui posset, quæ Scoti ratio non tm̄ concludit in ordine ad potentiam naturalem, vt quiddam Scotistæ autumant, sed in ordine ad Dei potentiam absolutam, vt ex toto progressu illius quæstionis patet.

Resp. Aduersarij, nō sequi contradictionem, quia verificantur de eodem ratione diuersorum locorum, quia scil. erit calidum hic, vbi ignē approximatum habet, & non alibi, vbi non habet approximatum. Contra vrget Scot. loc. cit. in 4. q. 4. licèt hæc responsio valeat de affectionibus illis, quæ à loco dependent, & subiecto conueniunt rōne loci, vt stare, & non stare &c. de affectionibus tñ illis, quæ à loco præscindunt, nec rebus conueniunt rōne loci, prorsus impertinens est, quia sicut affirmatio non est nata in esse secundum Vbi, ità neq negatio. Cōfirmatur, q̃a ratio recipiendi huiusmodi formas absolutas non est Vbi, sed capacitas ipsa rei sm̄ suum esse absolutū independens ab Vbi, quia eodem modo se habet, in omnibus locis, ergo secundum idem, subiecto eidem contradictoria conuenirent, & diuersitas locorum nil suffragatur.

Resp. Amic. 4. Phys. tract. 20. q. 7. dub.

dub.3.art.3.Beccan. de Sacram.cap. 27.q.16 & Alij,negantes formas absolutas à loco prorsus præscindere, nam dato, quòd in suis entitatibus absolutis non dependeant à loco,dependent tñ quatenùs informantes,& inhærentes subiecto, quia non potest dari informatio, nisi extrema sint intimè præsentes in eodem loco.Vnde vnio formæ absolutæ cum subiecto, habet dependentiam ab Vbi, tamquam à conditione necessaria ad informationem. Ad Confirmationem dicunt, quòd estò Vbi, non sit ratio recipiendi huiusmodi formas, sicut est ratio recipiendi distantiam, sessionem &c. est tñ conditio necessaria, vt subiectum recipiat eas, cùm non possit recipere, nisi approximentur.

Verum licèt in eo sensu etiam formæ absolutæ pendeant à loco, quatenus si subiectum informare debeant, petunt esse cum eo intimè præsentes in eodem loco, non tñ ità pendent à certo, & determinato loco, vt ad eius variationem variari & ipsæ debeant, aut earum vnio, & informatio ad subiectum, quia pendent à loco tantũ vagè, sic anima V.g. licèt vt corpus informet, petit intimam præsentiam cum corpore in eodem loco, attamen non petit hunc, vel illum, sed hoc, vel illo loco variato; adhuc corpus dicitur animatum hac anima, & hoc album eadem albedine; at variato loco, res non dicitur amplius præsens eadẽ præsentia, nec distans eadẽ distantia, ergo huiusmodi formæ absolutæ etiam informando subiectum ità præscindunt à loco, vt varietas locorum nullo modo variet enunciationem earum de subiecto, siuè subiectum existat in hoc loco, siuè alibi, ideòq. ad saluandam Contradictionem diuersitas locorum impertinens est; enunciando verò contradictoria pertinẽtia ad formas primi generis de eodem subiecto, rectè euitatur contradictio per diuersitatẽ locorum, cùm tales formæ determinatè à loco dependeant.

At instat Aueisa q.27.sec.7. in solut.ad 2.tempus ità limitat, & afficit huiusmodi prædicata absoluta, vt diuersitas temporis tollat contradictionem, vt esse album, & nigrum, calidum, & frigidum pro diuersitate temporis, ergo idem quoq. de loco asseri poterit.R. Negando paritatem, nam ad veritatem propositionum cõtingentium maximè facit temporis diuersitas, & hæc sufficit ad contradictionem tollendam, veritas.n.propositionis contingentis respicit determinatum tempus, at non semper determinatum locum, quando præsertim propositio contingens sit de accidentibus absolutis à loco determinato independentibus.

Probatur 2. præsertim, quòd res eadem non potest in vno loco dici annihilata, & non in altero, nam ratio, cur desineret in isto loco, non esset simplex desitio Vbi,sed substantiæ rei, si.n.solùm Vbi amitteret,non diceretur annihilari, cùm adhùc remaneret in suo esse, ergo ex vi desitionis subiecti si annihilatur hic, annihilatur ibi.Resp.Coninch. & Moris. quòd cùm in tali casu supponatur res substantialiter replicata in pluribus locis,amittit suum esse substantiale hic replicatùm, non verò alibi.

Sed Contra, tunc res propriè dicitur

citur annihilari, quando verum est dicere, nihil entitatis eius remanere in rerum natura, at si ità destrueretur substantia rei hic, vt adhuc alibi remaneret, non posset cum veritate dici nihil eius remanere in rerũ natura, ergo non verè diceretur annihilari, minor est clara, maior probatur, quia non satis est dicere, rem non amplius esse, vbi erat, vt verè annihilari dicatur. hanc tandem rõnē confirmat D.Tho.3.p.q.81.art.4. vbi docet, quòd si in triduo conseruaretur hostia consecrata, in qua Christus se posuit passibilem, modo impassibili, ità vt à nullo agente poterat pati, mortuus esset in hostia, quãdo moriebatur in Cruce. ità etiam se subscribit P. Carpenedo l.q.9. assert. 4. fol. 834. ex D. Bonau. in 4.d.11.q. vlt.

Obiectiones.

Ob. Corpus hic Messanæ existens, & Romæ, potest hic calefieri ab igne approximato, & non Romæ, vbi nõ esset ignis, ergo erit ex natura rei calidum hic, & non Romæ. patet consequentia, quia calor est terminus calefactionis, nec recipitur in subiecto, nisi per calefactionem; antecedens probatur, quia ignis non habet virtutem naturalem ad agendum extra propriam sphæram. Resp. Scot. negando consequentiam; nam aliud est loqui de calefactione, aliud de termino eius, seu de forma per ipsam producta, & de vnione illius formæ ad subiectum, actio .n. illa, & passio cum fiant per contactum, & approximationem agentis ad passum dependent à loco, at nec calor, nec vnio eius ad subiectum à tali loco dependent, hinc calor erit vnitus subiecto, vbicumque reperitur, non tñ producetur in eo, nisi hic, vel illic vbi esset ignis approximatus.

At Contrà instant Aduersarij, hic calor resultans in corpore Romæ existente, non potest denuò in eo imprimi, nisi virtute alicuius agentis, at hoc esse non potest ignis Neapoli existens, quia nequit naturaliter vltra suam sphæram agere, ergo &c.

Resp. Doct. talem calorem esse impressum corpori Romæ existenti, virtute ignis hic existentis, non quidē per se primò, sed tñ per accidēs, & concomitanter rõne scil. identitatis subiecti; quando verò dicimus, ignem non agere, nisi debitè approximatum, id intelligi debet vbi ponit effectum suum per se, & primò, nõ autem per accidens tñ, & concomitanter.

Cõtra obijciunt, sola subiecti idēntitas, non sufficit, vt forma, quam hic habet, habeat etiam alibi, alioquin si hic moueretur, moueretur etiam ibi, & quando sola sufficeret in genere causæ materialis, adhuc illius noui caloris Romæ existentis præter materialem, assignare debemus causam efficientem, quæ esse non potest ignis Neapoli existens, neq. etiam concomitanter, quia idēticas subiecti, non potest ei talem vim conferre, nec præcedentem augere. Sunt communiter Scotistę ex allata Scoti Doctrina, quòd sola identitas subiecti in formis à loco pendentibus non sufficit, sufficiet tñ in formis à loco præscindentibus, vt euitetur contradictio, & causa efficiens illius noui effectus, est ignis Neapoli existens, neque vt concomitanter dicatur suũ effectum etiam Romæ impressum, eius vir-

virtus augeri debet, sed sufficit, quòd corpus in quo hic ignis agit, etiam Romæ reperiatur, quia ob talem idétitatem, necessariò etiam dicetur habere effectũ suum in corpore Romæ existente.

Sed Contrà adhuc vrgent, nam licèt ignis agat tm̃ in corpus hic, calor tamen per eũ productus inhæret corpori hic, & Romæ, & ità duas præsentias reales simul habebit, quod fieri non potest virtute agentis naturalis, etiam si subiectum sit idem in vtroq. loco, quia replicata præsentia est effectus supernaturalis. Sunt Scotistæ, quòd estò ignis per se, & & absolutè non potuisset sua naturali virtute causare illam duplicem præsentiam simultaneam caloris hic, & Romæ, tamen ex suppositione miraculi prioris, quo Deus corpus illud, in quod agit, in duplici loco constituit, sequitur, quòd agens naturale possit deinde sua naturali virtute duplicem illam præsentiã attingere. hæc est communis responsio Scotistarum, quæ colligitur ex Doct. & sua potitur probabilitate.

Attamen Mastr. & Bell. disp. 11. q.9. nu. 151. ad faciliùs, & probabiliùs argumenta Aduersariorum soluenda, aliam sequuntur viam. Admittunt vtique, quòd ex suppositione vnius miraculi, potest agens naturale suas adhuc exercere operationes modo quodam supernaturali ex vi prioris miraculi procedente, sic cæcus supernaturaliter recipiens visum, naturaliter videt. Accidens in Eucharistia exercet illas actiones, quas habebat cõiũctũ cũ subiecto, q̃a huiusmodi actiones adhuc sũt naturales sm̃ substantiam, supernaturales verò sm̃ modum, qua de causa supra diximus, hominem replicatum posse moueri virtute propria, saltem de vno loco ad alium, at non sequitur ex suppositione vnius miraculi à Deo facti circa rem, quòd etiam possit virtute propria opus efficere supernaturale sm̃ substantiam, & virtutem eius naturalem excedere, vt V.g. licèt ex suppositione separationis à subiecto possint accidentia in Eucharistia virtute propria localiter moueri, sensus immutare, & alias actiones sibi connaturales exercere, quas poterant coniuncta, non tñ possunt nutrire, quia id superat eorum vires; ità in proposito, non debemus ex suppositione prioris miraculi, quo corpus hic, & Romæ est replicatum tribuere igni actionem supernaturalem sm̃ substantiam, & virtutem eius prorsus excendentem, replicationem scil. caloris Romæ, quia replicatio caloris in tanta distantia, & tam breui tempore superat naturales vires ignis. Quæ doctrina colligitur etiam ex Doct. ibidem q.6. ad 4. vbi ait, quod Corpus Christi in Eucharistia non solùm per se primò pati nõ potest ab agente naturali, sed neq. etiam concomitanter, & reddens rationem, ait, quia agens creatum ad hoc, vt corpus transmutet, requirit ipsum localiter approximatum. Ex quo colligitur, Scotum non adduxisse dictinctionem illam de per se primò, & concomitanter in eo sensu, quo Scotistæ communiter intelligũt, sed cùm ait, formas absolutas, quæ hic ab agente naturali imprimuntur in eodem alibi existente rõne identitatis subiecti, ità intelligi debet, quòd ex vi prioris miraculi nempè replicatio-

cationis subiecti, rône idêtitatis eius, Deus tenetur etiam replicare formas ab agentibus naturalibus hic, vel illic ei impressas; quæ non dependent à loco, ne sequatur contradictio, sicut quando ab initio illud replicauit, eadem necessitate etiam accidentia replicauit tunc sibi inhærentia, quod ex vi prioris miraculi côtingit, Deus .n. ea voluntate, qua decreuit ponere corpus in pluribus locis, decreuit etiam secum replicare, nô dum accidentia absoluta tunc sibi inhærêtia, sed alia quæcumq. in posterum ei aduenientia hic, vel alibi virtute agentium naturalium; in quo sensu Scoti doctrina intellecta, magis intellectus quiescit, & rectius Aduersariorum argumenta soluuntur.

Ob. Si idem animal hic, & Romæ existens, hic sumeret cibum, & non ibi, commestio vtique hic tm̃ fieret, nutritio verò, & conuersio alimenti in alitum vtrobiq. quia animal vtrobiq. diceretur nutritum, & noua pars carnis aggenerata, sed translatio istius nouæ partis instantanea Romã sine transitu per medium est omninò supernaturalis, & vires excedens naturæ, ergo &c. ℞. Ad minorem, vt supra, totum illud fieri Diuina virtute præcedentis miraculi, Deus .n. tenetur circa illud corpus replicatum facere quicquid habet nessariam cônexionem cum priori miraculo, & talis est replicatio formarum à loco independentium.

Ob. Si aqua existeret eadem in duobus vasibus, & locis; posset in vno loco effundi, & non in alio, & ità amitteret continuitatem partium in vno loco, & non in altero, ergo contradictio etiam in formis absolutis saluari poterit respectu varietatis locorum. ℞. Cum Doct. q. 6. §. *Ad rationes &c.* duplicem con inuitaté posse in aqua considerari, vnam per comparationem ad totum, alteram ad locum, quæ spectat ad figuram situalem; si primam amittit in vno loco per diuisionem, amittit & alibi, ettò diuisio in vno tm̃ loco fiat, non ità de secunda, vnde aqua eadê in vno loco effundi potest, & non in alio, quia per simplicem effusionem tollitur tm̃ secunda continuitas, non prima, & sola variatur situalis figuratio, & extrinseca, quæ dependet à loco.

Ob. Licèt manus Christi fuissent in Cruce perforatę, cum effusione sanguinis, hoc tñ non euenit in corpore Christi Sacramentato, quia cùm effusio solam videatur præseferre localem mutationem, hæc non transit de loco ad locum. Tum quia cùm hæc effusio fuerit in Cruce modo extenso, & quantitatiuo, non videtur huius esse capax corpus sacramentaliter existens, ergo maneret sanguis in sacramento intra corpus, & continuus reliquo sanguini, in Cruce verò exiret extra corpus, & reliquo sanguini non continuaretur, & ità proprietates absolutæ quales sût istę possunt diuidi, & variari iuxta locorum varietaté. Resp. Scot. quòd ipsa vulneratio, & sanguinis effusio pro sola locali sanguinis mutatione, in Cruce tantùm vtiq. fuisset, at discôtinuitas partium corporis in ordine ad totum inducta per vulnerationem fuisset vtrobique, in Cruce quidem, vbi partes diuisæ habent modû extensum per corpoream diuisionem, in pixide verò modo inextenso per replicationem à Deo factam ex vi ante-

antecedentis miraculi.

Ob. Si corpus idem poneretur in pluribus locis, & ei in vno loco applicetur ignis, alibi verò nix, vtiq. euidens est, quòd ex natura rei ibi calefiet, hic verò frigefiet, ergo qualitates etiam à loco independentes possunt esse diuersæ in corpore replicato pro locorum diuersitate; Immò Addit Auersa, idem quoq; euenturum in actibus vitalibus assensu, & dissensu intellectus, Amore, & odio voluntatis, quia non esset eadem repugnantia pro diuersis locis, quæ esset pro eodem loco, possent .n. hic, & ibi occurrere diuersæ occasiones inducentes ad actus contrarios, scil. hic ad velle peccatum, & ibi ad nolle. Resp. Scot. negando assumptum, nam in tali casu, vel vna causa impediret aliam, ità vt neutra ageret, vel agerent ad effectum quemdam medium, vel illa tm̃ ageret, quæ præualet, & tandem seruata proportione dicere debemus ait Scot. q. 2. lit. K. de agentibus cõtrarijs eidem corpori applicatis in diuersis locis, quod diceremus, si eidem in eodem loco applicata forent. ignis autem hic agens in corpus, impediret, vel remitteret actionem niuis agentis in idem Romæ, non per se primò, sicut impediret, si cum niue simul in eodem loco essent corpori applicata, sed concomitanter tantum, quatenus calefaciendo corpus hic, & Deo replicante calorem in corpore Romæ, calor ille, qui est effectus istius ignis, reddit corpus indispositum ad recipiendam actionem niuis. Quãtũ verò ad act⁹ vitales, de quib⁹ Auersæ opinio est singularis contra communem, dicimus, quòd cum respectu horum, homo se habeat actiuè, sicut existens in vno loco, non habet potentiam ad vtrumq. simul, ità neque existens in diuersis, quia ex replicatione nec acquirit nouam potentiam, nec augetur præcedens; & licèt in vno loco occasionem non haberet, seu motiuum in propria existentia applicatum, sicut in alio, haberet tñ etiam illud hic applicatum per speciem; hinc communis opinio est, q̃ actus vitales contrarij etiam per potentiam Dei absolutam nequeunt esse in eodem subiecto ob intrinsecam eorum incompossibilitatem, & repugnantiam quatenus vnus actus obiectum alterius destruit.

Ob. Anima replicatur in pede sine capite, & verum est dicere, quòd hic informat caput, seu in hoc loco, & non ibi, ità vt sola locorum diuersitas tollit contradictionem, ergo idẽ dicendum erit, si alibi replicaretur sola in alio diuerso corpore, parum .n. interest, quòd pes, & caput sint subiecta inadæquata, hæc verò duo corpora forent ambo adæquata, nam vis argumenti in hoc consistit, quòd sola locorum diuersitas modò tollit contradictionem de anima, quod format, & non informat caput, informat caput hic, non informat ibi, ergo etiam in illo casu. ℞. Negando, quòd in casu sola locorum diuersitas tollit contradictionẽ, & ratio est, quia eius vnio substantialis ad quamcumq. partem corporis independens est ab hoc, vel illo loco, ideoq. impertinens est locorũ diuersitas ad illam tollẽdam contradictionem, sed tollitur solùm per diuersitatem vnionis, quia non eadem vnione vnitur cum capite, & pede, cùm

cùm termini vnionis sint diuersi; at non saluari posset, si hic corpus informaret, & alibi sine corpore replicaretur, quia eadem forma simul, & semel informaret, & non informaret idem subiectum, quia tunc non adesset diuersitas vnionis, quæ contradictionem tolleret, & locorum diuersitas non sufficeret.

Ob. Humanitas Christi est vnita Verbo magis, quàm forma subiecto, & tñ non est vbicumq. est Verbum, ergo si accidens existit in corpore, non oportet, vt sit vbicumq. est corpus constitutum ex vi talis vnionis etiam à loco præscindentis. ℞. Negando paritatem de humanitate vnita Verbo, & forma vnita subiecto, nam forma vnitur subiecto totaliter, & adæquatè, si subiectum sit adæquatũ, at humanitas tm̃ inadæquatè est vnita Verbo propter eius illimitationem; Et illa propositio, quando duæ res sunt vnitæ inter se, tunc vbi est vna, necesse est vt sit altera, valet quando talis vnio est adæquata, & totalis, nõ quando est inadæquata, vt est in proposito, & patet etiam exemplo de anima; hinc Scot. in 4. d. 10. q. 3. D. docet, hunc arguendi modum non tenere, dum res limitata comparatur illimitatæ quo ad essendum in loco.

M. Raphael Bonherba in sua Phys. dub. 3. de loco fol. mihi 336. ex Ægidio quol. 1. q. 1. Theor. de Corpore Domini propos. 3. & 4. adhæret sententiæ Thomist. quòd nõ potest etiã de potentia Dei absoluta idem numero corpus per vnam, & eamdem numero quantitatem esse in pluribus locis circumscriptiuè, & sic probat: Sicut se habet res ad speciem per suã naturam, ità se habet corpus ad locum per suam quantitatem, sed est impossibile etiam supernaturaliter, quòd vna, & eadem res per vnam tantũ naturam sit in duplici specie adæquata, ergo est etiam impossibile, vt vnum, & idem corpus per vnã numero quantitatem sit in pluribus locis circumscriptiuè etiam supernaturaliter. ℞. Hoc argumentum etiã retorqueri posse contra Mysterium Eucharistiæ, Vbi Christus per vnicã quantitatem est in Cęlo, & in speciebus sacramentalibus, & parum refert, quòd modo sub his speciebus non sit circumscriptiuè, quia etiam facere poterat, quod quantitas panis, conuerteretur in quantitatem corporis eius, quo casu eadem quãtitas esset vtrobique circumscriptiuè, vt Scotus docet in quarta d. 10. questione 3.

Sed quantùm ad hoc respondent Aliqui Thomistæ, quòd D. Thom. quol. 3. q. 2. satis dubitat, an vna quãtitas possit in aliam conuerti. quo tñ admisso, negant quod Christus in eo casu esset circumscriptiuè in Cęlo, & in Sacramento, quia tunc remaneret cum vna virtute locatiua scil. quantitate, & consequenter nullibi esset Sacramentaliter, sed solùm circumscriptiuè in Cęlo; At Contra, ex hac doctrina sequeretur, ꝙ neq. Angelus esse posset in pluribus locis, quia vnicam habet virtutem locatiuam, nempè suam entitatem finitam, & limitatam, & idem dicendum foret de Corpore Christi. Thomistæ. n. cõtẽdũt rõnẽ formalẽ existẽndi Corpus Christi in hostia esse suã substãtiã, at substãtia Corporis Christi non est, nisi vna, ergo reperiri non potest,

potest, nisi in vna particula consecrata. patet consequentia, quia ratio quare corpus non potest esse in pluribus locis per ipsos, est quia vnicam habet virtutem locatiuam scil. quantitatem; sed etiam Corpus Christi vnicam habet virtutem locatiuam in circumscriptiuè, scil. suam substantiã, ergo sicut hæc est vna, vnicum tm̃ locum incircumscriptiuum sibi vendicat, & nõ plura. per hęc satisfit M. Iacob. Bruno in Phys. q. 15. art. 5. fol. 440. ad Scoti argum. respondenti.

Resp. 2. negando paritatem, magnum est .n. discrimen inter naturã, quæ constituit speciem, & quantitatem, quæ replet locum; nam natura est de essentia speciei constitutæ, & cum ipsa essentialiter identificata, ideòque non potest in alia distincta specie reperiri, nec simul, nec successiuè, & ipsam constituit quò ad actum primũ; at non sic philosophandum est de quantitate respectu locorum, tum quia eius occupatio, & repletio est actus secundarius, & separabilis, vt patet in penetratione corporum, Tum quia eadem quantitas etiam naturaliter modò locatur in vno loco, modò in alio successiuè, quod de natura asseri non potest respectu speciei constitutæ, ideòq. mirum non est, si hæc simultas locorum reperiri potest cum eodem corpore, non autem simultas specierum cum eadẽ natura. quòd si M. Bonherba ℘ naturam intelligat naturam methaphysicè genericam, vel specificam, sibi ipsi opponitur, quia sicut natura animalis compossibilis est cum multitudine specierum, & natura specifica cum multitudine indiuiduorum, ità natura quantitatis cum multitudine locorum.

Pro Vberiori intelligentia in hac materia, quæ reuera difficilis est, reuoluẽdum est perfunctoriè, quod diximus in Logica disp. 12. art. 2. vbi dubitatum fuit, an diuisio illa qualitatum, vt sunt Habitus, & Dispositio; naturalis Potentia, & Impotentia; Passio, & Passibilis qualitas; Forma, & Figura, fuerit generis in species, & Thomistæ communiter enixè Respõdẽt esse diuisionẽ generis in species per differentias; Scotistæ verò, quòd potius fuerit diuisio generis per modos diuersos; ex qua doctrina patet ad hominem insufficientia Quorumdã Thomist. qui respondentes Scoti rõni, quòd omne prius absoluitur à suo posteriori, vbi non est essentialis dependentia inter illa, sed corpus est prius respectu præsentiarum, & locorum, ergo &c. Resp. Aliqui Thomistæ adducentes instantiam: Pluralitas figurarum cõsequitur ad quantitatem, sed non potest per potentiam Dei eadem quantitas esse simul recta, & curua, ergo estò pluralitas locorum consequatur ad corpus, non sequitur plura loca, seu Vbi, simul esse in eodem. Non valet, quia arguunt ex natura modorũ, vel differantiarum ad accidentia cõmunia, curuitas .n. & rectitudo, quia sũt modi, vel differẽtiæ ℘ ipsos Thomistas, necessariò petunt esse affixæ quãtitati; at loca q. a sũt merè accidẽtalia nõ oportet, vt necessariò affixa sint locatis, sed sicut absolui possunt saltẽ ℘ potẽtiam Dei, ab õni corpore locato, ità etiam in eodẽ multiplicari poterũt. Quòd vnũ corpus esse possit simul in pluribus locis, ex Recentioribus PP. Iesuitis, tenet nouissimè Ricard. lync. lib. 7. tract. 1 cap. 3. fol. 284

DISPVTATIO VX.

DE VACVO.

DE vacuo agere spectat quoque ad Physicum, aliquo .n. modo priuatiuè loco opponitur, & ad eumdem artificem attinet de oppositis agere. Non accipimus autem Vacuum, pro illo spatio negatiuo, quomodò Antiqui accipiebant, quod definitur, *esse spatium carens omni loco*, quod propriè de spatio imaginario dicitur, sed illud accipimus priuatiuè, & positiuè, quod à Philosophis sic definitur: *est locus intra vniuersum corpore carens aptus tamen repleri*. Dicitur *locus*, non formaliter, scil. pro respectu ad locatum, sed materialiter pro superficie corporis potentis aliud continere, & stat loco subiecti; nam per hoc spatium imaginarium à vacuo differt, quòd inane illud nullum connotat corpus, in quo talis negatio subiectatur, sicut Vacuum. Dicitur *Corpore carens*, quia si ibi daretur aliquod corpus contentum, non esset vacuum, sed plenum; hoc autem intelligendum est de corpore quantitatiuo, non de mero substantiali, hinc si in hac schola esset aer omni quantitate priuatus, adhuc daretur vacuum, & multò magis si in ea substantia aliqua purè spiritualis existeret, vt Scot. docet quol. 11. M. & è contra, si in aliquo loco esset quantitas sine substantia, vt in Sacramento Eucharistiæ, talis locus non esset vacuus, sed plenus, cuius ratio est, quia id propriè dicitur replere locum, quod facit partes vniuersi distantes, & ne in vnum coeant, quod beneficio quantitatis præstatur. Dicitur, *aptus tamen repleri*, vt magis explicetur, quòd non sit simplex negatio, sed priuatio connotans aptitudinem subiecti; Vt V.g. si ab hac Schola exiret aer, & nullum aliud corpus in illam ingrederetur, nec inter se parietes vnirentur, verè tunc esset vacuum. hæc de Vacuo propriè, & in suo rigore accepto. solet etiam accipi vacuum impropriè, & dicitur illud, quod ijs caret, quibus repleri solet. vt dolium vacuum, quod non est vino, aut oleo plenum, vas vacuum, quod non est repletum aqua, anima vacua, quæ caret scientia, virtutibus, gratia &c. loquimur in præsenti, de vacuo propriè, in tres Articulos præsentem disputationem diuidendo.

ARTICVLVS PRIMVS.

An detur, vel dari possit vacuum in rerum natura.

SCot. de hoc articulo disertè agit in 3. d. 27. §. *Istæ rationes &c.* & in 4 d. 49. q. 13. H. & ibidē dist. 43. q. 5. E. & alibi. Et quidem, quòd detur vacuum in rerum natura, fuit sent. Quorumdam Antiquorum, contra quos disputat Arist. in hoc 4. cap. 8. & 9. de quo modò non est dubium, sed quæstio instituitur de possibili tā virtute finita, quā infinita. Conimbr. 4. Phys. cap. 9. q. 3. negant virtutem aliquam

aliquam creatam posse causare vacuũ in rerum natura, & sequuntur Ruu. 4. Phys. tract. de Vacuo q. 2. Ioan. de S. Thom. q. 17. art. 1. Complut. disp. 20. q. 2. Fuent. & Alij: Quidam verò distingunt, Si .n. loquamur de rebus, pro vt subsunt Diuino Decreto, non potest vacuum ab Angelo, vel ab alia creatura causari; Si verò de rebus sub proprias virtutes fiat sermo, concedunt etiã ab Agente creato causari; ita Morisanus disp. 5. q. 7. Auersa q. 27. sec. 8. & Smisinc. tract. 2. disp. 5. nu. 42. De Virtute autem Increata, & Infinita concedunt omnes tã Philosophi, quàm Theologi, quia poterat Deus creare Cęlos tm, ità vt nihil crearet intus, & eadem ratione potest nunc, Cęlis manentibus, elementa annihilare. Non defuerunt tñ, qui hanc potentiam etiam Agenti Infinito denegarunt, inter quos ex nostris est Vulp. 1. p. disp. 18. art. 3. nu. 6. & 7. citatur etiam Perer. lib. 11. cap. 12. cum Alijs.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. de facto non reperiri Vacuum in rerum natura. Est Scoti loc. cit. & cõis. Probatur 1. experientijs, quibus experimur, naturam satis vacuum abhorrere, inde multos violentos motus admittit, vt vacuũ effugiat. Sic aqua sursum ascendit, si ex fistula aer attrahatur. Cucurbitulę, carnem in tumorem eleuant. in lucerna ad modum turris cõfecta, non egreditur oleum, nisi in superiori parte aliquod foramen fiat, & de multis alijs experientijs, hoc totum manifestum remanet.

Ratio autem, cur natura ità Vacuũ abhorret, non est facile à priori assignabilis, sed solùm à posteriori, extrinsecè, & per quasdam congruentias, quarum & potissima prima est, Mundus est veluti quoddã totum ex diuersis corporibus tãquàm ex partibus constitutum ad similitudinem corporis viuentis, vnde corpora Cęlestia, & sublunaria in vniuerso se habent, sicut in corpore nostro caput, brachia, & pedes; Sicut ergo in viuente est necessaria vnio partiũ ad conseruationem totius, ità vt partes nullo modo conseruari possint separatæ, quia sic separatæ non possent accipere influxum ab anima, nec vna pars in aliam influere iuxta modum suæ virtutis, ità in corpore vniuersali huius mundi necesse est, omnia corpora tàm Cęlestia, quàm sublunaria esse inter se vnita, vt per contactum vnius cum alio possint conseruari, & inferiora à superioribus influxum recipere, hinc Arist. in primo lib. Metheor. ait: *oportet mundum hunc inferiorem contiguum esse latioribus superioribus, vt inde eius virtus regatur, & gubernetur*. Sed hęc ratio non est à priori, nec conuincit, vt benè aduertit Arriag. disp. 14. sec. 1. & tantò minùs in sententia nostra, quia per nos ad agendũ, nõ est necessaria plenitudo medij, cùm etiam dari possit actio indistans. Tum quia si daretur aliquod minimum vacuum, & ad tempus, non ob id subuerteretur ordo vniuersi, vt non possint Cęlestia corpora in his inferioribus influere. Neq. prouenit ex hoc, quia naturaliter repugnat, duo corpora inter se penetrari, at si daretur vacuũ, esset necessaria hac corporum penetratio, quia Deus initio mundi tantam materiam condidit cum quantitate sufficientem ad replendum totũ vni-

vniuersi spatium, atque ideò si daretur vacuum, necessariò corpus illud, quod vacuum replebat, deberet cum alio penetrari, quæ est ratio, quam à priori assignat Arriag. loc. cit. sec. 11. Non valet, nam ratio adducta ab Arriaga procedit ex falso fundamento, putat .n. quòd rarefactio fiat per ingressum corpusculorum in poros corporis rarefacti, & condensatio per eorumdem egressũ, vt videbitur in lib. de generat. potest .n. idẽ corpus modò maius spatium occupare si sit rarefactum, modò minus si condensetur. Melius igitur asserendum est cum Scoto in 3. cit. quem sequuntur Morif. Smisinch. & Auersa & nouissimè Mastr. & Bell. disp. 12. q. 1. quòd scil. tota ratio vacui ab extrinseco Dei Decreto sumenda sit, quo determinauit mundũ hunc vnitum, & contiguum conseruare; de quo etiam potest hæc congruentia assignari, quò dscil. vnitas est perfectior, quàm pluralitas, & discontinuitas, quare natura in omnibus sẽper tendit ad vnum eo modo, quo est possibile, ergo quia mundus non potest esse vnus continuitate perfecta, quia multa includit specie, & genere distincta, saltem erit vnus connexione, & contiguitate; & quoniam bonum totius est bono alicuius particularis præferendum, hinc vt hæc contiguitas saluetur, multa contra proprias affectiones rerum in particulari à natura causantur.

Obiectiones.

Ob. 1. Quibusdam experientijs. Prima videmus vas cinere plenum eamdem aquam recipere, ac si cinere careret, & idem experimentum fieri solet de auro, quæ vera non essent, nisi aliquæ darentur vacuitates, in quibus illa corpora reciperentur, alioquin daretur penetratio corporum. ℞. Breuiter, hoc prouenit ex eo, quia quando sunt alia corpora in vase, partes aquæ magis inter se constipantur, & aer in poris cinerũ, & auri inclusus propter aquæ, vel vini aduentum, egreditur.

Secunda experientia est de lucerna ad modum turris fabricata, in qua non potest aer ingredi, & tñ à flamma paulatim oleum consumitur, ergo in illa remanebit vacuum. ℞. Negãdo consequentiam, nam actione flammæ partes olei rarefiunt, & sursum ascendũt, densiores verò descendũt, & si lucerna inclinetur, vt oleum effundatur, bombum quemdã sentimus, quod est signum aeris ingressus.

3. Sit vas Æneum æquè sm̃ omnes partes compactum, ità quod nullo modo aer sub ingredi possit, & aqua calida impleatur, & omnino os occludatur, si maximo frigori applicaretur, aqua vtiq. congelaretur, quia frigus est causa naturalis, ideò applicata suum debet causare effectum, & consequenter in illo vacuum resultaret. ℞. Quòd in tali casu, vel aqua non congelaretur, quia adest impedimentum à natura vniuersali, ne detur vacuum, vel congelatio fieret cum exalatione vaporum ab aqua calida dimanantium, qui illud vacuum replerent, vel rumperetur vas, vt aer ingrederetur.

4. Cęli sunt sphericæ figuræ, Empireum autem est quadratũ ex Apocalis. c. 21. Ciuitas in quadro posita est, ergo inter Empireum, & primũ mobile oportet, vt sint cauitates quædam vacuæ, ℞. Empireum quò ad con-

ad concauam superficiem esse sphęricum, ersò quò ad conuexã sit quadratum, licèt reuera de ipsius figura nihil certi habeamus, quia Aliqui Patres per quadraturam intelligunt stabilitatem ipsius Empirei.

5. Sint duæ tabulæ perfectè planę, eiusdem densitatis, & ponderis, & inter se contiguæ, & vna sm̃ omnes partes in instanti æquè eleuetur, non posset aer statim, & in instanti accurrere tàm in partibus circumferentiæ, quàm centri, quia repugnat motui locali fieri in instanti, ergo si in tempore, iam in medio esset vacuum. ℞. Breuiter pro modo (quia accuratiùs alibi) quòd tabula illa nõ posset naturaliter eleuari sm̃ omnes partes æqualiter, sed priùs sm̃ vnam, quàm sm̃ aliam, vt detur tempus aeri ad replendum illud spatium.

6. Si Deus ex corpore raro in instanti, generaret densius relinquendo naturam in suis viribus, tunc quia natura non posset aerem in instanti mouere, daretur vacuum. ℞t Scot. in 4.d.43.q.5.D. tunc dari vacuum ad tempus, quousq. natura possit aerem circumstantem contiguare corpori illi, sed hoc esset per Dei potentiam.

Ob. Ratione: Datur plenum in natura, ergo & vacuum, probatur consequentia, posito .n. vno contrario, debet aliud admitti ex Aristotile pluriès. ℞. Negando sequelam, & probatio solùm admitti possit de contrarijs positiuis, non priuatiuis, vt sunt locus, & vacuum.

Ob. Possibile est quodlibet corpus non esse hic, vt inductiuè patet, ergo si hoc possibile poneretur in esse, iam daretur vacuum, ergo vacuum non est impossibile, quia possibili posito in esse, nõ seqtur aliq̃ impossibile. ℞. antecedens esse verum im̃ distributiuè, non collectiuè, ideò nil contra nos.

Ob. A propositione de tertio adiacente, valet inferre propositionem de secundo adiacente, vt si homo est albus, ergo homo est, sed Vacuum est locus priuatus corpore, ergo Vacuũ est. ℞. Maiorem esse veram in materia contingenti, in qua propositiones non abstrahunt ab omni tẽporis differentia, non autem in materia necessaria, veluti est allata de vacuo, vt Antichristus est homo, non valet inferre, ergo est, quia huiusmodi propositiones abstrahunt ab omni temporis differentia.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Si vniuersum sm̃ naturæ vires spectetur, posset naturaliter dari vacuum, non verò vt determinationi Diuinæ subest; de potentia verò Dei est simpliciter possibile, est Scot. loc. cit. præsertim in 3.d.27. §. *istæ rationes &c.* vbi ait: corpus non naturaliter mouetur ad replendum vacuum, sed à virtute regitiua vniuersi, ex se verò potius violenter mouetur. Ex qua doctrina sic probatur conclusio: præscindendo à Diuina determinatione, nulla inclinatio reperitur in corporibus ad impediendum vacuum, vel talem disiunctionem, imò potius ad oppositum corpora inclinantur, vt infra patebit, ergo negari non debet possibilitas vacui respectu virtutis, saltem Angelorum. Eamdem cõclusionẽ defendit ex nostris Carpenedolus in sua Philosophica lib.4.tract.5. q.1.fol.mihi 818. vbi sic ait: Non negotiũ

go tñ quin Angeli siuè boni, siuè mali tã ita excellant potestate, vt vnum corpus à proprio loco expellere, & simul præpedire, ne alterum ingrediatur ad supplendum vacuum nequeant, si Deus id illis specialiter aut iuberet, aut permitteret; si.n. tanta vi præditus est Angelus, vt solus totum corpus superceleste tanta facilitate, & celeritate circumuoluere possit, quis eumdem Angelum eadem virtute, vt totum aerem, aut partem illius eijcere, ac simul nè aliud corpus subintret impedire posse discredat, cùm ferè maioris virtutis sit tàm ingens corpus circumferre, quàm aliud quodlibet subceleste mouere. Amplectitur etiam M. Bonherba dub. 1. de Vacuo, vbi concludit quòd existentia vacui dicitur miraculosa, non quòd sm̃ se sit absolutè supra vires naturæ, sed quia esset supra ordinem Diuinæ dispositionis.

Secundò, quòd stante Diuino Decreto non possit à quacumq. creatura vacuum causari, docetur à Scoto in 2.d.2.q.12. C. vbi ait: *Ordo præfixus à superiori agente videtur necessarius cuicumq. agenti inferiori, quando habet actionem præcisè circa talia ordinata*. Et hoc, quia non potest inferius agens virtutem superioris superare, si ergo Deus determinauit, Vniuersum contiguum esse, non poterit talis ordo à creatura perturbari. Tertiò, quòd possit per potentiam Diuinam reperiri vacuum, Docet Scot. in 4.d.43.q.5. D.& E.& sequuntur ex Scotistis cũ cõi lychet. quol. 11. Tatar. ibidem, & 4. Phys. q. de Vacuo §. *Primo sciendum &c.* Canonic. 4. Phys. q. 4. & nouissimè Bell. & Mastr. cũ Doctore loc. cit. vbi ait: *nõ ergo vacuum esse in vniuerso includit contradictionẽ, imò si natura faceret in instanti minus ex maiore, videretur posse concludi vacuum esse per tempus sine Diuino miraculo*. Ex his apparet, quòd quando Scot. docuit in 2.d.2.q.9. ad 4. quòd si daretur vacuum, posset in eo fieri motus successiuus, non loquitur ex hypotesi impossibili, vt ait Vulpes, & hoc etiã manifestè docuit quol. 11. art. 2. Tum quia potest Deus absolutè omnia elementa annihilare, & nihil circa Celum innouare, sed illud conseruare in esse, ad conseruandum .n. Celum, quod est prius, & magis necessarium, non requiritur tãquàm medium aliquod minus necessarium cõseruari, vt sunt elementa. ergo inter Celi latera daretur vacuum, & hoc esse Deo possibile docet Scot. quol. cit. lit. E. vbi ait: *sed vacuum istud, quod ponitur possibile Deo &c.*

Obiectiones.

Obijcitur primò, quòd Vacuum nullo pacto possit à virtute creata causari, nam colligatio corporum inter se est effectus vniuersalis ab Authore naturæ causatus, ergo cùm quælibet virtus creata sit particularis, non poterit colligationem illam destruere. ℞. quòd illa colligatio est effectus vniuersalis pro vt sic ordinatus fuit à Diuina Voluntate, ideòq. non potest à potentia creata destrui, atq. ità probat secundam partem cõclusionis.

Ob. 2. Quodlibet magis inclinatur in bonum totius, quàm in proprium, quod est particulare, vnde manus exponit se ad saluandum caput, quia est magis bonum, sed contiguitas est bonum totius vniuersi, permanentis in loco

in loco naturali est bonum particulare, ergo magis inclinatur in illud, quàm in istud, ergo simpliciter resistit, ne vacuum detur. R. cum Scot. in 2 cit. negando maiorem, nec exéplum vrget, sed solùm ex eo sequitur, quòd totum magis diligit bonũ sui ipsius, vel partis principalioris, quàm minus principalis, ideò homo manum exponit, vt minus principalẽ ad salutem capitis, quod est membrũ magis principale, & non manus ex suo appetitu ad malum proprium se exponit; sic virtus regitiua vniuersi, qui est Deus mouet partes ad bonũ totius, non ipsæ partes se mouent, vt clariùs infra patebit.

Ob.3. Quòd neque de potentia Dei sit possibile: implicat dari effectum formalem, sine sua causa formali, sed corpus medium facit latera continentis distare formaliter, ergo implicat dari vacuum, quia tunc daretur latera distantia sine corpore. R. Ad minorem, quòd ly facere distare latera, non est effectus formalis primarius, nam potest esse sine illo, quod patet in penetratione corporũ, Vnde agens producens corpus contentum, facit effectiuè distare ex Scoto in 4.d.43.q.5. C. hinc quia Deus potest se solo facere quicquid cum causis secundis agere valet, se solo potest distantiam illam causare, quãuis nullum sit medium.

Ob.4. Sicut ex discontinuatione partium in homine, sequitur hominis destructio, ità ex discontinuatione partium vniuersi, totum vniuersum destrueretur, ergo non potest dari vacuum, partibus vniuersi remanentibus. R. Non ex qualibet discontinuatione partium sequi hominis mortem, cùm remaneant aliæ partes; sic etiam non ex qualibet discontinuatione partium vniuersi, sequi Vniuersi destructionem, quia adhuc aliæ partes remanent; neq. etiã currit paritas de structura hominis, & totius vniuersi, nam homo est vnum per se, & ità ex destructione partis, facilè talis vnitas destrui potest; structura autem Vniuersi est vnũ per accidens, & arteficiata.

Ob.5. Latera illa essent simul, cùm nihil mediet, ergo non esset vacuum; probatur antecedens, quia non mediat aliquod positiuum, vt patet, neq. negatiuum, quia maximè esset negatio quantitatis, & longitudinis, & tũ hæc negatiua distantia conciperetur ad modum longitudinis mediantis, & ità esset longitudo sine longitudine. Resp. Doctor quol. 11. cit. quòd inter latera illa mediaret medium priuatiuum, adesset tũ distantia positiua, quæ est relatio intrinsecùs adueniens in ipsis extremis distantibus fundata; medium autem hoc priuatiuum sufficit, vt illa latera simul non dicantur, & est negatio realis quãtitatis, sed apprehensa ad modum quantitatis, habet esse rationis. neq. debet in aliquo subiecto reperiri, quia non est priuatio, sed negatio loquendo de spatio illo medio, si verò sumatur vt dicit negationem continentiæ localis, sic est priuatio fundata in extremis corporis potentis aliud continere.

ARTICVLVS SECVNDVS.

A quo moueantur corpora ad replẽdum Vacuum, & an talis motus sit naturalis.

SCot. ad hæc dubia respondet in 3.d.27.q.vn.§. *Istæ rationes & c.*

& in

& in 4.d.43.q.1.lit. C.D.& E.& sæpè alijs in locis. Pro quorum intelligentia, supponimus cum cōi varijs medijs vti naturam ad vacuum euitandum; aliquando .n. vtitur motu locali, vt cum graue sursum ascendit, quandoq. vtitur rarefactione alicuius corporis, quo corpus in ampliorem redditur molem; quandoq. magno impetu vasa frangit; aliquoties etiam per quamdam negatiuam, obsistentiam, vt cùm latera follium compressa, obstructo orificio, vt aer subingredi non possit, non finit vllo pacto eleuari, & diuelli, quod oritur ne detur vacuum, quia tunc in laterum eleuatione satis cresceret locus, & aer inclusus in follis lateribus non sufficeret ad tantum locum replendum, & alijs vtitur medijs pro vt occasio postulat, vt vacuum euitet. Rectè igitur in presēti Art. quærimus causam effectiuam horum motuum, & præsertim localis, & an talis motus naturalis dici debeat, an potius violentus.

Satis in hac difficultate discrepant Doctores, nam pro causa efficiente talis motus Alij assignarunt causam intrinsecam ex parte mobilis, Alij extrinsecam, Alij vtramq. Illi qui causam intrinsecam assignarunt, Alij posuerunt grauitatem, & leuitatem, non quidem, vt naturæ quædam sūt particulares, cum sic determinatos motus ad propria loca efficiant, sed vt conseruationem, & vnitatem corporum respiciunt. Conimb. affirmāt in omnibus corporibus inditam esse virtutem quamdam à grauitate, & leuitate distinctam, cuius munus sit vacuum impedire pro vt opus fuerit. Qui causam extrinsecam assignarunt, Alij dixerunt esse Deum, vel intelligentiam aliquam vniuersi regitricem; Alij formam totius vniuersi, cuius reliquæ formæ sunt partes, vt Fuentes; Alij influentiam quamdam Cęlestem, vt Ægidius; Alij dixerunt illū motū fieri à corpore aliquo medio, quod nimium rarefieri deberet ad replendum vacuum, & ideò aliud corpus attrahit ad motum alterius, ità Cardanus de subtil. lib. 1. Qui verò vtràque causam assignarunt, dixerunt esse inclinationem illam in omnibus diffusam ad conseruationem totius, & Concursum primæ causæ, illa est causa intrinseca, hæc extrinseca; ità Tataret q. de Vacuo §. *Primo sciendum*. Sampson 4. Phys. q. 8. Complut. disp. 20. q. 1. Ruu. hic q. 1. Auersa q. 27. sec. 8. Et ex hac varietate opinionum, variè quoque ad 2. partem Articuli Resp. de naturalitate horum motuum; Qui .n. virtutem intrinsecam assignant, asserunt motum illum esse naturalem simpliciter, aut saltem partim naturalem, vt scil. res omnes bonum totius respiciunt, & partim violentum, quatenus naturas habent particulares; ità Tolet. 4. Phys. q. 10. Fuent. & Aue. sa; Qui verò ab extrinseco volunt prouenire, quasi omnes violentū ponunt. ità Lorca p. 2. tom. 2. disp. 4. §. *Sed tunc &c.* Vasq. disp. 25. cap. 4. & disp. 90. cap. 4. & Alij.

Sed quantùm ad primum dicendi modum, quòd scil. principium intrinsecum motus sit grauitas, & leuitas est contra experientiā, nam motus ad replendum vacuum eò est velocior, quò velocius mouetur corpus relinquens illud spatium, seu vacuū, hinc velociùs aliquādo ascēd. aqua ad replendum vacuum, quàm naturaliter

raliter

raliter descendat, ergo talis motus non prouenit à grauitate, quia ex se est virtus determinata ad producendum in determinata velocitate, nec velociùs mouere potest mobile sursù.n,quàm deorsùm,quia motus deorsùm magis proprius est grauitati,quã motus sursùm.

Neq. esse potest forma totius vniuersi, quia nulla datur, mundus .n. non est vnum per se, sed vnum vnitate ordinis, hinc ab Arist. lib. de Mundo cap.2.defin tur, quòd sit cõpago è Cęlo, terraq. coagmentata, atque ex his naturis, quæ inter ea continentur. Neq. esse potest influentia quædam Cęlestis, nam quando corpus obsistit, ne moueatur, vt apparet in follibus; in quibus fieri nequit dilatatio, orificio occluso,nõ posset hæc obsistentia causari à Cęlo. Neque esse potest corpus medium, quod rarafieri deberet, quia non videtur inter mutuò se tangentia aliquid mediare, maximè quando vnũ istorum est fluidum, vel ambo, vt aer, & aqua in fistula, ergo neque Principium intrinsecum, neque extrinsecum benè assignãtur pro principijs huius motus.

Conclusio Prima.

Dicimus Primò, corpora moueri ad implendum vacuũ ob colligationem eorum ortam ex Decreto Dei, effectiuè verò à mouente corpus illud,in cuius locum aliud corpus violenter motum succedit. colligitur ex Doct. in 3.d.27.cit.& in 4.d.43.q.5. lit.C.D.& E.quem sequitur Amicus, & Mastr.& Bell.disp.12.q.2.Contra Aliquos declaratur,& probatur Cõclusio. In motu violento ad replendum vacuum duo concurrunt. Primum est coniunctio corporum vniuersi ad inuicem, licèt .n. quodlibet possit à quolibet separari, non tñ ab omni: Secundum est motus ipse,quo vacuũ repletur. Colligatio habetur ab Auctore naturæ, ea lege qua determinauit, Vniuersum esse vnum contiguum, ad quam colligationem vult Deus semper concurrere; & in hoc sensu intelligi debet Scot. in 3. cit. cum ait, virtutem regitiuam totius mouere partes vniuersi, pro vt cõgruit benè esse totius,scil. conseruando contiguitatem partium;Motus autem fit à mouente corpus illud, in cuius locum aliud succedit, nam ex Doct. cit. in 4. quod effectiuè mouet vnũ corpus localiter,effectiuè quoq. expellit aliud corpus, ergo etiam quod effectiuè mouet vnum corpus, effectiuè quoque mouet quodlibet aliud naturali vinculo coniunctum, vt in glutinatis simul apparet, ergo stante Diuina determinatione de colligatione Vniuersi, qui attrahit aerẽ à fistula, attrahit etiam aquam effectiuè in fistula, & hinc est, quòd eadẽ resistentia sentitur,siue aqua moueatur sursùm propter vacuum, siue propter aliam causam, quod etiam euenit in condensatione, quod.n.est causa condensationis, & restrictionis alicuius corporis ad minorem locũ, est causa etiam, cur corpus ambiens moueatur ad superficiem condẽsati. hanc eãdem conclusionem ex PP.societatis nouissimè sequitur lynceus lib.7.Phys.tract.1.num.37.fol. mihi 288.

Sed vrges ex Põcio disp.16.Phys. num. 23. si esset talis colligatio inter corpora, ex ea non potius oriri deberet, quòd corpus recedens trahere de-

re debeat post se corpus subsequens, quàm corpus subsequens detinere corpus recedens; Et si talis colligatio esset ex sola ordinatione Diuina, sicut illa colligatio tribuitur Deo, ità etiam & motus factus ad replendum vacuum, Deo immediatè tribui deberet, non autem motori corporis recedentis, nisi per modum conditionis sine qua non, quatenus si ipsum non moueret corpus recedens, nec Deus moueret corpus subsequens. Resp. Mastrius, quòd natura semper facilioribus vtitur medijs ad impediẽdum vacuum, at facilius in præfato casu euitatur vacuum per attractionẽ aquæ in fistulam sursùm, quam per detentionem aeris in fistula, quia facilè assignatur causa efficiens talis attractionis, non ità detentionis aeris, nisi ad Deum recurramus immediatè detinentem corpora colligata, quod non est admittendum, nisi vbi deficiunt aliæ causæ naturales, quæ non desunt in proposito. Tum quia magis in omnibus actionibus satagere debemus, vt causæ secundæ suos motus agant, quàm eas impedire, impedìretur autem actio causę secundę si ex fistula aerem aquæ immersum attrahere non possemus. Ad aliud, negatur consequentia, licèt .n. colligatio corporum ex Decreto Diuino immediatè pendeat, non idcirco motus corporis succedentis, aquæ V.g. in locum aeris debet Deo immediatè tribui, sed potius motori corporis recedentis, nam connaturale est, quòd agens mouens effectiuè vnũ corpus, aliud quoque naturali vinculo ei cõiunctum consequenter moueat, ità Mastr. loc. cit. & in responsione ad Ponc. in Apolog. num. 283. qui iterũ contra responsionem Mastr. vrget videant qui tempus ociando conterere cupiunt in cit. Apolog. hinc inde Citat. Doctores diffidentes, quia nobis pro nostro instituto allata Doctrina satis est, & tantò magis quia Subtilissimi Doctoris, cuius vestigia sequimur, innixa auctoritati comprobatur.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. motum istum respectu corporis particularis esse totaliter violentum, nullo modo naturalem. colligitur clarissimè ex Arist. 4. Cęli 39. vbi docet, quòd aqua sursùm ad replendum vacuum mouetur vi, & tractione, at talis est motus violentus ex 7. phys. 10. & ratio huius est, quia Scot habet in 3. d. 27. q. vn. §. *Istæ rõnes &c* vbi docet, quòd aqua ad motũ sursùm nullam præbet inclinationẽ, etiam si propter vacuum fieret, proferens formalia verba: *Impossibile est aquam se mouere ad sursum propter quodcumq. bonum vniuersi, quia ex quo habet formam naturalem quæ determinata est ad vnam actionem; illa forma manens eadem numero nũquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione; ipsa igitur aqua non se mouet sursum sed solùm mouetur ab aliquo extrinseco, cui etiam nihil confert, quantum est ex naturæ sua, violenter igitur mouetur comparãdo ad propriam naturam aquæ.* hæc Scot. hinc non rectè Fuen es asserit, aquam vt partem vniuersi naturaliter sursum moueri, quia neq. vt pars vniuersi habet inclinationem ad illum motum per Scot. loc. cit. vbi ait: *pars sibi dimissa, & considerata secundum inclinationem suam, nunquam exponit se ad non esse pro alio.*

Ob.

Ob. Pro Fuent. ex Doct. in 4. d. 49. q. 13. l. t. H. vbi sic ait: *aquam esse sursùm, vt saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum, immò si tunc descenderet, relicto vacuo superius, esset simpliciter violentum, & secundum quid naturale, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis, quàm natura ista particularis, & magis naturale quod tali toti conuenit, quàm quòd propriè huic parti*, ergo aqua, vt pars est vniuersi naturaliter sursū mouetur. ℞. Negando consequentiā, quia Scot. non comparat motum sursùm propter vacuum ad aquam sm̄ se, & vt est mundi pars, sed solùm, quòd si motus aquæ sursum comparetur vniuerso, dicetur naturalis, quia cōsentaneus est perfectioni vniuersi, non tamen quòd motus ille respectu aquæ sursum, vt est pars vniuersi sit magis naturalis, quàm motus deorsum; & opinio quam sequitur Fuent. est Thomist. nō Scotist. & ratio Scoti est clara, quia forma naturalis determinata ad vnam actionem, manēs eadem numero, nunquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione; at violentum, & naturale opponūtur simpliciter, ergo si motus aquę sursum est violentus, quia est contra eius inclinationem naturalem, semper erit talis, vt respicit eius naturā; si autem dicatur naturalis, quia natura abhorret vacuum, hoc erit per accidens, quia eius motus sursum si non esset ad vacuum adimplendum, iam esset adhuc violentus. Tum quia res in proprio elemento non grauitat, sed quiescit propter naturalem inclinationem, quam habet ad proprium locum; at videmus, quòd quādo aqua ascendit per fistulam ad replendum vacuum grauitat; & quantò plus aquæ ascendit, eo magis fistula grauat manum, ergo tunc aqua mouetur violēter ab extrinseco impellente. Ait Lisbonensis q. 9. art. 2. diffic. 1. quòd aqua, quæ ascendit non grauitat actu, sed illa quæ adhæret lateribus fistulæ madiando ipsam, illa .n. aqua cū nō ascēdat reddit fistulā magis ponderantem. Non valet, nam faciamus, quòd adhuc ex fistula sic madefacta, iterum attrahatur aqua, sequeretur quòd fistula sic aquam attrahendo non amplius manum grauitaret, at hoc est contra experientiam, semper .n. aqua in fistula grauitat, etiam si per totum diem attraheretur.

Ob. Ex D. Thoma 1. p. q. 60. art. 5. Sicut eleuatio pedis est naturalis homini sm̄ formam animæ, sed non sm̄ rōnem corporis, ità virtus, seù motus, quo corpus currit ad impediendum vacuum est simpliciter naturalis respectu boni communis, & sm̄ quid habet rationem violenti, in quantum est contra peculiarem inclinationem ipsius corporis. ℞. Negando paritatem, nam in illa eleuatione pedis datur duplex principiū, scil. anima, & corpus, & respectu vnius est naturalis, respectu alterius est violenta, at nos hic loquimur de eadem re naturali, quæ si violenter natura sua moueatur sursum, semper sic violenter moueretur, cùm sit à forma determinata ad vnum, & talis motus dicitur naturalis solùm per accidens, quia consentaneus perfectioni vniuersi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Corpus in Vacuo posset moueri, & hoc supposito, an talis motus esset instantaneus, vel successiuus.

SCot. in 2.d.2.q. ad 4. resp. affirmatiuè cum D. Thom. 4. Phys. lec. 11. prope finem, & 3.p.q.17.art. 4. ad 2. quos sequuntur vtriusq. Scholæ Alumni, & duo quærimus in præsenti: Primum, an si daretur vacuum, posset in eo fieri motus aliquis: Secundum, concesso, quòd motus fieri possit, an in instanti fieret, an etiam in tempore, & successiuè. Quò ad primum negatiuè resp. Albert. 4. Phys. tract.2.cap.7. Ægid. quol.6.q.7 §. *Declarato igitur &c.* Iandun. Venet. Vallef. Gregor. Perer. & Alij cum Auerroe 4. Phys. com.71. & hoc vniuersaliter de omni motu, vel de aliquo, nam Auerr. admittit in vacuo motum proiectorum. Complut. disp. 2. q. 3. & Masius disp. de vacuo q. 2. admittunt motum in vacuo à Deo tñ, vel ab Angelo causatum, non ab his sublunaribus, eo quia omnes isti motus à motu Cæli essentialiter dependent. Auersa omnem motum admittit præter naturalem grauium, & leuium, ex eo quia in vacuo deficiunt differentiæ loci naturalis sursum, & deorsum. Alij excipiunt motum volatiuum, & progressiuum propter carentiam terræ sustentantis. Communis tñ sententia, tam Veterum, quàm Recentiorum omnem motum in vacuo terminato admittit, estò in spatio interminato neget motum naturalem grauium, & leuium, ità Scot. loc. cit. in 2. Quò ad Secundum, dato quòd res aliqua in vacuo moueretur, Aliqui asserunt motum in instanti absolui debere, non in tempore, ex quo absurdo postea deducunt impossibilitatem motus in vacuo, ità Auerroes, Ægidius cum alijs primo loco citatis, & videtur etiam esse mentem D. Bonau. in 1.d.37.part.2. art.2.q.3. ad 2. Receptissima tñ apud omnes sententia concedit motum illũ fore successiuum, & in tempore causandum, licèt Canonicus 4. Phys. q. 4. & Sampson q. 9. vtramq. problematicè defendant.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, non repugnare motum in Vacuo. est Scoti loc. cit. & probatur primò vniuersaliter: Vbi datur mouens, mobile, & extrema, quorum vnum potest mobile de nouo acquirere, relinquendo aliud, ibi potest esse motus, vt patet, sed in Vacuo si daretur, posset esse tam mouens, quam mobile, & extrema, seu carentia alicuius formæ, neque carentia medij in omnibus impediret, ergo verè daretur ibi motus.

Probatur 2. talem motum non auferri ob defectum agentis, si. n. loquamur de Deo, nulli dubium est, quòd ipse potest aliquod mobile in vacuo mouere; Sic etiam Angelus posset seipsum, & aliud mobile localiter mouere, quia nullo modo à medio pleno dependet. Quòd etiam posset hoc efficere agens sublunare proprijs viribus, inde patet, quia in agendo non pendet essentialiter à Cæesti motu, vt isto cessante, non possit proprios motus agere, nam vt Scot. docet in 2.d.2.q.11. & in 4. d.49.q.14. lit. M. ex Aug. 11. Confes. stante Cælo adhuc rota figuli moueretur; & tempore Iosue cùm sol stetit obediente Deo voci hominis, adhuc

huc causa sublunares proprias actiones exercebant; & si aliquod viuens sufficienter alimentum applicatum haberet, & respiratio non impediret, posset nutriri, & augeri, imò & generare, si materia seminis esset in loco proportionato. Posset etiam homo non solùm intelligere, sed etiam sensationes tactus, & gustus exercere, si approximata haberet sensibilia, quia huiusmodi operationes non pendent à medio pleno. Non posset tñ animal videre ait Scot in 2.d.9.q. 2.lit.C.& ratio est, quia ad visionem requiritur species visibilis in medio ab obiecto producta, cùm sit accidẽs, in vacuo autem nullum esset subiectum, in quo talis species reciperetur, & eadem rõne idem de auditu, & de olfatu dicendum foret, nisi apponeretur corpori odorifero aliquid resoluens ipsum in fumalem euaporationem, quæ ad olfatum deferretur, vt ait Sampson; neq. hoc implicaret, quia fumalis illa euaporatio, cùm sit substantia non pendet à medio pleno. Sic etiam si ignis contiguus esset stuppæ, vtiq. illam cremaret, at si aliquantisper distaret, non combureret, ratio est, quia estò generans posset generando agere immediatè in distans, alteratio tñ, quæ est accidens, & actio necessariò præuia generationi, pendet à medio pleno.

Probatur 3. de motu locali, seu lationis, nam posset in primis fieri in Vacuo motus proiectorum, si talis fieret per impetum impressum, quia medium plenum potius impediret, quàm motum causaret, vt melius lib. de Cælo patebit. In vacuo interminato, posset Angelus si ibi esset se mouere, & si vltima sphæra Empireo non ambiretur, sed immediatè circumdaretur à spatio inaui, si illi affixa esset aliqua virga ferrea, posset imò deberet ad motum sphæræ moueri, & tñ in vacuo moueretur; quod etiam dicendum erit, si inferiores sphæræ à Deo destruerentur, quia tunc verè vltima sphæra circulariter in vacuo moueretur. De motu naturali grauium, & leuium aliter dicẽdum venit; Si .n. grauia, & leuia ideò ad propria loca sursùm, & deorsùm mouentur quia grauia petunt tantùm esse sub leuibus, & leuia super grauia, & non quia determinatũ situm postulant in vniuerso, sic rectè philosophatus est Auersa, nullo modo naturaliter moueri, tam in vacuo terminato, quàm interminato, quia in nullo istorum esset assignabilis locus naturalis sursùm, & deorsùm, qa nullum corpus contiguum haberet, à quo posset determinari, in quã partem moueri debeat, & extrema distantia nihil conducerent; Si verò ad rationem loci naturalis non tñ corpus continens attendi debeat, verum etiam situs vniuersi, vt innuere videtur Scotus in 2.d.2.q.10.B. dum ait: *Si nullum graue esset in centro, sed tota terra amota ab eo, & remanente centro sub sola ratione centri, vt prius, adhuc graue naturaliter tenderet ad centrum*; tunc dicendum esset, quòd estò grauia, & leuia in spatio interminato non possent naturaliter moueri, quia non essent assignabiles istæ locorum differentiæ scil. sursùm, & deorsùm, in vacuo tñ terminato intra vniuersum, possent naturaliter moueri ad propria loca, quia verè daretur adhuc sursùm, & deorsùm; Vel dicendum esset, quòd

in casu,

in casu, quo vacuum intra Cęlum lunæ auferret omnia elementa præter terram, tunc terra esset actu centrum reale, in ordine ad quod sumerentur differentiæ Vbi realis, quod acquireretur per motum, & differenti motuum sursum, & deorsum, motus n. deorsum est ad centrum, motus sursum à centro. de motu progressiuo animalium, & volatilium, patet, si n. animal poneretur à Deo in vacuo, haberet iam virtutem progressiuam, & volatiuam, haberet concursum Dei, haberet spatium, ergo nihil deest, vt ibi motus fieri possit; sed de his fusiùs, in lib. de Cęlo.

Obiectiones.

Ob. Cū Æg. dio quol. 6. q. 6. Causa particularis in operando localiter depe det ab influxu causæ Cęlestis ex Arist. 8. Phys. 56. & 12. Meth. 38. cui fauet D. Thom. 1. Cęli lect. 22. vbi docet, quòd homo positus supra vltimum Cęlum non posset manum extollere, nisi fuerit glorificatus qa tunc ob statum gloriæ non sub ectaretur influxui Cęlorum; Sed in corpore existente in vacuo, nec immediatè, nec mediatè recipi potest influxus Cęlestis ad efficiendum motū localem, ergo dato vacuo, corpus naturaliter moueri nequit per illud. maior est clara, corpora n. superiora agunt in his nferioribus, minor probatur, influxus Cęlestis est accidens, ergo peruenire non potest ad corpus existens in vacuo, nisi per corpora intermedia, quæ vt supponimus non dantur, admisso vacuo. ℞. vt supra negando maiorem, ad quod etiam conducit Auctoritas D. Thom. opusc. 11. art. 11. vbi a t: *per subtractionem Diuini influxus omnia subitò perirent, sed non sic per subtractionem motus Cęli sed post aliquod tempus*, & opusc. 1. art. 4 inquit: *Si cessarent Cęli, homo posset mouere manum, & linguam eodem modo ac prius*. Hinc Aliqui Thomistæ affirmant, quòd saxum positum in cor cauo lunæ, vacuo in regionibus inferioribus existente, posset ab Angelo localiter moueri, quia Angelus est superior Cęlis, & in mouendo non dependet ab eorum influxu, vt D. Thom. docuit 4. Phys. lec. 11. quare posito corpore in vacuo, corpus naturaliter moueretur motu dilationis, quia talis motus cōducit ad repletionem vacui, & Deus vt Author naturæ tenetur influere in illum motum, & si esset lignum aliquod, cuius extremum esset in pleno, & medium esset in vacuo, posset illud trahi ab extremo, & tunc necessariò moueretur etiam medium, quod esset in vacuo. Vnde Scot. in 4. d. 49. q. 13 G. ait, quòd motus Cęli non est primus primitate causalitatis respectu motuum sublunarium, sed principalitatis, & vniformitatis, & intantùm adest quædam dependētia, in quantùm adducit generans.

Ob. Motus localis non potest esse sine loco, nec locus sine superficie, sed in vacuo nulla est superficies, ergo ibi nullus esse potest motus localis. hæc difficultas tangitur à multis, sed non ab omnibus rectè soluta manet, nam diuersimodè respondent Thomistæ, & Scotistæ, & aliter Faber, aliter Bonetus, aliter Masius, aliter Compl. aliter Lisbonensis, aliter Lerma, & aliter Alij. in hoc tū conuenire videntur, quòd tunc ambiretur mobile à loco cōmuni, scil. Cęlo, & hoc foret Vbi, quod tunc acqui-

acquireretur. Non valet, quia non euitant difficultatem de motu facto in vacuo interminato, vbi non est Cęlum; nec respectus, quem mobile acquirit in ordine ad Cęlum rectè appellatur Vbi locale, quia Vbi est immediata circumscriptio locati à loco, & respectus qui acquiritur ad varias Cęli partes est propinquitatis, vel distantiæ, non localis præsentiæ; hinc quia huiusmodi relationes propinquitatis, & distantiæ sunt intrinsecùs aduenientes, non possunt terminare motū. Et quia Cęlū est locus cōmunis, tūc ōnes motus locales, siue sursum, siue deorsū essent eiusdē speciei, quòd falsū est. Ideo nos breuiter ex superiꝰdictis asserimus ꝙ motus localis fieri nō potest, nisi in pleno, in quo solū reperitur vbi locale, quod attenditur in ordine ad superficiem realem ambientem, motus tū lationis sm̄ totam suam realitatem, tàm fieri potest in pleno, quàm in vacuo, quia per se terminus eius est Vbi præsentiale; Vbi verò locale est terminus tm̄ per accidens quatenus accidit motum lationis fieri in pleno, & eamdem responsionem tetigit Lisbonensis, dum ait: per motum in vacuo acquiritur locus, non extrinsecus, sed intrinsecus. hoc autem Vbi præsentiale, quod est per se terminus lationis attendi debet penès determinatas partes Diuinæ Substātiæ per totum illum spatium diffusæ, quatenus in toto motu illi coexisteret, qui respectus cùm sit verus, realis, & positiuus, & à mobili realiter distinctus, quia modò coexistit Deo hic, modo ibi in eo spatio, sufficienter terminare potest motum realem & positiuū: ità Mastr. & Bell. loc. cit.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. supposito motu in vacuo, talis motus esset successiuus, non instantaneus. Et Scoti loc. cit. & cōmunis contra Auerr. Achillin. Zimaram, & Ægid. quol. 6. punc. 6. & ostēditur primò athor. Arist 6 Phys. cap. 3. vbi docet, in omni motu locali prius debere esse mobile in termino à quo, deinde in medio, posmodū in termino ad quē, sed hoc requirit successionē, ergo &c. 2. Successio non solùm sumitur ex parte resistentiæ, sed etiam ex parte spatij, sed spatium vacui non potest pertransiri in instāti, ergo licèt non sit ibi resistentia medij, tū propter distantiam spatij, non posset motus fieri in instanti; maior patet, minor probatur, non potest eadē res creata esse simul sursū, & deorsùm, quia esset sursum, & non sursum, quod implicat, at si vacuum pertransiri posset in instanti, tunc eadem res esset simul sursùm, & deorsùm. 3. Si lapis in instanti moueretur à concauo Cęli vsque ad centrum; vel in vno, & eodem instanti erit in Cęlo, & in terra, vel in vno instanti erit in Cęlo, & in alio instanti erit in terra, non primum, quia sic esset naturaliter in pluribus locis, si secūdum, cùm inter duo instantia mediet tempus, moueretur in tempore, & consequenter successiuè, non instantaneè.

Obiectiones.

Ob. 1. Authoritate Arist. 4. Phys. à tex. 65. vbi ostendit, vacuū destruere motum, quia necessariò deberet fieri in instanti. R. satis laborare Peripateticos de sensu Arist. cùm motū in vacuo negauerit, conueniunt tū in hoc, quòd loquatur ad hominem contra Antiquos, qui ex vna parte

vacuum

vacuum admittebant propter motum localem, ex alia deinde asserebant, omnem successionem prouenire ex resistentia medij pleni. Contra arguit Arist. si vacuũ necessarium est propter motum localem, ergo ibi motus fieret in instanti, & non successiuè, cùm ibi nulla esset ex parte medij resistentia.

Ob. 2. Qualis est proportio medij ad medium in subtilitate, & densitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus, quia ideo velociùs, aut tardiùs mouetur, quia magis, vel minus medij resistentiam euincit; sed vacui ad plenum nulla est proportio in subtilitate, & densitate, ergo nec motus ad motum in velocitate, & tarditate, & ità motus fieret in instanti. ℞. Concedendo, quod inter vacuum, & plenum non datur proportio, quò ad subtilitatem & densitatem, quæ sunt causæ successionis accidentalis, est tũ proportio quò ad distantiam extremorum, & impotentiam agentis finiti, & limitati, quę causant successionem essentialem, implicat .n. naturaliter ꝙ idem mobile sit simul in termino à quo, & in termino ad quem, nec agẽs naturale potest ipsum mobile in duplici termino constituere.

Ob. 3. Si daretur in vacuo motus successiuus, sequeretur, quòd duo corpora, quorũ vnum esset grauius, alterum minus graue, possent æquali tempore quodcumq. spatium vacuũ percurrere, nam ratio, cur grauius velociùs descendit, est quia faciliùs secat medium, & in vacuo nullum est medium, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Negando sequelam cum sua probatione, illa .n. facilitas ad secandum medium, non est præcisa, & præcipua ratio, cur grauius descendat velociùs corpore minus graui, sed hoc euenit, quia habet maiorem virtutem motiuam deorsum pellentem, quam adhuc retinet, & in vacuo.

Ob. 4. In vacuo nulla est resistentia, ergo nulla successio in motu, sequela est clara, antecedens probatur, non est resistentia ex parte medij, vt patet, neq. ex parte distantiæ in terminos à quo, & ad quem, quia hæc distantia nihil est, ergo non potest successionem realẽ causare, neq. ex parte agentis, quia si contrarium ibi non adest, agit ex se in instanti, vt patet in illuminatione. ℞. Negando assumptum, adest .n. resistentia ex parte distantiæ, ad probationem, dicimus quòd distantia priuatiua non causat effectiuè, & positiuè moram realem, sed quasi formaliter, quatenus mobile nequit simul habere distantiam illam, à qua iam exceditur; Nec distantia est nihil, sed respectus realis in extremis distantibus fundata. Adest etiã resistẽtia ex parte agentis, quia est limitatæ, & finitæ virtutis; ad probationem dicimus, verum esse, si terminus potest indiuisibiliter acquiri, vt est lumen, at tota distant a, cùm sit diuisibilis, sicut etiam, & mobile resistunt potentiæ agentis. hæc sent. est etiam D. Tho. in 4. d. 44. q. 2. art. 3. & ex Neuth. Hurt. d. disp. 14. Phys. sec. 6. nu. 60. Conimb. 4. Phys. cap. 9. q. 4. & 5. Amic. tract. 21. q. 4. dub. 1. art. 2. Tolet. cap. 9. q. 9. Tellez. disp. 32. sec. 5. & nouissimè Lync. lib. 7. Phys. tract. 1. de loco, num. 37.

DISPV-

DISPVTATIO XVI.

DE DVRATIONE, SEV TEMPORE

ARist. in hoc 4. Phys. disputationi de loco, disputationem de tempore annectit, propter affinitatē materiarum, ficut.n. locatum est in loco, sic etiam in tempore, quod est mensura, & duratio loci, & locati. In capite ergo decimo huius probat contra Antiquos dari tempus, & deinde in sequentibus, tempus definit, eius proprietates declarat, & aliqua aduerbia significantia, & cōnotantia tempus explicat. Et quia durare nō solùm motui conuenit, sed etiam rebus alijs naturalibus, propterea non solùm de tempore, verùm etiam de alijs quoquè durationibus agemus; & primò de duratione in communi, postea de eius speciebus, quæ communiter tres assignari solent, scil. Aeternitas, Aeuum, & Tempus, ipsas postea in alias diuidendo. Nomine autem durationis, si vis vocabuli attendatur, intelligitur id, quo res est, & persistit in rerum natura, & propriè quamdam permanentiam in esse dicit, & perseuerantiam in eodem statu, licèt si latius sumatur dicit quācumque habitionem alicuius esse etiam instantaneam.

ARTICVLVS PRIMVS.
Quid sit formaliter duratio.

SCotus articulum hunc resoluit in 2.q.2.lit. H. vbi loquens de duratione Angelica, ait, non esse necesse ponere aliquid reale, siue absolutum, siue respectiuum distinctum ab existentia Angeli, pro eius mensura, & duratione. idem colligitur ex quol. 9. lit. R. loquens de Æternitate Dei, & alibi. Pro cuius resolutione sciendum est, quòd existentia correspondet productioni, vt eius effectus, & duratio conseruationi, hinc sicut res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conseruata, ità in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia duratio aliud non est, quàm existentia rei continuata, & conseruata, vt ex Scoto colligitur in 2.d.2.q.1. §. *Ad argumenta pro prima opinione.* lit. E. Vnde sicut alibi diximus, conseruationē ex impositione nominis significare realem dependentiam rei, à sua causa, dare autem intelligere respectum quemdam rationis ad esse præhabitum, ità in proposito de duratione philosophandum erit; & licèt veritas hæc in Scoti sententia sit clarissima, non tñ apud intellectum Aliorum, ideò circa eam multæ, & variæ extant opiniones.

Prima asserit, Durationem supra existentiam rei formaliter addere rōnem mensuræ, ità multi ex Thomistis, quos etiam ex nostris sequuntur Conon. 4. Phys. q. 5. dub. 3. & Anton. Andreas. 5. Meth. q. 11. & quia mensura est duplex, actiua, quæ consistit in quantitate intellectui nota,

per quam de alia ignota intellectus certificatur; & passiua, quæ dicit aptitudinem, & mensurabilitatem rei, vt possit per notiorem quantitatem ab intellectu cognosci, hinc deinde huius sententiæ Authores dissident inter se, quam ne rationem mensuræ importet duratio, an scil. actiuę, vel passiuæ.

Secunda opinio affirmat, durationem aliquid superaddere existentiæ ex natura rei ab ea distinctum, sicut rem à re, quam videntur amplectere Complut. de duratione creata disp. 21. Phys q. 3. quia ipsam durationem ponunt accidens reale; Alij verò, ꝙ potius ipsa duratio, sit modus existentiæ positiuus, quo formaliter res in existentia perseuerat, ità Conimb. cap. 12. q. 3. Run. 4. Phys. tract. 2. de tempore q. 4. & Murcia disp. 3. q. 3. quam probabilem putat Amic. tract. 22. dub. 2. art. 3.

Tertia, quã multi sequuntur Scotistæ, vt videre est apud Vulp. 1. p. disp. 17. & Smisinch. tenet, durationem formaliter addere negationem desitionis, quia tunc res permanere concipitur, cũ eius esse non destructum intelligitur, & quia si solùm per instans res existeret, verè in eo instanti destructa non esset, hic consequenter asserunt rem in illo instanti verè, ac propriè durare. Quarta sententia est Suar. disp. 50. Meth. sec. 2. qui docet, durationem formaliter dicere respectum quemdam permanẽtiæ ad esse ipsius durantis, vt præcedens, qui respectus cùm non sit in re per instans existente, ideò nec verè, nec ꝓpriè tunc durare dici debet.

Conclusio.

Dicimus, formale significatum durationis sm̃ id, quod dicit quid positiuum, & reale à parte rei, esse existentiam rei durantis, pro vt cõnotat respectum, vel realem, vel rõnis coexistentiæ alicui durationi extrinsecę, saltẽ imaginariæ: est Scoti in 2. cit. & quol. 6. lit. R. quã amplectũtur Bassol. ĩ 2. d. 2. q. 1. art. 3. Mastr. & Bell. disp. 13. q. 1. & ex Exteris Masius disp. de Tempore sec. 3. q. 1. & Alij; & primò probari potest ex confutatione opinionum Aliorum. quòd non dicat rõnem mẽsuræ, quęcumque illa sit, habetur à Scoto in 2. cit. lit. G. nam mensurari, vel mensurare, est intellectum certificari, vel certificare de quantitate ignota per alteram notam, atque ideò mensura dicit ordinem ad intellectum, vt etiã Doct. docet quol. 13. M. sed quælibet res independenter ab intellectu dicitur durare, ergo duratio formaliter, non dicit durationem mensuræ siuè actiuæ, siuè passiuæ. maior patet, minor probatur, nam accidit rei duranti, quòd vnus intellectus sit certus, vel incertus de ipsius duratione.

Dices, Duratio non dicit rõnem mensuræ actualis, sed aptitudinalis, & mensurabilitatem. Contra, hæc mensurabilitas dicit tantùm cognoscibilitatem in duratione rei durantis, ergo præsupponit durationem in re, sicut cognoscibilitas alicuius entis præsupponit entitatem illius; patet consequentia, quia passio semper supponit entitatem rei, cuius est passio, cùm ab illa re dimanare intelligatur.

Secundò, quòd non dicat aliquid ab existentia ex natura rei distinctũ, nec vt rem à re, nec vt modum, probatur: prius realiter distinctum à posteriori

steriori à, quo nulla rõne dependet, potest ab eo separari, saltem per potentia Dei absolutam, & separatum conseruari; sed existentia est prior ipsa duratione, ac proinde independens ab ea, ergo potest à duratione separari, & etiam sic separata conseruari; subsumitur argumentum, sed hoc implicat, nam rem durare in proprio rigore aliud non est, quàm eius existentiam permanere, & conseruari in esse, ergo &c. Tum quia ꝙ Deus potest pro vno solo instanti facere sine alio, potest etiam tempore sequenti sine illo conseruare, quia non est minor Dei potentia pro tempore sequenti, quàm in illo primo instanti, ergo cùm res in primo instanti talem entitatem, vel modum non habeat, quo duret, poterit quoq; deinceps toto tempore sequenti sine tali re, vel modo conseruari, quod implicat, quia eo ipso iam durare diceretur, cum duratio aliud non sit, quàm rei existentia continuata, & conseruata. Nec vim argumenti persuadunt, qui hoc superadditum ponunt esse modum, & modaliter tm̃ distinctum, quia cùm ab his Authoribus hęc distinctio explicetur, vt possit res esse sine modo, & non è contra, hoc solùm consequuntur, quòd duratio, quia est modus, separari nõ potest ab existentia, non verò quòd existentia separari nequeat à duratione, & separata conseruari; & si potest res in primo instanti esse sine tali modo, poterit etiam Deus eam tempore sequenti sine tali modo conseruare, nam parum ad hoc refert, ꝙ illud superadditum tempore sequenti sit res, vel purus modus rei. Tum quia productio, & conseruatio non distinguuntur ex natura rei, sed tm̃ per connotata rõnis, quia conseruatio per se loquendo aliud non est, ꝙ productio rei perseuerans, seù continuata, ergo idem asserendum erit de existentia, & duratione, quæ illis, vt effectus correspondet.

Rur. Resp. quòd permanentia duplex est, vna quæ sumitur pro actuali dependentia substantiali ab agente non interrupta, quæ à Complut. appellatur permanentia fundamentalis, & sic est conseruatio rei; altera quæ accipitur pro continuata depẽdentia accidentali, quam Complut. permanẽtiam formalem vocant, quæ causatur ab illa permanentia substãtiali, & hæc permanentia, seu duratio est realiter ab illa distincta. Sed Contra, nihil potest dici formaliter tale per id, quod præsupponitur illud esse tale, sed hæc accidentalis duratio iam præsupponit rem in suo esse existere, & permanere, sicut omne accidens suum subiectum supponit existens, non solùm in principio, sed etiam in toto tempore, quo reperitur in subiecto, ergo hæc dependentia accidentalis non est necessaria ad concipiendam rei durationem; quia res durat eo ipso, quòd conseruatur, seclusa quocumque alio, ergo permanentiæ fundamentalis sufficit ad rei durationem, seclusa illa formali. Tertiò, quòd non dicat formaliter negationem defitionis, vt quid ab existentia distinctum, patet ex eo, quod Scotus habet in 2. d. 2. q. 1. fol. mihi 27. vbi concedit hanc propositionem: *negatio negationis est affirmatio positionis*, ex primò perhierm. c. 5. ergo cùm destructio rei sit formaliter negatio existentiæ rei, tanc. ne-

res dicitur destructa, quãdo amplius nõ existit, negatio destructionis erit formaliter ipsamet rei existentia, & non quid negatiuum ab existentia distinctum. hac etiam rõne Recentiores vtuntur, præsertim Hurt. in Meth.disp.17.sec.1. Auersa q.29.sec. 3.& Alij.

Quartò, quòd non dicat formaliter respectũ illũ permantiæ, vt vult Suar. ex eo patet, quòd duratio est quid reale, quia verè res existens durare realiter dicitur, sed respectus iste est rationis, cùm sit eiusdem ad seipsum, ergo &c. modus tñ probabilis hanc sententiam tuendi insinuatur à Doctore art. sequenti de Æternitate.

Remanet ergo dicendum, quòd duratio formaliter non dicat, nisi existentiam rei, at non sic simpliciter, sed aliquid addit supra existentiam scil. respectum coexistẽtiæ alicui durationi imaginariæ, quæ est relatio rõnis, quæ tñ non potest à duratione formaliter importari, quia nullum ens rationis potest esse de rõne formali alicuius positiui realis, ergo erit, vt connotatũ. Declaratur, principale significatum alicuius nominis dicitur illud, quòd primò datur intelligi ex institutione nomen illius imponentis, connotatum verò, quòd datur intelligi ex modo consignificandi principalis significati, vt diximus in Logica, exemplificãdo de nominibus prandij, & cenę &c. ergo sicut hac rõne productio, & conseruatio de principali significato dicunt respectum realem essentialis dependentiæ ad causam, non tñ eodẽ modo, quia productio dicit hanc relationem cũ respectu ad non esse præcedens, conseruatio dicit eandem cum respectu ad esse præhabitum, & idcircò hi respectus connotata dicũtur; ità in proposito existentia, & duratio de principali significato idem prorsus important, scilicet actualitatem rei extra suas causas, vel in rerum natura, sed quia non eodem modo id significant, nam existentia rei id importat, vel absolutè, vel cũ respectu ad non esse præcedens, duratio verò cum respectu ad esse præhabitum, aut cum coexistentia ad extrinsecam durationem, hinc huiusmodi respectus erunt connotata durationis, non formale significatum. Diximus hunc respectum esse rõnis, quia estò in duratione creata respectus iste aliquando possit esse realis, si ad tempus reale comparetur, hæc tñ realis coexistentia non est simpliciter necessaria, vt habeatur distinctus conceptus durationis rei, sed sufficit, si coexistentia intelligatur terminari ad durationem imaginariã.

Ex his colligitur, quòd quæstio illa an scil. res per instans solum existens dicatur verè durare, est quæstio de nomine, nam si duratio sm̃ vim vocabuli attendatur, dicit rei existentiam connotando coexistentiam ad durationem successiuam, & ità nõ dicetur durare in instanti, propter carentiã connotatis si verò latè sumatur, dicet existentiam coexistentem etiam instanti temporis imaginarij, & sic res instantanea durabit, & in hoc sensu intelligendus est Scot. in 2.d.2.q.4. cùm ait, quòd si Angelus vnico tãtum instanti existeret, adhuc duraret. colligitur etiã ex hac doctrina decisio illi⁹ quæstionis, quomodo duratio ab existentia distinguatur.

tur, nam solùm differunt penes connotata, sicut creatio, & conseruatio, ità Bell. & Mastr. loc. cit.

Obiectiones.

Ob. 1. Quòd duratio formaliter aliquid addat supra rei existentiam: Duratio est prædicatum trascendés, Deo, & creaturis conueniens, reducibile ad prædicamentum quando, sicut sapientia ad qualitatem, ergo distinguitur realiter ab existentia, quæ ad prædicamentum illius rei, cuius est existentia, reducitur. ℞. Quòd duratio reducitur ad prædicamentum quando, sm̃ id, quod connotat, non secundum suum formale significatũ, quod est existentia, ideò nulla est consequentia.

Ob. 2. In primo instanti res existit, non tñ propria duratione durat; item duratio dicitur longa, vel breuis, minor, vel maior, aut æqualis, non sic existentia rei, cùm sit indiuisibilis; ergo distinguuntur realiter existentia, & duratio. ℞. existentiam variari quo ad connotatum, non quo ad significatum formale, hæc est .n. natura connotatorum, sic prandium, & cœna formaliter dicunt comestionem, connotant tñ diuersa tempora; negatio, & priuatio formaliter conueniunt, differunt verò connotatiuè; hinc existentia separatur à duratione propriè dicta, sicut cõmestio ab hoc quod est serotina, vel matutina, & priuatio à negatione per aptitudinẽ ad subiectum. Variatur etiam quò ad connotata in ordine ad durationem imaginariam, ex qua desumuntur illæ denominationes scil. rem plus, diu vel breuiter &c. durare.

Ob. 3. Sicut se habet locatum ad essendum in loco, ità res durans ad durandum, sed locatum non est in loco per aliquid realiter sibi identificatum, sed per relationem realiter distinctam, ergo &c. ℞. Negando paritatem, nam esse in loco principaliter dicit ordinem ad aliquod extrinsecum locans, at rem existere, vel durare dicit principaliter conceptũ absolutum, & in ordine ad se, estò vt à nobis adæquatè concipiatur, explicetur per respectum ad aliud extrinsecum, ideòque locus dicit formaliter respectum, duratio verò existentiam. Tum quia, vt benè discurrũt Mastr. & Bell. vt res dicatur successiuè præsens alteri, & alteri spatio locali, requiritur variatio ex parte ipsius rei, & spatium intelligitur permanens, & immobile, vt verò res dicatur coexistens alteri, & alteri imaginariæ durationi, res concipitur vt immobilis, & eadem perseuerans, & interuallum illud durationis imaginariæ, vt fluens, & transiens &c.

Dices, tẽpus imaginariũ est purum nihil, ergo ex connotatione ad illud desumi non potest noua realis denominatio maioris, vel minoris durationis. ℞. Negando consequentiam, potest .n. dari respectus realis, saltẽ sm̃ quid ad non ens, vt diximus in Logica disp. 13. de Relat. art. 8. fol. 573. & talis est distinctio, qua forma dicitur à sua priuatione distingui, & respectus, quem dicit creatio ad nõ esse rei immediatè præcedés &c. qui respectus dici potest realis, quatenus distinguitur à mero respectu rationis causato per actum intellectus, & ratione fundamenti ex Doct. quol. 13. P. & Lychet. ibi, eo modo quò priuatio, & denominationes extrinsecæ dicuntur reales; & eadem rõne etiã

ex pte

& in 4.d.43.q.1.lit. C.D.& E.& sæpè alijs in locis. Pro quorum intelligentia, supponimus cum cõi varijs medijs vti naturam ad vacuum euitandum; aliquando .n. vtitur motu locali, vt cum graue sursum ascendit, quandoq. vtitur rarefactione alicuius corporis, quo corpus in ampliorem redditur molem; quandoq. magno impetu vasa frangit; aliquoties etiam per quamdam negatiuam, obsistentiam, vt cùm latera follium compressa, obstructo orificio, vt aer subingredi non possit, non sinit vllo pacto eleuari, & diuelli, quod oritur ne detur vacuum, quia tunc in laterum eleuatione satis cresceret locus, & aer inclusus in follis lateribus non sufficeret ad tantum locum replendum, & alijs vtitur medijs pro vt occasio postulat, vt vacuum euitet. Rectè igitur in preseñti Art. quærimus causam effectiuam horum motuum, & præsertim localis, & an talis motus naturalis dici debeat, an potius violentus.

Satis in hac difficultate discrepant Doctores, nam pro causa efficiente talis motus Alij assignarunt causam intrinsecam ex parte mobilis, Alij extrinsecam, Alij vtramq. Illi qui causam intrinsecam assignarunt, Alij posuerunt grauitatem, & leuitatem, non quidem, vt naturæ quædam sũt particulares, cum sic determinatos motus ad propria loca efficiant, sed vt conseruationem, & vnitatem corporum respiciunt. Conimb. affirmãt in omnibus corporibus inditam esse virtutem quamdam à grauitate, & leuitate distinctam, cuius munus sit vacuum impedire pro vt opus fuerit. Qui causam extrinsecam assignarunt, Alij dixerunt esse Deum, vel intelligentiam aliquam vniuersi regitricem; Alij formam totius vniuersi, cuius reliquæ formæ sunt partes, vt Fuentes; Alij influentiam quamdam Cœlestem, vt Ægidius; Alij dixerunt illũ motũ fieri à corpore aliquo medio, quod nimium rarefieri deberet ad replendum vacuum, & ideò aliud corpus attrahit ad motum alterius, ità Cardanus de subtil. lib. 1. Qui verò vtráque causam assignarunt, dixerunt esse inclinationem illam in omnibus diffusam ad conseruationem totius, & Concursum primæ causæ, illa est causa intrinseca, hæc extrinseca; ità Tataret q. de Vacuo §. *Primo sciendum*. Sampson 4. Phys. q. 8. Cõplut. disp. 20 q. 1. Ruu. hic q. 1. Auersa q. 27. sec. 8. Et ex hac varietate opinionum, variè quoque ad 2. partem Articuli Resp. de naturalitate horum motuum; Qui .n. virtutem intrinsecam assignant, asserunt motum illum esse naturalem simpliciter, aut saltem partim naturalem, vt scil. res omnes bonum totius respiciunt, & partim violentum, quatenus naturas habent particulares; ità Tolet. 4. Phys. q. 10. Fuent. & Aue. sa; Qui verò ab extrinseco volunt prouenire, quasi omnes violentũ ponunt. ità Lorca p. 2. tom. 2. disp. 4. §. *Sed tunc &c.* Vasq. disp. 25. cap. 4. & disp. 90. cap. 4. & Alij.

Sed quantùm ad primum dicendi modum, quòd scil. principium intrinsecum motus sit grauitas, & leuitas est contra experientiã, nam motus ad replendum vacuum eò est velocior, quò velocius mouetur corpus relinquens illud spatium, seu vacuũ, hinc velociùs aliquãdo ascẽd. t aqua ad replendum vacuum, quàm naturaliter

raliter descendat, ergo talis motus non prouenit à grauitate, quia ex se est virtus determinata ad producendum in determinata velocitate, nec velociùs mouere potest mobile sursùm, quàm deorsùm, quia motus deorsùm magis proprius est grauitati, quã motus sursùm.

Neq. esse potest forma totius vniuersi, quia nulla datur, mundus .n. non est vnum per se, sed vnum vnitate ordinis, hinc ab Arist. lib. de Mundo cap. 2. defini tur, quòd sit cõpago è Cęlo, terraq. coagmentata, atque ex his naturis, quæ inter ea continentur. Neq. esse potest influentia quædam Cęlestis, nam quando corpus obsistit, ne moueatur, vt apparet in follibus; in quibus fieri nequit dilatatio, orificio occluso, nõ posset hæc obsistentia causari à Cęlo. Neque esse potest corpus medium, quod rarafieri deberet, quia non videtur inter mutuò se tangentia aliquid mediare, maximè quando vnũ istorum est fluidum, vel ambo, vt aer, & aqua in fistula, ergo neque Principium intrinsecum, neque extrinsecum benè assignãtur pro principijs huius motus.

Conclusio Prima:

Dicimus Primò, corpora moueri ad implendum vacuũ ob colligationem eorum ortam ex Decreto Dei, effectiuè verò à mouente corpus illud, in cuius locum aliud corpus violenter motum succedit. colligitur ex Doct. in 3.d.27.cit. & in 4.d.43.q.5. lit. C. D. & E. quem sequitur Amicus, & Mastr. & Bell. disp. 12. q. 2. Contra Aliquos declaratur, & probatur Cõclusio. In motu violento ad replendum vacuum duo concurrunt. Primum est coniunctio corporum vniuersi ad inuicem, licèt .n. quodlibet possit à quolibet separari, non tñ ab omni: Secundum est motus ipse, quo vacuũ repletur. Colligatio habetur ab Auctore naturæ, ea lege qua determinauit, Vniuersum esse vnum contiguum, ad quam colligationem vult Deus semper concurrere; & in hoc sensu intelligi debet Scot. in 3. cit. cum ait, virtutem regitiuam totius mouere partes vniuersi, pro vt cõgruit benè esse totius, scil. conseruando contiguitatem partium; Motus autem fit à mouente corpus illud, in cuius locum aliud succedit, nam ex Doct. cit. in 4. quod effectiuè mouet vnũ corpus localiter, effectiuè quoq. expellit aliud corpus, ergo etiam quod effectiuè mouet vnum corpus, effectiuè quoque mouet quodlibet aliud naturali vinculo coniunctum, vt in glutinatis simul apparet, ergo stante Diuina determinatione de colligatione Vniuersi, qui attrahit aerẽ à fistula, attrahit etiam aquam effectiuè in fistula, & hinc est, quòd eadẽ resistentia sentitur, siue aqua moueatur sursùm propter vacuum, siue propter aliam causam, quod etiam euenit in condensatione, quod .n. est causa condensationis, & restrictionis alicuius corporis ad minorem locũ, est causa etiam, cur corpus ambiens moueatur ad superficiem condesati. hanc eãdem conclusionem ex PP. societatis nouissimè sequitur lynceus lib. 7. Phys. tract. 1. num. 37. fol. mihi 288.

Sed vrges ex Põcio disp. 16. Phys. num. 23. si esset talis colligatio inter corpora, ex ea non potius oriri deberet, quòd corpus recedens trahere de-

re debeat post se corpus subsequens, quàm corpus subsequens detinere corpus recedens; Et si talis colligatio esset ex sola ordinatione Diuina, sicut illa colligatio tribuitur Deo, ità etiam & motus factus ad replendum vacuum, Deo immediatè tribui deberet, non autem motori corporis recedentis, nisi per modum conditionis sine qua non, quatenus si ipsum non moueret corpus recedens, nec Deus moueret corpus subsequens. Resp. Mastrius, ꝙ natura semper facilioribus vtitur medijs ad impediẽdum vacuum, at facilius in præfato casu euitatur vacuum per attractionẽ aquæ in fistulam sursùm, quam per detentionem aeris in fistula, quia facilè assignatur causa efficiens talis attractionis, non ità detentionis aeris, nisi ad Deum recurramus immediatè detinentem corpora colligata, quod non est admittendum, nisi vbi deficiunt aliæ causæ naturales, quæ non desunt in proposito. Tum quia magis in omnibus actionibus satagere debemus, vt causæ secundæ suos motus agant, quàm eas impedire, impediretur autem actio causę secundę si ex fistula aerem aquæ immersum attrahere non possemus. Ad aliud, negatur consequentia, licèt .n. colligatio corporum ex Decreto Diuino immediatè pendeat, non idcirco motus corporis succedentis, aquæ V.g. in locum aeris debet Deo immediatè tribui, sed potius motori corporis recedentis, nam connaturale est, ꝙ agens mouens effectiuè vnũ corpus, aliud quoque naturali vinculo, ei cõiunctum consequenter moueat, ità Mastr. loc. cit. & in responsione ad Ponc. in Apolog. num. 283. qui iterũ contra responsionem Mastr. vrget videant qui tempus ociando conterere cupiunt in cit. Apolog. hinc inde Citat. Doctores diffidentes, quia nobis pro nostro instituto allata Doctrina satis est, & tantò magis q̃a Subtilissimi Doctoris, cuius vestigia sequimur, innixa auctoritati comprobatur.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. motum istum respectu corporis particularis esse totaliter violentum, nullo modo naturalem. colligitur clarissimè ex Arist. 4. Cęli 39. vbi docet, quòd aqua sursùm ad replendum vacuum mouetur vi, & tractione, at talis est motus violentus ex 7. phys. 10. & ratio huius est, q̃ Scot habet in 3. d. 27. q. vn. §. *Istæ rõnes &c* vbi docet, ꝙ aqua ad motũ sursùm nullam præbet inclinationẽ, etiam si propter vacuum fieret, proferens formalia verba: *Impossibile est aquam se mouere ad sursum propter quodcumq bonum vniuersi, quia ex quo habet formam naturalem quæ determinata est ad vnam actionem; illa forma manens eadem numero nũquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione; ipsa igitur aqua non se mouet sursum, sed solùm mouetur ab aliquo extrinseco, cui etiam nihil confert, quantum est ex natura sua, violenter igitur mouetur comparãdo ad propriam naturam aquæ.* hæc Scot. hinc non rectè Fuen es asserit, aquam vt partem vniuersi naturaliter sursum moueri, quia neq. vt pars vniuersi habet inclinationem ad illum motum per Scot. loc. cit. vbi ait: *pars sibi dimissa, & considerata secundum inclinationem suam, nunquam exponit se ad non esse pro alio.*

Ob.

Ob. Pro Fuent. ex Doct. in 4. d. 49. q. 13. l. c. H. vbi sic ait: *aquam esse sursùm, vt saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum, immò si tunc descenderet, relicto vacuo superius, esset simpliciter violentum, & secundum quid naturale, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis, quàm natura ista particularis, & magis naturale quod tali toti conuenit, quàm quòd propriè huic parti*, ergo aqua, vt pars est vniuersi naturaliter sursũ mouetur. ℞. Negando consequentiã, quia Scot. non comparat motum sursùm propter vacuum ad aquam sm̃ se, & vt est mundi pars, sed solùm, quòd si motus aquæ sursum compararetur vniuerso, dicetur naturalis, quia cõsentaneus est perfectioni vniuersi, non tamen quòd motus ille respectu aquæ sursum, vt est pars vniuersi sit magis naturalis, quàm motus deorsum; & opinio quam sequitur Fuent. est Thomist. nõ Scotist. & ratio Scoti est clara, quia forma naturalis determinata ad vnam actionem, manẽs eadem numero, nunquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione; at violentum, & naturale opponũtur simpliciter, ergo si motus aquę sursum est violentus, quia est contra eius inclinationem naturalem, semper erit talis, vt respicit eius naturã; si autem dicatur naturalis, quia natura abhorret vacuum, hoc erit per accidens, quia eius motus sursum si non esset ad vacuum adimplendum, iam esset adhuc violentus. Tum quia res in proprio elemento non grauitat, sed quiescit propter naturalem inclinationem, quam habet ad proprium locum; at videmus, quòd quãdo aqua ascendit per fistulam ad replendum vacuum grauitat; & quantò plus aquæ ascendit, eo magis fistula grauat manum, ergo tunc aqua mouetur violẽter ab extrinseco impellente. ℞t Lisbonensis q. 9. art. 2. diffic. 1. quòd aqua, quæ ascendit non grauitat actu, sed illa quæ adhæret lateribus fistulæ madiando ipsam, illa .n. aqua cũ nõ ascẽdat reddit fistulã magis ponderantem. Non valet, nam faciamus, quòd adhuc ex fistula sic madefacta, iterum attrahatur aqua, sequeretur quòd fistula sic aquam attrahendo non amplius manum grauitaret, at hoc est contra experientiam, semper .n. aqua in fistula grauitat, etiam si per totum diem attraheretur.

Ob. Ex D. Thoma 1. p. q. 60. art. 5. Sicut eleuatio pedis est naturalis homini sm̃ formam animæ, sed non sm̃ rõnem corporis, ità virtus, seù motus, quo corpus currit ad impediendum vacuum est simpliciter naturalis respectu boni communis, & sm̃ quid habet rationem violenti, in quantum est contra peculiarem inclinationem ipsius corporis. ℞. Negando paritatem, nam in illa eleuatione pedis datur duplex principiũ, scil. anima, & corpus, & respectu vnius est naturalis, respectu alterius est violenta, at nos hic loquimur de eadem re naturali, quæ si violenter natura sua moueatur sursum, semper sic violenter moueretur, cùm sit à forma determinata ad vnum, & talis motus dicitur naturalis solùm per accidens, quia consentaneus perfectioni vniuersi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Corpus in Vacuo posset moueri, & hoc supposito, an talis motus esset instantaneus, vel successiuus.

SCot. in 2.d.2.q. ad 4. resp. affirmatiuè cum D. Thom. 4. Phys. lec.11. prope finem, & 3.p.q.17.art. 4.ad 2. quos sequuntur vtriusq. Scholæ Alumni, & duo quærimus in præsenti: Primum, an si daretur vacuum, posset in eo fieri motus aliquis: Secundum, concesso, quòd motus fieri possit, an in instanti fieret, an etiam in tempore, & successiuè. Quò ad primum negatiuè resp. Albert. 4. Phys. tract.2.cap.7. Ægid.quol.6.q.7.§. *Declarato igitur &c.* Iandun. Venet. Vallesf. Gregor. Perer. & Alij cum Auerroe 4. Phys.com.71. & hoc vniuersaliter de omni motu, vel de aliquo, nam Auerr. admittit in vacuo motum proiectorum. Complut.disp. 2. q. 3. & Masius disp. de vacuo q. 2. admittunt motum in vacuo à Deo tñ, vel ab Angelo causatum, non ab his sublunaribus, eo quia omnes isti motus à motu Cœli essentialiter dependent. Auersa omnem motum admittit præter naturalem grauium, & leuium, ex eo quia in vacuo deficiunt differentiæ loci naturalis sursum, & deorsum. Alij excipiunt motum volatiuum, & progressiuum propter carentiam terræ sustentantis. Communis tñ sententia, tam Veterum, quàm Recentiorum omnem motum in vacuo terminato admittit, estò in spatio interminato neget motum naturalem grauium, & leuium, ità Scot.loc.cit.in 2. Quò ad Secundum, dato quòd res aliqua in vacuo moueretur, Aliqui asserunt motum in instanti absolui debere, non in tempore, ex quo absurdo postea deducunt impossibilitatem motus in vacuo, ità Auerroes, Ægidius cum alijs primo loco citatis, & videtur etiam esse mentem D. Bonau. in 1.d.37.part.2. art.2.q.3. ad 2. Receptissima tñ apud omnes sententia concedit motum illũ fore successiuum, & in tempore causandum, licèt Canonicus 4. Phys.q. 4. & Sampson q. 9. vtramq. problematicè defendant.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, non repugnare motum in Vacuo. est Scoti loc. cit. & probatur primò vniuersaliter: Vbi datur mouens, mobile, & extrema, quorum vnum potest mobile de nouo acquirere, relinquendo aliud, ibi potest esse motus, vt patet, sed in Vacuo si daretur, posset esse tam mouens, quam mobile, & extrema, seu carentia alicuius formæ, neque carentia medij in omnibus impediret, ergo verè daretur ibi motus.

Probatur 2. talem motum non auferri ob defectum agentis, si.n. loquamur de Deo, nulli dubium est, quòd ipse potest aliquod mobile in vacuo mouere; Sic etiam Angelus posset seipsum, & aliud mobile localiter mouere, quia nullo modo à medio pleno dependet. Quòd etiam posset hoc efficere agens sublunare proprijs viribus, inde patet, quia in agendo non pendet essentialiter à Cœlesti motu, vt isto cessante, non possit proprios motus agere, nam vt Scot.docet in 2.d.2.q.11. & in 4. d.49.q.14.lit.M.ex Aug.11.Confes. stante Cœlo adhuc rota figuli moueretur; & tempore Iosue cùm sol stetit obediente Deo voci hominis, adhuc

huc causa sublunares proprias actiones exercebant; & si aliquod viuens sufficienter alimentum applicatum haberet, & respiratio non impediret, posset nutriri, & augeri, imò & generare, si materia seminis esset in loco proportionato. Posset etiam homo non solùm intelligere, sed etiam sensationes tactus, & gustus exercere, si approximata haberet sensibilia, quia huiusmodi operationes non pendent à medio pleno. Non posset tñ animal videre ait Scot in 2.d.9.q.2.lit.C.& ratio est, quia ad visionem requiritur species visibilis in medio ab obiecto producta, cùm sit accidēs, in vacuo autem nullum esset subiectum, in quo talis species reciperetur, & eadem rōne idem de auditu, & de olfatu dicendum foret, nisi apponeretur corpori odorifero aliquid resoluens ipsum in fumalem euaporationem, quæ ad olfatum deferretur, vt ait Sampson; neq. hoc implicaret, quia fumalis illa euaporatio, cùm sit substantia non pendet à medio pleno. Sic etiam si ignis contiguus esset stuppæ, vtiq. illam cremaret, at si aliquantisper distaret, non combureret, ratio est, quia etiò generans possit generando agere immediatè in distans, alteratio tñ, quæ est accidens, & actio necessariò præuia generationi, pendet à medio pleno.

Probatur 3. de motu locali, seu lationis, nam posset in primis fieri in Vacuo motus proiectorum, si talis fieret per impetum impressum, quia medium plenum potius impediret, quàm motum causaret, vt melius lib. de Cœlo patebit. In vacuo interminato, posset Angelus si ibi esset se mouere, & si vltima sphæra Empireo non ambiretur, sed immediatè circumdaretur à spatio inani, si illi affixa esset aliqua virga ferrea, posset imò deberet ad motum sphæræ moueri, & tñ in vacuo moueretur; quod etiam dicendum erit, si inferiores sphæræ à Deo destruerentur, quia tunc verè vltima sphæra circulariter in vacuo moueretur. De motu naturali grauium, & leuium aliter dicēdum venit; Si .n. grauia, & leuia ideò ad propria loca sursùm, & deorsùm mouentur quia grauia petunt tantùm esse sub leuibus, & leuia super grauia, & non quia determinatū situm postulant in vniuerso, sic rectè philosophatus est Auersa, nullo modo naturaliter moueri, tam in vacuo terminato, quàm interminato, quia in nullo istorum esset assignabilis locus naturalis sursùm, & deorsùm, q a nullum corpus contiguum haberet à quo posset determinari, in quā partem moueri debeat, & esterna distantia nihil conducerent; Si verò ad rationem loci naturalis non tñ corpus continens attendi debeat, verum etiam situs vniuersi, vt innuere videtur Scotus in 2.d.2.q.10.B. dum ait: *Si nullum graue esset in centro, sed tota terra amota ab eo, & remanente centro sub sola ratione centri, vt prius, adhuc graue naturaliter tenderet ad centrum*; tunc dicendum esset, quòd etiò grauia, & leuia in spatio interminato non possint naturaliter moueri, quia non essent assignabiles istæ locorum differentiæ scil. sursùm, & deorsùm, in vacuo tñ terminato intra vniuersum, possent naturaliter moueri ad propria loca, quia verè daretur adhuc sursùm, & deorsùm; Vel dicendum esset, quòd

in casu,

in casu, quo vacuum intra Cęlum lunæ auferret omnia elementa præter terram, tunc terra esset actu centrum reale, in ordine ad quod sumerentur differentiæ Vbi realis, quod acquireretur per motum, & differenti motuum sursum, & deorsum, motus .n. deorsum est ad centrum, motus sursum à centro. de motu progressiuo animalium, & volatilium, patet, si .n. animal poneretur à Deo in vacuo, haberet iam virtutem progressiuam, & volatiuam, haberet concursum Dei, haberet spatium, ergo nihil deest, vt ibi motus fieri possit; sed de his fusiùs, in lib. de Cęlo.

Obiectiones.

Ob. Cũ Ægidio quol. 6. q. 6. Causa particularis in operando localiter depe det ab influxu causæ Cęlestis ex Arist. 8. Phys. 56. & 12. Meth. 38. cui fauet D. Thom. 1. Cęli lect. 22. vbi docet, quòd homo positus supra vltimum Cęlum non posset manum extollere, nisi fuerit glorificatus qa tunc ob statum gloriæ non sub ectaretur influxui Cęlorum; Sed in corpore existente in vacuo, nec immediatè, nec mediatè recipi potest influxus Cęlestis ad efficiendum motũ localem, ergo dato vacuo, corpus naturaliter moueri nequit per illud. maior est clara, corpora .n. superiora agunt in his inferioribus, minor probatur, influxus Cęlestis est accidens, ergo peruenire non potest ad corpus existens in vacuo, nisi per corpora intermedia, quæ vt supponimus non dantur, admisso vacuo. Rx. vt supra negando maiorem, ad quod etiam conducit Auctoritas D. Thom. opusc. 11. art. 11. vbi a t: *per subtractionem Diuini influxus omnia subitò perirēt, sed non sic per subtractionem motus Cęli sed post aliquod tempus*, & opusc. 1. art. 4 inquit: *Si cessarent Cęli, homo posset mouere manum, & linguam eodem modo ac prius*. Hinc Aliqui Thomistæ affirmant, quòd saxum positum in concauo lunæ, vacuo in regionibus inferioribus existente, posset ab Angelo localiter moueri, quia Angelus est superior Cęlis, & in mouendo non dependet ab eorum influxu, vt D. Thom. docuit 4. Phys. lec. 11. quare posito corpore in vacuo, corpus naturaliter moueretur motu dilationis, quia talis motus cōducit ad repletionem vacui, & Deus vt Author naturæ tenetur influere in illum motum, & si esset lignum aliquod, cuius extremum esset in pleno, & medium esset in vacuo, posset illud trahi ab extremo, & tunc necessariò moueretur etiam medium, quod esset in vacuo. Vnde Scot. in 4. d. 49. q. 13 G. ait, quòd motus Cęli non est primus primitate causalitatis respectu motuum sublunarium, sed principalitatis, & vniformitatis, & intantùm adest quædam dependētia, in quantùm adducit generans.

Ob. Motus localis non potest esse sine loco, nec locus sine superficie, sed in vacuo nulla est superficies, ergo ibi nullus esse potest motus localis. hæc difficultas tangitur à multis, sed non ab omnibus rectè soluta manet, nam diuersimodè respondent Thomistæ, & Scotistæ, & aliter Faber, aliter Bonetus, aliter Masius, aliter Compl. aliter Lisbonensis, aliter Lerma, & aliter Alij. in hoc tũ conuenire videntur, quòd tunc ambiretur mobile à loco cōmuni, scil. Cęlo, & hoc foret Vbi, quod tunc acqui-

acquireretur. Non valet,quia non euitant difficultatem de motu facto in vacuo interminato, vbi non est Cęlum; nec respectus, quem mobile acquirit in ordine ad Cęlum rectè appellatur Vbi locale, quia Vbi est immediata circumscriptio locati à loco, & respectus qui acquiritur ad varias Cęli partes est propinquitatis, vel distantiæ, non localis præsentiæ; hinc quia huiusmodi relationes propinquitatis, & distantiæ sunt intrinsecùs aduenientes, non possunt terminare motũ. Et quia Cęlũ est locus cõmunis,tũc õnes motus locales,siue sursum,siue deorsũ essent eiusdẽ speciei,quòd falsũ est. Ideo nos breuiter ex superi⁹dictis asserimus ꝙ motus localis fieri nõ pot. ft, nisi in pleno,in quo solũ reperitur vbi locale, quod attenditur in ordine ad superficiem realem ambientem, motus tũ lationis sm̃ totam suam realitatem, tàm fieri potest in pleno, quàm in vacuo, quia per se terminus eius est Vbi præsentiale; Vbi verò locale est terminus tm̃ per accidens quatenus accidit motum lationis fieri in pleno, & eamdem responsionem tetigit Lisbonensis, dum ait: per motum in vacuo acquiritur locus,non extrinsecus, sed intrinsecus. hoc autem Vbi præsentiale,quod est per se terminus lationis attendi debet penès determinatas partes Diuinæ Substãtiæ per totum illum spatium diffusæ, quatenus in toto motu illi coexisteret, qui respectus cùm sit verus, realis, & positiuus, & à mobili realiter distinctus, quia modò coexistit Deo hic, modo ibi in eo spatio, sufficienter terminare potest motum realem & positiuũ:ità Mastr. & Bell.loc.cit.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. supposito motu in vacuo talis motus esset successiuus,non instantaneus. Et Scoti loc.cit.& cõmunis contra Auerr.Achillin. Zimaram, & Ægid.quol.6.punc.6.& ostẽditur primò athor. Arist 6 Phys.cap. 3. vbi docet, in omni motu locali prius debere esse mobile in termino à quo,deinde in medio,posmodũ in termino ad quẽ,s.d hoc requirit successionẽ,ergo &c. 2. Successio non solùm sumitur ex parte resistentiæ, sed etiam ex parte spatij, sed spatium vacui non potest pertransiri in instãti, ergo licèt non sit ibi resistentia medij, tũ propter distantiam spatij, non posset motus fieri in instanti; maior patet, minor probatur, non potest eadẽ res creata esse simul sursũ, & deorsùm,quia esset sursum,& non sursum, quod implicat, at si vacuum pertransiri posset in instanti,tunc eadem res esset simul sursùm, & deorsùm. 3. Si lapis in instanti moueretur à concauo Cęli vsque ad centrum; vel in vno, & eodem instanti erit in Cęlo, & in terra, vel in vno instanti erit in Cęlo, & in alio instanti erit in terra, non primum, quia sic esset naturaliter in pluribus locis, si secũdum, cùm inter duo instantia mediet tempus, moueretur in tempore, & consequenter successiuè, non instantaneè. *Obiectiones.*

Ob. 1. Authoritate Arist. 4. Phys.à tex. 65. vbi ostendit, vacuũ destruere motum, quia necessariò deberet fieri in instanti. Rx. satis laborare Peripateticos de sensu Arist. cùm motũ in vacuo negauerit,conueniunt tũ in hoc, quòd loquatur ad hominem contra Antiquos, qui ex vna parte

vacuum

vacuum admittebant propter motum localem, ex alia deinde asserebant, omnem successionem prouenire ex resistentia medij pleni. Contra arguit Arist. si vacuũ necessarium est propter motum localem, ergo ibi motus fieret in instanti, & non successiuè, cùm ibi nulla esset ex parte medij resistentia.

Ob. 2. Qualis est proportio medij ad medium in subtilitate, & densitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus, quia ideo velociùs, aut tardiùs mouetur, quia magis, vel minus medij resistentiam euincit; sed vacui ad plenum nulla est proportio in subtilitate, & densitate, ergo nec motus ad motum in velocitate, & tarditate, & ità motus fieret in instanti. ℞. Concedendo, quod inter vacuum, & plenum non datur proportio, quò ad subtilitatem & densitatem, quæ sunt causæ successionis accidentalis, est tũ proportio quò ad distantiam extremorum, & impotentiam agentis finiti, & limitati, quę causant successionem essentialem, implicat .n. naturaliter ꝙ idem mobile sit simul in termino à quo, & in termino ad quem, nec agẽs naturale potest ipsum mobile in duplici termino constituere.

Ob. 3. Si daretur in vacuo motus successiuus, sequeretur, quòd duo corpora, quorũ vnum esset grauius, alterum minus graue, possent æquali tempore quodcumq. spatium vacuũ percurrere, nam ratio, cur grauius velociùs descendit, est quia faciliùs secat medium, & in vacuo nullum est medium, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Negando sequelam cum sua probatione, illa .n. facilitas ad secandum medium, non est præcisa, & præcipua ratio, cur grauius descendat velociùs corpore minus graui, sed hoc euenit, quia habet maiorem virtutem motiuam deorsum pellentem, quam adhuc retinet, & in vacuo.

Ob. 4. In vacuo nulla est resistentia, ergo nulla successio in motu, sequela est clara, antecedens probatur, non est resistentia ex parte medij, vt patet, neq. ex parte distantiæ in terminos à quo, & ad quem, quia hæc distantia nihil est, ergo non potest successionem realẽ causare, neq. ex parte agentis, quia si contrarium ibi non adest, agit ex se in instanti, vt patet in illuminatione. ℞. Negando assumptum, adest .n. resistentia ex parte distantiæ, ad probationem, dicimus quòd distantia priuatiua non causat effectiuè, & positiuè moram realem, sed quasi formaliter, quatenus mobile nequit simul habere distantiam illam, à qua iam exceditur; Nec distantia est nihil, sed respectus realis in extremis distantibus fundata. Adest etiã resistẽtia ex parte agentis, quia est limitatæ, & finitæ virtutis; ad probationem dicimus, verum esse, si terminus potest indiuisibiliter acquiri, vt est lumen, at tota distantia, cùm sit diuisibilis, sicut etiam, & mobile resistunt potentiæ agentis. hæc sent. est etiam D. Tho. in 4. d. 44. q. 2. art. 3. & ex Neuth. Hurt. d. disp. 14. Phys. sec. 6. nu. 60. Conimb. 4. Phys. cap. 9. q. 4. & 5. Amic. tract. 21. q. 4. dub. 1. art. 2. Tolet. cap. 9. q. 9. Tellez. disp. 32. sec. 5. & nouissimè Lync. lib. 7. Phys. tract. 1. de loco, num. 37.

DISPV-

DISPVTATIO XVI.

DE DVRATIONE, SEV TEMPORE

ARist. in hoc 4. Phys. disputationi de loco, disputationem de tempore annectit, propter affinitatē materiarum, sicut .n. locatum est in loco, sic etiam in tempore, quod est mensura, & duratio loci, & locati. In capite ergo decimo huius probat contra Antiquos dari tempus, & deinde in sequentibus, tempus definit, eius proprietates declarat, & aliqua aduerbia significantia, & cōnotantia tempus explicat. Et quia durare nō solùm motui conuenit, sed etiam rebus alijs naturalibus, propterea non solùm de tempore, verùm etiam de alijs quoquè durationibus agemus; & primò de duratione in communi, postea de eius speciebus, quæ communiter tres assignari solent, scil. Aeternitas, Aeuum, & Tempus, ipsas postea in alias diuidendo. Nomine autem durationis, si vis vocabuli attendatur, intelligitur id, quo res est, & persistit in rerum natura, & propriè quamdam permanentiam in esse dicit, & perseuerantiam in eodem statu, licèt si latius sumatur dicit quācumque habitionem alicuius esse etiam instantaneam.

ARTICVLVS PRIMVS.
Quid sit formaliter duratio.

SCotus articulum hunc resoluit in 2.q.2.lit. H. vbi loquens de duratione Angelica, ait, non esse necesse ponere aliquid reale, siue absolutum, siue respectiuum distinctum ab existentia Angeli, pro eius mensura, & duratione. idem colligitur ex quol. 9. lit. R. loquens de Æternitate Dei, & alibi. Pro cuius resolutione sciendum est, quòd existentia correspondet productioni, vt eius effectus, & duratio conseruationi, hinc sicut res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conseruata, ità in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia duratio aliud non est, quàm existentia rei cōtinuata, & conseruata, vt ex Scoto colligitur in 2.d.2.q.1. §. *Ad argumenta pro prima opinione.* lit. E. Vnde sicut alibi diximus, conseruationē ex impositione nominis significare realem dependentiam rei, à sua causa, dare autem intelligere respectum quemdam rationis ad esse præhabitum, ità in proposito de duratione philosophandum erit; & licèt veritas hæc in Scoti sententia sit clarissima, non tñ apud intellectum Aliorum, ideò circa eam multæ, & variæ extant opiniones.

Prima asserit, Durationem supra existentiam rei formaliter addere rónem mensuræ, ità multi ex Thomistis, quos etiam ex nostris sequuntur Conon. 4. Phys. q. 5. dub. 3. & Anton. Andreas. 5. Meth. q. 11. & quia mensura est duplex, actiua, quæ consistit in quantitate intellectui nota,

per quam de alia ignota intellectus certificatur; & passiua, quæ dicit aptitudinem, & mensurabilitatem rei, vt possit per notiorem quantitatem ab intellectu cognosci, hinc deinde huius sententiæ Authores dissident inter se, quam ne rationem mensuræ importet duratio, an scil. actiuę, vel passiuæ.

Secunda opinio affirmat, durationem aliquid superaddere existentiæ ex natura rei ab ea distinctum, sicut rem à re, quam videntur amplectere Complut. de duratione creata disp. 21. Phys q. 3. quia ipsam durationem ponunt accidens reale; Alij verò, quòd potius ipsa duratio, sit modus existentiæ positiuus, quo formaliter res in existentia perseuerat, ità Conimb. cap. 12. q. 3. Num. 4. Phys. tract. 1. de tempore q. 4. & Murcia disp. 3. q. 3. quam probabilem putat Amic. tract. 22. dub. 2. art. 3.

Tertia, quã multi sequuntur Scotistæ, vt videre est apud Vulp. 1. p. disp. 17. & Smisinch. tenet, durationem formaliter addere negationem desitionis, quia tunc res permanere concipitur, cũ eius esse non destructum intelligitur, & quia si solùm per instans res existeret, verè in eo instanti destructa non esset, hic consequenter asserunt rem in illo instanti verè, ac propriè durare. Quarta sententia est Suar. disp. 50. Meth. sec. 2. qui docet, durationem formaliter dicere respectum quemdam permanẽtiæ ad esse ipsius durantis, vt præcedens, qui respectus cùm non sit in re per instans existente, ideò nec verè, nec propriè tunc durare dici debet.

Conclusio.

Dicimus, formale significatum durationis sm̃ id, quod dicit quid positiuum, & reale à parte rei, esse existentiam rei durantis, pro vt cñ connotat respectum, vel realem, vel rõnis coexistentiæ alicui durationi extrinsecę, saltẽ imaginariæ: est Scoti in 2. cit. & quol. 6. lit. R. quã amplectũtur Bassol. ĩ 2. d. 2. q. 1. art. 3. Mastr. & Bell. disp. 13. q. 1. & ex Exteris Masius disp. de Tempore sec. 3. q. 1. & Alij; & primò probari potest ex confutatione opinionum Aliorum. quòd non dicat rõnem mẽsuræ, quęcumque illa sit, habetur à Scoto in 2. cit. lit. G. nam mensurari, vel mensurare, est intellectum certificari, vel certificare de quantitate ignota per alteram notam, atque ideò mensura dicit ordinem ad intellectum, vt etiã Doct. docet quol. 13. M. sed qualibet res independenter ab intellectu dicitur durare, ergo duratio formaliter, non dicit durationem mensuræ siuè actiuæ, siuè passiuæ. maior patet, minor probatur, nam accidit rei duranti, quòd vnus intellectus sit certus, vel incertus de ipsius duratione.

Dices, Duratio non dicit rõnem mensuræ actualis, sed aptitudinalis, & mensurabilitatem. Contra, hæc mensurabilitas dicit tantùm cognoscibilitatem in duratione rei durantis, ergo præsupponit durationem in re, sicut cognoscibilitas alicuius entis præsupponit entitatem illius, patet consequentia, quia passio semper supponit entitatem rei, cuius est passio, cùm ab illa re dimanare intelligatur.

Secundò, quòd non dicat aliquid ab existentia ex natura rei distinctũ, nec vt rem à re, nec vt modum, probatur: prius realiter distinctum à posteriori

ſteriori à, quo nulla rōne dependet, poteſt ab eo ſeparari, ſaltem per potentia Dei abſolutam, & ſeparatum conſeruari, ſed exiſtentia eſt prior ipſa duratione, ac proinde independens ab ea, ergo poteſt à duratione ſeparari; & etiam ſic ſeparata conſeruari; ſubſumitur argumentum, ſed hoc implicat, nam rem durare in proprio rigore aliud non eſt, quàm eius exiſtentiam permanere, & conſeruari in eſſe, ergo &c. Tum quia ꝙ Deus poteſt pro vno ſolo inſtanti facere ſine alio, poteſt etiam tempore ſequenti ſine illo conſeruare, quia non eſt minor Dei potentia pro tempore ſequenti, quàm in illo primo inſtanti, ergo cùm res in primo inſtanti talem entitatem, vel modum non habeat, quo duret, poterit quoq; deinceps toto tempore ſequenti ſine tali re, vel modo conſeruari, quod implicat, quia eo ipſo iam durare diceretur, cum duratio aliud non ſit, quàm rei exiſtentia continuata, & conſeruata. Nec vim argumenti perſuadunt, qui hoc ſuperadditum ponunt eſſe modum, & modaliter tm̄ diſtinctum, quia cùm ab his Authoribus hęc diſtinctio explicetur, vt poſſit res eſſe ſine modo, & non è contra, hoc ſolùm conſequuntur, quòd duratio, quia eſt modus, ſeparari nō poteſt ab exiſtentia, non verò quòd exiſtentia ſeparari nequeat à duratione, & ſeparata conſeruari; & ſi poteſt res in primo inſtanti eſſe ſine tali modo, poterit etiam Deus eam tempore ſequenti ſine tali modo conſeruare, nam parum ad hoc refert, ꝙ illud ſuperadditum tempore ſequenti ſit res, vel purus modus rei. Tum quia productio, & conſeruatio non diſtinguuntur ex natura rei, ſed tm̄ per connotata rōnis; quia conſeruatio per ſe loquẽdo aliud non eſt, ꝙ productio rei perſeuerans, ſeù continuata, ergo idem aſſerendum erit de exiſtentia, & duratione, quæ illi, vt effectus correſpondet.

Ruu. Reſp. quòd permanentia duplex eſt, vna quæ ſumitur pro actuali dependentia ſubſtantiali ab agente non interrupta, quæ à Complut. appellatur permanentia fundamentalis, & ſic eſt conſeruatio rei; altera quæ accipitur pro continuata depẽdentia accidentali, quam Complut. permanẽtiam formalem vocant, quæ cauſatur ab illa permanentia ſubſtãtiali, & hæc permanentia, ſeu duratio eſt realiter ab illa diſtincta. Sed Contra, nihil poteſt dici formaliter tale per id, quod præſupponitur illud eſſe tale, ſed hæc accidentalis duratio iam præſupponit rem in ſuo eſſe exiſtere, & permanere, ſicut omne accidens ſuum ſubiectum ſupponit exiſtens, non ſolùm in principio, ſed etiam in toto tempore, quo reperitur in ſubiecto, ergo hæc dependentia accidentalis non eſt neceſſaria ad concipiendam rei durationem; quia res durat eo ipſo, quòd conſeruatur, ſecluſo quocumque alio, ergo permanentia fundamentalis ſufficit ad rei durationem, ſecluſa illa formali. Tertiò, quòd non dicat formaliter negationem defitionis, vt quid ab exiſtentia diſtinctum, patet ex eo, quod Scotus habet in 2. d. 2. q. 1. fol. mihi 27. vbi concedit hanc propoſitionem: *negatio negationis eſt affirmatio poſitionis*, ex primò perhiermẽ c. 5. ergo cùm deſtructio rei ſit formaliter negatio exiſtentiæ rei, tunc.ne-

res dicitur destructa, quādo amplius nō existit, negatio destructionis erit formaliter ipsamet rei existentia, & non quid negatiuum ab existentia distinctum. hac etiam rōne Recentiores vtuntur, præsertim Hurt.in Meth.disp.17.sec.1. Auersa q.29.sec. 3.& Alij.

Quartò, quòd non dicat formaliter respectū illū permantiæ, vt vult Suar. ex eo patet, quòd duratio est quid reale, quia verè res existens durare realiter dicitur, sed respectus iste est rationis, cùm sit eiusdem ad seipsum, ergo &c. modus tñ probabilis hanc sententiam tuendi insinuatur à Doctore art. sequenti de Æternitate.

Remanet ergo dicendum, quòd duratio formaliter non dicat, nisi existentiam rei, at non sic simpliciter, sed aliquid addit supra existentiam scil. respectum coexistētiæ alicui durationi imaginariæ, quæ est relatio rōnis, quæ tñ non potest à duratione formaliter importari, quia nullum ens rationis potest esse de rōne formali alicuius positiui realis, ergo erit, vt connotatū. Declaratur, principale significatum alicuius nominis dicitur illud, quòd primò datur intelligi ex institutione nomen illius imponentis, connotatum verò, quòd datur intelligi ex modo consignificandi principalis significati, vt diximus in Logica, exemplificādo de nominibus prandij, & cenę &c. ergo sicut hac rōne productio, & conseruatio de principali significato dicunt respectum realem essentialis dependentiæ ad causam, non tñ eodē modo, quia productio dicit hanc relationem cū respectu ad non esse præcedens, conseruatio dicit eamdem cum respectu ad esse præhabitum, & idcircò hi respectus connotata dicūtur; ità in proposito existentia, & duratio de principali significato idem prorsus important, scilicet actualitatem rei extra suas causas, vel in rerum natura, sed quia non eodem modo id significant, nam existentia rei id importat, vel absolutè, vel cū respectu ad non esse præcedens, duratio verò cum respectu ad esse præhabitum, aut cum coexistentia ad extrinsecam durationem, hinc huiusmodi respectus erunt connotata durationis, non formale significatum. Diximus hunc respectum esse rōnis, quia estò in duratione creata respectus iste aliquando possit esse realis, si ad tempus reale comparatur, hæc tñ realis coexistentia non est simpliciter necessaria, vt habeatur distinctus conceptus durationis rei, sed sufficit, si coexistentia intelligatur terminari ad durationem imaginariā.

Ex his colligitur, quòd quæstio illa an scil. res per instans solum existens dicatur verè durare, est quæstio de nomine, nam si duratio sm vim vocabuli attendatur, dicit rei existentiam connotando coexistentiam ad durationem successiuam, & ità nō dicetur durare in instanti, propter carentiā connotatis si verò latè sumatur, dicet existentiam coexistentem etiam instanti temporis imaginarij, & sic res instantanea durabit, & in hoc sensu intelligendus est Scot. in 2.d.2.q.4. cùm ait, quòd si Angelus vnico tātum instanti existeret, adhuc duraret. colligitur etiā ex hac doctrina decisio illi⁹ quæstionis, quomodo duratio ab existentia distinguatur.

tur, nam folùm differunt penès connotata, ficut creatio, & conferuatio, ità Bell.& Mastr.loc.cit.

Obiectiones.

Ob.1. Quòd duratio formaliter aliquid addat fupra rei exiftentiam: Duratio eft prædicatum trafcendés, Deo, & creaturis conueniens, reducibile ad prædicamentum quando, ficut fapientia ad qualitatem, ergo diftinguitur realiter ab exiftentia, quæ ad prædicamentum illius rei, cuius eft exiftentia, reducitur. R. Quòd duratio reducitur ad prædicamentum quando, sm id, quod connotat, non fecundum fuum formale fignificatũ, quod eft exiftentia, idcò nulla eft confequentia.

Ob.2. In primo inftanti res exiftit, non tñ propria duratione durat; item duratio dicitur longa, vel breuis, minor, vel maior, aut æqualis, non fic exiftentia rei, cùm fit indiuifibilis, ergo diftinguuntur realiter exiftentia, & duratio. R. exiftentiam variari quo ad connotatum, non quo ad fignificatum formale, hæc eft in natura connotatorum, fic prandium, & cœna formaliter dicunt comneftionem, connotant tñ diuerfa tempora; negatio, & priuatio formaliter conueniunt, differunt verò connotatiuè; hinc exiftentia feparatur à duratione propriè dicta, ficut cômeftio ab hoc quod eft ferotina, vel matutina, & priuatio à negatione per aptitudiné ad fubiectum. Variatur etiá in quò ad connotata in ordine ad durationem imaginariam, ex qua defumuntur illæ denominationes fcil. rem plus, diu vel breuiter &c. durare.

Ob.3. Sicut fe habet locatum ad effendum in loco, ità res durans ad durandum, fed locatum non eft in loco per aliquid realiter fibi identificatum, fed per relationem realiter diftinctam, ergo &c. R. Negando paritatem, nam effe in loco principaliter dicit ordinem ad aliquod extrinfecum locans, at rem exiftere, vel durare dicit principaliter conceptũ abfolutum, & in ordine ad fe, eftò vt à nobis adæquatè concipiatur, explicetur per refpectum ad aliud extrinfecum, ideòque locus dicit formaliter refpectum, duratio verò exiftentiam. Tum quia, vt benè difcurrũt Maftr.& Bell. vt res dicatur fucceffiuè præfens alteri, & alteri fpatio locali, requiritur variatio ex parte ipfius rei, & fpatium intelligitur permanens, & immobile, vt verò res dicatur coexiftens alteri, & alteri imaginariæ durationi, res concipitur vt immobilis, & eadem perfeuerans, & interuallum illud durationis imaginariæ, vt fluens, & tranfiens &c.

Dices, tépus imaginariũ eft purum nihil, ergo ex connotatione ad illud defumi non poteft noua realis denominatio maioris, vel minoris durationis. R. Negando confequentiam, poteft n. dari refpectus realis, faltê sm quid ad non ens, vt diximus in Logica difp. 13. de Relat. art.8. fol. 573. & talis eft diftinctio, qua forma dicitur à fua priuatione diftingui, & refpectus, quem dicit creatio ad nô effe rei immediatè præcedés &c. qui refpectus dici poteft realis, quatenus diftinguitur à mero refpectu rationis caufato per actum intellectus, & ratione fundamenti ex Doct. quol. 13. P. & Lychet. ibi, eo modo quò priuatio, & denominationes extrinfecæ dicuntur reales; & eadem rône etiá

ex parte

go tñ quin Angeli siuè boni, siuè mali ia ita excellant potestate, vt vnum corpus à proprio loco expellere, & simul præpedire, ne alterum ingrediatur ad supplendum vacuum nequeant, si Deus id illis specialiter aut iuberet, aut permitteret; si .n. tanta vi præditus est Angelus, vt solus totum corpus supercęleste tanta facilitate, & celeritate circumuoluere possit, quis eumdem Angelum eadem virtute, vt totum aerem, aut partem illius eijcere, ac simul nè aliud corpus subintret impedire posse discredat, cùm ferè maioris virtutis sit tàm ingens corpus circumferre, quàm aliud quodlibet subcęleste mouere. Amplectitur etiam M. Bonherba dub. 1. de Vacuo, vbi concludit quòd existentia vacui dicitur miraculosa, non quòd sm̃ se sit absolutè supra vires naturæ, sed quia esset supra ordinem Diuinæ dispositionis.

Secundò, quòd stante Diuino Decreto non possit à quacumq. creatura vacuum causari, docetur à Scoto in 2.d.2.q.12. C. vbi ait: *Ordo præfixus à superiori agente videtur necessarius cuicumq. agenti inferiori, quando habet actionem præcisè circa talia ordinata*. Et hoc, quia non potest inferius agens virtutem superioris superare, si ergo Deus determinauit, Vniuersum contiguum esse, non poterit talis ordo à creatura per turbari. Tertiò, quòd possit per potentiam Diuinam reperiri vacuum, Docet Scot. in 4.d 43.q.5. D.& E.& sequuntur ex Scotistis cũ cõi lychet. quol. 11. Tatar. ibidem, & 4. Phys. q. de Vacuo §. *Primo sciendum &c.* Cannonic. 4. Phys. q. 4. & nouissimè Bell. & Mastr. cũ Doctore loc. cit. vbi ait: *nõ ergo vacuum esse in vniuerso includit contradictionẽ. imò si natura faceret in instanti minus ex maiore, videretur posse concludi vacuum esse per tempus sine Diuino miraculo*. Ex his apparet, quòd quando Scot. docuit in 2.d.2.q.9.ad 4. quòd si daretur vacuum, posset in eo fieri motus successiuus, non loquitur ex hypotesi impossibili, vt ait Vulpes, & hoc etiã manifestè docuit quol. 11. art. 2. Tum quia potest Deus absolutè omnia elementa annihilare, & nihil circa Cęlum innouare, sed illud conseruare in esse, ad conseruandum .n. Cęlum, quod est prius, & magis necessarium, non requiritur tãquàm medium aliquod minus necessarium cõseruari, vt sunt elementa. ergo inter Cęli latera daretur vacuum, & hoc esse Deo possibile docet Scot. quol. cit. lit. E. vbi ait: *sed vacuum istud, quod ponitur possibile Deo &c.*

Obiectiones.

Obijcitur primò, quòd Vacuum nullo pacto possit à virtute creata causari, nam colligatio corporum inter se est effectus vniuersalis ab Authore naturæ causatus, ergo cùm quælibet virtus creata sit particularis, non poterit colligationem illam destruere. ℞. quòd illa colligatio est effectus vniuersalis pro vt sic ordinatus fuit à Diuina Voluntate, ideòq. non potest à potentia creata destrui, atq. ità probat secundam partem cõclusionis.

Ob. 2. Quodlibet magis inclinatur in bonum totius, quàm in proprium, quod est particulare, vnde manus exponit se ad saluandum caput, quia est magis bonum, sed contiguitas est bonum totius vniuersi, permanentia

in loco

in loco naturali est bonum particulare, ergo magis inclinatur in illud, quàm in istud, ergo simpliciter resistit, ne vacuum detur. R℞. cum Scot. in 2 cit. negando maiorem, nec exēplum vrget, sed solùm ex eo sequitur, quòd totum magis diligit bonū sui ipsius, vel partis principalioris, quàm minus principalis, ideò homo manum exponit, vt minus principalē ad salutem capitis, quod est membrū magis principale, & non manus ex suo appetitu ad malum proprium se exponit; sic virtus regitiua vniuersi, qui est Deus mouet partes ad bonū totius, non ipsæ partes se mouent, vt clariùs infra patebit.

Ob.3. Quòd neque de potentia Dei sit possibile: implicat dari effectum formalem, sine sua causa formali, sed corpus medium facit latera continentis distare formaliter, ergo implicat dari vacuum, quia tunc daretur latera distantia sine corpore. R℞. Ad minorem, quòd ly facere distare latera, non est effectus formalis primarius, nam potest esse sine illo, quod patet in penetratione corporū, Vnde agens producens corpus contentum, facit effectiuè distare ex Scoto in 4.d.43.q.5. C. hinc quia Deus potest se solo facere quicquid cum causis secundis agere valet, se solo potest distantiam illam causare, quāuis nullum sit medium.

Ob.4. Sicut ex discontinuatione partium in homine, sequitur hominis destructio, ità ex discontinuatione partium vniuersi, totum vniuersum destrueretur, ergo non potest dari vacuum, partibus vniuersi remanentibus. R℞. Non ex qualibet discontinuatione partium sequi hominis mortem, cùm remaneant aliæ partes; sic etiam non ex qualibet discontinuatione partium vniuersi, sequi Vniuersi destructionem, quia adhuc aliæ partes remanent; neq. etiā currit paritas de structura hominis, & totius vniuersi, nam homo est vnum per se, & ità ex destructione partis, facilè talis vnitas destrui potest; structura autem Vniuersi est vnū per accidens, & arteficiata.

Ob.5. Latera illa essent simul, cùm nihil mediet, ergo non esset vacuum; probatur antecedens, quia non mediat aliquod positiuum, vt patet, neq. negatiuum, quia maximè esset negatio quantitatis, & longitudinis, & tū hæc negatiua distantia conciperetur ad modum longitudinis mediantis, & ità esset longitudo sine longitudine. Resp. Doctor quol. 11. cit. quòd inter latera illa mediaret medium priuatiuum, adesset tū distantia positiua, quæ est relatio intrinsecùs adueniens in ipsis extremis distantibus fundata; medium autem hoc priuatiuum sufficit, vt illa latera simul non dicantur, & est negatio realis quātitatis; sed apprehensa ad modum quantitatis, habet esse rationis, neq. debet in aliquo subiecto reperiri, quia non est priuatio, sed negatio loquendo de spatio illo medio, si verò sumatur vt dicit negationem continentiæ localis, sic est priuatio fundata in extremis corporis potentis aliud continere.

ARTICVLVS SECVNDVS.

A quo moueantur corpora ad replēdum Vacuum, & an talis motus sit naturalis.

SCot. ad hæc dubia respondet in 3.d.27.q.vn.§. *Istæ rationes &c.*

& in

& in 4.d.43.q.1.lic. C.D.& E.& sæpè alijs in locis. Pro quorum intelligentia, supponimus cum cõi varijs medijs vti naturam ad vacuum euitandum; aliquando .n. vtitur motu locali, vt cum graue sursum ascendit, quandoq. vtitur rarefactione alicuius corporis, quo corpus in ampliorem redditur molem; quandoq. magno impetu vasa frangit; aliquoties etiam per quamdam negatiuam, obsistentiam, vt cùm latera follium compressa, obstructo orificio, vt aer subingredi non possit, non sinit vllo pacto eleuari, & diuelli, quod oritur ne detur vacuum, quia tunc in laterum eleuatione satis cresceret locus, & aer inclusus in follis lateribus non sufficeret ad tantum locum replendum, & alijs vtitur medijs pro vt occasio postulat, vt vacuum euitet. Rectè igitur in preséti Art. quærimus causam effectiuam horum motuum, & præsertim localis, & an talis motus naturalis dici debeat, an potius violentus.

Satis in hac difficultate discrepant Doctores, nam pro causa efficiente talis motus Alij assignarunt causam intrinsecam ex parte mobilis, Alij extrinsecam, Alij vtramq. Illi qui causam intrinsecam assignarunt, Alij posuerunt grauitatem, & leuitatem, non quidem, vt naturæ quædam sũt particulares, cum sic determinatos motus ad propria loca efficiant, sed vt conseruationem, & vnitatem corporum respiciunt. Conimb. affirmãt in omnibus corporibus inditam esse virtutem quamdam à grauitate, & leuitate distinctam, cuius munus sit vacuum impedire pro vt opus fuerit. Qui causam extrinsecam assignarunt, Alij dixerunt esse Deum, vel intelligentiam aliquam vniuersi regitricem; Alij formam totius vniuersi, cuius reliquæ formæ sunt partes, vt Fuentes; Alij influentiam quamdam Cęlestem, vt Ægidius; Alij dixerunt illũ motũ fieri à corpore aliquo medio, quod nimium rarefieri deberet ad replendum vacuum, & ideò aliud corpus attrahit ad motum alterius, ità Cardanus de subtil. lib. 1. Qui verò vtrãque causam assignarunt, dixerunt esse inclinationem illam in omnibus diffusam ad conseruationem totius, & Concursum primæ causæ, illa est causa intrinseca, hæc extrinseca; ità Tataret q. de Vacuo §. *Primo sciendum*. Sampson 4. Phys. q. 8. Cõplut. disp. 20. q. 2. Rou. hic q. 1. Auersa q. 27. sec. 8. Et ex hac varietate opinionum, variè quoque ad 2. partem Articuli Resp. de naturalitate horum motuum; Qui .n. virtutem intrinsecam assignant, asserunt motum illum esse naturalem simpliciter, aut saltem partim naturalem, vt scil. res omnes bonum totius respiciunt, & partim violentum, quatenus naturas habent particulares; ità Tolet. 4. Phys. q. 10. Fuent. & Aue. sa; Qui verò ab extrinseco volunt prouenire, quasi omnes violentũ ponunt. ità Lorca p. 2. tom. 2. disp. 4. §. *Sed tunc &c.* Vasq. disp. 25. cap. 4. & disp. 90. cap. 4. & Alij.

Sed quantùm ad primum dicendi modum, quòd scil. principium intrinsecum motus sit grauitas, & leuitas est contra experientiã, nam motus ad replendum vacuum eò est velocior, quò velocius mouetur corpus relinquens illud spatium, seu vacuũ, hinc velociùs aliquãdo ascẽdit aqua ad replendum vacuum, quàm naturaliter

raliter descendat, ergo talis motus non prouenit à grauitate, quia ex se est virtus determinata ad producendum in determinata velocitate, nec velociùs mouere potest mobile sursùm, quàm deorsùm, quia motus deorsùm magis proprius est grauitati, quã motus sursùm.

Neq. esse potest forma totius vniuersi, quia nulla datur, mundus .n. non est vnum per se, sed vnum vnitate ordinis, hinc ab Arist. lib. de Mundo cap. 2. defin tur, quòd sit cõpago è Cęlo, terraq. coagmentata, atque ex his naturis, quæ inter ea continentur. Neq. esse potest influentia quædam Cęlestis, nam quando corpus obsistit, ne moueatur, vt apparet in follibus; in quibus fieri nequit dilatatio, orificio occluso, nõ posset hæc obsistentia causari à Cęlo. Neque esse potest corpus medium, quod rarafieri deberet, quia non videtur inter mutuò se tangentia aliquid mediare, maximè quando vnũ istorum est fluidum, vel ambo, vt aer, & aqua in fistula, ergo neque Principium intrinsecum, neque extrinsecum benè assignãtur pro principijs huius motus.

Conclusio Prima.

Dicimus Primò, corpora moueri ad implendum vacuũ ob colligationem eorum ortam ex Decreto Dei, effectiuè verò à mouente corpus illud, in cuius locum aliud corpus violenter motum succedit. colligitur ex Doct. in 3. d. 27. cit. & in 4. d. 43. q. 5. lit. C. D. & E. quem sequitur Amicus, & Mastr. & Bell. disp. 12. q. 2. Contra Aliquos declaratur, & probatur Cõclusio. In motu violento ad replendum vacuum duo concurrunt. Primum est coniunctio corporum vniuersi ad inuicem, licèt .n. quodlibet possit à quolibet separari, non tñ ab omni: Secundum est motus ipse, quo vacuũ repletur. Colligatio habetur ab Auctore naturæ, ea lege qua determinauit, Vniuersum esse vnum contiguum, ad quam colligationem vult Deus semper concurrere; & in hoc sensu intelligi debet Scot. in 3. cit. cum ait, virtutem regitiuam totius mouere partes vniuersi, pro vt cõgruit benè esse totius, scil. conseruando contiguitatem partium; Motus autem fit à mouente corpus illud, in cuius locum aliud succedit, nam ex Doct. cit. in 4. quod effectiuè mouet vnũ corpus localiter, effectiuè quoq. expellit aliud corpus, ergo etiam quod effectiuè mouet vnum corpus, effectiuè quoque mouet quodlibet aliud naturali vinculo coniunctum, vt in glutinatis simul apparet, ergo stante Diuina determinatione de colligatione Vniuersi, qui attrahit aerẽ à fistula, attrahit etiam aquam effectiuè in fistula, & hinc est, quòd eadẽ resistentia sentitur, siue aqua moueatur sursùm propter vacuum, siue propter aliam causam, quod etiam euenit in condensatione, quod .n. est causa condensationis, & restrictionis alicuius corporis ad minorem locũ, est causa etiam, cur corpus ambiens moueatur ad superficiem condesati. hanc eãdem conclusionem ex PP. societatis nouissimè sequitur lynceus lib. 7. Phys. tract. 1. num. 37. fol. mihi 288.

Sed vrges ex Põcio disp. 16. Phys. num. 23. si esset talis colligatio inter corpora, ex ea non potius oriri deberet, quòd corpus recedens trahe-

 rade-

re debeat post se corpus subsequens, quàm corpus subsequens detinere corpus recedens; Et si talis colligatio esset ex sola ordinatione Diuina, sicut illa colligatio tribuitur Deo, ità etiam & motus factus ad replendum vacuum, Deo immediatè tribui deberet, non autem motori corporis recedentis, nisi per modum conditionis sine qua non, quatenus si ipsum non moueret corpus recedens, nec Deus moueret corpus subsequens. Resp. Mastrius, quòd natura semper facilioribus vtitur medijs ad impediẽdum vacuum, at facilius in præfato casu euitatur vacuum per attractionẽ aquæ in fistulam sursùm, quam per detentionem aeris in fistula, quia facilè assignatur causa efficiens talis attractionis, non ità detentionis aeris, nisi ad Deum recurramus immediatè detinentem corpora colligata, quod non est admittendum, nisi vbi deficiunt aliæ causæ naturales, quæ non desunt in proposito. Tum quia magis in omnibus actionibus satagere debemus, vt causæ secundæ suos motus agant, quàm eas impedire, impediretur autem actio causę secundę si ex fistula aerem aquæ immersum attrahere non possemus. Ad aliud, negatur consequentia, licèt .n. colligatio corporum ex Decreto Diuino immediatè pendeat, non idcirco motus corporis succedentis, aquæ V.g. in locum aeris debet Deo immediatè tribui, sed potius motori corporis recedentis, nam connaturale est, quòd agens mouens effectiuè vnũ corpus, aliud quoque naturali vinculo, ei cõiunctum consequenter moueat; ità Mastr. loc. cit. & in responsione ad Ponc. in Apolog. num. 283. qui iterũ contra responsionem Mastr. vrget videant qui tempus ociando conterere cupiunt in cit. Apolog. hinc inde Citat. Doctores dissidentes, quia nobis pro nostro instituto allata Doctrina satis est, & tantò magis quia Subtilissimi Doctoris, cuius vestigia sequimur, innixa auctoritati comprobatur.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. motum istum respectu corporis particularis esse totaliter violentum, nullo modo naturalem. colligitur clarissimè ex Arist. 4. Cœli 39. vbi docet, quòd aqua sursùm ad replendum vacuum mouetur vi, & tractione, at talis est motus violentus ex 7. phys. 10. & ratio huius est, quam Scot habet in 3. d. 27. q. vn. §. *Istæ rõnes &c* vbi docet, quòd aqua ad motũ sursùm nullam præbet inclinationẽ, etiam si propter vacuum fieret, proferens formalia verba: *Impossibile est aquam se mouere ad sursum propter quodcumq. bonum vniuersi, quia ex quo habet formam naturalem quæ determinata est ad vnam actionem; illa forma manens eadem numero nũquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione; ipsa igitur aqua non se mouet sursum, sed solùm mouetur ab aliquo extrinseco, cui etiam nihil confert, quantum est ex natura sua: violenter igitur mouetur comparãdo ad propriam naturam aquæ.* hæc Scot. hinc non rectè Fuen es asserit, aquam vt partem vniuersi naturaliter sursum moueri, quia neq. vt pars vniuersi habet inclinationem ad illum motum per Scot. loc. cit. vbi ait: *pars sibi dimissa, & considerata secundum inclinationem suam, nunquam exponit se ad non esse pro alio.*

Ob.

Ob. Pro Fuent. ex Doct. in 4. d. 49. q. 13. l. c. H. vbi sic ait: *aquam esse sursum, vt saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum, immò si tunc descenderet, relicto vacuo superius, esset simpliciter violentum, & secundum quid naturale, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis, quàm natura ista particularis, & magis naturale quod tali toti conuenit, quàm quòd propriè huic parti*, ergo aqua, vt pars est vniuersi naturaliter sursū mouetur. ℞. Negando consequentiā, quia Scot. non comparat motum sursùm propter vacuum ad aquam sm̄ se, & vt est mundi pars, sed solùm, quòd si motus aquæ sursum comparetur vniuerso, dicetur naturalis, quia cōsentaneus est perfectioni vniuersi, non tamen quòd motus ille respectu aquæ sursum, vt est pars vniuersi sit magis naturalis, quàm motus deorsum; & opinio quam sequitur Fuent. est Thomist. nō Scotist. & ratio Scoti est clara, quia forma naturalis determinata ad vnam actionem, manēs eadem numero, nunquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione; at violentum, & naturale opponūtur simpliciter, ergo si motus aquę sursum est violentus, quia est contra eius inclinationem naturalem, semper erit talis, vt respicit eius naturā; si autem dicatur naturalis, quia natura abhorret vacuum, hoc erit per accidens, quia eius motus sursum si non esset ad vacuum adimplendum, iam esset adhuc violentus. Tum quia res in proprio elemento non grauitat, sed quiescit propter naturalem inclinationem, quam habet ad proprium locum; at videmus, quòd quādo aqua ascendit per fistulam ad replendum vacuum grauitat; & quantò plus aquæ ascendit, eo magis fistula grauat manum, ergo tunc aqua mouetur violēter ab extrinseco impellente. ℞t Lisbonensis q. 9. art. 2. diffic. 1. quòd aqua, quæ ascendit non grauitat actu, sed illa quæ adhæret lateribus fistulæ madiando ipsam, illa .n. aqua cū nō ascēdat reddit fistulā magis ponderantem. Non valet, nam faciamus, quòd adhuc ex fistula sic madefacta, iterum attrahatur aqua, sequeretur quòd fistula sic aquam attrahendo non amplius manum grauitaret, at hoc est contra experientiam, semper .n. aqua in fistula grauitat, etiam si per totum diem attraheretur.

Ob. Ex D. Thoma 1. p. q. 60. art. 5. Sicut eleuatio pedis est naturalis homini sm̄ formam animæ, sed non sm̄ rōnem corporis, ità virtus, seù motus, quo corpus currit ad impediendum vacuum est simpliciter naturalis respectu boni communis, & sm̄ quid habet rationem violenti, in quantum est contra peculiarem inclinationem ipsius corporis. ℞. Negando paritatem, nam in illa eleuatione pedis datur duplex principiū, scil. anima, & corpus, & respectu vnius est naturalis, respectu alterius est violenta, at nos hic loquimur de eadem re naturali, quæ si violenter natura sua moueatur sursum, semper sic violenter moueretur, cùm sit à forma determinata ad vnum, & talis motus dicitur naturalis solùm per accidens, quia consentaneus perfectioni vniuersi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Corpus in Vacuo posset moueri, & hoc supposito, an talis motus esset instantaneus, vel successiuus.

SCot. in 2.d.2.q. ad 4. resp. affirmatiuè cum D. Thom. 4. Phys. lec.11. prope finem, & 3.p.q.17.art. 4.ad 2. quos sequuntur vtriusq. Scholæ Alumni, & duo quærimus in præsenti: Primum, an si daretur vacuum, posset in eo fieri motus aliquis: Secundum, concesso, quòd motus fieri possit, an in instanti fieret, an etiam in tempore, & successiuè. Quò ad primum negatiuè resp. Albert. 4. Phys. tract.2.cap.7. Ægid. quol.6.q.7 §. *Declarato igitur &c.* Iandun. Venet. Vallesf. Gregor. Perer. & Alij cum Auerroe 4. Phys. com.71. & hoc vniuersaliter de omni motu, vel de aliquo, nam Auerr. admittit in vacuo motum proiectorum. Complut. disp. 2. q. 3. & Masius disp. de vacuo q. 2. admittunt motum in vacuo à Deo tñ, vel ab Angelo causatum, non ab his sublunaribus, eo quia omnes isti motus à motu Cęli essentialiter dependent. Auersa omnem motum admittit præter naturalem grauium, & leuium, ex eo quia in vacuo deficiunt differentiæ loci naturalis sursum, & deorsum. Alij excipiunt motum volatiuum, & progressiuum propter carentiam terræ sustentantis. Communis tñ sententia, tam Veterum, quàm Recentiorum omnem motum in vacuo terminato admittit, estò in spatio interminato neget motum naturalem grauium, & leuium, ità Scot. loc. cit. in 2. Quò ad Secundum, dato quòd res aliqua in vacuo moueretur, Aliqui asserunt motum in instanti absolui debere, non in tempore, ex quo absurdo postea deducunt impossibilitatem motus in vacuo, ità Auerroes, Ægidius cum alijs primo loco citatis, & videtur etiam esse mentem D. Bonau. in 1.d.37.part.2. art.2.q.3. ad 2. Receptissima tñ apud omnes sententia concedit motum illũ fore successiuum, & in temporè causandum, licèt Canonicus 4. Phys. q. 4. & Sampson q. 9. vtramq. problematicè defendant.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, non repugnare motum in Vacuo. est Scoti loc. cit. & probatur primò vniuersaliter: Vbi datur mouens, mobile, & extrema, quorum vnum potest mobile de nouo acquirere, relinquendo aliud, ibi potest esse motus, vt patet, sed in Vacuo si daretur, posset esse tam mouens, quam mobile, & extrema, seu carentia alicuius formæ, neque carentia medij in omnibus impediret, ergo verè daretur ibi motus.

Probatur 2. talem motum non auferri ob defectum agentis, si.n. loquamur de Deo, nulli dubium est, quòd ipse potest aliquod mobile in vacuo mouere; Sic etiam Angelus posset seipsum, & aliud mobile localiter mouere, quia nullo modo à medio pleno dependet. Quòd etiam posset hoc efficere agens sublunare proprijs viribus, inde patet, quia in agendo non pendet essentialiter à Cęlesti motu, vt isto cessante, non possit proprios motus agere, nam vt Scot. docet in 2.d.2.q.11. & in 4. d.49.q.14.lit.M. ex Aug. 11. Confes. stante Cęlo adhuc rota figuli moueretur; & tempore Iosue cùm sol stetit obediente Deo voci hominis, adhuc

huc causa sublunares proprias actiones exercebant; & si aliquod viuens sufficienter alimentum applicatum haberet, & respiratio non impediret, posset nutriri, & augeri, imò & generare, si materia seminis esset in loco proportionato. Posset etiam homo non solùm intelligere, sed etiam sensationes tactus, & gustus exercere, si approximata haberet sensibilia, quia huiusmodi operationes non pendent à medio pleno. Non posset tñ animal videre ait Scot in 2.d.9.q. 2.lit.C.& ratio est, quia ad visionem requiritur species visibilis in medio ab obiecto producta, cùm sit accidẽs, in vacuo autem nullum esset subiectum, in quo talis species reciperetur, & eadem rõne idem de auditu, & de olfatu dicendum foret, nisi apponeretur corpori odorifero aliquid resoluens ipsum in fumalem euaporationem, quæ ad olfatum deferretur, vt ait Sampson; neq. hoc implicaret, quia fumalis illa euaporatio, cùm sit substantia non pendet à medio pleno. Sic etiam si ignis contiguus esset stuppæ, vtiq. illam cremaret, at si aliquantisper distaret, non combureret, ratio est, quia estò generans posset generando agere immediatè in distans, alteratio tñ, quæ est accidens, & actio necessariò præuia generationi, pendet à medio pleno.

Probatur 3. de motu locali, seu lationis, nam posset in primis fieri in Vacuo motus proiectorum, si talis fieret per impetum impressum, quia medium plenum potius impediret, quàm motum causaret, vt melius lib. de Cœlo patebit. In vacuo interminato, posset Angelus si ibi esset se mouere, & si vltima sphæra Empireo non ambiretur, sed immediatè circumdaretur à spatio inani, si illi affixa esset aliqua virga ferrea, posset imò deberet ad motum sphæræ moueri, & tñ in vacuo moueretur; quod etiam dicendum erit, si inferiores sphæræ à Deo destruerentur, quia tunc verè vltima sphæra circulariter in vacuo moueretur. De motu naturali grauium, & leuium aliter dicẽdum venit; Si .n. grauia, & leuia ideò ad propria loca sursùm, & deorsùm mouentur quia grauia petunt tantùm esse sub leuibus, & leuia super grauia, & non quia determinatũ situm postulant in vniuerso, sic rectè philosophatus est Auersa, nullo modo naturaliter moueri, tam in vacuo terminato, quàm interminato, quia in nullo istorum esset assignabilis locus naturalis sursùm, & deorsùm, q͂a nullum corpus contiguum haberet à quo posset determinari, in quã partem moueri debeat, & extrema distantia nihil conducerent; Si verò ad rationem loci naturalis non tũ corpus continens attendi debeat, verum etiam situs vniuersi, vt innuere videtur Scotus in 2.d.2.q.10.B. dum ait: *Si nullum graue esset in centro, sed tota terra amota ab eo, & remanente centro sub sola ratione centri, vt prius, adhuc graue naturaliter tenderet ad centrum*; tunc dicendum esset, quòd estò grauia, & leuia in spatio interminato non possent naturaliter moueri, quia non essent assignabiles istæ locorum differentiæ scil. sursùm, & deorsùm, in vacuo tñ terminato intra vniuersum, possent naturaliter moueri ad propria loca, quia verè daretur adhuc sursùm, & deorsùm; Vel dicendum esset, quòd

in casu,

in casu, quo vacuum intra Cęlum lunæ auferret omnia elementa præter terram, tunc terra esset actu centrum reale, in ordine ad quod sumerentur differentiæ Vbi realis, quod acquireretur per motum, & differenti motuum sursum, & deorsum, motus .n. deorsum est ad centrum, motus sursum à centro. de motu progressiuo animalium, & volatilium, patet, si .n. animal poneretur à Deo in vacuo, haberet iam virtutem progressiuam, & volatiuam, haberet concursum Dei, haberet spatium, ergo nihil deest, vt ibi motus fieri possit; sed de his fusiùs, in lib. de Cęlo.

Obiectiones.

Ob. Cũ Æg. dio quol. 6. q. 6. Causa particularis in operando localiter depe det ab influxu causæ Cęlestis ex Arist. 8. Phys. 56. & 12. Meth. 38. cui fauet D. Thom. 1. Cęli lect. 22. vbi docet, quòd homo positus supra vltimum Cęlum non posset manum extollere, nisi fuerit glorificatus quia tunc ob statum gloriæ non sub ectaretur influxui Cęlorum; Sed in corpore existente in vacuo, nec immediatè, nec mediatè recipi potest influxus Cęlestis ad efficiendum motũ localem, ergo dato vacuo, corpus naturaliter moueri nequit per illud. maior est clara, corpora .n. superiora agunt in his inferioribus, minor probatur, influxus Cęlestis est accidens, ergo peruenire non potest ad corpus existens in vacuo, nisi per corpora intermedia, quæ vt supponimus non dantur, admisso vacuo. R. vt supra negando maiorem, ad quod etiam conducit Auctoritas D. Thom. opusc. 11. art. 11. vbi a t: *per subtractionem Diuini influxus omnia subitò perirēt, sed non sic per subtractionem motus Cęli sed post aliquod tempus*, & opusc. 1. art. 4 inquit: *Si cessarent Cęli, homo posset mouere manum, & linguam eodem modo ac prius*. Hinc Aliqui Thomistæ affirmant, quòd saxum positum in concauo lunæ, vacuo in regionibus inferioribus existente, posset ab Angelo localiter moueri, quia Angelus est superior Cęlis, & in mouendo non dependet ab eorum influxu, vt D. Thom. docuit 4. Phys. lec. 11. quare posito corpore in vacuo, corpus naturaliter moueretur motu dilationis, quia talis motus cõducit ad repletionem vacui, & Deus vt Author naturæ tenetur influere in illum motum, & si esset lignum aliquod, cuius extremum esset in pleno, & medium esset in vacuo, posset illud trahi ab extremo, & tunc necessariò moueretur etiam medium, quod esset in vacuo. Vnde Scot. in 4. d. 49. q. 13 G. ait, quòd motus Cęli non est primus primitate causalitatis respectu motuum sublunarium, sed principalitatis, & vniformitatis, & intantùm adest quædam dependētia, in quantùm adducit generans.

Ob. Motus localis non potest esse sine loco, nec locus sine superficie, sed in vacuo nulla est superficies, ergo ibi nullus esse potest motus localis. hæc difficultas tangitur à multis, sed non ab omnibus rectè soluta manet, nam diuersimodè respondent Thomistæ, & Scotistæ, & aliter Faber, aliter Bonetus, aliter Masius, aliter Compl. aliter Lisbonensis, aliter Lerma, & aliter Alij. in hoc tñ conuenire videntur, quòd tunc ambiretur mobile à loco cõmuni, scil. Cęlo, & hoc foret Vbi, quod tunc

acqui-

acquireretur. Non valet, quia non euitant difficultatem de motu facto in vacuo interminato, vbi non est Cęlum; nec respectus, quem mobile acquirit in ordine ad Cęlum rectè appellatur Vbi locale, quia Vbi est immediata circumscriptio locati à loco, & respectus qui acquiritur ad varias Cęli partes est propinquitatis, vel distantiæ, non localis præsentiæ; hinc quia huiusmodi relationes propinquitatis, & distantiæ sunt intrinsecùs aduenientes, non possunt terminare motũ. Et quia Cęlũ est locus cõmunis, tũc õnes motus locales, siue sursum, siue deorsũ essent eiusdẽ speciei, quòd falsũ est. Ideo nos breuiter ex superiꝰ dictis asserimus ꝙ motus localis fieri nõ pot. st, nisi in pleno, in quo solũ reperitur vbi locale, quod attenditur in ordine ad superficiem realem ambientem, motus tñ lationis sm̃ totam suam realitatem, tàm fieri potest in pleno, quàm in vacuo, quia per se terminus eius est Vbi præsentiale; Vbi verò locale est terminus tm̃ per accidens quatenus accidit motum lationis fieri in pleno, & eamdem responsionem tetigit Lisbonensis, dum ait: per motum in vacuo acquiritur locus, non extrinsecus, sed intrinsecus. hoc autem Vbi præsentiale, quod est per se terminus lationis attendi debet penès determinatas partes Diuinæ Substãtiæ per totum illum spatium diffusæ, quatenus in toto motu illi coexisteret, qui respectus cùm sit verus, realis, & positiuus, & à mobili realiter distinctus, quia modò coexistit Deo hic, modo ibi in eo spatio, sufficienter terminare potest motum realem & positiuũ; ità Mastr. & Bell. loc. cit.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. supposito motu in vacuo, talis motus esset successiuus, non instantaneus. Et Scoti loc. cit. & cõmunis contra Auerr. Achillin. Zimaram, & Ægid. quol. 6. punc. 6. & ostẽditur primò athor. Arist 6 Phys. cap. 3. vbi docet, in omni motu locali prius debere esse mobile in termino à quo, deinde in medio, posmodũ in termino ad quẽ, s. d hoc requirit successionẽ, ergo &c. 2. Successio non solùm sumitur ex parte resistentiæ, sed etiam ex parte spatij, sed spatium vacui non potest pertransiri in instãti, ergo licèt non sit ibi resistentia medij, tñ propter distantia n spatij, non posset motus fieri in instanti; maior patet, minor probatur, non potest eadẽ res creata esse simul sursũ, & deorsùm, quia esset sursum, & non sursum, quod implicat, at si vacuum pertransiri posset in instanti, tunc eadem res esset simul sursùm, & deorsùm. 3. Si lapis in instanti moueretur à concauo Cęli vsque ad centrum; vel in vno, & eodem instanti erit in Cęlo, & in terra, vel in vno instanti erit in Cęlo, & in alio instanti erit in terra, non primum, quia sic esset naturaliter in pluribus locis, si secũdum, cùm inter duo instantia mediet tempus, moueretur in tempore, & consequenter successiuè, non instantaneè.

Obiectiones.

Ob. 1. Authoritate Arist. 4. Phys. à tex. 65. vbi ostendit, vacuũ destruere motum, quia necessariò deberet fieri in instanti. ℞. satis laborare Peripateticos de sensu Arist. cùm motũ in vacuo negauerit, conueniunt tũ in hoc, quòd loquatur ad hominem contra Antiquos, qui ex vna parte vacuum

vacuum admittebant propter motum localem, ex alia deinde asserebant, omnem successionem prouenire ex resistentia medij pleni. Contra arguit Arist. si vacuũ necessarium est propter motum localem, ergo ibi motus fieret in instanti, & non successiuè, cùm ibi nulla esset ex parte medij resistentia.

Ob. 2. Qualis est proportio medij ad medium in subtilitate, & densitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus, quia ideo velociùs, aut tardiùs mouetur, quia magis, vel minus medij resistentiam eumcit; sed vacui ad plenum nulla est proportio in subtilitate, & densitate, ergo nec motus ad motum in velocitate, & tarditate, & ità motus fieret in instanti. ℞. Concedendo, quod inter vacuum, & plenum non datur proportio, quò ad subtilitatem & densitatem, quæ sunt causæ successionis accidentalis, est tũ proportio quò ad distantiam extremorum, & impotentiam agentis finiti, & limitati, quę causant successionem essentialem, implicat .n. naturaliter ꝙ idem mobile sit simul in termino à quo, & in termino ad quem, nec agẽs naturale potest ipsum mobile in duplici termino constituere.

Ob. 3. Si daretur in vacuo motus successiuus, sequeretur, quòd duo corpora, quorũ vnum esset grauius, alterum minus graue, possent æquali tempore quodcumq. spatium vacuũ percurrere, nam ratio, cur grauius velociùs descendit, est quia faciliùs secat medium, & in vacuo nullum est medium, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Negando sequelam cum sua probatione, illa .n. facilitas ad secandum medium, non est præcisa, & præcipua ratio, cur grauius descendat velociùs corpore minus graui, sed hoc euenit, quia habet maiorem virtutem motiuam deorsum pellentem, quam adhuc retinet, & in vacuo.

Ob. 4. In vacuo nulla est resistentia, ergo nulla succesio in motu, sequela est clara, antecedens probatur, non est resistentia ex parte medij, vt patet, neq. ex parte distantiæ in terminos à quo, & ad quem, quia hæc distantia nihil est, ergo non potest successionem realẽ causare, neq. ex parte agentis, quia si contrarium ibi non adest, agit ex se in instanti, vt patet in illuminatione. ℞. Negando assumptum, adest .n. resistentia ex parte distantiæ, ad probationem, dicimus quòd distantia priuatiua non causat effectiuè, & positiuè moram realem, sed quasi formaliter, quatenus mobile nequit simul habere distantiam illam, à qua iam exceditur; Nec distantia est nihil, sed respectus realis in extremis distantibus fundata. Adest etiã resistẽtia ex parte agentis, quia est limitatæ, & finitæ virtutis; ad probationem dicimus, verum esse, si terminus potest indiuisibiliter acquiri, vt est lumen, at tota distant a, cùm sit diuisibilis, sicut etiam, & mobile resistunt potentiæ agentis. hæc sent. est etiam D. Tho. in 4. d. 44. q. 2. art. 3. & ex Neuth. Hurtad. disp. 14. Phys. sec. 6. nu. 60. Conimb. 4. Phys. cap. 9. q. 4. & 5. Amic. tract. 21. q. 4. dub. 1. art. 2. Tolet. cap. 9. q. 9. Tellez. disp. 32. sec. 5. & nouissimè Lync. lib. 7. Phys. tract. 1. de loco, num. 37.

DISPV-

DISPVTATIO XVI.

DE DVRATIONE, SEV TEMPORE

ARist. in hoc 4. Phys. disputationi de loco, disputationem de tempore annectit, propter affinitatē materiarum, sicut n. locatum est in loco, sic etiam in tempore, quod est mensura, & duratio loci, & locati. In capite ergo decimo huius probat contra Antiquos dari tempus, & deinde in sequentibus, tempus definit, eius proprietates declarat, & aliqua aduerbia significantia, & cōnotantia tempus explicat. Et quia durare nō solùm motui conuenit, sed etiam rebus alijs naturalibus, propterea non solùm de tempore, verùm etiam de alijs quoquè durationibus agemus; & primò de duratione in communi, postea de eius speciebus, quæ communiter tres assignari solent, scil. Aeternitas, Aeuum, & Tempus, ipsas postea in alias diuidendo. Nomine autem durationis, si vis vocabuli attendatur, intelligitur id, quo res est, & persistit in rerum natura, & propriè quamdam permanentiam in esse dicit, & perseuerantiam in eodem statu, licèt si latius sumatur dicit quācumque habitionem alicuius esse etiam instantaneam.

ARTICVLVS PRIMVS.
Quid sit formaliter duratio.

SCotus articulum hunc resoluit in 2. q. 2. lit. H. vbi loquens de duratione Angelica, ait, non esse necesse ponere aliquid reale, siue absolutum, siue respectiuum distinctum ab existentia Angeli, pro eius mensura, & duratione. idem colligitur ex quol. 9. lit. R. loquens de Æternitate Dei, & alibi. Pro cuius resolutione sciendum est, quòd existentia correspondet productioni, vt eius effectus, & duratio conseruationi, hinc sicut res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conseruata, ità in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia duratio aliud non est, quàm existentia rei continuata, & conseruata, vt ex Scoto colligitur in 2. d. 2. q. 1. §. *Ad argumenta pro prima opinione.* lit. E. Vnde sicut alibi diximus, conseruationē ex impositione nominis significare realem dependentiam rei, à sua causa, dare autem intelligere respectum quemdam rationis ad esse præhabitum, ità in proposito de duratione philosophandum erit; & licèt veritas hæc in Scoti sententia sit clarissima, non tñ apud intellectum Aliorum, ideò circa eam multæ, & variæ extant opiniones.

Prima asserit, Durationem supra existentiam rei formaliter addere rōnem mensuræ, ità multi ex Thomistis, quos etiam ex nostris sequuntur Conon. 4. Phys. q. 5. dub. 3. & Anton. Andreas. 5. Meth. q. 11. & quia mensura est duplex, actiua, quæ consistit in quantitate intellectui nota, per

per quam de alia ignota intellectus certificatur; & passiua, quæ dicit aptitudinem, & mensurabilitatem rei, vt possit per notiorem quantitatem ab intellectu cognosci, hinc deinde huius sententiæ Authores dissident inter se, quam ne rationem mensuræ importet duratio, an scil. actiuę, vel passiuæ.

Secunda opinio affirmat, durationem aliquid superaddere existentiæ ex natura rei ab ea distinctum, sicut rem à re, quam videntur amplectere Complut. de duratione creata disp. 21. Phys. q. 3. quia ipsam durationem ponunt accidens reale; Alij verò, q. potius ipsa duratio, sit modus existentiæ positiuus, quo formaliter res in existentia perseuerat, ità Conimb. cap. 12. q. 3. Rub. 4. Phys. tract. 1. de tempore q. 4. & Murcia disp. 3. q. 3. quam probabilem putat Amic. tract. 22. dub. 2. art. 3.

Tertia, quā multi sequuntur Scotistæ, vt videre est apud Vulp. 1. p. disp. 17. & Smisinch. tenet, durationem formaliter addere negationem desitionis, quia tunc res permanere concipitur, cū eius esse non destructum intelligitur, & quia si solùm per instans res existeret, verè in eo instanti destructa non esset, hic consequenter asserunt rem in illo instanti verè, ac propriè durare. Quarta sententia est Suar. disp. 50. Meth. sec. 2. qui docet, durationem formaliter dicere respectum quemdam permanētiæ ad esse ipsius durantis, vt præcedens, qui respectus cùm non sit in re per instans existente, ideò nec verè, nec ꝓpriè tunc durare dici debet.

Conclusio.

Dicimus, formale significatum durationis sm̄ id, quod dicit quid positiuum, & reale à parte rei, esse existentiam rei durantis, pro vt cū connotat respectum, vel realem, vel rōnis coexistentiæ alicui durationi extrinsecę, saltē imaginariæ: est Scoti in 2. cit. & quol. 6. lit. R. quā amplectūtur Bassol. ī 2. d. 2. q. 1. art. 3. Mastr. & Bell. disp. 13. q. 1. & ex Exteris Masius disp. de Tempore sec. 3. q. 1. & Alij; & primò probari potest ex confutatione opinionum Aliorum. quòd non dicat rōnem mēsuræ, quęcumque illa sit, habetur à Scoto in 2. cit. lit. G. nam mensurari, vel mensurare, est intellectum certificari, vel certificare de quantitate ignota per alteram notam, atque ideò mensura dicit ordinem ad intellectum, vt etiā Doct. docet quol. 13. M. sed quælibet res independenter ab intellectu dicitur durare, ergo duratio formaliter, non dicit durationem mensuræ siuè actiuæ, siuè passiuæ. maior patet, minor probatur, nam accidit rei duranti, quòd vnus intellectus sit certus, vel incertus de ipsius duratione.

Dices, Duratio non dicit rōnem mensuræ actualis, sed aptitudinalis, & mensurabilitatem. Contra, hæc mensurabilitas dicit tantùm cognoscibilitatem in duratione rei durantis, ergo præsupponit durationem in re, sicut cognoscibilitas alicuius entis præsupponit entitatem illius; patet consequentia, quia passio semper supponit entitatem rei, cuius est passio, cùm ab illa re dimanare intelligatur.

Secundò, quòd non dicat aliquid ab existentia ex natura rei distinctū, nec vt rem à re, nec vt modum, probatur: prius realiter distinctum à posteriori

steriori à, quo nulla rõne dependet, potest ab eo separari, saltem per potentia Dei absolutam, & separatum conseruari, sed existentia est prior ipsa duratione, ac proinde independens ab ea, ergo potest à duratione separari, & etiam sic separata conseruari; subsumitur argumentum, sed hoc implicat, nam rem durare in proprio rigore aliud non est, quàm eius existentiam permanere, & conseruari in esse, ergo &c. Tum quia ꝙ Deus potest pro vno solo instanti facere sine alio, potest etiam tempore sequenti sine illo conseruare, quia non est minor Dei potentia pro tempore sequenti, quàm in illo primo instanti, ergo cùm res in primo instanti talem entitatem, vel modum non habeat, quo duret, poterit quoq. deinceps toto tempore sequenti sine tali re, vel modo conseruari, quod implicat, quia eo ipso iam durare diceretur, cum duratio aliud non sit, quàm rei existentia continuata, & conseruata. Nec vim argumenti perniadunt, qui hoc superadditum ponunt esse modum, & modaliter tm̄ distinctum, quia cùm ab his Authoribus hęc distinctio explicetur, vt possit res esse sine modo, & non è contra, hoc solùm consequuntur, quòd duratio, quia est modus, separari nõ potest ab existentia, non verò quòd existentia separari nequeat à duratione, & separata conseruari; & si potest res in primo instanti esse sine tali modo, poterit etiam Deus eam tempore sequenti sine tali modo conseruare, nam parum ad hoc refert, ꝙ illud superadditum tempore sequenti sit res, vel purus modus rei. Tum quia productio, & conseruatio non distinguuntur ex natura rei, sed tm̄ per connotata rõnis, quia conseruatio per se loquendo aliud non est, ꝙ productio rei perseuerans, seù continuata, ergo idem asserendum erit de existentia, & duratione, quæ illi, vt effectus correspondet.

Rur. Resp. quòd permanentia duplex est, vna quæ sumitur pro actuali dependentia substantiali ab agente non interrupta, quæ à Complut. appellatur permanentia fundamentalis, & sic est conseruatio rei; altera quæ accipitur pro continuata depẽdentia accidentali, quam Complut. permanẽtiam formalem vocant, quæ causatur ab illa permanentia substãtiali, & hæc permanentia, seu duratio est realiter ab illa distincta. Sed Contra, nihil potest dici formaliter tale per id, quod præsupponitur illud esse tale, sed hæc accidentalis duratio iam præsupponit rem in suo esse existere, & permanere, sicut omne accidens suum subiectum supponit existens, non solùm in principio, sed etiam in toto tempore, quo reperitur in subiecto, ergo hæc dependentia accidentalis non est necessaria ad concipiendam rei durationem; quia res durat eo ipso, quòd conseruatur, secluso quocumque alio, ergo permanentia fundamentalis sufficit ad rei durationem, seclusa illa formali. Tertiò, quòd non dicat formaliter negationem desitionis, vt quid ab existentia distinctum, patet ex eo, quod Scotus habet in 2. d. 2. q. 1. fol. mihi 27. vbi concedit hanc propositionem: *negatio negationis est affirmatio positionis*, ex primò perhiermẽ c. 5. ergo cùm destructio rei sit formaliter negatio existentiæ rei, tunc ne-

tur, nam solùm differunt penès connotata, sicut creatio, & conseruatio, ità Bell. & Mastr. loc. cit.

Obiectiones.

Ob. 1. Quòd duratio formaliter aliquid addat supra rei existentiam: Duratio est prædicatum trascendés, Deo, & creaturis conueniens, reducibile ad prædicamentum quando, sicut sapientia ad qualitatem, ergo distinguitur realiter ab existentia, quæ ad prædicamentum illius rei, cuius est existentia, reducitur. R. Quòd duratio reducitur ad prædicamentum quando, sm̃ id, quod connotat, non secundum suum formale significatũ, quod est existentia, ideò nulla est consequentia.

Ob. 2. In primo instanti res existit, non tñ propria duratione durat; item duratio dicitur longa, vel breuis, minor, vel maior, aut æqualis, non sic existentia rei, cùm sit indiuisibilis; ergo distinguuntur realiter existentia, & duratio. R. existentiam variari quo ad connotatum, non quo ad significatum formale, hæc est .n. natura connotatorum, sic prandium, & cæna formaliter dicunt comestionem, connotant tñ diuersa tempora; negatio, & priuatio formaliter conueniunt, differunt verò connotatiuè; hinc existentia separatur à duratione propriè dicta, sicut cómestio ab hoc quod est serotina, vel matutina, & priuatio à negatione per aptitudiné ad subiectum; variatur etiam quò ad connotata in ordine ad durationem imaginariam, ex qua desumuntur illæ denominationes scil. rem plus, diu vel breuiter &c. durare.

Ob. 3. Sicut se habet locatum ad essendum in loco, ità res durans ad durandum, sed locatum non est in loco per aliquid realiter sibi identificatum, sed per relationem realiter distinctam, ergo &c. R. Negando paritatem, nam esse in loco principaliter dicit ordinem ad aliquod extrinsecum locans, at rem existere, vel durare dicit principaliter conceptũ absolutum, & in ordine ad se, estò vt à nobis adæquatè concipiatur, explicetur per respectum ad aliud extrinsecum, ideòque locus dicit formaliter respectum, duratio verò existentiam. Tum quia, vt benè discurrit Mastr. & Bell. vt res dicatur successiuè præsens alteri, & alteri spatio locali, requiritur variatio ex parte ipsius rei, & spatium intelligitur permanens, & immobile, vt verò res dicatur coexistens alteri, & alteri imaginariæ durationi, res concipitur vt immobilis, & eadem perseuerans, & interuallum illud durationis imaginariæ, vt fluens, & transiens &c.

Dices, tẽpus imaginariũ est purum nihil, ergo ex connotatione ad illud desumi non potest noua realis denominatio maioris, vel minoris durationis. R. Negando consequentiam, potest .n. dari respectus realis, saltẽ sm̃ quid ad non ens, vt diximus in Logica disp. 13. de Relat. art. 8. fol. 573. & talis est distinctio, qua forma dicitur à sua priuatione distingui, & respectus, quem dicit creatio ad nõ esse rei immediatè præcedés &c. qui respectus dici potest realis, quatenus distinguitur à mero respectu rationis causato per actum intellectus, & ratione fundamenti ex Doct. quol. 13. P. & Lychet. ibi, eo modo quò priuatio, & denominationes extrinsecæ dicuntur reales; & eadem rõne etiã

ex par-

ex parte connotati potest vna duratio dici verè, & realiter maior alia, quia in nostra sententia tàm erit realis iste respectus coexistentiæ ad durationem imaginariam, quàm in sententia Recentiorum, realis est præsentia ad spatium imaginarium; Hinc Pater dicitur durasse plusquã filius, non ex parte existentiæ cũ vtraque sit indiuisibilis, sed quia pluribꝰ partibus temporis coestitit, neque in Patre aliud fundamentũ realiter distinctum ab ipsa existentia assignari debet, nàm ratio cur Pater fundet maiorem coexistentiam, est præcisè, quia ipso existente plures temporis partes fluxere, quàm existente filio, licèt .n. existẽtia sit indiuisibilis formaliter, est tñ diuisibilis virtualiter, quatenus pluribus temporis partibus coexistere potest; & exemplum esse potest de coexistentia rerum spiritualium ad locum; sicut .n. ratio, quare Angelus superioris ordinis maiorem locum occupet, quàm Angelus inferior, non est ob maiorem substantiam formaliter, sed virtualiter, quia scil. substantia vnius est plus diuisibilis, & extensibilis per spatium virtualiter, quàm substantia alterius; sic in proposito, ideò vna res dicitur magis à parte rei durare altera, quia eius existentia coexistit maiori spatio temporis.

Lynceus lib. 7. Phys. cap. 2. fol. 290. mordicùs tenet, quòd duratio distinguatur realiter ab existentia, & plura ibi congerit argumenta, quæ ibi videri poterunt, præsertim arguit ex illa regula generali distinctionis realis. illa .n. distinguũtur realiter, quæ possunt separari, sed existentia potest à duratione separari, ergo &c. probat minorem, quia productio Petri, & eius conseruatio, sunt actiones realiter distinctæ, ac separabiles, cùm Petrus produci, & non conseruari possit. ℞. Negando minorem, cum sua probatione, nam productio, & conseruatio est vnica actio essentialiter dependens ab eadem causa, & solùm separata intelliguntur penes diuersos respectus rõnis connotatos, ad non esse præcedens, vel ad esse præhabitum, vnde tales respectus separari possunt, non eadem actio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Prima Durationis specie, Quæ est Æternitas.

Scot. de hoc art. differit quol. 6. lit. R. vbi licèt probabiliter putet, Æternitatem addere formaliter supra existentiam triplicem negationem desitionis, scil. successionis, & dependẽtiæ, problematicè tñ ibi discussit, non assertiuè. Æternitas igitur est nomen æquiuocum, & multa significat, nam aliquando accipitur pro eo, quod rei inseparabiliter cõuenit, vt passio respectu subiecti, vnde propositiones necessariæ dicuntur Æternæ veritatis: Aliquando pro re antiqua, vel diutius durante, iuxta illud psal. 76. *cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui:* Aliquando pro re carente fine, vnde Math. 25. *altera vita æterna vocatur:* Aliquando pro re carente principio, & fine, sed dependenter ab alio existente, vt si aliqua creatura ab æterno à Deo creata fuisset: Tandem pro re, principio, & fine carẽte, & hoc prorsus indepẽdẽter ab õnĩ alio, & hæc est proprijssima acceptio Æternitatis, in quo sensu quærimus

quid

quid formaliter dicat. Quantùm ad diuersitatem opinionum, currit eadē variatio de Æternitate, quæ vertebatur de duratione in cōi. Masius verò licèt formalitatem durationis in existentia posuerit, æternitatem tñ constituit in rōne mensuræ Diuini esse.

Conclusio.

Dicimus consequenter, Æternitatem formaliter nec dicere rationem mensuræ, neq. negationem destructionis Diuini esse, tam actualis, quā possibilis, neq. formalitatem quamdam positiuam ab existentia Diuina ex natura rei distinctā, sed dicit realiter existentiam Diuinam connotando respectum aptitudinalem necessariò ab intrinseco coexistendi cuicūque temporis differentiæ. Est Scoti loc. cit. & sequuntur Mastr. & Bell. disp. 13. q. 2. & patet ex Art. præcedenti, & probatur etiam specialiter de Æternitate, quæ dicere non potest rōnem mensuræ actiuæ, nàm vel mensuraret esse Diuinum, vel esse creaturarum, non primum, quia mensura debet esse mensurato homogenea ex 10. Meth. c. 3 Vnde pondus pondere mensuratur, longitudo longitudine, non verò pondus longitudine, sic duratio duratione mensuratur, ergo Æternitas non mensurat esse Diuinum, probatur consequentia, nam esse Diuinum in perfectione intensiua consistit, Æternitas verò quasi extensiuam dicit perfectionem; neque mensurare potest esse creaturarum, quia licèt ab Aliquibus Patribus, Æternitas soleat appellari mensura, quatenus per illam durationes creaturarum mentiuntur, per cōparationem sm̄ excessum in infinitū ex parte Æternitatis, tñ vt sic non Deum, sed creaturas respicit, Æternitas autem est intrinseca duratio Dei. Neque dicere potest illas negationes; quamuis .n. aliquæ illarum sint verè reales negationes, sicuti est negatio dependentiæ, & successionis, attamen, quia in communi, duratio negationē formaliter non dicit, sed existentiā, ità Æternitas, quæ sub tali genere se habet veluti species, & negationes solùm inseruiunt ad circumscribēdā differētiam constitutiuam Æternitatis, vt à cæteris durationibus diuisā; Vnde Æternitas formaliter dicit existentiam Diuinam sm̄ id, quod dicit reale à parte rei, non vtiq. sic simpliciter, sed vt potentem coexistere cuicumque differentiæ temporis etiā imaginariæ necessariò, & independenter ab alio; sicuti Immensitas dicit esse Diuinum, vt potens coexistere cuicumque reali, & imaginario loco.

Hinc Scot. quol. cit. in hoc sēsu explicat definitionē Æternitatis à Boetio traditam 5. de consolatione philosophiæ prosa 6. .i. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*. In qua definitione primò ponitur vita, quæ accipitur pro existentia actuali, & ponitur ait Scotus, tamquàm connotatum, quia quasi subiectum, vel fundamentum Æternitatis; hoc autem non est intelligendum, vt existentia non sit verè, & ꝑpriè formalitas Æternitatis, sed solùm sm̄ nostrum intelligendi modum, quatenus scil. tunc concipimus Æternitatem habere rōnem completam, cùm intelligimus supra existentiam relationem illam aptitudinalem coexistentiæ fundari, quæ sit veluti

forma

forma ipsius, quomodo priuatio vt sic dicitur addere supra negationē, aptitudinem subiecti. Vel dicendū, quod sicut Scot. quol. 12. putat probabile, quòd creatio, & conseruatio distinguantur formaliter inter se, quatenus creatio dicit respectum ad non esse immediatè præcedens, conseruatio ad esse præhabitum, & conuenire in connotato scil. in relatione dependentiæ effectus ad causam; & existentia rei, & duratio ad inuicem comparentur, vt productio, & conseruatio eiusdem rei ex eodem in 2. d.2.q.1. §. *Qui vult tenere primam opinionem &c.* sic locutus sit quol.6. indicans modum tuendi aliam opinionem, quòd scil. existentia sit connotatum durationis, coexistentia verò formale significatum. ità Mastr. & Bell. loc. cit. 2. dicitur interminabilis, id est potens coexistere cuicūque durationi sine principio, & fine. 3. tota simul, i. sine variatione, & successione 4. perfecta possessio, id est nō dependere ab aliquo in existendo, sed à seipso simpliciter, & necessariò existere.

Obiectiones.

Ob. Æternitas connumeratur inter attributa Dei, ergo non dicit formaliter existentiam, probatur consequentia, quia in sententia nostra existentia Dei non est attributū, sed prædicatum quidditatiuum, vel saltem modus eius intrinsecus. ꝶ. cum Scot. quol. cit. quòd Æternitas sm̄ id, quod dicit à parte rei non distinguitur ab existentia, neque est attributum, sed Dei prædicatum quidditatiuum, sed dicitur attributum sm̄ id, per quod à nobis explicatur, & connotat, nempè propter respectū coexistentiæ, & negationes annexas explicantes differētiam Æternitatis ab alijs durationibus.

Ob. 2. Quòd Æternitas non sit indiuisibilis, nam sequeretur, quòd qui æternitati semel coexisteret, toti æternitati coexisteret, & ità res in tempore creata, fuisset ab æterno, quod est falsum, ergo falsum est æternitatem totam simul esse, sine successione, & partibus carere. ꝶ. ad sequelam, quòd tunc res toti æternitati coexisteret, non totaliter, quia licèt æternitas sit formaliter indiuisibilis, virtualiter tū est diuisibilis, quatenus æquiualet durationibus successiuis, sic caput est præsens toti animæ, non tñ totaliter, ideòq. negatur cōsequētia, quòd res in tempore creata fuisset ab æterno, tunc .n. deberet æternitati coexisteret toti, & totaliter.

Ob. 3. Ex hac doctrina sequeretur, non verè de Deo à Scripturis & PP. enunciari temporis differentias scil. fuit, est, & erit, cum nihil in Deo præteritum sit, vel futurum. ꝶ. Differentias tēporis de Deo enunciari, quatenus per eamdem exstentiā formaliter indiuisibilem, sed virtualiter diuisibilem coexistit illis, quæ coexistentia est verè successiua.

Ob. 4. plus Deus extitit ab æterno vsque nunc, quàm vsque ad tempus incarnationis Domini, vt euidēs est, ergo existentia ipsius diuisibilis est. ꝶ. Negando consequentiā, nam illa maior coexistentia ad tempus non est propter augmentum existentiæ, sed quia virtualiter diuisibilis est in ordine ad varias temporis differentias, vt dictum est.

Thomistæ hanc coexistentiam explicant exemplo linearum, quæ licèt inter

inter se distent, vniuntur tñ in centro; sic etiam partes corporis inter se distantes toti animæ sunt præsentes. Non placet, & ratio est, quia coexistentia est relatio realis fundata in creatura existente, res autem, & tempus non existunt in se ab æterno, aliter de nouo non producerentur; Vnde non est eadē omnino coexistentia semper, sed mutatur ad mutationem creaturarum, rōne cuius denominatio coexistētiæ in Deo etiā de nouo aduenit, quia non dicit aliquid reale in ipso, sed simplicem extrinsecam denominationem, sicuti esse Creatorem &c. Neque exempla adducta aliquid probant, sed potius sunt ad oppositum; nam lineæ si ad circūferentiam non essent protensæ, non possent dici centro vnitæ, & ipsi coexistere; partes corporis non eadem præsentialitate sunt animæ præsentes; & in corporis animatione partes, quæ non existunt, non dicuntur animæ præsentes; sic partes temporis, & futura, & præterita, quæ non sunt, non poterunt æternitati coexistere, & dici ei præsentia.

Ob.6. in Deo omnia sunt præsentia, & non datur præteritum, & futurum, ergo Deus à tempore abstrahit, & ità neq. coexistet temporis differentijs, quia coexistentia est quasi vnio coexistentium. ℞. Deo omnia esse præsentia in esse obiecto, & nō ex parte rerum, & hæc innuunt PP. cū dicūt, *cū illo erant omnia futura, & cū illo sunt omnia præterita*, vt scil. saluent immutabilitatem Dei quò ad cognitionē, non verò in esse reali, & coexistentiæ. Sed hæc sufficiāt, quia potius Theologicum negotium est.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Æuo Secunda Specie durationis, & in quo ab æternitate differat.

Scot. decisionem huius art. affert in 2.d.2.q.4.& d.1.q.3. lit. E. & alibi. Est res Theologica, vel saltem Methaphysica, ideò breuiter, & rudi quoddam apparatu eam resoluimus. Æuum est etiam nomen æquiuocum, & aliquando cum æternitate confunditur, communiter tñ à Theologis accipi solet pro duratione alicuius entis creati, & præsertim Angeli, qua rōne appellatur Æuiternum ab æternitate, & tempore distincta. Quantum igitur ad differentiam æui ab æternitate, Moris. *disp. 6.* Phys. q.4.& Perer. lib. 12. cap. 7. affirmare videntur, differentiam esse, quia æternitas est duratio sine principio, & fine, æuum tñ habet principium sine fine. D. Bonau. in 2.d. 2.art.1.q.3. docet, quòd æternitas sit duratio omnino permanens, & rei simpliciter inuariabilis, æuum autem est duratio successiua, & variabilis in se, absque tñ innouatione, & successione existētiæ rei durantis, sed eadem indiuisibiliter permanens, sequitur Murcia 4. Phys. disp. 3. q. 3. à quo etiam parū distat Hurt. disp. 17. Meth. sec. 3. & 4. cum ait: durationē quamlibet creatam includere formaliter successionem, præter existentiam rei, & probabilem putat Scot. in 2.d. 2. q. 1. & quā plures Scotistæ, præsertim Vulp. tom. 2. p.p. disp. 9. art. 5.

Conclusio.

Dicimus, differentiam, qua æuum ab æternitate differt, esse, quòd æternitas est duratio rei permanentis, necessariò, simpliciter, & ab intrinseco coexistentis cuicumque temporis dif-

ris differentiæ; æuum autem est duratio permanens rei sm̄ totum,& nō per partes, post partes existentis,& consequenter potētis coexistere etiā cuicumque temporis differentiæ, si ab æterno producta fuisset, non tā necessariò, & simpliciter, sed ab extrinseco, & contingenter. Est Scot. in 2.d.2.q.4.& communis, quam in terminis tradunt Mastr.& Bell.disp. 13.q.3. & ꝓbatur præsertim ex confutatione aliarū sētētiarū;& primò nō differt per non habere principium, quia vt Scot. docet in 2.d.1.q.3. cit. Si creatura aliqua fuisset ab æterno producta,principio careret durationis, & tā non duraret æternitate, sicuti Deus, quia adhuc intrinsecè esset dependens à Deo.

Secūdò,quòd neq.differat sm̄ successionem,est Scoti in 2.d.2.q. 1. vbi licèt probabilem putet D. Bonau. sententiam, probabiliorem tā oppositam existimat; & ratio est,quia duratio non distinguitur ab existentia rei, ergo si existentia Angeli est indiuisibilis, & permanens, etiam & permanes erit duratio, Vnde concludendum est, quod æuum ab æternitate distinguitur per hoc, quòd æuū supra durationem permanentem indiuisibilem,addit defectibilitatem ab intrinseco, quod inde patet, quia duratio dicit permanentiam rei in esse, ergo ex diuerso modo permanendi, & existendi ab intrinseco sumi debet diuersitas specifica durationis, & talis est modus in conclusione assignatus. *Obiectiones.*

Obijcit.Scot. ostendendo æuum esse intrinsecè successiuum, & primò SS. Patrum auctoritatibus, & præsertim D.Aug. supra Gen. ad lit.lib. 8.c.19.vbi ait: sicut aer respectu solis non est factus lucidus, sed fit lucidus,ità creatura respectu Dei,ergo si creatura respectu Dei est in fieri formaliter, ponitur continuò in esse, & ità non simul totum esse habet,sed successiuè, hinc Sancti Patres asseruerunt,carere præterito, & futuro, & totum esse simul habere soli Trinitati conuenire. R̄t Doct. ideo SS. PP. præteritum, & futurum creaturis omnibus tribuerunt, & soli Deo permanentiam, propter defectibilitatem, quam intrinsecè habent, & potentiam ad non esse, vnde possunt coexistere, & non coexistere temporis differentijs, & hac ratione dicuntur non habere totum esse simul, non quòd omnes creaturæ ad existēdum successiuè se habeant. Ad D. Aug. ait, creaturam esse in continuo fieri respectu Dei, non quia fit noua actio continuò succedens,quia est indiuisibilis, sed quia continuo influxu Dei indiget ad sui conseruationem.

Ob. In eo, quod habet totum esse simul, idem est fuisse, esse, & fore, sed quod fuit, impossibile est non fuisse,ergo si in Angelo idem est fuisse, & fore, impossibile est Angelum non fore, quod est falsum. R̄t Scot. distinguendo maiorem,si per ly fuisse, esse, & fore intelligatur existentia Angeli, vt sic, concedit; si verò vt subitat illis coexistētijs ad partes temporis præteritas, præsentes, & futuras, negat; sic ad minorem,quod fuit specificatiuè,non potest nō fuisse,negatur, qa existētia illa potuit nō fuisse,si à Deo nō fuisset Angel⁹ productus, reduplicatiuè conceditur,nā quod fuit vt sic, non potest non fuisse,dum .n. res est,necessariò est,ideo con-

consequentia est nulla, quia non necessariò conuenit Angelo fuisse.

Ob. Potest Deus duos Angelos creare vnum post alium, & idem Angelus modò habere vnam actionem, postea alteram oppositam, ergo verè in Angelis datur prius, & posterius, & successio. Rt Concedẽdo dari pri9s & posterius in casu posito, non intrinsecè in esse Angeli, sed extrinsecè per aliam, & aliam coexistentiam ad durationem extrinsecam successiuam, saltem imaginariam, vbi .n. est prius, & posterius, ibi necessariò successio est.

ARTICVLVS QVARTVS.
De Differentijs Æui ab alijs durationibus.

SCot. de Art. hoc differit in 2.d. 2.q.3.& 4.& in 4.d.49.q.6.§.*De secundo dubio &c.* lit. K. Thomistæ, & presertim Caiet. 1.p.q.10.art. 1. sic æuum à tempore distinguunt: tempus mensurat res, quæ acquiruntur, & deperduntur per motum, & mutationem, vt sunt substantiæ, & accidentia materialia naturaliter deficibilia: æuum verò mensurat, quæ sunt naturaliter incorruptibilia, & solùm à Deo destructibilia, vt sunt Angeli, Celi, & materia Prima; addunt tñ, quòd Angelorum operationes immanentes, licèt motu, & mutatione acquirantur, & deperdantur, non durant tñ tempore nostro, sed discreto; & per tempus discretum intelligunt durationem plurium entium sibi inuicem immediatè succeedentium, dupliciter .n. distingunt intellectiones Angelorum, vno modo per se, & seorsim, altero pro tota collectione intellectionum; si primo modo considerentur, duratio dicitur instans temporis discreti, quia est duratio quædam indiuisibilis; si secundo modo, tunc duratio totius collectionis illarum operationum appellatur tempus discretum; tempus vtique, quia in eo reperitur prius, & posterius, quatenus ex his actibus alij præcedunt, alij subsequũtur, discretum verò, quia huiusmodi actus non continuò, & successiuè succedunt, sed indiuisibiliter, & discretè. Tempus autem hoc discretum non constat ex partibus continuis, & & instantibus copulatiuis, vt tempus continuum, sed solùm ex instantibus tamquàm ex partibus, quæ diu durare possunt, & raptim transire iuxta exigentiam illorum actuum.

Alij aliter distingunt, quòd scil. res vel sunt immediatè à Deo destructibiles vt Angeli, Celi, materia Prima, entia supernaturalia, & similia, & hæc æuo durabunt; vel sunt naturaliter defectibilia, vt cætera entia, & hæc durare dicuntur duratione quadam media inter æuum, & tempus, quam Suar. & Ruu. speciem innominatã appellãt, Amicus verò, Moris. & Heruæus vocãt instãs temporis discreti; Auersa autem vocat tempus permanẽs sub tempore in communi, tamquàm sub genere contentũ. Vnde sm̃ istos æuum ab alijs durationibus differt, quia est duratio permanens rei naturaliter indefectibilis, tempus est duratio successiua, species verò media est duratio permanẽs rei naturaliter defectibilis.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, æuum in communi à nostro tempore differre ex hoc, quòd æuum est duratio rei perma-

nentis defectibilis, tempus verò est duratio entis successiui, ità quòd omnia entia permenentia, quæcumque illa sint, neque tempore nostro, neque discreto durare dicuntur, sed duratione quadam generica permanenti, quod æuum appellatur. Est Scoti loc. cit. & cõis apud Scotis. & ex nostris Recentioribus, sequuntur Smisinch. tract. 2. disp.4.q.2.nu.40. Mastr.& Bell. disp. 13. q. 3.art.2.& Alij. Probatur cõclusio quo ad õnes partes, & primò, quòd nullum ens permanens tempore continuo duret, est Arist.4.Phys.119. vbi loquens de rebus corruptibilibus, & motui subiectis ait: *Quare quod mouetur non erit simpliciter à tempore mensurabile, quatenus quantum quoddam, sed quatenus motus ipsius quantus est*. probatur etiam rõne, quia per nos duratio dicit existentiam rei, quæ in permanentibus non est successiua, cùm non distinguatur realiter ab essentia; neque dari potest successio in existentia, quin sit in entitate rei, ꝙ verò aliqua successiuè acquirantur, vt sunt formæ accidentales materiales, nil officit, quia hoc est per accidens, cum possint in instanti acquiri. Confirmatur, quia mensura debet esse homogenea cum mensurato, & eiusdem rõnis, scil.longitudo longitudine, pondus pondere, & successiuum successiuo &c.ergo implicat rem permanentem, & indiuisibilem successiua mensura mensurari, quia sic non esset homogenea.

Secundò, quòd res permanentes neque tempore discreto mensurentur, est communior cum Scoto; & patet, quia hæc successio non facit durationem aliquam per se vnam, sed potius collectionē, & numerū pluriū duratiõnū pmanentiū, nã illa instãtia seù indiuisibilia, non vniuntur vnione compositionis, vt euidens est, neque continuitatis, aliter non esset duratio discreta, ergo dici non potest tempus discretum peculiaris durationis species. Tum quia datur de facto talis successio in formis substãtialibus respectu materiæ, & tñ non per hoc duratione distincta durant, ac si esset vna tñ forma in materia.

Tertiò, quòd detur vna duratio omnibus permanentibus communis, quæ æuum appellatur, probatur ibidem à Doctore, quia omnia permanentia, licèt specie inter se differant, conueniunt tñ in hoc conceptu communi scil. permanenter, vel indiuisibiliter permanere, non successiuè; defectibiliter, non indefectibiliter, ergo dari debet duratio omnibus cõmunis exprimens talem conceptum, quæ postea possit in alias species diuidi, vt modò dicemus. quòd autem talis duratio Æuum dicatur, vel nõ, est quæstio de nomine, & rectius loquitur Scot. quia vtitur illa antiqua, & satis vulgata distinctione durationis in tres species scil. Æternitatem Æuum, & Tempus. Et quòd Æuum omnibus permanentibus benè accõmodetur, est Auctoritas D. Damasceni 2. de fide c.1. vbi vitam cuiuscumque hominis Æuum appellat. duratio quoque beatitudinis, non solùm Æternitas, sed etiam Æuum à Patribus appellari solet.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Æuum non esse speciē athomam durationis, sed diuidi specificè iuxta essentialem diuersitatem existentiarum rerum durantium, ità

vt, tot

vt, tot sint Æua specie distincta, quot existentiæ specie diuersæ. ità Scot. in 2.d.2.q.3. lit. A. quem præter Scotistas, sequitur Suar. & licèt Scot. q. 4. dixerit omnia habentia eundem modum existendi inuariabilem æuo mensurari, ac eadem mensura, non se tñ ibi declarauit, an de generica, vel specifica mensura locutus fuerit, in quæstione verò tertia se explicauit, dum expressè ait, tot esse æua, quot æuiterna. probatur breuiter cõclusio ex dictis: Æuum formaliter dicit existentiam æuiterni, ergo quot existentiæ specie distinctæ, tot æua specie diuersa; quod aptius explicari nequit, quàm ex perfectione ipsorũ entium, quod .n. perfectius est, perfectiorem habebit etiam duratione; hinc Doct. q.4. cit. A. inquit, nec perpetuitatem, nec corruptionem, vel annihilabilitatem variare formaliter mensuram, dummodo existentia sit eiusdem rationis formaliter, si .n. Deus ab Æterno determinasset motũ Cęli in perpetuum duraturum, & Angelos statim annihilandos, adhuc motus tempore duraret, & Angeli æuo; & Contra Smisinch. solùm est, quòd posuit formas accidentales minus defectibiles substantia cõposita, quod est contra rõnem, & directè contra Scot. in 4.d.49. quol. cit. vbi ait: impossibile esse, illud ꝙ inest alicui ꝑ accid. esse immutabilius eo, cui inest; ex quo postea infert, ꝙ actꝰ beatificus ex eo, ꝙ est accidens, sit minus nobilis, & minus permanẽs Angelo.

Sed quòd etiam hæc sententia fuerit D. Thomæ non obscurè colligitur ex lect. 20. quam habet in hoc 4. cum Arist. vbi sic ait Sanct. Doct. *tẽpus mensurat illud, quod mouetur, & quiescit, non in quantum est lapis, vel homo. sed in quantum est motum, & quiescens.* & 1.2.q.31. art. 2. docet, quòd esse rerum temporalium non mensuratur tempore sm̃ se, sed per accidens, pro vt scil. subiacet variationi, & motui Cęli; & licèt Thomistæ variè hæc loca exponant, potius tñ extorsiones veritatis sunt, quam expositiones.

Obiectiones.

Obijciunt Thomistæ, probando, ꝙ res generabiles, & corruptibiles tẽpore, & motu durent, & mensurentur, & primò Auctoritate Arist. 4. Phys. tex. 133. vbi Philos. docet res generabiles, & corruptibiles tẽpore mensurari, ergo datur substantia, quæ tempore durat; hinc quærentibus, quanto tempore substantia permanserit, respondemus, tanto, vel tanto tempore. ℞. Arist. intelligendum esse, non per se, sed per accidens, rõne scil. motus, & mutationis, quorum sunt subiecta, vt tex. 119. se declarat, & vt etiam D. Tho. exponit loc. cit. cùm verò quæritur, quãto tempore substantia durauerit, sumitur tempus non pro duratione intrinseca, sed extrinseca, vt infra dicemus.

Ob. Illæ res sunt in tempore sm̃ Philos. quæ tempore mensurantur, à tempore comprehenduntur, & consũmantur, sed res corruptibiles sunt huiusmodi, ergo &c. ℞. Vt supra, hanc & similes rõnes concludere solùm, quòd res corruptibiles sint, & mensurentur in tempore, accipiendo tempus in rõne mensuræ, non durationis intrinsecę, seu non per se, sed per accidens rõne motuum, quibus substantiæ corruptibiles subijciuntur.

Sed

Sed Contra, ergo substantiæ incorruptibiles, vt sic possunt dici esse in tempore, cum fiat subiecta motus, quod tñ Arist. negauit hic tex. 120. R. Hoc fuisse, quia Philos. putauit substantias æternas esse prorsus immutabiles, nec aliquid de nouo recipere posse.

ARTICVLVS QVINTVS.
De Tempore Tertia specie durationis, vbi de Tempore Intrinseco.

Scot. de Tempore disputat in 2. d. 2. q. 1. 2. 3. & 4. & in 4. d. 48. q. 2. & quol. 12. art. 3. & alibi. Ne in æquiuoco laboremus, præmittimus, tempus varias habere acceptiones, & aliquando sumi pro aeris constitutione, quo sensu dicimus tempus esse serenum, turbidum, calidum &c. ex qua acceptione ortum habuit illa diuisio anni in quatuor tempora; aliquando accipitur pro statu nostræ vitæ, vt cum solemus dicere, Petrum bonum tempus habere, idest bonam, & lętam vitam ducere, & similes, & plures alias acceptiones habere, quæ ad rem nostram non faciunt. Nos in præsenti, Tempus accipimus pro duratione rei successiuæ per partes cõtinuò fluentes; vnde inter res successiuas numerari non debent qualitates per partes acquisibiles, & similia, quia hæc sunt entia permanentia, cùm plures simul habeant partes, sed res illæ, quarum nulla pars est simul cum altera. Hoc autem tempus est duplex, scil. intrinsecum, & extrinsecum; primum est propria cuiuslibet motus successiua duratio, de quo Scot. sepè loquitur in 2. d. 2. cit. Secundum est duratio alicuius successiui, in qua cæteri motus exercentur, & ipsi coexistunt, qua rõne dicitur mensura motus, de quo præsertim loquitur Arist. 4. Phys. & duplex est, reale vnum, imaginarium alterum: Primum est duratio realis alicuius motus realis, qua cæteri motus mensurantur, qualis est motus primi mobilis: Secundum est, vt Scot. notat quol. 11. lit. F. duratio alicuius motus, non actualis, sed possibilis, imaginati tñ à nobis ad modum actualis, & positiui, si V. g. hodie non esset motus hodiernus Cęli, totum hoc spatium, seu interuallum successiuũ, quod nunc concipitur reperiri, & pertransiri à motu diurno Cęli, diceretur tempus imaginarium, quatenus cõcipitur motus possibilis in tali spatio, & capacitate posse exerceri, vt fuit tempore Iosuè; hinc dicere solemus mũdum potuisse creari multo tempore ante, quàm modò fuerit creatus, & concipitur esse quasi infinitum à parte ante, ac si ab æterno fuisset, & post diem Iudicij in perpetuum duraturum, ad similitudinẽ spatij imaginarij localis, quod in infinitum concipitur protensum. De his igitur temporibus erit agendum, & in hoc articulo de tempore intrinseco, de quo duo videnda sunt, scil. an sit, & quid sit, quò ad primum.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, verè dari tempus intrinsecum, & durationem successiuam. Est Scot. loc. cit. & manifestè colligitur ex illo Gen. 1. *fiant luminaria magna, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* & Act. 1. *non est vestrum nosse tempora, & momenta &c.* hinc D. Aug. 11. Confess. cap. 14. inquit: nihil esse notius existentia temporis, & hoc etiam supponit Arist.

Arist. in hoc 4. Phys. patet etiam rõne, quia non solùm datur à parte rei ens permanens, sed etiam successiuũ, ergo præter durationem permanentem, dari debet duratio successiua, quia res existens, est etiam durans. Quantùm autem ad explicationem huius existentiæ successiuæ, quot capita, tot sententiæ, & aliter explicatur ab Hurt. aliter à Canonico, Toleto, Complut. & Smisinch. aliter à Ioan. de S. Thoma, & Manca, & aliter, & diuersimodè ab Alijs, quorum explicationes longum esset, & sine fructu recensere; nos igitur breuitati studentes, & Scoti sententiæ inhærentes in 2. d. 2. q. 9. M. & quol. 12. art. 3. sic explicamus: Sicut ens permanens, ex eo quòd habet totum esse simul, habet quoque existentiam, & præsentiam simultaneam, sic ens successiuum, quia habet esse non simul, sed in continuo fluxu, & successiuè, eius existentia, & præsentia simultanea esse non potest, sed successiua, & fluens sm̃ quamlibet partem, & in continuo transitu, quod exemplo fluuij explicari solet, qui non est totus in aliqua parte, sed vbiq. est secundum esse fluens continuò. Et si quæres existentiam aliquã simultaneam in ente successiuo, non reperies, nisi in instanti, quod simul est, & totaliter, cùm non habeat partes, licèt raptim transeat, & de hac simultanea existentia intelligitur illud commune axioma: *de tempore non habemus, nisi nunc.*

Obijcies, partes teporis sunt præteritum, & futurum, nam præsens est instans, sed illæ non possunt existere, quia quod existit dicitur nunc esse, & præterito vt præterito, & futuro vt futuro, repugnat esse, ergo tempus non habet esse. ℞. Quòd propriè partes actuales temporis non sunt præteritum, & futurũ reduplicatiuè, vt talia sunt, sed vt præsentia sunt, non simultaneè, sed successiuè; vnde rectius dicetur, partes temporis esse priùs, & posteriùs, quæ præsentia dici possũt successiuè, quatenus prius tunc est prius, quando est ante posterius, & posterius est tale, quando subsequitur ad pri⁹, & quia quælibet pars temporis est tempus, consequenter debet includere prius, & posterius, non quidem respectu eiusdem, sed diuersorum, nam prioritas, & posterioritas, est successio, & quælibet pars successiua est.

Quò ad 2. scil. quid hoc tempus sit formaliter, non desinunt difficultates, & pugnæ inter Auctores; nam Aliqui volunt, tempus idem esse ac motum, & solùm ad summum distingui rõne ratiocinata, ità Nominales omnes, & sequuntur Suar. in Meth. disp. 50. sec. 9. Fuentes 4. Phys. q. 3. art. 1. & 2. & illi omnes, qui idem de duratione in communi affirmabant. Alij ex opposito docent, inter motum, & tempus adesse distinctionem realem, ità Aliqui Scotistæ, & clarissimè Regent. Paris. 4. Phys. q. de tempore, & postea 6. Phys. q. 1. collat. 1. affirmãt motum posse à tempore separari, & fieri in instanti, quibus etiam fauet Auersa q. 29. sec. 4. qui tantùm excludit durationẽ motus localis, qui sine mora, & successione fieri nequit. Alij mediam sequuntur sententiam, admittentes inter tempus, & motum distinctionem formalem, ità Canon. 4. Phys. q. 5. art. 3. dub. 3. Faber Theor. 49. Amic. tract.

tract. de tempore q.4.dub.3. & 4. & Alij.quamuis postea non conueniant in explicatione huius formalitatis motui superadditæ; nam Canon. inquit esse numerabilitatem, Faber rōnem mensuræ actiuæ ex Scot.in 4. d. 48. G. vbi ait, tempus vltra motum primi mobilis includentem successionem, non addere, nisi rōnem mensuræ formaliter. Amicus, quòd addat entitatem quamdam successiuā formaliter distinctam ab entitate, & successione motus. Alij tandem, ꝙ solùm addat successionem, qua partes motus extenduntur in ordine ad durationem extrinsecam.

Pro resolutione huius dubij, præsupponimus ex infra dicēdis in propria disputatione, quòd motus, vel essentialiter petit esse in instanti, vt acquisitio cuiuscumque indiuisibilis, vel necessariò in tempore, vt motus localis factus in spatio diuisibili, vel indifferens est, vt fiat in instanti, vel in tempore. Item notamus, quòd successio nihil aliud est, nisi respectus ordinis partium sm̃ prius, & posterius vni termino copulatarum, quatenus vna pars ità alteri succedit, vt semper vna est prior, altera posterior, nunquàm tñ simul erunt, qui ordo in motu essentialiter successiuo, vt est localis per spatium diuisibile, est illi realiter identificatus, & circumscribit nobis differentiam essentialem, seu exigentiam illam, quam motus petit essentialiter, vt partes non sint simul; in motu verò accidentaliter successiuo, ꝙ tunc est, quando forma permanens, acquiritur in tēpore, tunc talis ordo erit accidens per accidens. Item aduertimus, quòd de tempore intrinseco possumus dupliciter loqui, vel pro vt est quædam species durationis cum Æternitate, & Æuo sub duratione in communi; vel sm̃ vsitatam, & communem acceptionem; Primo modo dicit durationem entium ex propria natura transeuntium, & hoc siuè instantaneæ sint, siuè successiuæ, & ratio est, quia res durans tm̃ per instans propriam habet existentiam, & durationem, quæ non est Æuum, quia hoc propriè conuenit rebus, quæ possunt ex propria natura dū permanere; quare tempus sub se continebit durationes rerum ex sua natura, & necessariò transeuntium, præscindendo ab hoc, quod est transire in instanti, vel successiuè: At si tempus sumatur secundo modo scil. secundùm vulgarem, & communem acceptionem, supponit tm̃ pro duratione successiua, diuisio tñ non erit adæquata, quia sub nulla illarum specierum cōtinebitur directè duratio mutationis essentialiter instantaneæ, quæ tñ est vera duratio, sicut talis mutatio habet veram, & realem existentiam, quibus habitis:

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Si tempus primo modo accipiatur, & vt quædam species est ab æternitate, & æuo distincta, sub duratione in communi, sic formaliter dicet existentiam rerum transeuntium, præscindendo à successione, vel instantaneitate, licèt connotet coexistentiā alicui extrinsecæ durationi, at si sm̃ communem vsum, & pressè sumatur, dicet formaliter existentiam entis successiui, & successionem partium; Est ad mentem Scoti,

Scoti, & Scotistarum, & præsertim Mastr. & Bell. disp. 13. q. 4. art. 1. explicatur, & probatur, nam quòd tẽpus primo modo sumptum dicat formaliter existentiam, inde patet, quia duratio in communi formaliter dicit existentiam rei durantis ex dictis, ergo & qualibet species sub illa contenta, ex illa regula anteprædicamentali: quicquid dicitur de superiori, dicitur etiam de inferiori in recta linea; & eodem principio probatur, quòd tempus pressè sumptum dicat existentiam successiuam modo iam explicato scil. respectum illum ordinis partium sm̃ prius, & posterius, quatenus circumscribit nobis differentiam intrinsecam, & essentialem, successio .n. præsupponit partes constitutas, super quas fundatur; & confirmatur auct. Scoti in 2. d. 2. q. 2. lit. E. vbi esto problematicè ferè per omnes primas quatuor quæstiones loquatur, magis tñ inclinat ad partem illam ponentem identitatem inter motum, & tempus. Aduertimus tñ, quòd quãdo successio, seu ille ordo partium enti successiuo accidit, nõ dicit formale significatum temporis, sed solùm connotatum; patet, quia nulla res potest intrinsecè durare per aliquid reale distinctum, vt supra diximus, vnde calefactio dicitur intrinsecè durare propria existentia, & si est successiua, dicetur tempore durare, propter connotationem ordinis partium, si verò instantanea, instanti durabit, propter connotationem negationis ordinis partium, non quòd intrinsecè sit alia, & alia existentia, & duratio, sed solùm ab extrinseco differunt, & connotatiuè.

1 Ex hucusque dictis colligitur primò, quomodò respondendum sit ad illud dubium, quomodò duratio à re durante distinguatur, & dicimus, quod cum formaliter per nos non dicat nisi existentiam, talis erit distinctio, qualis est inter existentiam, & rem cuius est existentia, quam certum est non esse realem, an verò sit formalis, vel rationis, spectat ad Meth. & pro modo sufficit, quòd adsit aliqua distinctio, qua duratio dici possit passio entis realis, vt Arist. loquitur de tempore respectu motus in hoc 4. à tex. 42. vbi ait, tempus consequi motum, esse aliquid motus, & sine motu non reperiri, esto reuerà non sit passio in rigore.

2. Colligitur, quòd tempus intrinsecum est aliquid reale ab anima independens, cùm sit existentia alicuius realiter existentis absque opere intellectus; Vnde quæstio illa, an tempus formaliter ab anima dependeat, de extrinseco tempore proponi debet, non de intrinseco.

3. Colligitur resolutio illius alterius quæsiti, an scil. tempus sit vnum, vel plura; licèt .n. de tempore extrinseco loquendo, omnia possint dici esse in eodem tempore, vel simul tẽpore vt Art. sequenti patebit, tempus tñ intrinsecum multiplicari debet, non solùm numerò, sed etiam specie ad multiplicationem numericam, vel specificam motuum, vt etiã diximus de Æuo; & tempus materiale, & tempus spirituale dari debet; sicut datur existentia materialis, & spiritualis. hinc etiam aduertimus, quòd tempus distinctum non datur tamquàm species quædam à continuo distincta, quia formaliter non dicit, nisi collectionem, & numerum plu-

plurium motuum sibi inuicem immediatè succedentium, numerus autem non est vnum per se, vt diximus in logica in Prædic. Quant.

Obiectiones.

Ob. 1. Auct. Philos. qui 4. Phys. tex. 94. & 96. duabus rationibus probat tempus non esse motum: prima, quia tempus est communius motu: 2. quia habet diuersas differentias, nam tempus dicitur longum, vel breue; motus verò velox, vel tardus, concludens tex. 97. tempus igitur non esse motum constat. R. Huiusmodi Authoritates, & similes procedere de tempore extrinseco respectu cæterorum motuum, quorum est mensura, qua rōne tempus formaliter nō dicit motum ipsum, sed est aliquid ipsius; Vnde ad id, quod diuersas habent differentias &c. R. Quòd velocitas, & tarditas conueniunt motui, sicut raritas, & densitas conueniunt quantitati permanenti, & sicut istæ non dicunt aliud, nisi diuersos respectus ad maiorem, vel minorem locum, vt in lib. de Gen. patebit disp. de rarefactione, sic velocitas, & tarditas in motu dicunt respectus super partes motus fundatos ad longius, vel breuius tempus, cui coexistunt; vnde patet velocitatem, & tarditatē, conuenire motui, quatenus mensurabilis est, longitudinem, & breuitatem esse in tempore, vt mensura est, quare solùm concluditur, quòd tempus vt est mensura, distinguitur à motu, vt mensurato.

Ob. Idem motus potest Dei virtute reproduci, non verò idem tempus; Tum quia ad præteritum non datur potentia; Tum quia dies hesternus, & hodiernus essēt vnus dies. R. Cum Scoto in 4. d. 43. q. 3. E. negando tempus non posse reproduci, ad probationem dicimus, sensum esse, quòd nulla potentia facere potest, quod factum non sit, quod iam factum est, sed non sequitur, quòd Deus facere non possit præsentia, quæ facta fuerunt; Vnde dies hesternus, & hodiernus forent vnus dies pro formali, non pro connotato, quia aliam & aliam coexistentiam ad tempus imaginarium dicerent.

Ob. Ex Doct. in 2. d. 2. q. 2. lit. E. Nulla quantitas est eadē alteri quantitati, nisi partes vnius sint æquales in numero, & magnitudine partibus alterius, sed partes motus non sunt ità æquales partibus temporis, ergo &c. maior patet, minor probatur, idem motus sm̄ easdem partes stare potest cum maiori, vel minori tempore, si .n. mobile per horam pertransiet tantū spatium, si in duplo velociùs mouetur, perficiet illud spatiū in medietate horæ, & si in duplo tardiùs, perficiet per duas horas, & tñ sm̄ entitatem esset idem motus. R. Negando minorem de duratione, & tempore intrinseco, concedendo de tempore extrinseco, de quo etiam probatio procedit, nam motus illi habent easdem partes, & consequenter easdem existentias, licèt velociter habeāt partes quasi densas, & magis constipatas, & ob id, minori tempori extrinseco coexistet; & tardus quasi raras, vnde etiam maius, & longius tempus ipsi correspondet.

Sed Cōtra hanc responsionem vrgent Complut. in Phys. disp. 21. q. 3. qui oppositæ sunt opinionis sic: Ideò Duo æua Angelica sunt æqualia in realitate inter se, q̄a possunt q̄ntū est

ex se, coexistere æquali tẽpori, ergo quia durationes motus tardi, & velocis per æquale spatium facti non possunt quantùm est ex se coexistere æquali tempori, non erunt æquales realitates, nec æquales partes. ℞. Quòd illi motus quò ad durationem intrinsecam sunt æquales inter se, sicut duo æua Angelica, sed vt velocitati, & tarditati subsunt, non possunt æquali tẽpore coexistere, atque ideò solùm differunt, quò ad coexistentiam.

Ob. Causa, & effectus distinguuntur realiter, sed tempus est effectus ipsius motus, quia prius, & posterius in tempore oriuntur à priori, & posteriori in motu, ergo &c. ℞. Ad minorem, quòd motus est causa prioris, & posterioris rõne mensurationis in tempore extrinseco, quia vt sic distinguitur à motu, vt ait, sequẽti patebit, non verò in tempore intrinseco, in hoc. n. non sunt diuersa prius, & posterius tẽporis à priori, & posteriori motus, sed eadem.

ARTICVLVS SEXTVS.
De Tempore Extrinseco.

SCot. pluribus in locis de Articulo hoc disceptat, vt videre est quol. 13. lit. N. & in 2. d. 2. q. 2. §. *Ad secundam partem Quæstionis &c.* & sæpè alibi. Pro resolutione præsentis articuli, cui ardua non deficiũt, plura sunt præmittenda, ex quorum declaratione veritas clariùs elucescet; & Primò Adnotamus ex Scoto quol. & in 2. cit. quòd mensura actiua duplex est, vna essendi, & per se, & est illa, à qua mensuratum in sua entitate dependet, vel per participationem, vt Deus dicitur mensura creaturæ, vel per imitationem, quomodò scibile ponitur mensura scientiæ, inter quæ est relatio realis, quia nullum ordinem dicit ad intellectum: Altera est mensura in cognoscendo, & est quantitas illa, qua nota, intellectus de alia ignota certificatur, certificatiò autẽ aliquando fit per quantitatem existentem in imaginatione, sicut expertus artifex mensurat quãcumque quantitatem per aliquam quantitatem, quam habet in sua imaginatione; aliquando verò hoc fit, per quantitatem excedentem, & tũc intellectus certificatur de quantitate minori per accessum eius ad quantitatem maiorem, vel per recessum ab ea, quomodò mensura ponitur in quidditatibus rerum, & in vno quoque genere datur vnum, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt in illo genere, cùm quidditates habeant suas quantitates virtuales, nẽpè proprias, & essentiales perfectiones: Secundò res mensuratur per quantitatem excessam, quia quantitas nota, minor est ignota, & hæc mensuratio fit per replicationem mẽsuræ: Tertiò fit per quantitatẽ æqualẽ notiorem scil. per applicationem, vel suppositionem ipsius, quæ ratio mensuræ quia sumitur penès ordinẽ ad intellectum cognoscentem, non dicit relationem realem simpliciter, quia respicit fundamentum, vt habet esse cognitum; Intellectus autem dupliciter potest vnã quantitatem assumere pro mensura ad cognoscendam aliam ignotam, vel quia ipsi intellectui est notior, licèt ità non se habeat à parte rei, vt si alicui esset nota quantitas panni, & ignota quantitas vlnæ, illa posset assumi pro mensura

 istius,

istius, vel quia est notior ex natura rei, ad quam mensuram requiritur primò, vt sit notissima ex 10. Meth. cap. 1. secundò, vt sit certissima, & regularis, aliter non posset intellectum certificare, vt Scot. docuit in 4. d. 48. q. 2. H. Tertiò, vt sit homogenea, & eiusdem rõnis cum mẽsurato, qua propter extensio localis nequit extensione temporis mensurari, sed alia locali, & longitudo longitudine, & pondus pondere &c. Quartò, quòd mensura sit quoddam vnum, & minimum, vnde in discreta quantitate, vnitas, quæ est indiuisibilis, est certissima mensura, at in continua non oportet, quòd sit prorsus indiuisibilis, nam palmus, & hora non sunt huiusmodi, ideò sufficit, vt ad instar indiuisibilis se habeat, & hoc ad hominũ placitũ, q, a palmus, vel vlna nõ est apud omnes eiusdẽ longitudinis.

Ex hac doctrina deducitur, quòd mensura dupliciter sumi potest scil. vel pro actuali mensuratione prouenientæ ab actu nostræ cognitionis, & est relatio quædam causæ in cognoscendo ad causatum in cognosci, ex Doct. quol. cit. quæ relatio cùm non sit inter extrema habentia esse reale, sed cognitum, idcircò non est simpliciter realis, estò nec sit purè rõnis, vt est relatio vniuersalis ad singulare; vel accipitur pro actu primo mẽsurandi, & sic dicit mensuram, vt potentem proximè assumi ad actualiter mensurandum; Et quia vnitas, quæ est mensura in quantitate discreta, ab omni opere intellectus præscindendo, habet omnes conditiones mensuræ, ideò erit ex natura rei mensura aptitudinalis in potentia proxima ad mensurandum in dependenter à rõne; at quantitas continua, quia plures habet partes, non habet in se, præscindendo à rõne, vt statim, & proximè assumi possit pro mensura, sed prærequiritur, vt ab aliquo intellectu determinetur illud minimũ pro vnitate, & indiuisibili, per cuius replicationẽ postea quantitas ignota actualiter mensuretur; Vnde solùm in potentia remota potest ex natura rei dici mensura, quatenus alias habet conditiones scil. certitudinem, vniformitatem, partibilitatem &c. vt Scot docet in 4. d. 48. q. 2. H.

Cùm igitur omnes motus quamdã habeant extensionem, potest motus assumi sm̃ suam extensionem ad cognoscendam extensionem, & durationem alterius motus, & tale dicitur tempus extrinsecum; quare tempore mẽsurari, non erit esse simul cũ tẽpore, nã etiam Deus coexistit tẽpori, non tñ tempore mensuratur. Neque tempus poni potest mensura in essendo, quia nulla duratio temporalis ab alia essentialiter in essendo dependet, vt Scot. dignè probat in 4. cit. nãm si hoc esset, maximè à motu primi mobilis dependeret, & tñ Iosue 10. habetur, quòd ipse prælium faciebat stante sole, & luna, & consequenter toto Cęlo, nam si illis planetis stantibus, aliæ sphæræ moti fuissent, nimia irregularitas in motu istorum corporum Cęlestium accidisset; hinc D. Aug. 11. Confes. ait, stãte Cęlo, moueretur rota figuli; erit igitur mensura in cognoscendo quo ad durationem; & si de mensura absque fundamento in re fiat sermo, sic quilibet motus notior alicui intellectui poterit dici tempus, & mensura alterius ignoti, at nos loquimur de tem-

de tempore cum fundamento in re; & præsenti articulo respondemus pluribus cõclusionibus, iuxta numerum dubiorum, & quæstionum, quæ hic agitari solent. Quæritur igitur primò, quis nam sit ille motus, qui habet omnes conditiones assignatas?

Conclusio Prima.

Dicimus primò, tempus vniuersale commune, & extrinsecum esse motum primi Cęli, seu ipsius durationem successiuam cum regularitate, velocitate, & notione, quæ sunt conditiones ad tempus requisitæ, si fundamentaliter, & materialiter accipitur; pro formali verò addere supra hunc motum rõnem mensuræ actiuæ, in actu primo proximo, quæ consistit in illa designatione, & determinatione partium motus, quales sunt horæ, medietates, minuta &c. Mensuratio verò actualis, per accidens conuenit tempori, estque vnũ numero tantùm. Est Scoti in 4.d.48. q.2.lit.H.& probatur, & declaratur quò ad singulas partes. Et primò, q̃a nullus alius motus siue augumẽtationis, siue alterationis, vel localis horum inferiorum possunt esse mensura cæterorum, quia nec sunt vniformes, nec omnibus noti, vt vniuersaliter possit ab omnibus sumi pro mensura aliorum motuum; Inter motus verò Cęlestes, motus primi mobilis habet omnes conditiones, quia est omnium notissimus, & licèt aliquando vtamur inferioribus motibus scil. horologij solis, & lunæ &c. ad mensurandum motum primi Cęli, non tñ reuera vtimur illis, vt mensuris, sed potius vt signis, quibus possimus designare partes motus primi mobilis, quia hic est, qui omnes sphæras inferiores rapit, atque in illis motum diurnum causat. Secundò est certissim⁹, & vniformis, & eiusdem rõnis cum mensurato. Tertiò est breuissimus propter suam velocitatem, ideò motus eius erit fundamentum mensuræ actiuæ, in qua consistit ratio temporis extrinseci; & quia ad mensurandum requiritur indiuisibilitas saltem proportionaliter, & in isto motu partes ex natura rei sunt continuæ, & diuisibiles, ideò sm̃ se non est potẽs proximè, vt possit assumi pro mensura, sed requiritur designatio facta ab intellectu in determinatas, ac certas partes, quæ designatio pendet ex hominum voluntate, nam sicut motus primi mobilis designat⁹ est in viginti quatuor partes æquales, quæ horæ appellantur, poterat etiam in duodecim, in triginta, quadraginta, & alias partes distribui; qua designatione facta, fit proximè potens ad mensurandum, sicut vlna ante quàm in ipsa designentur palmi, non est ad mensurandum proximè applicabilis, sed post quàm designata est. Mensura verò actualis accidit tempori, si .n. nullus cogitaret de tempore, sed omnes dormirent, adhuc tempus extrinsecum in rerum natura daretur, sicut etiam vlna designata mensurà diceretur, etiam si nulla quantitas per eam actu mensuretur. Tandem quia motus ipse primi mobilis vnus numerò est, ideò quoque tempus vnum numerò erit, vt Arist. docuit 4.Phys.tex.133. & 134. tempus .n. in motu primi mobilis est subiectiuè, extrinsecè verò in cæteris motibus mensuratis ab illo, inde sequitur, quòd in motibus corporalibus, tàm Cęlorum, quàm corporum non den-

dantur tempora incompleta, partialia, & materialia, vt autumant Caiet. Ferrar. Iauel. Mas. Lisbon. Manca. Ioan. Martin. & Complut. rigorosè de tempore loquendo, & est etiā Doctrina D. Thom. 1. p. q. 10. art. 6. & 4. Phys. c. 14. vbi docet esse impossibile dari plura tempora, etiam si dentur plures motus successiui, & continui, quem etiā sequitur M. Iacob. Brun. q. 17. art. 3.

Ex relata doctrina colligitur decisio illius dubij, an tempus sit ens reale, & completum independenter ab anima, an verò complementum ab anima recipiat, & consequenter sit aliquo modo ens rōnis. Tolet. 4. Phys. q. 15. Ruu. tract. 1. de tempore q. 1. Perer. Fuent. Complut. & Alij asserunt primum. Melius tā distinguendum vt supra, quòd scil. tempus est ens reale, acceptum pro mensura in potentia remota, quo sensu dicit entitatem motus cum vniformitate, velocitate, & partibilitate, & discretionem habet qualitatiuam sm̄ modos prioris, & posterioris, si .n. non haberet partes priores, & posteriores, non posset esse mensura motus, & in hoc sensu intelligenda est scriptura, quòd Deus fecerit tempora, & quòd ab intellectu independenter res dicitur esse in tempore, mensurabilis tempore, & similes locutiones, quæ verificantur de tempore rōne mensuræ aptitudinalis remotæ, quam habet à parte rei, quomodò etiam sępè Scot. locutus est. Si verò sumatur pro mensura actiua in potentia proxima, necessariò aliquid rōnis dicet, nam discretio illa qualitatiua partium sm̄ prius, & posterius non sufficit, vt proximè sit applicabilis ad mensurandum, licèt prærequiratur, sed requiritur etiam, vt partes habeat determinatas, certas, discretas, & separatas per designationem, quam non habet tempus ex se, sed ab intellectu, vnde Arist. in hoc 4. tex. 131. ait, quòd si non esset anima, non esset tempus; & Scot. docet, quòd formaliter dicit rōnem mensuræ, quam in 2. d. 2. q. 3. §. *Ad Primum Argum.* vocat relationem rōnis, quia consistit in rōne causæ in cognoscendo ad cognitum, quæ tā relatio non est simpliciter rōnis, sicut secunda intentio, vt diximus; Est tā rōnis, quia cessante illa designatione intellectus, cessat ratio temporis, & mensuræ aptitudinalis proximæ ad mensurandum.

Sed Contra, Philosophia non est de ente rōnis, sed de ente reali, est tā de tempore, ergo &c. ℞. Cum Bell. & Mastr. non esse de ente rōnis, quòd est secunda intentio, potest tā esse de aliquo rōnis, quatenus complet ens reale, & facit ad cognitionem illius.

Contra Vrges, tempus contrahit ens reale successiuum in cōi ad proprium esse, nam quantitas successiua diuiditur in motum, & tempus, ergo non per aliquid rōnis, quia reale per differentiam realem contrahitur. ℞. Quòd tempus in rōne mensuræ non contrahit essentialiter ens successiuū in communi, sed tm̄ accidentaliter, per aliquam differentiam accidentalem, vnde est quoddam artificiale constitutum ex aliquo reali, & intentionali, neque etiam quantitas successiua est verum genus ad motum, & tempus.

Dices, Mensura debet esse homogenea

genea cum mensurato, sed motus, cuius mensura est tempus, est realis, ergo & tempus. R. sufficere, vt mensura sit homogenea cum mensurato, pro fundamento, & materialiter.

Ex his Colligitur etiam resolutio alterius dubij; scil. quomodò distinguatur tempus à subiecto, cui inest, & à proprio mensurato: si .n. in ordine ad motum primi mobilis tempus accipiatur pro re, quæ est mensura, & fundamentum remotum, non distinguitur realiter à motu, sed est ipsemet motus successiuus, si verò pro rõnibus fundamentalibus, quæ requiruntur ad mensurandum, vt sunt vniformitas, & velocitas, ità realiter distinguitur à motu, quia idem motus potest esse tardus, & velox successiuè, vt Scot. docet in 2.d.2.q. 2 E. quia esse tardum, & velocem accidunt motui. Si tandem tempus sumatur pro mensura proxima aptitudinali, vel actuali, sic distinguitur realiter sm̃ quid, quia non est aliquid reale, quod necessarium est ad distinctionem realem simpliciter, & rigorosam, sed est aliquid rõnis. vel breuius sm̃ Aliquos, si loquamur de tẽpore intrinseco, nõ distinguitur realiter à suo mensurato, si de tempore extrinseco distinguitur realiter.

Aliud dubium est, an ratio mensuræ soli tempori, & successiuæ durationi conueniat, an verò etiam durationi permanenti, quale est æuũ, vel Æternitas, ità vt vnum æuum esse possit omnium mensura. affirmãt Thomistæ cum D. Thom. 1. p. q. 10. art. 6. quos sequitur Auersa q.29. sec. 7. & solet etiam citari Scot. in 2.d.2. q.3. pro cuius intelligentia aduertimus, quòd ratio mensuræ in cognoscendo, de qua loquimur, non consistit in cognoscere duo simul existere, seu cognoscere coexistentiam duorum, sed in cognoscere quantitatem ignotam, per alteram notiorẽ, non vtique quò ad perfectionem, & quantitatẽ virtutis, quomodò Doct. loquitur loc. cit. dicens, quòd vnum æuum posset dari omnium mensura, vel quòd æuum superioris Angeli, sit inferioris mensura, nam hæc acceptio non est ad rem, quia non æuum vt sic, sed potius Æuiternum ipsum vt propriam habet perfectionem, dicetur mensura; sed in præsenti loquimur de mensura in cognoscendo quò ad durationem, & extensionem successiuam, qua cognosci potest tantitas, vel tantitas durationis alicuius rei, ad quam mensuram parùm interest, quòd sit perfectioris, & nobilioris rei, nam hoc solùm requiritur ad rõnem mensuræ in perfectione quidditatiua, sed in casu requiritur tantùm, quòd mensura sit notior alicui intellectui, licèt imperfectior sit, hinc ferreo pondere auri pondus metiri solemus, quare,

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Rõnem mensuræ conuenire nõ posse alicui durationi permanenti. Est Scoti in 2.d.2.q.3. quẽ sequuntur Suar. disp.50. Meth. sec. 6. Vasq. 1. p. d. 34. cap. 2. Mastr. & Bell. loc. cit. probatur: duratio permanẽs æquè inuariata manet, ac quælibet alia quamdiu manet res à parte rei, & vt plurimùm indiuisibilis est, ità vt illi repugnet successio partium, vel saltem si habet partes, simul sunt, ergo non potest esse mensura alterius. consequentia probatur, illud est hoc modo mensurabile, cuius quantitas cogno-

cognoscitur ad cognitionẽ alterius, at cognita V.g. existentia vnius Angeli, non possumus in cognitionem alterius durationis deuenire, sed tãtùm, vel quòd fuerint simul creati, vel vnus post alium, prius cognita existentia alterius, hoc autem est cõcipere relationem coexistentiæ, non rõnem mensuræ, ergo &c. Solet etiã hic dubitari, quæ nam sunt res, quæ tempore nostro mensurentur, & respondetur.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. omnia successiua, tam materialia, quàm spiritualia, & eorum priuationes, tẽpore nostro mẽsurari. Est Scoti in 2.d.2.q.4.& quol. 11. lit. F. & alibi; & primò probatur de entibus successiuis materialibus, quia in ordine ad ista, tempus nostrũ siue actuale, siue potentiale, habet omnes conditiones mensuræ, vt patet. Ex quo etiam sequitur, mensurari non solùm per se primò durationem motuum, verum etiam ipsorum velocitatem, & tarditatem. Solùm dubitari posset de motu primi Cœli, an sit etiam tempore mensurabilis, cùm sit idem, quod tempus, & mensura debeat realiter à mensurato distingui, & ℞. Cum Scoto in 2.d.2. q. 3. esse mensurabilem, non sm̃ totum, sed sm̃ partem, quatenus cognita vna parte, & illa replicata, metimur diem, hebdómadam, mensem &c & hoc modo mensura distinguitur realiter à mensurato, quia vna pars, distinguitur realiter ab alia.

Secundò, quòd etiam mensuret motus Angelorum spirituales, est contra Thomistas, qui volunt, non tempore nostro mẽsurari, sed sublimiori in supremo Angelo collocato. Probatur à Scoto loc. cit. quem ferè Recentiores omnes sequuntur: Motus Angelorum quò ad durationem sunt eiusdem rõnis, cum motibus nostris, & materialitas, & spiritualitas non impedit quia in eodẽ prædicamento ponantur, & eadem definitione definiantur, ergo si motus materialium tempore mensurentur, similiter, & spiritualium. Tum quia illud supremum tempus non datur in Angelo, nam deberet esse regularis, & continuus, vt mensura poni possit cæterorum, at quilibet motus in Angelo est liber, & voluntarius, ergo &c. Tum quia si daretur, adhuc non faceret ad rem, quia huiusmodi motus esset nobis ignotus, sicut alij Angel ci motus sunt nobis ignoti, ergo &c. Et hæc conclusio non solùm intelligitur de motibus continuis, sed etiam de discretis, motus .n. discretus duo dicit scil. numerum, & motus illos se inuicem consequentes; numerus non potest aliquo tempore mensurari, sed tm̃ vnitate; motus verò cùm sint successiui, vel instantanei, iam tempore, vel instanti temporis mensurabiles erũt. Nec obstat, quòd motus Angeli aliquando sit velocior motu Cœli, & ab illo non dependeat; nam potest dari mensura maior mẽsurato, nec est de rõne mensuræ quãtitatis continuæ, quòd sit prorsus indiuisibilis, sed quòd habeat determinatam paruitatem; nec mensuratum in cognoscendo debet in esse pendere à mensura, Vnde si Cœlum non moueretur, tunc omnes motus mẽsurarentur tẽpore potentiali, & imaginario ad modum istius temporis positiui concepto. Tertiò tandem, quòd

quòd etiam priuationes motuum mẽsuret, est Arist. 4. Phys. 118. nam priuatio mensuratur, & cognoscitur per formam oppositam, ergo, & priuationis duratio mensuratur per durationem formæ oppositæ, cùm ergo quies sit priuatio motus, sic dici potest, quòd mensuretur per accidens, vt ait Arist. quatenus per aliud scil. per motum oppositum cognoscitur. quod etiam docuit D. Thom. 1. p. q. 10. art. 4. quæ doctrina militat etiam de quiete primi Cęli post iudicium vniuersale, ait Scot. loc. cit. tunc. n. non mensurabitur positiuè, & per tempus reale, sed priuatiuè, & per tempus potentiale, & imaginarium.

Ob. Si tempus est mensura motus durantis, tunc tempus mensurabit tempus, quia motus vt durans est tempus; Item sequeretur propter identitatem temporis cum motu, motum esse mensuram motus. Accedit Authoritas Arist. 4. Phys. vbi ait: tẽpus quoque motu mensurari. R. In re, vnum motum ab altero mensurari rationabiliter, & tempus tempore, quia mensura debet esse homogenea, quare duratio, non nisi duratione mensuratur; dicitur tamen tempus potius esse mensura motus, vt distinguatur tempus extrinsecum ab intrinseco. per hoc etiã Respondetur Ad Arist. Nec mirum est, quia si vnus motus est notior vni intellectui, potest esse mensura alterius, at apud alium intellectum potest esse mensuratum, si fuerit ignotior.

Conclusio Quarta.

Dicimus 4. tempus extrinsecum posse esse mensuram quarumcumque rerũ permanentium, etiã spiritualiũ, quatenus tñ existentiam habent virtualiter diuisibilem; quæ conclusio de rebus corruptibilibus est communis, non solùm, vt mutationibus subsunt, vt Scot. loquitur in 2. d. 2. q. 4. sed etiã sm̃ proprias existentias, quia dicere solemus, Petrum viginti quatuor annis Papam extitisse, Paulum quinquaginta annis durasse &c. quod etiam militat de spiritualibus, licèt non itá perfectè existentiam istorum metiamur, cùm non habeamus perfectam notitiã; neque totaliter possimus mensurare existentiam Angeli, quæ sempiterna est à parte post, sicut possumus in rebus temporaneis, quæ incipiũt, & desinũt esse; qua etiã rõne Æternitas poterit sm̃ partẽ hoc modo mensurari, Vnde dicere solemus, Deum extitisse à principio mundi vsque nunc, fuisse multo tempore ante mundi Constitutionem &c. Diximus, quatenus istorum permanentium existentiæ sunt virtualiter diuisibiles, quia hoc modo habent cum tempore quãdam homogeneitatem, quæ ad hanc mensuram sufficit. hæc conclusio defenditur pſertim à Vasq. 1. p. disp. 34. & amplectuntur Faber in 2. d. 13. cap. 3. nu. 18. Vulp. 2. p. disp. 9. art. 6. & Mastr. & Bell. loc. cit. nec obstat Scot. in 2. cit. vbi de duratione, & mensura intrinseca agens, negat postea substantias, & permanentia tempore mensurari per se, q̃a tunc accipit mensurari pro formaliter durare, non propriè vt mensurã extrinsecam respicit, quomodo etiã intelligendus est Arist. cum ait, substantias vt quantas non esse in tempore.

DVBIVM.

An Definitio Temporis sit rectè assignata.

SCiendum est, quòd Arist. hic de Tempore extrinseco præsertim locutus fuit, vnde in hoc 4. tex. 95. ait: tempus vbique, & apud omnia est, & tex. 132. dixit, vnum esse tempus, in quo omnia durant, & fiunt, & in motu primi Cęli reperiri, quæ verificari nequeunt de tempore intrinseco, quod si est mensura, est tm̄ passiua, & ad motuū multiplicationem multiplicatur. Sic igitur Philos. in 4. tex. 101. tempus extrinsecum definiuit, scil. *Tempus est numerus, seu mensura motus secundum prius, & posterius*. Prima particula est *lȳ numerus*, qui duplex est, vnus numeratus, seu Qui, & est multitudo rerum numerata; alter est numerans, seu Quo, & hic etiam duplex est; vel simpliciter, & est numerus, vt habet esse obiectiuum in anima, quo omnia numeramus; vel sm̄ quid, & est ille, qui simul numeratus est, & numerans respectu diuersorum; in ordine .n. ad subiectum, in quo reperitur, dicitur numeratus, quatenus aptitudinem habet, vt numeretur; at in ordine ad alia extrinseca, dicitur numerans, quatenus potest assumi ad alia numeranda. V.g. vlna habet otto palmos distinctos, & signatos, & ideò est aliquid numeratum, at in ordine ad pannum, potest etiam vlna dici numerans, & mensura actiua.

Hic tñ dubitari solet, an tempus sit numerus numerans, an verò numeratus, & qui tenent tempus esse quid reale completum independenter ab anima, dicunt sumi pro numero numerato, non actualiter, sed aptitudinaliter, & pro intrinseca duratione cuiuscumque motus, & fauet Arist. tex. 121. dicens. *Tempus autem numerus est, non quo numeramus, sed qui numeratus*. & idē habet tex. 102. ità præsertim tenent Ruu. q. 2. Amicus tractatu de Tempore q. 8. dub. 2. & Alij; sed licèt hæc definitio posset intrinseco tempori accommodari, rectius tñ dicetur, tempus extrinsecum hic definiri, & consequenter in rōne mensuræ actiuæ, & vt numerus numerans est, vt diximus, & colligitur à Scoto in 2 d. 2. q. 3. A. & B. & fauere videtur Arist. 110. vbi docet vnū esse numerū, quo numeramꝰ cētū homines, & cētū equos, etiā plures, & diuersæ sint res numeratæ, sic vnū esse tēpꝰ ad varios motus cōe; ex q.b. colligitur tēpꝰ esse numerū numerātē. Accedit ratio, nā numerus ꝓpriè dicit mēsurā, vel actiuā, si est numerās, vel passiuā si est numeratus ex 10. Meth. initio. sed tempus acceptū pro duratione nequit formaliter dicere rōnē mēsuræ siue actiuæ, siue passiuæ ex dictis, ergo si tempus accipitur pro duratione intrinseca, non deberet per numerum, & mensuram definiri, sed potius per existentiam, quæ est ratio formalis durationis. Verum est tñ, quòd tempus est numerans, non simpliciter, sed sm̄ quid, quia est motus primi Cęli, numeratus vtique, & distinctus ab anima, sed non solùm hoc, verùm etiam numerans, & mensurans alios motus, & hac rōne ait Arist. tempus esse numerum numeratum, non numerantem, idest non esse numerantē simpliciter, sed quia est numeratus, erit numerans sm̄ quid, & per hoc satisfit etiam Thomistis ex D. Thom.

1.p.q.10.art 4. asserenti, quòd tempus accipitur pro mensura passiua motus primi Cœli mobilis, & pro mensura actiua cæterorum motuum, ex eo quia tempus respectu motus primi mobilis dicitur mẽsura intrinseca, immediata, & formalis, quia reddit ipsum passiuè mensurabilem secundũ partes priores, & posteriores sibi inuicem succedentes, & dicitur etiam mensura extrinseca durationum aliorum motuum, quatenus actiuè sumi potest ab intellectu, vt certificetur de extensione, seu duratione ipsorum, quæ doctrina vera est in sensu allato.

Dices, Tempus permanet in esse, absq. eo, quod actu sit mensura, ergo non rectè definitur hic vt mensura. ℞. Assumptum esse verum de tempore, vt duratio intrinseca est, non vt mensura. neque hic definitur, vt mensura est actualis, sed aptitudinalis in potentia proxima, ex dictis.

Instabis, tempus est quantitas cõtinua, ergo non potest per discretam, definiri, qualis est numerus. ℞. Quòd numerus simpliciter numerans est quantitas discreta, at sm̃ quid numerans potest esse quid cõtinuum, quãdo conflatum est ex vnitatibus, non reuera discretis, sed solùm intellectu seiunctis, vt est in proposito; Neq. numerus, vt dicit collectionem vnitatum est formale temporis, sed materiale, formale verò est ratio mensuræ, in illis partibus fundata, quæ est relatio quædam aptitudinalis ad mẽsurabilia.

Ob. Mensura est notior mẽsurato, at tempus non est notius motu, sed potius è contra ex 4. Phys. tex. 99. & 100. vbi habetur, quòd tunc prius, & posterius in tẽpore cognoscimus, cùm in motu prius, & posterius nouerimus. ℞. Concedendo, tempus esse ignotius motu primi Cœli, in quo subiectatur, respectu cuius totaliter accepti, non dicitur mensura actiua, est tñ notius alijs motibus, quos mensurat: & quamuis aliquando illis motibus vtamur ad tempus cognoscendum, hoc tñ fit, sicut cùm per rem mensuratam cognoscimus mensuram.

Secunda particula est *ly motus*, per quam intelligitur cõmuniter subiectum temporis, & cuius tempus est passio, qualis est motus primi Cœli; & ne credatur tempus esse mensuram rei permanentis, nisi pro quanto esse rei permanentis subijcitur motui, & variationi. Vel quòd per motum hic non intelligatur subiectum istius tẽporaneæ mensuræ, quia hic motus iam in prima particula includitur, cũ explicatur in rõne numerantis, sed quod per motũ intelligi debeat quilibet motus, siue localis, siue alteratiuus, siue augmentatiuus, nam omnis motus, est tempore mensurabilis, & terminus primarius ipsius temporis, & ratio est, quia relatiuum per suum correlatiuum definiri debet, at tempus vt mensura est relatiuum, & ad motum in communi, vt ad correlatiuum terminatur; & licèt non adæquatum, quia multa alia præter motum, mensurantur, ex dictis, saltem vt principale analogum, ergo motus in communi temporis definitionem ingredi debet.

Tertia particula est *secundũ prius, & posterius*, vt denotetur (aliorum longioribus dimissis explanationibus) quòd tempus non est mensura

 motus

motus cuiuscumque, sed secundùm quod est successiuus, nempè sm̃ quod vna pars est prior altera, causata ex magnitudine, & dicitur prior motus, qui fit in priori parte magnitudinis; posterior, qui fit in posteriori, & cõsequenter pars prior motus mensuratur parte priori, seu præterita tẽporis, pars posterior parte temporis posteriori, seu futura. Sensus igitur huius definitionis est; *Tempus est mẽsura &c.* non quidem à rebus auulsa, & solùm in mente existens, sed mensurata, & in motu primi mobilis subiectata, potens mensurare alios motus sm̃ successionem, & moram, quorum vnus est prior, alter posterior: quæ definitio optima est, quia assignatur genus, cum dicitur mensura, & & differentia per reliquas particulas, quæ adęquatè essentiam, & quidditatem temporis explicat, & alteri à tempore non conuenit. plura alia ad maiorem explicationem videri poterunt in log. disp. 14. Art. 4. de Quando.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De inceptione, & desitione creaturarum.

Scot. de his agit quol. 12. lit. M. & in 2. d. 2. q. 9. N. & lit. S. & q. 4. & in 4. d. 43. q. 5. in fine, articulo 3. & alibi. Recolendum est ex dictis art. præcedenti concl. 4. quòd licèt multæ res alia duratione intrinseca existant, omnes tñ tempore nostro mensurari possunt extrinsecè, quatenus omnes coexistunt tẽpori, quare de rebus permanentibus, quatenus proprio æuo durant, posset faciliter ad quæsitum responderi, quòd incipiunt positiuè, & desinunt negatiuè in eodẽ indiuisibili æuo, vt Scot. docet in 2. d. 2. q. 1. lit. F. & in 4. dist. 43. q. 5. Ad Princip. tñ propter illam coexistentiam tempori, de inceptione, & desitione earum agendum erit, ac si tempore mensurarentur, sicut & de successiuis. Quia igitur aliæ res permanentes sunt, quarum esse totũ simul esse potest; aliæ verò successiuæ, quæ totæ simul non habentur, nec plures actu partes simul habere possunt, vt tempus, & motus, idcircò ad exactam earum cognitionem, videndum est, quid, & quot sint modi incipiendi, & desinendi rerum creatarum, & deinde quomodo ista incipiant, & desinant.

Qui in continuo, indiuisibilia negant, diuersimodè modos incipiendi, & desinendi explicant; nos verò modos istos explicabimus iuxta cõmunem placitum Doctorum concedentium in continuo huiusmodi indiuisibilia, quæ in tempore appellantur instantia. hinc aduertendum est ex Arist. 8. Phys. 69. quòd instans tẽporis continuatiuum, est quasi diuisiuum prioris temporis à posteriori; Et quia res non potest in eodem instanti simul esse, & non esse, sequitur, quòd instans illud medium non potest dici intrinsecum esse, & non esse rei, sed vni intrinsecum, alteri extrinsecum; Vnde Scot. quol. 12. M. occasionem arripuit docendi, ꝯ incipit, dupliciter exponi potest, vno modo cum positione præsentis, & negatione præteriti scil. est, & prius nõ fuit; secundo cum negatione præsentis, & positione futuri, scil. non est, sed post erit; sic desinit, vno modo exponitur per positionẽ præsentis, & negationem futuri, scil. est, sed

sed non erit, secundò per negationē præsentis, & positionem præteriti, non est, sed erat. Primus modus incipiendi, dicitur *primum esse rei*, qua valet dicere, nunc primò est, immediatè ante non erat, ità quod res fuerit sub non existentia per totum tempus præcedēs vsque ad illud istās exclusiuè, quod spectat ad esse rei, ideoque dicitur modus incipiēdi intrinsecus, quatenus inclusiuè spectat ad tempus existentiæ rei. Secundus modus incipiendi dicitur *vltimum non esse rei*, quia valet dicere, nunc res vltimo non est, sed immediatè post erit, & dicitur modus incipiendi extrinsecus, quia hoc instans spectat ad tempus non existentiæ rei inclusiuè.

Similiter primus modus desinendi dicitur *vltimum esse rei*, in quo valet dicere, nunc res vltimo est, immediatè post non erit, & dicitur modus desinendi intrinsecus; secundus dicitur *primum non esse rei*, quod explicatur, nunc res primò non est, antea erat, & dicitur modus desinēndi extrinsecus quò ad existentiam. Et quoniam ly nunc, in explicatione istorum modorum supponit pro instanti, & ly immediatè ante, & immediatè post, significant tempus præcedens, vel subsequens, sequitur inter inceptionem, & desitionem differentia, nam quod incipit intrinsecè, incipit in instanti; quod autem desinit intrinsecè, desinit in tempore; & quod incipit extrinsecè incipit in tempore, at quod desinit extrinsecè, desinit in instanti. his præhabitis.

Conclusio

Dicimus, entia per se successiua; vt motum, & tempus, quatenus talia sunt, incipere, & desinere extrinsecè per vltimum non esse, & per primum non esse, dicendo V.g. nunc nō est motus, immediatè post erit, nunc non est motus immediatè ante erat. ita Scot. in 2.d.2.q.9. & D. Thom. 6. Phys. lec. 5. cum communi, & probatur: Illa, quæ incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse, habent esse in instanti, sed res successiuæ non possunt habere esse in instanti, sed in tempore, quia habēt partes post partes acquisibiles, aliter non essent successiuæ, ergo non incipiunt per primum esse, nec desinunt per vltimum esse, sed incipiunt per vltimum non esse, & desinunt per primum non esse.

Arriaga disp. 16. Phys. sec. 12. sustinet contra communem, quòd omnia indifferenter, siue successiua siue permanentia incipiant, & desinant tàm intrinsecè, quàm extrinsecè, quod ità probat præsertim de successiuis: Si motum extrinsecè incipere, est nunc non esse motum, sed immediatè post fore, ergo de motu verificari hoc poterit, nunc est motus, immediatè ante non erat. probat consequentiam ex Arist. docente omnem propositionem veram de præterito, vel de futuro, ideo esse veram, quia potest resolui per suam de in esse .i. de præsente, vt ideò verum est, Adā fuit, quia aliquando fuit verum dicere, Adam est, & ideò verum est dicere, Antichristus erit, quia aliquando erit verum dicere Antichristus est, ergo si est verum dicere, nūc non est motus, sed immediatè post erit, verificatur hæc propositio, quia aliquando verum erit dicere, motus nunc

nunc est, quod est incipere intrinsecè, & idem dicendum erit de desitione. R. Negando consequentiam, & ad probationem dicimus, duplicem esse præsentiam, vnam permanentē, & totam simul, alteram successiuam, & per partes post partes; tunc ad Arist. R. Sufficere ad veritatem propositionis de præterito, & futuro, quod verificetur de præsenti, si ly est supponit pro existentia permanenti, seu tota simul, vt ostendunt exempla de Adamo, & Antichristo, quod nō militat de existentia successiua, quæ nequit in tempore exerceri, quia motus, & tempus non habent primā partem, sed ante vnam est alia, & alia in infinitum, & nos in casu quærimus, de prima inceptione, & desitione rerum.

Dubium est de quiete, an eodem modo incipiat esse, & desinat sicut motus, & tempus, & R. Quòd quies dupliciter sumi potest, vno modo negatiuè, quatenus est negatio motus in subiecto non apto, altero modo priuatiuè, quatenus dicit carentiam motus in subiecto apto nato moueri; si primo modo accipiatur, sic incipit, & desinit per primum sui esse, & per vltimum sui esse: cum.n. hæc quies sit instantanea, in illo instanti, quod est vltimum non esse motus, valet dicere, nunc est negatio motus, & immediatè post non erit; si autem secundo modo sumatur, eodem modo incipit, & desinit sicut motus scil. extrinsecè: & ratio est, quia priuatiuè opposita debent eodē modo respicere subiectum, & eadem mensura mensurari, ergo si motus incipit subiecto in tempore, etiam & quies.

Obiectiones.

Ob. Auth. Arist. 8. Phys. tex. 23. vbi habet: *non.n. si partibile in infinitum est, quod alteratur, propter hoc & alteratio, sed simul fit, sicut duratio*, quod probat exemplo guttarum lapidem excauantium, solùm in vltima totum lapidem excauat simul, ergo si post multas guttas tandem tota pars lapidis simul mouetur, & ità est in alteratione, dabitur prima pars alterationis, ergo incipit motus per primum esse. Resp. Scot. quòd ibi Arist. tantùm probare intendit contra Heraclitum, quòd non sunt omnia in continuo motu, quia potest fieri aliqua alteratio simul, non quòd fiat in instanti, quia tunc non esset motus successiuus sed simul, idest subitò, pro vt opponitur successioni totius temporis; quare negat successionem correspondentem omnibus guttis aquæ, non verò omnimodam successionem, nam quando postea lapis excauatur, cùm sit motus localis, fit in tempore.

Ob. Si hæc doctrina esset vera, nunquam posset videri initium cursus, at hoc est falsum, & contra communem opinionem. R. Negando minorem, nam cursus initium propriè non videtur, sed solùm videtur prima pars determinata motus, non simul, sed successiuè, & hæc prima pars à vulgo appellatur initium.

Petes, quid dicendum sit de indiuisibilibus rerum successiuarum, nēpè de instantibus temporis, & de mutato esse in motu? R. Cum Arist. D. Thom. & Scot. in 2. d. 2. q. 12. in fine, quòd incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum esse, ratio est, quia quod est penitus indiuisi-

uisibile, debet indiuisibiliter, & instantaneè acquiri, vel desinere, sed hæc sunt huiusmodi, ergo incipere debent in instanti, idest per primum sui esse, & desinere in instanti per vltimum sui esse.

ARTICVLVS OCTAVVS.

De inceptione, & desitione rerum permanentium, tàm diuisibilium, quàm indiuisibiliū.

SCot. pluribus in locis, de his disserit, vt videre est in 2. d. 2. q. 4. & in 4. d. 43. q. 5. & quol. 12. art. 3. præmittimus cū Mastr. & Bell. disp. 14. Phys. q. 2. art. 3. quòd res permanentes diuisibiles in duplici sunt differentia, quædam accipiunt totum esse simul, & simul totum esse deperdunt, vt animata in generatione, & corruptione totali, quæ sibi minimū determinant; aliæ verò acquirunt esse successiuè, & per partem post partem, vt sunt illa omnia, quæ minimū sibi non determinant, vt composita substantialia, & formæ, tàm substantiales, quàm accidentales; quæ adhuc dupliciter considerari possunt, primò vt entia quædam certa, determinata, & completa sunt, & sic dicūt aliquod ens completum proprio indiuisibili motum terminans, siue acquisitiuum, siue deperditiuum; secundò vt quid incertum, indeterminatum, & incompletum dicunt, quo sensu significant ens sine proprio indiuisibili completiuo, sed vt actuali fluxui, & motui substat. Exemplum, frigus vt quatuor, vel consideratur, vt habet partes illas intrinsecas, secundum quas successiuè acquiritur, vel pro vt est aliquod intensiuum integratum ex quatuor gradibus complet s, & proprio indiuisibili intēsionis terminatis. quibus præhabitis.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, quæ simul accipiūt esse, & illa composita, quæ licèt successiuè acquirantur, perfecta tū, & completa sunt, intrinsecè incipiunt, & extrinsecè regulariter desinunt. Est Scoti loc. cit. & D. Thom. lib. 6. Phys. lec. 7. contra Ægidium 2. sent. d. 37. q. 3. probatur quòad primam partem, substantiæ generabiles, & corruptibiles habēt esse totum simul, & indiuisibile, ergo in instanti incipiunt esse, & consequenter per primum sui esse. De alijs compositis completis idem patet, quia vt sic cōsiderantur ad modum indiuisibilium, quia tunc res primò completa intelligitur, cùm proprium acquirit indiuisibile terminans, & complens illā, sed acquisitio indiuisibilis est tota simul, & intrinseca, ergo &c. confirmatur, quia dum res in tempore acquiritur, nunquam habet esse completum, sed incompletum, & imperfectum. Quò ad desitionem etiam patet quia si in indiuisibili consistūt, possunt totum simul amittere esse, vnde valet dicere, nunc non est res, sed immediatè āteà erat, itā communiter cum Thomistis, & Scotistis.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Illa, quæ sibi inuicem succedunt, siue formæ sint distinctæ, & contrariæ, siue forma, & priuatio, nunquam possunt incipere, & desinere intrinsecè scil. per primum esse, & per vltimum esse. probatur, quia tunc, vel duo instantia immediata darentur, vel materia sine illis, vel simul cum illis daretur; neque etiam

eadem

eadem rône incipere, & desinere possunt extrinsecè per primum non esse, & per vltimum non esse, sed necessariò, si vnum habet primum esse, alterum habebit primum non esse, ità Bell. & Mastr. loc. cit. ex Scot. quol. 12. art. 3. lit. L.

Quantum verò ad Indiuisibilia, est sciendum, quòd alia sunt indiuisibilia solùm sm̃ durationem, non sm̃ entitatem, veluti sunt mutationes instantaneç, quæ solùm instanti durant, sed partes habent entitatiuas, sicut termini per illas acquisiti, alia sunt indiuisibilia sm̃ entitatem, & durationem simul, quæ partibus carent entitatiuis, & tm̃ per instans existunt, vt mutata esse in motu, & instantia in tempore: Alia sunt indiuisibilia sm̃ entitatem, at non sm̃ durationem, vt quæ partibus carent entitatiuis, sed diù permanere possunt, quæ à Scot. quol. 12. art. 3. vocantur indiuisibilia permansiuè; & hæc vel sunt formaliter, & virtualiter indiuisibilia, quatenus nec partes habent, nec pluribus possunt æquiualere, vt sunt indiuisibilia continui, vel sunt indiuisibilia solùm formaliter, quatenus reuera partes non habent, sunt tñ virtualiter diuisibilia, quatenus plures partes habenti æquiualent, vt Angeli, anima rônalis &c.

Loquendo de Indiuisibilibus primi, & secundi generis, concedunt omnes incipere, & desinire intrinsecè, vt Scotus docuit quol. cit. & in 2. d. 2. q. 4. Ad secundum *princip.* & ratio est, quia quando sunt incipiunt esse, & totaliter sunt, quia carent partibus duratiuis, ergo dicere valet, nunc est instans, antea non erat. Tum quia si extrinsecè inciperent, haberent esse in tempore, & consequenter, vel tempus indiuisibile esset, vel instans partes haberet, quia mensura mensurato proportionari debet. Tum quia hoc esset contra rônem formalem eorum, quia sic non essent indiuisibilia sm̃ durationem. Desinunt similiter intrinsecè per vltimum esse, si. n. per primum non esse desinerent, vel darentur duo instantia immediata, vel ista indiuisibilia in tempore permanerent, quod absurdum esset, vnde idem instans mensurat simul inceptionem, & desitionem. Indiuisibilia autem tertij generis regulariter incipiũt per primum sui esse, quia carent partibus, desinunt tñ per primum non esse, quia possunt diù permanere, ideò non est necesse, vt idem sit instans inceptionis, & desitionis.

Ex qua doctrina sequitur, quòd res siuè diuisibilis sit, siuè indiuisibilis, dummodo tñ indiuisibiliter producatur scil. per primum sui esse, posse per solùm instans durare, quod sit primum, & vltimum esse ipsius, ità Scot. quol. 12. art. 3. quem sequuntur Reg. Paris. 8. Phys. q. 2. collat. & Mastr. & Bell. loc. cit. quod patet, nã instans temporis, & mutatum esse in motu hoc modo durant, ergo idem potest de alijs affirmari, cùm nulla possit assignari disparitas. Tum quia productio, & conseruatio eiusdem rei pro vt illos distinctos respectus includunt, sunt realiter distinctæ, ergo vt sic possunt ad inuicem separari; patet antecedens, quia sunt ad terminos realiter distinctos. Tum quia potest nostra voluntas elicere vnum actum, vt solùm per instans duret, alioquin si deberet illum necces-

cessariò continuare, si talis actus esset peccaminosus, tunc homo propriè non esset viator, quia non posset non esse peccator. Sed de his vberius alibi.

DISPVTATIO

DECIMA SEPTIMA

De his, quæ in libro Quinto, Sexto, Septimo, & Octauo Phys. continentur.

EGit Arist. in 3. lib. de motu prout abstrahit à successiuo, & instantaneo: sed postea lib. 4 tractationem interrupit, quia enucleare volebat, quid esset locus, & tempus, in quibus successio motus exercetur. Nunc iterū in hoc 5. libro inchoatum negotium prosequitur, cuius vestigia nos sequentes, hanc disputationem aggredimur, agentes de motu in cōi, prout cōis est ad motum propriè dictum, & ad mutationem rigorosam, & vniuersaliter pro eo, quod denominat propriè subiectum moueri, contra Antiquos procedentes, qui negabāt dari motum in rerum natura, sed omnia quiescere dicebant.

ARTICVLVS PRIMVS.

De formalitate, & quidditate motus.

SCot. Art. hunc resoluit in 4. d. 11. q. 1. E. & d. 43. q. 1. lit. C. & in 2. d. 1. q. 5. lit. S. & T. Pro cuius decisione iterum recolendum est, multa in motu reperiri, in quibus ipsius formalitas consistere posset, vt Doct. monet in 2. cit. nam primò sunt tres entitates absolutæ, scil. mouens, seu agens, mobile, seu subiectum, & forma in subiecto recepta, quæ in motu locali est respectiua. 2. multi interueniunt respectus reales, si. n. agens comparetur ad formam, vel compositum dicet relationem educentis, vel producentis, & è contra forma dicet relationē eductionis passiuæ, & compositum relationē productionis passiuæ ad ipsum agens, qui respectus sunt intrinsecùs aduenientes, vt sępè dictum est; Si verò agens comparetur ad materiam, in quam vt in subiectum formam inducit, inter ipsa insurgunt respectus transmutantis ad transmutatum, seu agentis ad passum, & transmutati ad transmutans, vel passi ad agens, in quibus actio, & passio consistunt, & sunt respectus extrinsecùs aduenientes; Si materia, & forma inter se comparentur, præter respectum illum intrinsecùs aduenientē eductionis &c. sunt alij respectus perfectibilis ad perfectium, & è contra, qui informatio actiua, & passiua appellantur, & sunt in sent. nostra extrinsecùs aduenientes, quia possunt esse materia, & forma absq; eo, quod forma materiā informet, & per

ficiat.3. præter hos respectus reales, multi etiam reperiuntur respectus rõnis, qui rõnis dicuntur, non quia verè entia rõnis sint, & secundæ intentiones, sed quatenus ipsis deficit aliqua ex cõditionib. relationis simpliciter realis à Scot. assignatis quol. 13.H.& in 1.d.31.quòd scil. sit inter extrema realia, & realiter distincta, & quòd insurgat independenter ab intellectus operatione;& quia priuationes dicunt relationem ad non esse præcedens, quod non est extremum reale, ideò dicitur respectus realis sm̃ quid, seu rõnis. Recentiores præter hæc omnia addunt quamdam viã, seu tendentiam ad formam, qui sit modus quidam absolutus præcedens formam, trascendentaliter relatiuus, per quem forma in subiecto acquiritur. Motus igitur aliquid istorũ formaliter importabit.

Quid autem hoc formale sit, hoc opus, hic labor, quasi infinitos.n. modos dicendi Doctores circa hanc rẽ excogitarunt. quid autem Scot. sentiat, supponimus, quòd motus sit duplex scil. acquisitiuus, cuius terminus ad quem est positiuus, & deperditiuus, cuius terminus ad quem est priuatio. Item ex Doct. in 4.d.12. q.4. D. quòd motus dupliciter considerari potest, vno modo sm̃ suam essentiam præcisè, præscindendo an sit ab agente creato, vel increato; Altero modo, quatenus solùm sm̃ naturæ cursum fieri potest, quo sensu dicitur physicus, & naturalis, non vtiq. prout naturale opponitur violento, vel neutro, sed prout à supernaturali distinguitur, & in hoc sensu modò loquimur.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, motum physicum dicere formaliter successionem termini ad quem posteriorem, post terminum à quo priorem immediatè præcedentem, non quidem vt sic, sed vt in subiecto; si .n. acquisitiuus erit, tunc relatio illa, quam dicit respectus informationis passiuæ ad non esse ipsius immediatè præcedens, dicitur motus acquisitiuus; si verò deperditiuus, relatio quam dicit non informatio ad informationem immediatè præcedentem, erit motus deperditiuus. Est Scot. loc.cit. & sequuntur Iribar. in 4. tom. 1. disp. 10. sec.vlt. Arct. in 4.d.11.q.1.art.4. Vulp.2.p. disp.1.art.3.nu.2.& nouissimè Mastr. & Bell.disp.15. Phys.q 1. & probatur primò, alios modos dicendi respuendo; nam primò, motus non potest quid absolutum dicere, quia vel eria forma, vel quantitas successiua, vel modus quidam absolutus; non est forma, connotando fluxum ipsius, quia est directè contra Arist. qui in hoc 5. tex. 5. manifestè ait: *non est albedo motus sed dealbatio.* Ergo potius motus dicit formaliter fluxum formæ, quàm formam ipsam. Tum quia motus diuidi solet, per successiuum, & instantaneum, tardum, & velocem, rectum, & circularem, vt infra dicemus, quæ diuisiones non conueniunt formæ. Tum quia saltem quò ad principale significatum motus semper maneret, quandiù forma esset in subiecto, & non cessaret præsentibus habitibus, quod est directè contra Philosophum 1. de gen.55.

Neque dicere potest quantitatem successiuam de genere absoluti, vt Tatar, autumat in Prædicam.cap.de Quant.

Quant. cum Ant. Andr. 5. Meth. q. 10. & Fuent. 3. Phyſ. q. 1. d. ff. 3. art. 3. nam motus eſt via ad terminum, ſed quantitas non eſt via ad ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, & vbi, ergo &c. & præſertim, quia via eſt imperfectior termino, & nullum abſolutum eſt relatiuo imperfectius.

Neq. eſſe poſt modus ille abſolutus præcedens formam à Recentioribus excogitatus, nam vel talis modus eſt ab actione diſtinctus, vel eſt idem realiter cum illa; ſi primum, ergo quia non eſt agentis cauſalitas, debet ab aliquo cauſari, cùm non ſit à ſe, atque ideò motus eſſet effectus, & ad ipſum eſſet actio, & conſequéter ad motum eſſet motus, ſicut arguebat Ariſt. in tex. Si ſecundũ, ergo quia actio eſt in agente ex dictis, motus erit in agente, quòd eſt falſum, quia Ariſt. ait, eſſe actum mobilis. Tum quia vel modus iſte eſt in forma, vel in ſubiecto; ſi primum, ergo eſſet poſterior forma, in qua ſubiectatur, & ipſam denominabit moueri, quod eſt contra Ariſt. qui vult ſubiectum moueri, & mutari; Si ſecundum, ergo mobile in quolibet motu dupliciter diceretur moueri ſcil. per receptionem formæ, & per receptionem etiam iſtius modi abſoluti, & ità ad motum eſſet motus, & proceſſus in infinitum. probatur ſequela, quia mutari eſt aliter ſe habere nunc quàm prius, at mobile non ſolùm recipit formam, ſed etiam entitatem illam modalem, eſtq. duplex receptio, ſicut duæ ſunt entitates receptæ, ergo duplex mutatio.

Neq. dicere poteſt relationẽ formæ ad agens, vt Faber. aſſerit Theor. 25. cap. 1. & 2. nam Scot. in 4. d. 11. q. 1. E. docet mutationem eſſe reſpectum sm̃ quid, non ſimpliciter realem, quia eſt ad non eſſe terminatus, ergo in ſent. Doct. non eſt reſpectus formæ ad agens, qui eſt ſimpliciter realis, & intrinſecùs adueniens. Tum quia in 1. d. 5. q. 2. lit. E. & S. diſtinguit Scot. generationem in rõne productionis, & in rõne mutationis, & vult, quod generatio, vt mutatio dicit ordiné ad ſubiectũ, & tráſit de vno oppoſito ad aliud, vt verò ꝓductio, reſpicit producẽs, ergo motus per Scot. nõ poteſt dicere relationẽ ad agẽs, & ꝓducẽs, q̃a ſic nõ eſſet reſpect⁹ sm̃ q̃d.

Neq. dicere poteſt paſſionem ſolã, aut actionem, & paſſionem ſimul, nam huiuſmodi reſpectus non dicunt ordinem ad priuationem, ſed vel ad agens vt terminum ſicut eſt paſſio; vel ad fundamentum, ſicut eſt actio, Et ità non priuatio eſſet principiũ motus, ſed agens. Tum quia vt Scot. docet in 4. d. 43. q. 5. H. dari poſſunt actio, & paſſio ſine motu, ſi .n. ſubiectum ſimul cum forma producitur, ità vt non præcedat tempore ſub priuatione, vt eſt in qualibet animatione, in qua corpus in eodem inſtanti completur in eſſe, & animam recipit, adſunt actio, & paſſio, quia verè agẽs inducit formã in ſubiecto, & ſubiectum ipſum recipit, non tñ eſt motus.

Reſtat igitur, vt motus formaliter dicat ſucceſſionem illam, ſeu reſpectum informationis, ſeu eſſe formæ in ſubiecto ad non eſſe immediatè præcedens, quod roboratur Auct. D. Greg. 5. Moral. vbi ait: mutari eſt ex alio in aliud ire. & ex 5. Phyſ. 3. motus eſt tráſitus ſubiecti à termino quo, ad terminum ad quem. Tum quia

moueri est aliter se habere nunc quã prius ex 6.Phys.32.per *ly se habere*, ex primitur respectus subiecti ad ter minum ad quem. per *ly aliter nunc quàm prius*, explicatur illa immediata successio termini posterioris post priorem in subiecto; cui respectui opponitur quies priuatiuè, tūc n. subiectum quiescere intelligitur, cū iam formã acquisiuit; quod euenit cùm forma immediatè respicit nõ esse præcedens, sed esse eiusdẽ præhabitū, quod est carere respectu illo ad non esse immediatè præcedens. Quòd autem motus iste Physicus necessariò dicere debeat successionem hanc in subiecto, docetur à Scot. in 4. d.12.q.4.C.& H. contra Gotfred. nã agens naturale necessariò ad hoc, vt producat aliquid, præsupponit subiectum, aliter posset creare, ergo motus ab ipso causatus necessariò fieri debet in subiecto, vt Arist. obseruauit in 3. & 5. Phys. vbi loquens de motu, & mutatione, semper locutus fuit in ordine ad subiectum, & mobile.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Si motus absolutè, & sm̃ suam essentiã consideretur, prout abstrahit à motu naturali, & supernaturali, solùm dicet successionem termini ad quem post terminum à quo immediatè præcedentem, præscindendo à quocumq. subiecto. Est Scoti in 4.d.12.q.4.§.*Ad Argumenta principalia &c.* Sequuntur Reg. Parisiens. Franc. Sampson cum Aliquib. Scotis. contra Suar. disp. 49. Meth. sec.2. Amic. tract.29.q.4.dub. 1.& Alios, asserentes motum de sua rõne formali dicere ordinem essentialem ad subiectum.

Probatur: Intelligi potest motus, vel quies absq. mobili, ergo possunt sine illo esse. prob. antec. producat Deus calorem absque subiecto, & postea illum intendat, addendo secundum, tertium, & quartum gradum; in tali casu calor flueret primò de non esse ad esse, & postea de vno ad alium gradum, postquàm verò ad quartum peruenit, non amplius fluit, sed quiescit, & tñ nullum esset mobile, & subiectum, ergo &c.

Confirmatur: Motus naturalis, & Physicus dicit successionem termini ad quem post terminum à quo in subiecto, at creatio, vt à conseruatione distinguitur, dicit successionem termini ad quẽ post terminum à quo extra subiectū ex Doct. quol.12. Ex his duob. conceptib. potest hic abstrahi conceptus ambobus cõis scil. successio termini ad quem, post terminum à quo, præscindendo ab hoc, quod est esse in subiecto, vel nullo p̃supposito subiecto, qui conceptus est essentialiter in illis inclusus, & per se primo modo de illis prædicatur, nam se habet vt genus, qui postea per illas differentias, nempè esse in subiecto, vel nullo præsupposito subiecto, contrahitur ad motum Phys. & ad creationem, ergo motus sm̃ suam essentiam præcisissimè non dicit ordinem ad subiectum, sed ab illo præscindit.

Ex his deducitur, quòd si motus materialiter sumatur scil. pro forma fluente, sic non est in vno prædicam. sed in tot, quot sunt formæ per motum acquisibiles, quæ sm̃ Arist. sunt forma substantialis, quantitas, qualitas, & Vbi; Si verò motus sumatur pro eo, quod realius dicit, sic quia signi-

significat, vt Scot. docet in 4. d. 11. q. 1. E. receptionem formæ, seu informationem passiuam subiecti, quia iste respectus est simpliciter realis, tunc erit in prædicam. habitus, in quo omnes informationes, receptiones, inhærentiæ, & habitiones veluti species habitus in cōi collocantur. Si tandem Motus formaliter sumatur pro illa successione iam explicata, qui est respectus sm̄ quid realis, ità non constituit vndecimum prædicamentū ab alijs distinctum, vt Plotinus, Acerbus, Vicomercatus, & Alij asseruerunt, nam numerus Prædicam. potius minui debet, quàm augeri ex dictis in Logica, sed cùm sit via ad terminum, reduci debet ad prædicam. sui termini, vt fecit Arist. 3. Phys. tex. 4. saltem in obliquo &c.

Obiectiones.

Quòd motus non sit causalitas, patet ex dictis disp. 7. de causis, art. 1. Vnde solùm obicitur, ꝙ motus non sit respectus, sed forma fluēs, nam aliter nō rectè mot⁹ diuideretur in naturalē, & supernaturalē, nā talis respectus hāc diuisionē non patitur, sed forma fluens, ad quā talis respectus est. Nec motus physicus rectè diuideretur in naturalem, violentum, & neutrum, quia non respectus, sed forma est, aut secundum, aut contra, aut præter inclinationem, ergo in forma fluente consistet ratio motus, non in respectu. ℞. Quòd huiusmodi diuisiones motui conueniunt rōne termini ad quem, sæpè.n. relationib. tribuimus, quæ fundamentis conueniunt, vnde dicimus hunc parietem esse magis, vel minus similem alteri parieti, & tñ relatio non suscipit magis, & minus.

Ob. Pro Fabro, quòd motus dicat formaliter respectum formæ ad agēs ex Doct. in 4. d. 13 q. 1. lit. T & K. vbi docet, formam fluentem esse motum. & lit. M. ait, quòd respectus fundatus super motū est intrinsecùs adueniens. ℞. Cum Mastr. & Bell. Scot. ibi non loqui ex professo de materiali, & formali motus, sed solùm declarare intendit, an actio, & passio sint prædicamenta distincta à relatione, & per quid ab ipsa distinguantur, & actionem sumi multipliciter, primò pro connotato, & sic est quid absolutum, siue res acta, seu forma fluens, que est motus sm̄ Commentatorem (Ecce quomodò non ex professo, sed in sent. Auerr. loquebatur) Secundò formaliter, & ità præsefert respectum esse vt Ab. scil. vt à producente, seu inducente; vel ab A, vt à transmutante, primus respectus est in prædicamento relationis, secundus in prædicamento passionis. Quod addit lit. M. non obstat, quia ibi loquitur de illo materiali motus sm̄ opinionem Auerr. scil. de forma, nec dicit quòd motus sit respectus intrinsecùs aduenīes, sed respectus in motu fundatus scil. in forma in ordine ad agens, & vt sic est intrinsecùs aduēiens, ꝙ nos cōcedimus.

Arguit Faber rōne: Generatio, quæ est vna species motus, dicit formaliter originem geniti à generante, ergo motus in cōi dependentiam à producente formaliter importabit, cùm species omnis sub proprio gen. contineri debeat. ℞. Bona pace tanti Doctoris, non valere ex definitione speciei infimæ definitionem generis inferre, alioquin definitio hominis, quæ est species sub animali, applicari possit animali in cōi, quod est falsum, ergo

ergo licèt vna species motus diceret respectum geniti ad generans, non per hoc inferre debemus, motum in cōi dicere respectum intrinsecùs aduenientem producti ad producens. ℞.2.ex Scot.in 1.d.2.q 7.ad 3.*Princ.* vt etiam ibidem Faber fatetur, quòd generatio, vel sumitur in rōne productionis, vel in rōne mutationis, primo modo à subiecto praescindit, & tm̄ respicit terminum productum, nec dicitur mutatio, quia in hoc sensu transfertur ad Diuina, & definiri solet, quòd sit origo &c.2. modo dicit habitudinem ad subiectum, & est mutatio, & ità non dicit respectum ad agens, vt Faber autumat.

Ob. Canon. quòd motus sit passio ex 5. Phys. 10. vbi Arist. probat ad actionē,& passionē nō esse motū,quia ad motū nō est motus, quę cōsequētia non valeret, nisi motus esset passio. ℞. Quòd Arist. discursus resolui debet in duos Syllogismos, ità quòd non sit illatio ex identitate actionis, passionis, & motus, aliàs sequeretur motum etiam esse actionem, quod est contra ipsum Canon. sed est illatio à simili, & per concomitantiam, vt Scot. aduertit in lib. de anima q. 7. ad 3. *Princ.* & ità resoluitur: Ad motum non est motus, ergo ad actionem non est actio, nec ad passionem est passio, patet à simili. Rursus si ad actionem non est actio, ergo ad actionem non est motus, patet consequentia, nam ex opposito consequentis, deducitur oppositum antecedentis, si.n. ad actionem esset motus, cùm motus semper actionem praesupponat, iam ad motum esset motus.

Ob. Rōne: moueri est pati, ergo motus est passio. probat anteced. quia mouere est agere, & mouens est agēs. ergo moueri est pati, conseq. tenet per locum à coniugatis, & casib. scil. à concret s ad abstracta. ℞. Locum à coniugatis tenere in cōcretis essētialiter ordinatis ad abstracta nō vltima abstractione, vt diximus in logica, scil. albū est coloratū, ergo albedo est color, ꝙ nō est i 1 casu, nā moueri nō est pati formaliter, passio .n. dicit respectum transmutati ad agens transmutans, motus verò dicit successionē iam explicatam, vnde solùm dicitur pati concomitanter, quia ad motum sēp respectus illius actionis, & passionis comitātur, & eodē modo explicatur ly mouere est agere scil. cōcomitanter non formaliter, ità Mastr. & Bell.

Ob. Hurt. quòd motus actionem, & passionem formaliter includat, & probat ex 3. Phys. tex. 6. vbi motus definitur: *est actus entis in potentia, prout in potentia*. per quam definitionem manifestè colligitur, motum includere formaliter actionem, & passionem, per ly .n. in potentia intelligitur tàm actiua, quàm passiua potentia, quod etiam colligitur ex alijs definitionibus; & ibidem tex. 18. non distinguit motum ab actione, & passione, nā asserit, ꝙ motus est actus actiui, & passiui, vt actiui est actio, vt passiui est passio. ℞. Negando, quòd per ly ens in potentia intelligat Arist. actiuam, & passiuam potentiam, sed passiuam tm̄, vt ab exemplis, quae ibi adducit manifestè apparet. in tex. 18. vt Scot. explicat in 4.d.13.q.1. I. & seq. Aris. accepit motum, actionē, & passionem materialiter, idest pro ipsis formis, quo sensu coincidunt, nā eadem forma prout est ab agente est actio, prout est in passo est passio, vt noui-

nouiter perficit subiectum, est motus.

Ob. Quòd motus dicat formaliter respectum informationis, & patet ex Doct. in 2.d.1.q.5. T. vbi ait motum esse respectum mutati ad formam, vt nouam, ergo principaliter importabit respectum informationis, nã hoc est subiectum moueri, quòd paulatim nouam formam accipere. ℞. Cùm Scot. ait *mutatio est respectus mutati ad formam*, tunc explicuit materiale motus, cùm addit *vt nouam*, explicuit formale, per hoc .n. datur intelligi respectus ad non esse immediatè præcedens, ideò consequentia est nulla.

Ob. Non videtur verisimile, quòd naturalis passio corporis, veluti est motus sit respectus sm̃ quid, & quòd in corpore naturali detur inclinatio realis ad motum, qui sit imperfectius ens illa inclinatione. ℞. Hoc esse cõuenientissimum, nam omnes passiones formaliter sunt relationes aptitudinales, & consequenter sm̃ quid reales, quatenus respiciunt terminos non actu existentes; neq. motus est passio corporis, sed mobilitas, seu aptitudo ad formam sibi conuenientem, motus autem est accidens.

Contra 2. obijcitur, quòd motus necessariò dicat ordinem ad subiectũ; nam res, quæ creatur potest se habere vt subiectum, cum aliter se habeat nunc quàm prius; prius .n. non existebat, nunc existit, ergo in quolibet motu est subiectum. ℞. Neg. assumptum cum Scot. in 1. d.17.q.3. §. *Ad Quæstionem igitur &c.* ratio est, quia ad rõnem subiecti requiritur, quòd maneat sub vtroq. termino ad hoc, vt aliter se habere dicatur, at res creata non ità se habet, quia ante creationem nullum esse actuale habuit, vt dici poterit esse sub alio termino, aliter etiam in mutatione pysica, forma se haberet, vt subiectum, & ità duplex subiectum, quod est falsum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in motu terminus à quo debeat tempore præcedere terminum ad quem, an verò sufficiat prioritas naturæ.

SCot. in 3 d.2.q.3. D. de hoc dubio differens, ait: *Quando forma producitur simul cum susceptiuo, non est propriè mutatio ad illam formam quia susceptiuum non prius fuit sub priuatione, quàm forma*. Et in eodem 3.d.7.q.2 *Ad 2 Princ.* lit. E. inquit: *mutatio non est, nisi inter terminos oppositos, quorum vnus duratione præcedit alterum*. Ex quib. verbis saltem in sent. Doct. queſt. decisa remanet. Ad maiorem tamen intelligentiam præmittimus, quòd priuatio, seu non esse, dupliciter potest præcedere formam, quæ succedere debet scil. tempore, seu duratione; & natura, & hoc dupliciter, sicut duplex est ordo naturæ, positiuus scil. & priuatiuus ex Doct. in 2.d.1.q.2. A. & in 3.d.3.q.1. E. quando materia simul producitur cum forma, priuatio opposita non est prius tempore, sed natura; non positiuè, sed priuatiuè conuenit subiecto. hinc si creatura aliqua fuisset ab Æterno, non esse, prius natura habuisset, quàm esse, non positiuè, sed negatiuè, quatenus creaturæ infuisset, si à Deo per positionem illius esse non fuisset impeditum. Quærimus igitur, an cum pri-

priuatio natura tm̃ præcedit formam, sufficiat ad rõnem mutationis. Affirmatiuè resp. Bonet. Auersa, & nouissimè ex nostris Poncius.

Conclusio

Dicimus tñ, ad mutationem requiri necessariò successionem temporaneam esse post non esse, ità vt non sufficiat non esse tm̃ natura præcedens. Est Scot. loc. cit. & pluriès alibi, & cõis tum apud Veteres, tum apud Recentiores, & probatur: data opposita sententia, in motu Phys. subiectum non aliter se haberet, quod.n. aliter se habet nunc, quã prius, aliquid nunc habet in se, quod prius non habebat, sed dato casu, subiectum in illo priori naturæ non diceretur priuationem non habere, sed quod haberet, si nõ impediretur, ergo subiectum illud non aliter se habuisset, & consequenter non fuisset mutatum. Tum quia mutatio realis est successio realis, ergo requirit realem existentiam subiecti sub vtroq. termino, ergo prius duratione debet esse sub termino à quo. Prima consequentia patet, nam quod non est, nõ potest transire, vel succedere realiter de vno ad alium terminum, cùm existentia necessariò ad causalitatem materialem requiratur. Secunda probatur, quia existentia realis nõ mensuratur, nisi duratione reali, quæ in tempore fit, loquendo de mensura successiuorum, ergo cùm duo contradictoria simul esse nequeant in eodem instanti temporis, & subiectum sub [illegible] eisdem debeat realiter existere, necessariò prius duratione debet esse sub vno, quàm sub altero. Si autem [illegible] creatura fuisset ab æterno producta, [illegible] esse creaturæ non præfuit, sed præfuisset si à Deo non fuisset impeditum, producendo creaturã, ideoq. esset ibi generatio, & creatio in rõne productionis, non in rõne mutationis.

Quam doctrinam manifestè docuit Scot. in 3. d. 3. q. 1. E. vbi declarat prioritatem hanc negatiuam priuationis ad formam, aliud non importare, quàm quòd priuatio reuera materiæ inesset, nisi iam forma introducta fuisset, non tñ quòd reipsa pro al quo signo ei infuerit. Tum quia aliter oporteret dicere materiã semper esse forma priuatam, quia quantumcumq. formam possideat, verum est dicere, quòd ex se formam non haberet, si ab extrinseco inducta non fuisset. Ex quo etiam infertur, quòd hæc sola prioritas negatiua priuationis ad formam, non sufficit, vt priuatio dici possit principium Physicæ mutationis, nã priuatiõ dicitur principiare per modum termini à quo, & per modum abiectionis, sed priuatio in præfato sensu, semper dicitur cõuenire, & nunquam à materia recedere, semper.n. verum est dicere, ꝙ materia priuationem haberet, nisi ab extrinseco in ea itroducta fuisset forma, ꝗa ergo in hoc sensu, materia sẽper dici posset priuata, non potest dici transire ab hoc esse priuato, ad esse formatum. per quæ plenè satisfit oppositæ doctrinæ, quam habet Ponc. disp. de priuat. & disp. 1. de gen. q. 2. licèt deinde quasi bellum declinans, dicat hanc esse quæstionẽ de nomine, mos satis familiaris apud Recentiores.

Ex his deducitur corollarium, ꝙ motus realiter distinguatur à subiecto, termino, actione, & passione, & colli-

collligitur ex Doct. in 2.d.1. q. 5. T. vbi ait, mutationem non esse eamdē cum forma, quia potest ab illa separari. & in 4.d.43.q.1. D. docet, posse motus specie differre, licèt termini non differant. & ibidem d.43.q.5. H. idem asserit de motu in ordine ad actionem, & passionem; & probatur adhuc, nam motus vel est successiuus, vel instantaneus, at terminus, & subiectum permanent. Item ad terminum est motus, ad motum non est motus ex 3. Phys. 15. Item motus diuidi solet in velocem, tardum &c. nō sic terminus, nec subiectum &c. Item motus est quid imperfectum, & sm̄ quid reale, terminus, & subiectum sunt entia simpliciter realia, ergo distinguuntur realiter.

Quòd etiam distinguatur ab actione, & passione patet ex præcedenti art. nam actio, passio, & motus respiciūt diuersos terminos distinctos. Tum quia actio, & passio sunt respectus simpliciter reales, motus verò sm̄ quid realis, ergo. Tum quia actio, & passio aliquando à motu seperantur, & est cùm subiectum non præcedit tempore introductionem formæ &c.

Ob. Quòd motus non distinguatur realiter à termino ex 3. Phys. tex. 4. vbi habetur, quòd motus non est præter res, ad quas est, ergo. ℞. Sensum Arist. esse, ꝙ motus in illis prędicamentis reperiatur, in quib. sunt termini, & non in alijs, cum hoc tñ stat, quòd distinguantur realiter. Hinc aduertimus, quòd nec actio est actus agentis quatenus est in potentia, vt scil. dicit ordinem ad non esse immediatè præcedens, sed est actus agentis respectu passi; nec passio est actus passi quatenus est in potentia in hoc sensu, sed in ordine ad agens, nec propriè est actus mobilis, sed actus passi, idem .n. subiectum dicitur mobile, & passum, mobile in ordine ad nouam formam, passum in ordine ad agens inducens formam, vnde passio formaliter facit subiectum non rigorosè mutatum, sed transmutatum ab alio; & hoc contra illos, qui asserunt motum non distingui realiter ab actione, & passione.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Motus rectè definitus fuerit ab Arist.

SCot. explicationem huius dedit in 4.d.11.q.1. E. & quol. 3. H. & pluries alibi. Sciendum est, quòd Arist. 3. Phys. tres assignauit motus definitiones. Prima in tex. 6. dicens: *motus est actus eius, quod existit in potentia, quatenus huiusmodi*. quæ definitio cōiter explicatur, motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia. *Secunda in tex. 16. motus est actus mobilis, quatenus mobile existit.* Tertia tandem in tex. 23 *Motus est actus eius, quod potentia actiui, & passiui quatenus huiusmodi.* Et licèt quælibet harū bona sit, & rectè, non tñ censendum est tres esse diuersas definitiones, sed potius eādem, varijs tñ terminis explicatam. Quia igitur inter alias, Prima, vt omnibus præstantior tenetur, idcirq. exactiùs explicanda, ex cuius declaratione aliæ facilè patebunt.

Prima igitur particula est *actus*, & ne æquiuocè circa conceptum actus elaboremus, notamus, duplicem esse actum, substantialem scil. & accidentalem. Primus dicitur perfectus,

secundus imperfectus; & hic duplex est, vel accidentaliter imperfectus, & talis est forma accidentalis in esse remisso, quæ potest adhuc perfici, quia accidit sibi, quòd sit remissa; vel est essentialiter imperfectus, quia ex sua rõne formali includit imperfectionem, & talis est motus, qui ex se ordinat subiectum ad terminum, & acquisito termino cessat, quod innuit Arist. in 3. cit. tex. 15. cũ ait motum esse actum imperfectum; ità explicant Fonseca, Auersa, Complut. Mastr. & Alij.

Alij verò aliter de actib. distinguũt ex Arist. 2. de anima tex. 5. Primus est forma, secundus est operatio formæ, & primus est perfectior secundo; motus non est actus primus, sed secundus, quia est exercitium potentiæ, astò in definitione tamquam genus ab vtroq. abstrahat; ità Amicus q. 2. art. 2. Alij aliter, & diuersimodè loquuntur, conueniunt tamẽ in hoc, quòd per istum actum essentialiter imperfectum intelligunt modum quemdam medium inter subiectum, & formam, vel inter terminos à quo, & ad quẽ. Nos iuxta dicta in 1. Art. per actum intelligimus successionem illam, seu respectum informationis in subiecto ad non esse immediatè præcedens, & tunc talis relatio habet rõnem motus.

Secunda particula est ly *entis in potentia*, vel *eius, quod existit in potentia*, & in hac etiam variæ sunt Doctorũ Opiniones. Nos, qui breuitati studemus, per ly entis in potentia, intelligimus subiectum, sed non solùm corporeum sm̃ veritatem, cũ etiam Angeli sint mobiles motu physico, sed solùm in sensu Philos. qui putauit Angelos immobiles. Neque per ens in potentia intelligitur corpus, quia vt videbimus infra sub hac definitione cõprehenduntur etiã mutationes substantiales, quarum subiectum non est corpus, sed materia prima. Neq. per ens in põta intelligitur ens trãscendentaliter sumptum, sed illud, quod potest esse subiectum motus cõis ad mutationem substantialem, & accidentalem, vnde mobile dicitur, & in potentia subiectiua. Neq. tale ens accipiendum erit nominaliter scil. pro ente reali, siue existat, siue non, sed participaliter, scil. pro ente actu existente, potente aliquam formam recipere, quã rõne Arist. ait: *est actus eius, quod existit in potentia*, vt Scot. declarat in 1. d. 5. q. 2. B.

Tertia particula est, *in quantum in potentia*. Pro cuius intelligentia aduertimus, quòd *ly in quantum*, potest accipi dupliciter, scil. vel reduplicatiuè, vel specificatiuè ex Doct. quol. 3. H. primo modo importat causam inhærentiæ prædicati cum subiecto; secundo, solùm significat, & explicat rõnem, sub qua accipitur id, quod per ipsum specificatur. in proposito ly in potentia non sumitur reduplicatiuè, sic .n. inferret propositionem vniuersalem, nempè quòd omne ens in potentia moueretur, quod est falsum; sed accipitur specificatiuè, & importat rõnem sm̃ quam motus est actus mobilis; duæ .n. sunt in mobili rões, est ens in actu extra suas causas, & est etiam in potentia ad aliud, scil. ad terminum motus, & & secundum hanc considerationem motus est actus mobilis.

Ex his habetur, quòd motus definitio

nitio sit optimè tradita, explicans quidditatem motus physici consistẽtis in trãsitu subiecti à termino à quo ad terminum ad quem; nec est purè quidditatiua, sed data per additamẽtum scil. per propria extrema, quomodò omnes respectus definiuntur. Ostenditur etiam ꝙ sit actus imperfectus, ex eo quia est respectus secundum quid realis. & ex hoc etiam quia non denominat subiectum perfectum, sed potius perficit, nam quãdiu manet ille respectus, nunquam dicitur subiectum acquisiuisse formã, sed solùm acquirere.

Obiectiones.

Ob. Illud rectè definitur, ꝙ constat ex gen. & differentia, sed motus non est huiusmodi, ergo &c. probatur minor, tum quia non est in aliquo determinato genere ex Arist. tum q. non est vniuocum ex 3. Phys. 4. ergo non habet propriam definitionem. ℞. Ex dictis in log. quòd diuisio illa entis in decem Predicam. est famosa, & artificialis, non naturalis; & in hoc sensu Arist. negauit motum esse vniuocum scil. genericum, cum hoc tñ stat, quòd proprium habeat conceptum quidditatiuum, ideòq. licèt non sit rigorosa definitio, est tñ ratio explicans suo modo quidditatem rei definitæ, quia ex conceptu contrahibili, & contrahente constat.

Ob. Actus, & forma conuertuntur, ergo si motus est actus, erit forma, & sic erit in aliquo determinato gen. & terminus motus sicut forma. ℞. Ex dictis, ꝙ actus potest sumi dupliciter, vel fundamentaliter, & est forma, vel formaliter, & est respectus actuabilis ad actuans, quia est actus mobilis, & se tenet ex parte subiecti; & est motus, idcircò non erit in determinato gen. neq. erit terminus motus.

Ob. Si motus est actus, ergo erit actus entis in actu, non in potentia, quia actus non potest constituere, nisi ens actuale. ℞. Motus est actus entis in actu entitatiuè, sed est etiam entis in potentia respectu carentiæ formæ, quam non habet, vnde idem subiectum erit in actu, & in potentia, sed respectu diuersorum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quibus motibus allata definitio conueniat.

Scot. Art. hunc resoluit in 2. d. 2. q. 1. lit. I. vbi docet Arist. vsq. ad 5. Phys. indefinitè, & vniuersaliter locutum fuisse de motu, & mutatione. Dubium est inter Doctores, an allata definitio omni motui conueniat, & præsertim successiuo, & instantaneo; & si vtriq. competit, an omni contento sub ipso scil. acquisitiuo, & deperditiuo, naturali, violento, neutro, artificiali, Æterno, & operationibus animasticis, vt sunt sensationes, intellectiones &c. Tolet. Conimb. Iandun. Mas. & Alij ab hac definitione excludunt motus instantaneos, & solùm successiuos includentes, quam sent. vt probabiliorem amplectitur Amicus q. 3. vbi etiam excludit motus deperditiuos, violẽtos, & artificiales, ac etiam operationes animasticas. Sed melius cum Scot. loc. cit.

Conclusio.

Dicimus, allatam definitionem cõem esse mutationi instantaneæ, & successiuæ, naturali, violentæ, neutræ, artificiali, æternæ, & operatio-

tionibus animasticis. ità cōiter Scotis. vt videre est apud Mastr.& Bell. disp.15.Phys.q.5. & quòd in hac definitione etiam motus instantaneus comprehendatur, accipiunt Suff. Ruu. Hurt. Auersa, Complut.& Alij: & manifestè deducitur ex verbis Arist.3.Phys.tex.4. vbi ad motus definitionem colligendam, subdit: *motus non esse præter res ipsas, mutatur.n. semper id, quò mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quātitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum vbi*: ex quibus deducitur intentionem ipsius esse agere de motu, vt est cōe quoddam motui substantiali, & accidentali, substantialis autem est instantaneus, saltem in viuentibus, vnde tex. 6. probans definitionem motus inductione, connumerauit generationem, & corruptionem, & tex.17. specialiter se explicuit de generatione hominis.

Resp. Aduersarij, ꝙ Philosophus per gen. intellexit alterationem illā præuiam ad generationem substantialem, vel pro toto aggregato ex generatione, & alteratione, quibus modis semper generatio est quid successiuum. Sed Contra, sm̄ Arist. generatio terminatur ad substantiam, alteratio ad qualitatem, & vt sic sunt species distinctæ motus in cōi, sed alteratio pro præuia dispositione non terminatur ad substantiam, sed ad qualitatem, ergo vt sic non est generatio. Neq. valet secunda responsio, quia sicut hoc aggregatum ex substātia cum qualitate est vnum per accid. quia est ex reb. diuersorum Prædicam. ità hoc aggregatum ex alteratione, & generatione est vnus motus per accid. ergo constituere non potest vnam per se speciem motus ab alijs condistinctam, in quo sensu loquimur.

Tum quia motus in cōi ad instantaneū, & successiuum spectat ad Phys. vt patet, quia nō ad Meth. vel Math. qui ab omni motu abstrahunt, ergo tales mutationes debent à Philos. cōsiderari, & non in alio loco, quam in 3. quia vsq. ad 5. semper Arist. egit de vniuersalioribus, & communioribus, & solùm in 5. distinguere incipit motum propriè dictum, à mutatione, ergo in 3. de motu incōi disserit. Tum quia allata definitio benè potest mutationib. instantaneis applicari, nam mobile verè per ipsam mutationem actuatur, quatenus erat sub priuatione ad illam recipiendam.

Ex his colligitur probatio de alijs motibus, quib. motus in cōi, qui pertinet ad Physicum se habet vt genus, & patere potest inductione, nam potest ad deperditiuum extendi, quia subiectum potentiale non solùm respicit formam, sed etiam priuationē ipsius, ergo quotiescumq. sub aliquo istorum reperitur, subiecti potentia aliquo modo actuatur. Comprehenditur etiam motus violentus, quamuis .n. subiectum non habeat inclinationem ad formam naturæ suæ disconuenientem, habet tū potentiam, & capacitatem, quæ vt sic intelligi potest actuari per motum. Competit etiam motibus neutris, & artificialibus; Vnde Aris. se exemplificauit de ægrotatione, qui est mot⁹ violentus, & de ædificatione, qui est motus artificialis. Motus æternus est etiā actuatio subiecti, quia saltem sm̄ partes, subiectum actuatur, licèt talis motus implicet. Competit tandem ope-

operationib. animæ, quia sunt naturales, & verè per illas, anima dicitur actuari, quatenus erat in potentia.

Obiectiones.

Ob. Ex 3. Phys. 1. vbi Aris. ait: *Naturam esse principium motus & mutationis*; & statim subdit, *videtur autem motus continuorum esse*. Ergo in 3. agit de motu continuo, & successiuo. Deinde in hoc 5. tex. 8. negat generationem esse motum, ergo definitio motus complectitur tñ motũ successiuum, non instantaneum. R. Quòd Arist. in 3. pposuit illa, de quibus agendum erat, & reddidit rõnem methodi, quam obseruare intendebat, dicens, quòd semper communia sunt præmittenda, & ideò de motu in cõi, & de continuo, de cuius numero est motus, idest vna præcipua species eius scil. successiuus, & de loco, vacuo, & tempore loquendum; postea verò ad vnumquodq. illorum, quæ sunt propria descendere. ex qua declaratione, nil contra nos deducitur. Secunda Auctoritas nihil officit, quia cùm hic dicat generationem non esse motum, & in 3. affirmet, dum ait, naturam esse principium motus, & mutationis, infertur quòd non eodem modo loquatur de motu hic, & ibi, sed quòd ibi definierit motum in ampliori acceptione, prout scil. ad generationem substantialem, & motum accidentalem extenditur.

Hinc Aduertimus, quòd licèt motus violenti, & artificiales non spectent ad naturam, participant tñ intrinsecè definitionem motus, quòd *sit actus entis in potentia &c.* quicquid .n. dicitur de superiori in recta linea, dicitur etiam de inferiori, licèt deinde quò ad conceptum specificum alias sortiantur definitiones, vt patet de homine, leone &c. sub eodem genere.

DVBIVM.

Dubitari hic solet, quid formaliter dicat Successio. & relictis Aliorũ sententijs, dicimus breuiter, & conformiter ad superius dicta, quòd successio dicit formaliter relationem, seu ordinem partium sm̃ prius, & posterius termino cõi copulatarum, si successio est continua, vel ordinem plurium non habẽtium terminum cõem, si est discreta. Colligitur ex Scot. in 2. d. 2. q. 1. & 4. vbi sæpè docet successionem dicere ordinem partium sm̃ prius, & posterius, ordo autem in eius sententia est relatio. Sequuntur Capreol. in 2. d. 2. q. 7. ad 7. Regentes Paris. 3. Phys. q. 2. not. 1. Ioan. de Magis. & vt probabiliorẽ amplectitur Amic. tract. 23. q. 2. dub. 1. & nouissimè Mastr. & Bell. disp. 15. q. 6. art. 1.

Pro clariori decisione aduertim⁹, q̃ motus successiuus, dicitur etiam continuus, non accipiendo con inuitatẽ in præsenti p perpetuitate, quomodo Aris. accepit 8. Phys. 54. vbi ait, solùm motum Cęli esse continuũ, sed quatenus dicit partes termino cõi, idest puncto indiuisibili copulatas; quæ partes in dupl ci sunt differentia, nam vel sunt simultaneæ, vt cùm aer in instanti illuminatur, motus est continuus, quia totum continuum, & quælibet pars mouetur, non solùm extensiuè, sed etiam intensiuè, in quò casu non differt à motu instantaneo; vel sunt successiuæ vna post aliam, vt cum lignum calefit successiuè, & in tempore, priùs sm̃ vnã

par-

tem, quàm sm aliam, & hoc dupliciter; vel cum interruptione temporis, V.g. si moueatur modò lignum sm aliquam partem per calefactionem, & postea cesset à motu, & deinde sm aliam partem iterũ moueatur, & calefiat, hæc erit quædam successio discreta, quia vna non continuatur alteri; Secundò esse potest absq. temporis interruptione, vt cũ lignum calefit per horam, & in hoc sensu in præsenti sumitur, ad quam successionem, vt Scot. docet in 2. d. 2. q. 9. Z. ex Arist. 5. Phys. tex. 18. & 33. requiritur necessariò, vt sit inter extrema habentia latitudinem aliquã siuè extensiuam, siuè intensiuam, si .n. terminus esset indiuisibilis, non posset nisi totus simul acquiri, vel totus simul deperdi.

Hinc Scotistæ deducunt, quòd qñ successio, & instantaneitas proueniũt in motu ex rationib. ipsorum terminorum, vt ex propria natura successiuè, vel instantaneè petunt produci, hæc diuisio in successiuum, & instantaneum, erit essentialis; Si verò proueniant ab aliquo extrinseco, nempè vel ex impotentia agentis, vel ex motu locali, ità vt terminus vtroq. modo acquiri possit, diuisio erit accidentalis. Quò ad primum probari potest illo medio vniuersali scil. ꝙ separari nequit ab alio, vel est differentia essentialis, vel passio inseparabilis, differentiam essentialem nobis circumscribens; sed forma, quæ in tempore tm̃ est acquisibilis, non potest in instanti acquiri, & quæ in instanti acquisibilis, nequit in tempore fieri, ergo ista successio, & instantaneitas in motu erit essentialis, quatenus data per aliquos modos intrinsecos motui. Quo ad secundum, quia .n. lumen acquiri potest in instanti, & successiuè, illæ illuminationes erũt eiusdem speciei, & solùm accidentaliter differunt. quam doctrinam amplectitur Murc. 3. Phys. disp. 1. q. 1. cap. 4. & Amic. tract. 23. q. 5. concl. 5.

Quia tñ sm veritatem, quilibet motus factus in tempore, potest Dei potentia fieri in instanti, præter motum localem includentem totam realitatem termini motus, ideò successio sm veritatem motui tm̃ locali totam realitatem includenti, erit essentialis; alijs verò motibus conueniet solùm accidentaliter. scil. propter impotentiam agentis creati, non potentis resistentiam medij vincere, & superare, cùm sit limitatæ virtutis, vt Scot. docet. loc. cit. Vndè istæ formæ sm veritatem quo ad successionem, & instantaneitatem se habent, sicut naturaliter se habet lumen, quod vtroq. modo acquiri potest. Quia tñ Arist. Potentiam Dei non cognouit, sed quod naturaliter euenit, putauit, quòd quæ naturaliter in tempore acquiruntur, nullo modo fieri possunt in instanti, & quæ in instanti, nullo modo in tempore, & consequenter in eius sententia, successio, & instantaneitas motibus istis erunt differentiæ essentiales.

ARTICVLVS QVINTVS.

Declaratur per quid motus propriè dictus, à mutatione rigorosè accepta distinguatur.

Scot. veritatem huius dubij explicuit in 1. d. 2. q. 7. T. & in 3. d. 14. q. 2. E. quib. in locis manifestè docet, motus penes terminos distingui, ità vt ex diuersitate specifica-

ter-

terminorum, inferri valeat diuersitas specifica motuum, qui etiam colligitur ex 5. Phys. tex. 8. Supponimus tanquam certum apud omnes, motum in cõi non esse passionem corporis naturalis. Ratio est, quia ipsum excedit, cũ possit materiæ primæ conuenire, vt cõis est ad mutationem substantialem, & accidentalem, hinc rationabiliter motus in cõi distingui solet in motum propriè dictum, & in mutationem propriè dictam, & ille pro principali passione corporis naturalis assignatur, non ista; Quare vt hanc præcipuam corporis naturalis passionem cognoscamus, debemus propriam ipsius differentiã constitutiuam inuestigare. Complut. Auers. & Alij volunt per hoc motum à mutatione distingui, quia terminus motus, siue à quo, siue ad quem sunt positiui, & contrarij, mutationis verò vnus est positiuus, alter priuatiuus, & opponuntur contradictoriè.

Conclusio.

Nos verò dicimus, motum vt passio est corporis naturalis, non distingui à mutatione, quia habet terminos positiuos, mutationem verò vnũ priuatiuum, alterum positiuum; vel quia motus est successiuus, mutatio instantanea, sed distingui, quia terminus ad quem motus est aliquod esse sm quid, idest accidentaliter; terminus à quo, priuatio istius esse; subiectum verò aliquod potentiale ad ipsum, siue in instanti, siuè in tempore fiat. Terminus autem ad quem mutationis est aliquod esse simpliciter, seu substantiale; terminus à quo est priuatio istius; subiectum verò aliquod essentialiter incompletum, & potentiale ad tale esse. Est Scot. loc. cit. & ex nostris sequũtur Ant. Andr. 11. Meth. q. vn. & Mastr. & Bell. disp. 15. q. 6. art. 3. Probatur quo ad primã partem, nam multi transitus à non subiecto in subiectum corpori naturali conueniunt, non solùm neutri, vt est illuminatio aeris, sed etiã naturales, vt sunt omnes sensationes, & intellectiones, possunt. n. sensus, & intellectus ex nulla operatione ad operationem transire. Et si aqua esset à Deo omni frigiditate priuata absq. calore, & postea ex se rediret ad frigiditatem, iam daretur motus ad terminum ad quem, absq. termino positiuo, & contrario, ergo non rectè per hunc dicendi modum motus à mutatione distinguitur. Tum quia transitus materiæ ab vna forma substantiali ad aliam, non est motus propriè dictus, sed mutatio, ergo hæc non est differentia distinguens.

Secundò, quòd neq. distinguantur per successionem, & instantaneitatẽ, patet ex Doct. in 2. d. 2. q. 11. & alibi, vbi concedit motum localem naturalem in instanti fieri posse, put includit tm̃ trũm motus. Tum quia mutatio est solùm ad substantiã ex Arist. 5. Phys. 9. motus ad accid. sed datur mutatio substãtialis successiua, vt est nutritio, & generatio inanimatorũ, ex dicẽdis in lib. de gen. ergo successiuum, & instantaneum non sũt differentiæ essentiales distinguentes motum propriè dictum à mutatione propriè dicta.

Tertiò, quòd distinguantur assignato modo, est Arist. 5. Phys. tex. 8. vbi venari volens distinctionem mutationis à motu, non arguit hoc medio, ex eo quia mutatio est in instanti, motus in tempore; vel quia mutatio est inter contradictoria, motus

inter

inter contraria, sed ex eo quia quod generatur non est, quod mouetur est, idest ex Doct. in 2.d. 12.q. 1. I. & in 4.d.11.q.3. Et, subiectum generationis, non necessariò est in actu completo, sed esse debet aliquod potentiale ad esse simpliciter ꝙ verò mouetur est necessariò ens in actu, neq. vt sic aliquo esse simpliciter caret, ergo tàm sm̄ Arist. quàm sm̄ Scot. motus, & mutatio non distinguuntur, nisi sm̄ differentias in conclusione assignatas. Tum quia ex hac positione clarè innotescit, quomodo quilibet motus sit passio corporis naturalis, quia nullum ens nisi compositum est subiectum accidentium. Ex quibus deducitur, quòd principalis intentio Arist. fuit agere de motu successiuo, qui absolutè, & per anthonomasiam motus appellatur, vt ipse 5. Phys. tex.7.& 9. innuit, motus verò instātane⁹ pōt dici mutatio sm̄ q̄d, de quo parū est locutus. *Obiectiones.*

Ob. Ex. 5. Phys. tex.7. vbi Arist. præmittens diuisionem illam motus facti, vel ex subiecto in subiectum &c. deinde tex.9. determinat, mutationem esse, quæ fit à non subiecto in subiectum, seu inter terminos contradictorios, motum verò, qui fit à subiecto in subiectum, & inter terminos positiuos. & tex. 10. volens probare ad substantiam non esse motum, inquit, quia substantiæ nihil est contrarium. ℞. In tex.7. Arist. solum ait: mutari esse, vel à positiuo ad positiuum, vel à positiuo ad negatiuum, & è contra, & hoc dupliciter, vel simpliciter, vt cum ex non ligno fit lignum, vel sm̄ quid, vt cum ex non albo fit album. Deinde cum in tex. 9. subdit, motum solùm esse à subiecto in subiectum, loquitur de motu accidentali, & successiuo, non de motu prout à mutatione substantiali distinguitur, quomodo tex.8. locutus fuerat, quod patet ex diuersis rationibus, quas adducit tex.8. vbi distinguit motum à mutatione, ex eo quia quod generatur, nón est, nec est in loco, quod mouetur est, & est in loco. Ad tex. 10. ostendere voluit ꝙ ad substantiam non fit per se motus successiuus, quia in prædicam. substantiæ non est propriè contrarium, vt in prædicam. qualitatis.

Ob. Successio essentialiter respicit extrema positiua, cùm sit ordo inter ipsa, ergo motus successiuus essentialiter respicit terminum à quo positiuum, mutatio priuatiuum, quia non potest intelligi quomodo motus successiuus dicat ordinem ad priuationem formæ cum partem formæ præsupponat. ℞. Assumptum esse verum reduplicatiuè, motus .n. vt successiuus est, respicit terminum à quo positiuum, non tñ vt motus est, quia vt sic dicit ordinem præcedentem; si fit in instanti ad totam priuationem; si in tempore, ad priuationem partialem in tempore precedētem, ideoq. motus in cōi ab instantaneo, & successiuo abstrahit.

Ob. Ex 3. Phys. tex. 1. vbi Arist. docet motum esse de gen. continuorū; & 6.Phys. supponit motū esse diuisibilē, nec in instāti fieri posse, ergo &c. ℞. Propositiones illas nō esse vniuersales, sed indefinitas, & solū verificari de aliquo motu in particulari.

Ob. Motus essentialiter est fluxus, & tendentia ad formam, ergo consistet essentialiter in quadam successione. ℞. Qui fluxus, & tendentia ad for-

formam, si sumantur vt dicunt successionem à termino à quo ad terminum ad quem sunt de essentia motus in cõi; si verò vt dicunt tendentiam ad terminũ per partẽ post partẽ, tunc licèt sit de essentia alicuius motus, .s. successiui, non tñ motus vt motus est.

Ad substantiam igitur est motus, qui dicitur generatio, & corruptio; Ad quantitatem auctio, & diminutio; Ad qualitatem alteratio; Ad Vbi est motus lationis, seu motus localis, & est contra Nominales, & Aliquos Recentiores ipsos sequentes, negãtes ad prædicam. Vbi dari motum propriè dictum. Patet, nam Vbi propria fit actione, & propriam habet nouitatem, non minus quàm qualibet alia forma absoluta. Nec Nominal. fundamentum vrget, quòd Vbi intrinsecum sit ipsemet formalissimus motus, quo mobile mouetur ad superficiem ambientem, hoc .n. falsum est, quia sicut calor formaliter loquendo non est ipsa calefatio; sed terminus per eam acquisitus, ità nec vbi est formaliter motus localis, sed terminus per eum acquisitus, vt Scot. euidenter ostendit quol. 11. Ad relationem intrinsecus aduenientem non est propriè motus, quia non insurgit, nisi prius aliquod absolutũ acquiratur, & propriè non producitur, sed resultat, neq. est ens per se intentum à natura, vt sunt entia absoluta, & Vbi, sed potius est ens occasionatum. Neq. ad actionem, & passionem est motus, nam huiusmodi respectus resultant ex inductione alicuius formæ in subiecto ab agente, & consequenter non acquiruntur propria acquisitione, nec per se intenduntur, nam agens solùm intendit formam in subiecto. Tum quia si actio, vel passio terminaret motum, iam fieret per aliam actionem, vel passionem, & ità processus in infinitum, probatur sequela, quia quod per se acquiritur, per se etiã recipitur in subiecto virtute agentis, & consequenter per actionem, & passionem. De Quando est clarum, quia hoc prædicam. potius consistit in quadam extrinseca denominatione, vt diximus in logica, aut in relatione mensuræ, quæ est relatio rõnis ex dictis. Ad Situm Arist. non assignauit motum, nam esto aliquod corpus mutet situm, iste tñ motus terminatur ad Vbi. De habitu est euidens, si .n. sumatur pro habere vestes, & similia, nihil aliud est, nisi quidam respectus, non per se acquisitus, sed resultans ex approximatione vestium ad corpus; Si sumatur pro habere aliquam formam, tunc motus ad habitum nihil aliud erit, nisi motus ad formam primò, & per se, quę forma vel erit substãtia vel quãtitas, vel qualitas, ac ꝓpterea nõ debet assignari motus distinctus ab illis.

Addimus tñ cum Doct. in 4. d. 10. q. 6. A. quòd si motus latissimè accipiatur, quatenus dicit acquisitionem nouã cuiuslibet ẽtitatis realis in subiecto, in hoc sẽsu in õnib. prędicamẽtis reperitur, quod etiã docuit Arist. in 1. Phys. tex. 62. vbi vult, quòd ad relationem, & Quando sit generatio.

Dices ex Scot. in 3. d. 1. q. K. relationes extrinsecus aduenietes acquiruntur per se absque eo, quod fiat mutatio sm̃ aliquod absolutum, ergo quilibet respectus extrinsecus adueniens poterit motũ terminare, tales sunt sex vltima prædic. ergo. R. Scot. ibi non loqui vlitẽr de quacumq. relatio

latione extrinsecus adueniente vt, patet, sed indefinitè, quod sufficit vt de Vbi verificetur, & aliquomodo de situ, qui Vbi affinis est; vel quòd locutus fuerit de motu latissimè. Sunt quædam obiectiones cōtra Quantitatem, & qualitatem, sed melius in lib. de gen. resoluentur.

Addimus, quòd in sent. Scoti omnes motus successiui possunt de potentia Dei fieri in instanti, & includere totam realitatem motus, præter localem, qui in casu includeret tantùm realitatem termini motus; ità manifestè docuit in 2. d. 2. q. 11. & 12. (Tunc terminus motus acquiritur per motum includentem totam realitatem, quando per illum motum instantaneum acquiritur totum id, ꝙ per successiuum haberetur; Tunc acquiritur per motum includentē realitatem termini motus, quando per motum instantaneum habetur illud, quod terminasset motum successiuū, vt in motu locali terminus est vltimum Vbi) Patet, nam tota ratio successionis prouenit ex resistentia contrarij ad Motorem, non potentem statim illam vincere, sed Deus potest statim superare omnem resistentiam, & omnem actionem inter contraria suspendere, vnde qualitates in summo statim potest in eodem subiecto collocare, ergo &c. Ex quo sequitur, quòd generatio, nutritio, & augmentatio fieri possunt in instanti, cùm successio in istis ex successione alterationis proueniat. Et quia Deus nō induceret in subiecto solum id, quod vltimò alterationem successiuam terminaret, sed totam entitatem qualitatis, & idem de substantia, & quantitate dicendum, tunc motus includeret totam realitatem motus. Motus autem localis includeret tm̄ realitatem termini motus, vt Scot. habet in 2. d. 2. q. 9. Z. quia cum Deus sit agens Supremum habet omnia media pro non medijs, & ità se habet in termino motus instantanei, ac si transisset per media, ergo de mente Doct. est quòd in motu locali instantaneo, non haberentur illa Vbi intermedia in mobili, sed statim fieret in Vbi vltimato, quod est moueri motu includente realitatem termini motus. Solent etiam præter assignatas Diuisiones motus in cōi scil. in naturalem, violentum, & neutrum, aliæ sub diuisiones motus assignari, quæ vt parui momenti relinquuntur.

ARTICVLVS SEXTVS.

A quo desumatur vnitas formalis generica, specifica, & numerica motus.

SCot. decisionē huius dubij dedit in 1. d. 2. q. 7. T. & d. 13. A. & Q. & alibi, vbi determinat, motum à termino ad quem specificari. Pro cuius resolutione notamus, quòd ad motum quinq. concurrunt scil. agēs, seu Motor à quo egreditur motus; passum, seu mobile, in quo recipitur; terminus à quo incipit motus; terminus ad quem tendit; & medium per quod transit, quod vocatur latitudo termini, siue ista latitudo sit magnitudinis, siue intensionis, siue distantiæ. Item duæ sunt præsertim motus proprietates, nempè contrarietas, & vnitas; & de contrarietate quidem parum, aut nullum est inter DD. dissidium, sed tota controuersia est de vnitate, quæ triplex est scil. generica, specifica, & numerica, quæ vnitates ab intrinseco sumuntur ex pro-

propria rõne formali motus, sed quia hanc non cognoscimus, nisi per extrinseca, & argutiuè, vt in qualibet fit relatione, ideò inquirimus, vnde tales vnitates sumendæ erunt.

Cõmunis õnũ sensus est, ꝙ vnitas generica, vel specifica nõ possit à tẽpore desumi, nã in eodẽ tẽpore possunt fieri motus genere, vel specie diuersi. Si loquamur de vnitate generica, qua motus physicus, & naturalis à motu supernaturali distinguitur, accipienda erit à subiecto, motus.n. in sua vniuersalissima acceptione diuiditur in successionem termini ad quem factam in subiecto, & in successionem termini ad quem post terminum à quo sine subiecto, quatenus subiectum erit, quod facit motum Phys. differre à creatione, & neq. circa hoc est lis; sed circa alias acceptiones, nam illi, qui tenent, motum à mutatione distingui ex eo quia ille est inter terminos positiuos, iste autem inter terminos priuatiuos, coguntur etiam asserere vnitatẽ motus desumendam esse à termino à quo, vt sentire videtur Caiet. cũ Aliquib. Thomist. Alij volunt huiusmodi vnitatem ab agente accipiendam esse.

Conclusio Prima.

Dicimus, neq. ab agente, neq. à termino à quo siue positiuo, siue priuatiuo, neq. à subiecto desumi vnitatem genericam, & specificam motus, sed vtrãq. per se à termino ad quẽ esse accipiendam. Est Scot, loc. cit. & probatur quo ad singulas partes. non ab agente, nam Arist. hic tex. 31. & deinceps, vbi de motus specificatione differit, non assignat motorem; & rõnabiliter quidem, nã eadẽ forma specifica potest à diuersis agẽtibus specie produci, ergo à fortiori eadem mutatio, nam mag s forma dependet ab agente, quàm mutatio. Tum quia eiusdem speciei est motus violẽtus lapidis proiecti ab homine, & ab Elephante, & tñ motores sunt diuersæ speciei.

2. quòd non specificetur à termino à quo, est etiam D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. vbi ait: *motus non aspicit speciem à termino à quo, sed à termino ad quem nihil .n. refert quantum ad rõnem dealbationis, vtrum ille qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus.* Patet, quia quod non est, non potest ens reale specificare, & vnitatem realem tribuere, sed terminus à quo negatiuo nihil est, ergo. Tum, quia talis terminus à quo euanescit in motu, nec per se à natura intenditur, specificatio verò, & vnitas sumitur ab eo, quod manet in motu, & per se intenditur à natura. Neq. à termino à quo positiuo, quia est contra Arist. in 5. Phys. vbi absolutè negat motum à termino à quo denominari, sed à termino ad quem. Et fauet Authoritas, & ratio D. Thom. assignata.

3. quòd neq. à subiecto, est Arist. in 5. tex. 31. vbi nullam de subiecto mentionem fecit, sed omnem dealbationem esse eiusdem speciei determinauit. Tum, quia idem calor specie erit siue in ligno, siue in aqua inducatur, ergo eadem eductio, & motus specie essentialis erit. Tum quia esse calidum est eiusdem speciei in omnibus subiectis, quia est effectus formalis caloris, & ab vna causa formali est vnus effectus formalis, ergo motus non specificatur à subiecto.

Tandem, quòd motus à solo ter-

mino ad quem per se specificetur, est Arist. sæpè cit. & patet ex sufficiente diuisione, & docetur cõiter à Thom. & Scotis. Probatur, nam quælibet res specificatur ab eo, ad quod essentialiter ordinatur, vt patet in habitibus & potentijs, sed motus essentialiter ordinatur ad terminum ad quem, cuius gratiam fit, & respectus cuius est via, nam terminus à quo solùm respicitur per modum recessus, non rõne sui, ergo &c. Tum quia ab eo specificatur motus à quo denominatur, sed motus non denominatur à termino à quo, sed à termino ad quẽ, si .n. motus tendit ad albedinem, denominatur albefactio, si ad quantitatem maiorem, augmentatio &c.

Motus igitur propriè, & rigorosè loquendo habet suam vnitatem, & distinctionem specificam athomam formaliter à termino ad quem; Diuersitatem verò genericam ex diuersitate prædicam. ad quæ terminatur, & colligitur ex Arist. 5. Phys. tex. 31. & D. Thom. lec. 6. & probatur: motus essentialiter respicit terminum ad quem, ergo vbi terminus genere differunt, vt sunt prædicamenta, etiã motus genere differunt, vt generatio ad substantiam, augmentatio ad quãtitatem, alteratio ad qualitatem &c.

Obiectiones.

Ob. 1. quòd motus specificetur ab agente, nam Arist. 3. Phys. 23. ponit motorem in definitione motus, ergo ab ipso specificari debet. ℞. Neg. conseq. nam ibi Arist. numerauit tm̃, quæ necessariò ad motum concurrũt, non quæ ipsum specificant.

Ob. quòd specificetur etiam à subiecto, & à termino à quo, nam motus hæc tria essẽtialiter includit, scil. terminum à quo, terminum ad quem, & subiectum, ergo ab his trib. specificatur. ℞. Neg. conseq. ratio est, quia non ab omni illo, quod in suo cõceptu essentiali ingreditur, res specificatur, sed tm̃ ab eo, quod se habet vt determinans; sic materia prima estò sit de conceptu hominis, non tñ illum specificat, sed solùm forma, in casu subiectum est animis cõe, & potest plures motus specie diuersos recipere, ideòq. ab ipso non potest vnitas specifica desumi. Terminus à quo non potest specificare, quia est non ens, & concurrit recedendo. Tum quia priuationes specificantur à formis, quibus opponuntur, ergo tota specificatio ad formam reduci debet.

Ob. Quòd motus specificetur à termino à quo positiuo ex Caiet. & Lerma: motus aeris sursum ad superficiem ignis à terra, & motus ignis deorsum à concauo lunæ ad superficiẽ aeris differunt specie, sicut motus rectus, & circularis ad Vbi terminatus, sed huiusmodi motus penes terminos à quib. differũt, ergo. ℞. Neg. anteced. nam omnes motus locales sunt essentialiter eiusdem speciei, & solùm numero differunt, & accidentaliter, vt Scot. docet in 1. d. 2. q. 7. lit. T. propter differentias positionũ vniuersi; & sicut esse rectum, & circulare accidunt lineæ, ità & motui.

Ob. Motus à quantitate tripalmari ad bipalmarem, & à palmari ad bipalmarem habent eumdem terminum ad quem, nempè quantitatem bipalmarem, ergo si motus non à termino à quo, sed à termino ad quem specificatur, motus augmentationis, & motus diminutionis non erunt specie diuersi,

diuersi, quod est contra Arist. 5. Phys. tex. 9. &c. Neg conseq. nam auctio per se terminatur ad illam quantitatem bipalmarem, cùm sit motus acquisitionis, & denuo quantitas illa producatur, terminus verò diminutionis primarius non est illa quantitas bipalmaris, quæ remanet, sed est carentia, seu non esse quantitatis tripalmaris; sicut terminus formalis generationis est forma substantialis, terminus corruptionis est non esse formæ, quæ corrumpitur, generatio .n. & auctio sunt motus acquisitiui, corruptio, & diminutio motus deperditiui.

Ob. Quòd specificetur à subiecto, quia motus, quo mouetur vnum subiectum V.g. homo, dicit essentialem ordinem ad ipsum hominem, nec de potentia Dei potest esse motus alterius subiecti V.g. equi, aut motus equi motus hominis etiam si terminos haberent eiusdem rõnis scil. calorem, vel frigus, ergo eorum motuum specifica distinctio sufficienter colligitur ex diuersitate specifica subiectorum absq. recursu ad terminos, & est argumentum Poncij. Resp. Mastr. & Bell. neg. conseq. nam etiam motus, quo Petrus calefit, dicit essentialem ordinem ad ipsum Petrum, nec potest idem numero conuenire Brunello, & tñ non ritè inde infertur diuersitas specifica in motibus illis. Tum quia si motus specificari potest à subiecto absq. recursu ad terminum; sicut ex diuersitate specifica subiectorum deducitur diuersitas motuum, sic etiam aliquando ex vnitate subiecti deduci posset vnitas motuum, & sic motus contrarij in eodem subiecto facti simul, vel successiuè vnus post alterum diceretur eiusdem speciei, quod est falsum. Sicut igitur vnitas, vel distinctio specifica motuũ non debet à tempore attendi, quia in eodem tempore fieri possunt motus specie diuersi, & in diuersis temporib. iidem specie motus, ità & in casu, quia in eodem subiecto possunt motus specie diuersi exerceri, & idẽ speciei motus in diuersis subiectis, vnde diuersitas specifica subiectorũ se habebit tm̃ materialiter ad motum.

Probat Ponc. anteced. in controu. Apologetica: Quæcumq. dicunt ordinem essentialem ad res distinctæ speciei, sine dubio debent & ipsæ distingui specie, ergo si motus calefactionis hominis dicit ordinem essentialem ad hominem, & non dicit talem ad equum &c. vt supponitur in antecedenti, non potest negari quin inter se isti motus distinguantur specie. Resp. Mastr. plures instantias afferendo; nam relatio genereitatis fundata in substantia dicit ordinem essentialem ad substantiam, & quæ fundatur in accidente, dicit ordinẽ essentialem ad accid. & tñ quia habẽt rõnem fundandi eiusdẽ rõnis, & cõsimilem modum denominandi, non distinguuntur genere, vel specie, sed tm̃ numero, sicut etiam relationes specietatis fundatæ in homine, & equo, vt Scot. docet quol. 6. lit. X. Item Petrus dicit ordinem essentialẽ ad Petreitatem, itàut Petreitas nec de potentia Dei absoluta potest cõstituere Paulum, similiter & Paulus dicit ordinem essentialem ad Pauleitatem, & tñ estò Petreitas, & Pauleitas sint non solùm specie differentia, sed etiam primò diuersa, & in nullo conceptu quidditatiuẽ conueniant,

niant, vt etiã ipse Ponc. fatetur disp. 6 log. q. 2. non hinc sequitur Petrũ, & Paulum specie d fferre, vel esse primò diuersa, quia vt Doct. docet in 2 d 3. q. 6. l. non tanta esse debet distinctio in constitutis, quanta in constituentibus. Item potentia visiua aquilæ dicit ordinem essentialem a l animam aquilæ, ità quòd de potentia Dei absoluta potẽtia visiua aquilæ, non potest esse potentia visiua bouis, & è contra, & tñ non indè benè deducitur, quòd si anima aquilæ, & bouis specie distinguantur, sic etiam distingui debeant potentiæ eorum visiuæ, vt Scot. docet in 2. d. 1. q. 6. D. multa alia, quæ inter Ponc. & Mastr. circa hunc punctum aguntur in Apol. Doctorum iudicio relinquo.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. quòd licèt vnitas numerica motus entitatiua intrinseca, & Methaphysica proueniat intrinsecè à propria hæcceitate, extrinsecè tñ desumitur, & dignoscitur ab vnitate numerica mobilis, & termini ad quem, non autem temporis, vel motoris. Est Scoti in 4. d. 43. q. 1. ad vlt. & q. 3. M. & est communior. Explicatur, & probatur quo ad õnes partes. Requiritur vnitas numeralis mobilis, quia accidens non migrat de subiecto in subiectum, nec potest in duobus subiectis naturaliter simul reperiri, ergo. Requiritur etiam vnitas termini ad quẽ, & ratiò est, quia iste in motu est principalis, à quo specificatur, ergo si vnitas numerica mobilis, quod non attinet ad specificationem requiritur ad vnitatem numericam motus, multò magis vnitas numerica termini ad quem. Ex quo etiam sequitur, quòd adsit quoq. vnitas termini à quo, nam vnius formæ vnica est priuatio. Quòd autem non requiratur vnitas temporis est Arist. 5. Phys. tex. 36. vbi docet, quòd si esset idem mobile, & eadem rediret sanitas, rediret quoq. eadem mutatio, licèt in alio tempore, & ratio est quia motus nullam dependentiam dicit ad tempus extrinsecum. Et tandẽ quod non requiratur vnitas motoris numerica inde patet, quia motus non est idem cum actione, vt supra diximus, & solùm a subiecto, & termino ad quem dependet, ergo estò ad variationem agentis, varietur quoq. actio, qua ab ipsó dependet, non variatur tñ motus.

Non negamus tñ, quòd ad vnitatem continuatiuam motus, requiratur vnitas continuatiua mobilis, termini ad quem, & temporis, non tñ motoris. Est Scot. loc. cit. & amplectuntur omnes; & quo ad formam, seu terminum ad quem, patet, nam adhoc, vt motus d catur continuus, requiritur quòd partes ipsius vni mutato esse copulatiuo copulentur, & vniãtur, ergo forma, quæ per motum acquiritur debet habere partes vni indiuisibili copulatas, quod est esse cõtinuum. De vnitate mobilis et am patet, nequit .n. forma continua in subiecto nõ continuo introduci; Vnitas verò continuatiua temporis, non requiritur vt aliquid necessariò requisitum, quia si tempus non esset, adhuc posset dari motus, sed requiritur tantùm, vt signum vnitatis motus, si .n. tempus cui coexistit vnus motus, non est continuum tempori, cui alter motus coexistit, sed aliud tempus mediat inter ista, signum est, quòd

quòd illi motus non sunt continui, quia motus est ens successiuum, & in continuo fluxu, ergo vnus motus cõtinuari non potest motui præcedenti, inter quos quies mediaret. Quod autẽ vnitas motoris non sit necessaria ad continuitatem motus patet, nam lapis deorsum continuè velocius, & velocius, & velocius mouetur, quæ maior velocitas à nouo aere succedente prouenit, & nouo impetu ex ipsa grauitate acquisito, vt in lib. de Cęlo patebit. Tum quia cùm aliqua rota mouetur, si in actuali motu ab alio agente moueretur, iam ille motus continuè, & sine interruptione fieret, ergo nihil refert vnitas motoris.

Ob. Quòd non requiratur vnitas mobilis, & patet ex 5. Phys. 23. vbi habetur, quòd motus primæ cordæ, & vltimæ in vnico tempore est continuus, & tñ cordæ quæ mouentur sunt diuersæ, ergo &c. R. Cõiter ibi Arist. loqui de motu manus pulsantis, non de motu cordarum, ideò nihil.

Ob. Si canis viuus è turri deijciatur, & in medio moriatur, esset idẽ motus, non tñ idem mobile numerò, nisi æquiuocè, cum canis viuus, & mortuus specie differant, ergo &c. quod argum. etiam fieri solet de virga partim viridi, partim sicca. Rñt Thomist. vt videre est apud M. Iacob. Brun. in Phys. q. 18. art. 2. negando esse eumdem motum, nam in tali casu variaretur, & discontinuaretur motus propter mortem canis, & licèt sensus iudicet esse eumdem motum, & idem mobile, tamen corrigendus est per iudicium intellectus. Sunt paradoxa Thomist. vt in illo principio persistant, quòd forma cadaueris est noua forma substantialis &c. Melius respondendũ est cũ Scotistis, quòd sicut idem mobile est canis viuus, & mortuus, ità & idẽ motus; Neq. .n. accessus, vel recessus animæ à corpore conducit ad varietatem motus localis, quia hic subijcitur toti corpori in genere mixti, quod mouetur sm dominium elementi prædominantis.

Tum quia quando canis descendẽs à turri moritur in medio aeris, in illo motu non intermediat quies, ergo non variatur motus. Resp. quòd in illo motu intercedit quies non propriè dicta, seu priuatiua, quæ est priuatio motus in subiecto existente, & quæ mensuratur tempore; sed negatiua scil. cessatio motus, quæ contingit per non existentiam mobilis per se. En aliud paradoxum. Forma, & priuatio sunt contraria immediata, ergo si cessat motus in medio aeris, erit ibi necessariò priuatio motus, quæ per quietem explicatur, sed nõ intercedit quies, ergo idem motus. dicunt quòd est cessatio motus, non priuatio motus. peto qñ cessat motus, est amplius motus? non, quia cessauit; ergo est quies, ergo est priuatio motus.

Dicunt quòd est quies, sed insensibilis. Contra, motus est sensibilis, ergo etiã quies sensibilis esse debet, hic. n. sumus in physicis, & contrariorum eadem est disciplina. replicant, quod sensus fallitur, sed puto potius in hoc falli intellectum talia machinantem, omnis. n. nostra cognitio pro statu isto ortum ducit à sensu, & non ità faciliter pro nostra tuenda sententia sensum relinquere debemus,

& à

& à remotissimis, & incertis causis veritatē venari. & ad hoc facit Arist. sententia 8. Phys. 22. quòd quærere rōnem, & sensum dimittere, infirmitas est intellectus.

Ob. Argum. de aquæ gutta in medio aeris congelata, vbi motus esset idem, & mobile diuersum. ℞. Côiter, quòd aqua non differt specie à glacie; & qñ etiam differret, solùm sequitur esse alium motum sm̄ vnitatem entitatiuam, non verò continuatiuam, quia in tota congelatione sēper seruaretur continuitas mobilis, quamuis .n. noua quantitas adueniat cum noua substantiali forma, vnum tñ continuum facit cum quantitate formæ corrumpendæ, quod sufficit ad vnitatem motus.

Ob. Motus progressiuus animalis est vnus, non tñ mobile est vnum, quia dum vnum pedem mouet, alium figit, ergo &c. ℞. Motum progressiuum animalis non esse propriè vnū motum continuum, sed compositum, & conflatum ex multis motibus, & quietibus.

Arguitur contra vnitatem termini ad quem, nam potest esse idem motus continuus, per quem acquirantur termini specie distincti, nempè diuersa loca, & diuersa Vbi, sunt .n. plura loca intermedia, per quæ fluit motus, ergo ad vnitatem numericam motus, non requiritur vnitas numerica termini ad quem. ℞. Quòd sicut ille motus esset vnus vnitate numerica entitatiua, ità terminus acquisitus erit vnus vnitate continuatiua, & multiplex vnitate entitatiua, ideò consequentia est nulla. Aliqui distinguunt, cùm quis continuè mouetur localiter, acquirit diuersos terminos ad quos vltimos, & totales, negant; non vltimos, partiales, & ad alios ordinatos concedunt, sed negant cōsequentiam. Vnde si mobile in medio motus sisteret, illud Vbi habebit rationem termini, & tunc ab eius vnitate penderet vnitas motus.

Arguitur, quòd requiratur vnitas motoris, nam Arist. 8. Phys. tex. 45. & 82. ex vnitate, & continuitate motus primi mobilis, infert vnitatem primi motoris, addens, quòd motus lapidis proiecti non sit cōtinuus, cùm fiat ex impulsis noui, & noui aeris. ℞. Arist. non loqui de quacūq. continuitate motus, sed de regulari, necessaria, & perpetua, ad quam videtur necessaria vnitas primi motoris, si .n. per impossibile essent plures, quia forent æqualis virtutis, posset vnus in vnam partem, alter in alteram partem mouere, & ità non vniformiter; & hac eadem vnitate non est vnus motus lapidis violentus, quia non est vniformis, sed modo velocior, modo tardior: hinc in 5. Phys. vbi ex professo agit de necessarijs ad motum, nullam de motoris vnitate mentionem fecit.

Quantum deinde ad contrarietatē motus. ℞. Breuiter cū Arist. 5. Phys. à tex. 46. D. Thom. lec. 8. & Scot. in 2. d. 2. q. 7. *Ad vlt.* quòd scil. contrarietas motuum successiuorum formaliter, & per se primo sumatur à contrarietate terminorum ad quos; & probatur, nam motus accipiunt distinctionem specificam, & denominationem à terminis ad quos, ergo ab ipsis etiam sumunt contrarietatē, ità vt si isti termini nullam habeant contrarietatem, nec motus ad illos terminati. Si isti termini opponuntur

tur

tur vt possint simul esse in eodem subiecto in gradibus remissis, non autè intensis, vt sunt primæ qualitates, & similes motus quoq. ad istas eodem modo erunt compossibiles; si tandem nullo modo inter se conpatiuntur, vt sunt actus vitales oppositi circa idem obiectum, nec etiam motus ad illos actus erunt simul.

Dices, ex hoc sequeretur, quòd motus sursum à terra ad medium, & motus deorsum à concauo lunæ ad idem medium non erunt contrarij, quia est idem terminus ad quê, quod tñ est falsum. R. Concedendo non opponi essentialiter, sed tñ accidentaliter, quod sufficit, vt non possint in eodem subiecto reperiri.

Ob. Duo Vbi non sunt inter se contraria, & tñ motus ad illa non possunt esse simul, ergo contrarietas motuum non sumitur à terminis ad quos. R. Neg. conseq. nam contrarietas, quæ reperitur inter terminos ad quos motus, reperitur etiam suo modo inter motus ipsos, siuè propriè, siuè largè sumpta, vnde sufficit, quòd motus sint disparati, sicut disparata sunt loca.

Quæres, an contrarietas motuum desumi possit à terminis à quibus. R. Cum Arist. non posse desumi à terminis à quibus essentialiter, benè tñ materialiter, & consecutiuè. Ratio primi, quia motus contrarij possunt incipere ab eodem termino à quo V.g. calefactio, & frigefatio à tepido. Ratio secundi, quia motus successiuus versatur inter terminos positiuos, & contrarios, ergo sicut requiritur contrarietas inter terminos ad quos, ità & in terminis à quib. si contrarietas fuerit perfecta, hinc illi motus sunt perfectè contrarij, quorum termini à quo, & ad quem sunt contrarij.

ARTICVLVS SEPTIMVS.
An Indiuisibile possit moueri, seu esse motus subiectum.

SCot. punctum hunc resoluit in 2. d.2.q.3. *Ad 3. Princ.* lit. S. quê sequuntur Scotistæ cōiter. pro cuius intelligentia supponimus, ex dictis, duplex esse indiuisibile scil. vel spirituale, vt Angelum, & Animam rōnalem, vel materialem, vt lineam, superficiem, & punctum siue continuatiuum, siue terminatiuum. In præsenti non quærimus an indiuisibile spirituale moueri possit, hoc.n. manifestum est, excepto casu, quòd esset in puncto, quia tunc eadem esset difficultas, ac de indiuisibili materiali. Nec inquirimus de isto materiali put in cōtinuo est, quia certû est, vt sic per accid. moueri ad motû totius continui, sed de ipso, supposito, quòd separatum existat, siuè hoc possibile sit, siue non. Neq. hoc quærimus de motu augmentationis, quia ea rōne qua est indiuisibile partibus caret. Sed loquimur de alijs speciebus motus, & tale indiuisibile consideramus tm se quatenus omninò indiuisibile est tàm formaliter, quàm virtualiter, non prout à Deo recipere potest modum aliquem, quo virtualiter diuisibile reddatur. Vnde controuersia est, an indiuisibile tàm substantiale, quàm accidentale moueri possit, idest an indiuisibile materiæ primæ possit mutari substantialiter, recipiendo indiuisibile alicuius formæ substātialis; & an indiuisibile quantitatiuum possit moueri lo-

caliter, & alterari maximè successiuè. Ad cuius notitiam scire conducit id, quod Doct.loc.cit.docuit scil. quod successio ex duplici capite in motu oriri potest, nempè vel ex diuisibilitate mobilis, vel ex diuisibilitate spatij, nam idem mobile sm̃ eãdem partem prius pertransit vnam partē spatij, quàm alteram, & ità est successio ex diuisibilitate spatij; & idem mobile prius pertransit idem spatiũ sm̃ vnam sui partem, quàm sm̃ aliã, & ità est successio ex diuisibilitate mobilis, & quælibet istarum diuisibilitatum ad successionem in motu sufficiens est. Duæ sunt opiniones, prima negat posse indiuisibile moueri etiam per potentiam Dei, si esset separatum; ità multi Arist. Expositores in 6. Phys. cum D. Thom. Alber. Ægid. & Alijs, quos sequuntur Conimb. 6. Phys. cap. 10. q. vn. Sot. ibidè q. 4. Mas. sec. 2. q. 6. Ruu. cap. 10. q. vn. Ioan. Martinez, & Alij. Secunda concedit posse moueri, posito casu, quòd diuisibile esset separatum, siue hoc fiat ab agente naturali, siue supernaturali, ostendendo nullam posse adduci ad oppositum implicantiã, & est Sent. Scoti, quem sequimur.

Conclusio.

Dicimus, dato casu, quòd indiuisibile esset separatum, posset esse causa motus successiui, & continuè moueri, tàm motu alterationis, quàm localis. Est cõis apud Scotist. cum Doct. loc. cit. & ex Exteris sequũtur Murcia q. 6. Phys. Moris. disp. 7. Phys. q. 5. Auersa q. 26. sec. 7. Amic. tract. 25. q. 10. & Alij. Probat Scot. Indiuisibile dum est in continuo mouetur per accid. ad motum continui, recipiendo in se motum suo modo, ergo si esset separatum, posset per se successiuè moueri. Antecedens admittitur etiam ab Aduersarijs, quia ex 2. Topic. cap. 13. moto subiecto, mouentur omnia, quæ sunt in subiecto. Tum quia indiuisibilia subiecti continui recipiunt in se indiuisibilia formæ receptæ diuisibilis, nam indiuisibilia materiæ informantur ab indiuisibilib. formæ substantialis, & indiuisibilia compositi substantialis materialis ab indiuisibilibus quantitatis, & hæc ab indiuisibilib. qualitatis corporeæ, & tũ hæc omnia cùm totum localiter mouetur dicunt proprias præsentialitates ad indiuisibilia loci ipsius correspondentia, ex dictis in 3. Phys. Conseq. probatur, quia supposita separatione indiuisibilium à continuo, illa eadem indiuisibilia, quæ subiectabantur in indiuisibilibus continui quando erãt continuo vnita, recipi possent in indiuisibilibus separatis, nec vlla apparet implicantia, vt ex solutione argumentorum apparebit.

Resp. Aduers. diuersã esse rõnem quando diuisibile est vnitum, & quãdo est separatum, nam vnitum mouetur per accid. separatum mouetur per se, at moueri per accid. est moueri per motum existentem in alio, moueri per se est per motum in se existentem, ideòq. non eadem absurda ex vtraq. positione sequuntur. Non valet, nã moueri per accid. nõ solùm moueri est relato modo, sed etiam per motum in se existentem, vt patet de partibus ad motũ totius, tàm essentialibus, quàm integralibus patet de anima rationali, & corpore separatis; & de parte aquæ separatæ &c. sic etiam de accidente respectu sub-

subiecti, à quo cum separatum est, adhuc mouetur per se, & per motum in ipso existentem, vt de accidentibus Eucharist. patet.

Obiectiones.

Ob. plurib. Arist. testimonijs, quibus reuera sentire videtur, omne mobile esse diuisibile, & indiuisibile nullo pacto moueri posse; ità 6. Phys. tex. 7. & 32. & 87. & 8. Phys. tex. 40. & 46. & alibi sæpè. Rt. Scot. loc. cit. X. intentum Arist. colligi posse, vel ex propositionibus, quas adducit, vel ex rõnibus quibus eas probat; si ad propositiones attendamus, intentum eius videtur esse negare omnem motum indiuisibili separato; at si rõnes perpendamus, non probant, nisi quòd indiuisibile moueri nequeat motu successiuo successione proueniente à mobili. Ponderemus igitur saltem tres rõnes ipsius Arist.

Prima ratio: omne, quod mouetur, partim est in termino *à* quo, & partim in termino ad quem, qñ .n. totaliter est in termino *à* quo, non mouetur; qñ est in termino ad quem totaliter, neq. mouetur, sed indiuisibile quia caret partibus, non potest esse partim in termino *à* quo, & partim in termino ad quem, ergo &c. Rt Scot. quòd si hæc ratio valeret, probaret etiam de indiuisibili coniuncto, quod qñ acquirit de nouo indiuisibilia formæ in continuo, iam suo modo mouetur, quod tñ non esset verum, si propositio assumpta esset vera; vnde maior est vera, si mobile sit tale, rõne cuius est successio in motu, non rõne termini, & spatij, quomodo nos in præsenti accipimus.

Secunda ex 6. Phys. 89. omne q mouetur, prius pertransit spatium sibi æquale, vel minus, quàm maius, sed indiuisibile non potest prius pertransire spatium minus se, quia est indiuisibile, ergo prius æquale, quã maius se, at hoc est falsum, quia illud spatium super quod moueretur, componeretur ex indiuisibilib. æqualibus indiuisibili moto, quod nos negamus. Rt. Doct. negando maiorẽ, loquendo de transitu indiuisibilis, nã hoc qñ mouetur prius est in maiori se, quàm in æquali, quod patet de puncto indiuisibili in corpore sphærico, quod in motu transit per lineã compositam ex punctis, & partibus lineę, quomodo etiam minor est falsa, & consequentia nulla.

Tertia: Mobile commensuratur loco, & semper est in æquali spatio, at impossibile est indiuisibile commensurari diuisibili, quod .n. commensuratur alteri, tangit illud, cùm contactus fiat per quantitatem, qua indiuisibile caret, ergo commensuratur indiuisibili, & ità linea constaret ex indiuisibilibus. Resp. Scot. loc. cit. lit. Y. quòd si ly semper circumscribit instans quodlibet temporis, verum est quod punctum semper esset in æquali loco; si circumscribit tam instans, quàm tempus in quo fit motus, est in spatio maiori, non simul, sed successiuè, quo sensu bene potest indiuisibile commensurari diuisibili: neq. ad contactum opus est, vt semper inter quanta fiat, quia possunt duo indiuisibilia se tangere, imò de rõne contactus est, vt fiat per indiuisibilia.

Ob. Ex Ruu. Si indiuisibile posset localiter moueri, præsentia quam

acquireret, non esset spiritualis, sed corporea, ideoq. ex partibus corporis constans, & inferret durationem continuam corpoream, quale est tempus, ergo talis præsentia recipi deberet in subiecto corporeo extenso, non in puncto indiuisibili. ℞. Quod etiam indiuisibile dum est vnitū habet ꝓpriā ꝑsentiā immediatè in ipso continuo, non in toto continuo receptam, estò vnam præsentiam totalem, & continuam integret cum præsentia totius, quod falsum esset si ratio ipsius valeret. Dicimus igitur, quòd eodem modo esset præsentia illa corporea sicut punctum, quod licèt indiuisibile sit, est tñ ordinis corporei, cùm sit aliquid corporis, cum hac tñ differentia, quòd punctum nullas habet partes, hæc verò præsentia diuiditur in partes sm̃ longitudinem, sed successiuas, quo sensu potest aliquod diuisibile in indiuisibili recipi, vt asseritur de contactu sphęræ in motu.

Ob. Si indiuisibile posset V.g. calefieri, deberet in se recipere successiuè calorem, sed calor est accidens corporeum, natum ex propria natura recipi in subiecto quanto, ergo non in subiecto indiuisibili, ꝙ quantitate caret. Responsio patet ex dictis. cui etiam addimus ex lib. de gen. quòd in qualitate datur duplex motus scil. intensionis, & extensionis, qualitas extensiua nata est recipi in subiecto quanto, qualitas intensiua in puncto indiuisibili, quæ qualitas intensiua adhuc materialis diceretur, non solùm quia haberet illas partes entitatiuas possibiles extendi in subiecto quanto, sed etiam quia esset ex se continuatiua qualitatis extensæ, cùm sit indiuisibile extensionis; quia igitur intensio respicit idem subiectū continuum, ideò potest in indiuisibili talis subiecti esse, extensio vero respicit diuersas subiecti partes, ideò subiectū quantum exposcit, ità Lych. in 2.d.2.q.9. exponendo literā Scoti, quam doctrinam Ruu. ipse amplectitur in lib. de gen.

Ob. ex Masio: Aut calor in indiuisibili inductus posset calefacere, aut non; non secundum, quia esset contra naturam caloris; neq. primū, quia talis virtus esset finita, non infinita, & quia finita virtus posita in minori subiecto minus potest, quàm in maiori, sequitur in indiuisibili nullam habere virtutem, quia indiuisibile est subiectum non quantum. ℞. Concedendo tunc calorem ex se habere virtutem finitam producendi aliquod intensiuum caloris, non tñ extensum, & illa calculatio solùm valet de qualitate extensa.

Ob. Qualitas sensibilis est intrinsecè talis, vt insẽsibilis esse nequeat, sed qualitas, quæ in quanto, seu indiuisibili reciperetur esset insensibilis, quia obiectum sensus est quātum, ergo implicat dari qualitatem in indiuisibili receptam. ℞. Quòd sicut qñ indiuisibile est vnitum vere illā qualitatem indiuisibilem recipit; sic supposito, quòd separatio sit possibilis, posset etiam eandem in se recipere, parum curando si actu sentiri posset, nec ne, cùm hoc non sit positum in controuersia.

ARTI-

ARTICVLVS OCTAVVS.

An idem possit mouere seipsum, seu an id quod mouetur, necessariò ab alio moueatur.

SCot. de hac controuersia disertè agit in 2.d.2. q. 10. lit. H. *ad* 2. *Argumentum &c.* pro cuius captu aduertimus, quòd dubium hoc idem est cum illo, an idem possit in seipsum agere, dum.n. in seipsum agit saltem actione æquiuoca, iam de nouo aliquam formam in se producit, quam prius non habebat, & consequenter à se ipso mouetur, & mutatur; iterum tñ agitatur, vt possimus distinctè percipere, an rectè Arist. demonstrauerit per motum existentiam primi Motoris.

Est aperta Philosophi sent. præsertim 7. Phys. tex. 1. & 2. & 8. Phys. tex. 29. quòd id quod mouetur, necessariò ab alio mouetur, quomodo autem hæc propositio in omnibus verificetur, valde expositores laborant; Quidam.n. asserunt solùm verificari in motu coniuncto cum vera efficientia, non per resultantiam. Alij, quòd etiam in hoc talis propositio verificetur, quatenus res per resultantiam productæ ascribi debent generanti, tamquàm agenti principali. Alij quòd solùm vera sit in motu Physico, vt sunt motus localis, alteratio, & augmentatio, non in motibus Methaphysicis, vt sunt actiones sensuum, intellectus, & appetitus. Alij, quòd etiam in istis locum habet. Alij distinguunt de rebus motis, vel .n. sunt inanimata, & sic ab alio supposito distincto mouentur, nempe à generante; vel sunt animata, & hæc non mouentur ab alio supposito distincto, sed in partem per se mouentem, & in partem per se motam diuiduntur, vnde mouens distinguitur à moto, vt inclusum ab includente, & tale est cor in animalibus, quod aliqui concedunt à se ipso moueri. Alij generanti talem motum adscribunt. Alij tandem variè, & diuersimodè distinguunt, vt dictum Arist. saluent.

Thomistæ cõiter absolutè illud axioma ãplectuntur, admittentes distinctionem realem inter mouens, & motum cum D. Thom. in expositione textus lec. 1. & 1. p. q. 2. art. 2. & 3. vndè sic inductiuè procedunt: Corpora grauia, & leuia mouentur à natura ad locum sursum, & deorsum; at principium principale per se, & vt quod talis motus, est extrinsecum scil. generans; principium per accid. est remouens impedimentum; principium verò quo proximum sunt grauitas, & leuitas, quæ omnia realiter distinguuntur à corporibus mobilibus. Corpora viuentia, quæ ideò dicuntur mouentia, quia mouentur ab intrinseco, vt dicitur 8. Phys. per se primò, & radicaliter mouentur ab anima, quæ est pars realiter distincta à corpore, sicq. in viuentib. vna pars est mouens, alia mota, ergo in omnibus corporibus verum est illud axioma: *Omne quod mouetur, ab alio realiter distincto mouetur.*

Conclusio.

Dicimus tñ cũ Scot. loc. cit. quòd idem potest seipsum mouere, quatenus est agens æquiuocum, non vniuocum, nec est necesse ab alio distincto, vel vt à parte, vel vt à supposito moueri in eodem genere & ordine motus, quo ipsũ mouetur. & præter Scotistas sequuntur Gregor. in 2.d.6.q.1.art.3. Iandun. 8. Phys. q. 2.

Plaza

Plaza 2. Phys. disp. 1. q. 7. Suar. 10. Meth. disp. 18. sec. 7 Aucissa q. 14. sec. 5. Vasq. & quamplures Alij. & patet ex dictis in art. 7. Disp. 9. An idē possit in seipsum agere, & modò quibusdam experientijs confirmatur, nā motus localis cordis est cum vera efficientia, non per resultantiam, & ab ipso immediatè prouenit, & cum sit homogeneum non potest distingui in partem per se mouentem, & in partem per se motam. Nec à generante, quia talis motus est vitalis, & cōsequenter à principio intrinseco, non extrinseco oriri debet ex Arist. de motu animaliū cap 8. & D. Tho. 1. 2. q. 17. art. 9. ad 2 Similiter reductio aquæ ad pristinam frigiditatem est ab ipsamet aqua. Item motus grauium, & leuium ad propria loca ascribūtur generanti tantùm per quamdam appropriationem, non quod propriè, verè motus illos causet, vt fusiùs dicemus in lib. de Cælo de motu grau. & leu. aliter pater diceretur causa præcipitij filij per se, & principaliter. Item potentiæ sensitiuæ, & intellectiuæ agunt in se ipsis, & parum refert, quòd prius immutentur ab obiecto, quia hic motus non est eiusdem rōnis cū motu à potentijs causato, quòd tñ si dictum Arist. valeret vniuersaliter, vt Thomist. accipiunt, de quocumq. motu concluderet. Tum quia voluntas sm̄ cōem est causa totalis Physica suæ volitionis, sicut quilibet appetitus, nec Physicè mouetur à potentia cognitiua, vel ab obiecto, quia talis motio est tm̄ metaphorica, non vera motio, ergo negari non potest, idem se ipsum mouere saltem æquiuocè.

Addimus in eodem genere, & ordine motus, quia euidens est in alio genere motus, quod mouetur ab alio moueri, sic grauia mouentur à generante quo ad actum primum, seu motu generationis, quia ab ipso accipiunt virtutē motiuā, & vniuersim omnia à prima causa in agendo mouentur. Aduersarij ad relatas experiētias, multas afferunt responsiones, quarum aliquæ erectæ sunt in cit. art. de motione agentis à se ipso, aliæ verò in proprijs locis particularibus refelluntur.

Probatur 2. rōne: effectus in actu postulat causam efficientem in actu, sed dum corpora grauia, & leuia actu moueatur sursum, vel deorsum, non existit generans extrinsecum, ergo non mouentur ab ipso, sed à seipsis; ità Scot. in 2. d. 14. q. 1. quo argumento vtuntur Vasq. Amic. Hurt. & Alij.

Rñt Aliqui Thomist. ad minorem, quod qñ mouentur grauia, & leuia, estò non existat generās in se, existit tñ in sua virtute instrumentaria scil. in grauitate, & leuitate, & hoc sufficere, vt grauia, & leuia à generante moueri dicantur. Non valet, nam sic dicendo recurrunt ad causam tñ remotam, & mediatam, non ad immediatam, de qua loquimur. Tum quia in hoc sensu non saluant vnitatē genericam motus, alius .n. est motus quem recipiunt à generante, alium quem recipiunt à grauitate, nam primum accipiunt quò ad actum primū in generatione substantiali, secundū quò ad motum localem in motione accidentali. Tum quia falsum est grauitatem, & leuitatem esse causas instrumentales, nam sunt veræ causæ principales, & immediatæ per se motus,

motus, sicut graue, & leue, nam grauitas, & graue non differunt, nisi distinctione rōnis ratiocinantis, sicut homo, & humanitas; at controuersia mouetur de distinctione reali inter mouens, & mobile. Tum tandem q̄a si ex hoc, quòd generans producendo corpus cum sua grauitate sufficit, vt generans dicatur causa motus ipsius corporis, quatenus actio instrumenti semper tribuitur agenti principali, eodem modo possemus dicere de Deo, quòd scil. producendo voluntatem cum suo dominio, & libertate dici posset causa peccati, & hoc non solùm materialiter, sed etiā formaliter, sicut actio instrumenti tribuitur agenti principali, non solùm quò ad materiale, sed etiam quò ad formale; quòd si negant libertatē, & dominium esse causam instrumentalem respectu Dei, etiam nos negabimus grauitatem, & leuitatem esse causas instrumentarias respectu generantis.

Obiectiones.

Ob. Quæ mouentur, vel sunt animata, vel inanimata; animata ab alio mouentur, quia in partem per se mouentem, & in partem per se motam diuiduntur; inanimata mouentur à generante ex Arist. 8. Phys. à tex. 28. quia dans formam, dat etiam consequentia ad formam, sed generans dat virtutem motiuam inanimatis, ergo etiam & motum. R. Pro nobis sufficere, quòd illa prima pars animatorum se ipsam primò moueat, non .n. potest quis primò aliquid mouere, nisi etiam seipsum moueat, cùm solius causæ primæ priuilegium sit omnia mouere, in se tū immobilis, stabilisq. manens.

Scio aliquos Thomist. respondere, quòd virtus loco motiua non sit realiter distincta à phantasia, & appetitu quo mouetur cor, vel cerebrum, & istis mediantib. reliquæ partes animalis, quæ doctrina recipitur à pluribus Thomistis, vt videre est apud Lisbonensem q. 12. de anima art. 3. & ratio est, quia motus localis animalium est vitalis, & consequenter præueniens appetitum, ergo &c. Hinc Alij Thomistæ resp. quòd virtus motiua sensitiua est duplex, alia naturalis, alia animalis; hæc est, quæ mouet per apprehensionem, & diuiditur q̄a quædam mouet per modum dirigentis, vt phantasia, & æstimatiua, quædam per modum imperantis motum, vt concupiscibilis, & irascibilis, quędam per modum exequentis motum, vt est vis exterior, quæ diffusa est in musculis, lacertis, & neruis membrorum; virtus verò motiua sensitiua naturalis est, quæ non mouet per apprehensionem, nec subijcitur imperio rōnis, sed est vitalis, & pulsiua, quæ mouet arterias, & cor sm̄ dilatationem, & constrictionem, & hæc est in corde sicut in proprio organo, cor autem per accid. mouetur ad motum totius, sicut nauta mouet nauem, ad cuius motum mouetur.

Sed neq. hæc resp. placet quomodocumq. distinguant, & exponant. non de illa motione per apprehensionem, quia esset motio tantū metaphorica, & intentionalis, nos verò loquimur de motione reali Physica, & sensibili, qua vna pars corporis realiter aliam mouet, neq. valet de illa virtute exteriori executiua motus, quæ diffusa est in musculis &c. nam currit primum argumentum, si .n. hæc

sa. hæc prima pars est mouens, necessariò est etiam mobilis, cùm non sit causa prima, & ità vel mouet seipsam, & habetur intentum, vel procedendum est in infinitum, & eadem ratio currit de illa virtute vitali, & pulsatiua, quæ mouet cor, arterias &c. & propositio illa dans formam, dat etiam consequentia ad formam, solùm valet de causa remota, & mediata, non de immediata, & proxima de qua loquimur, & generās est causa motus quòad actum primum, non quò ad secundum.

Ob. Vnum oppositum negat aliud, sed motio actiua, & motio passiua sunt relationes oppositæ, ergo eidem supposito cōuenire nequeunt. ℞. Cōcedendo motionem actiuam, & passiuam repugnare in abstracto, ità ꝙ vnum alterū neget, in concreto verò non sic repugnant, quia non sequitur, est mouens, ergo non est mobile, immò in creatis si est mouens, necessariò est etiam mobile.

Dices, Si hæc doctrina esset vera, totus Arist. processus rueret in 7. & 8. Phys. vbi per distinctionem motoris à mobili probat existentiam primi motoris, nam si idem potest seipsum mouere, dici posset Cœlum à seipso moueri. responsio huius arg. patebit in calce art. sequentis.

ARTICVLVS NONVS.

An ex vi motus, sufficienter Primi Motoris existētia demonstretur.

SCot. in q. 3. Prol. l. V. & in 1. d. 2. q. 1. Respondet negatiuè cum Suis, & Recentioribus ferè omnibus. pro cui' determinatione aduertimus, quòd existentia Primi motoris duplici medio demonstrari potest scil. Physico, & Methaphysico: medium Physicum est motus, quo Arist. vsus fuit 8. Phys. medium Meth. est causalitas, & productio, quo demonstrauit 2. Meth. 2. in nullo genere causæ posse in infinitum progredi, sed ad vnum primum ens deueniendū. Primo medio demonstratur, quia omne quod mouetur ab alio moueri necesse est, sed quia in mouentibus non potest dari processus in infinitū, ideò ad vnum primum motorem immobilem deueniendum erit: Secundo medio demonstratur, quia omne quod fit, & producitur ab alio producitur, sed in productionibus non potest dari processus in infinitum, ergo ad primum producens deueniendum est, ꝙ à nullo alio producatur. Thomistæ licèt medium Meth. non respuant, affirmant tñ sufficienter existentiam primi motoris demonstrari per motum, vt apud Masium videre est 8. Phys. disp. de primo Mot. sec. vn. q. 2. Cōplut. disp. 29. q. vlt. Ruu. 8. Phys. tract. de primo Mot. vbi etiam pro se, licèt immeritò Scotum citet.

Conclusio

Dicimus, non sufficienter demonstrari per motum, primi Motoris existentiam. Est Scot. loc. cit. & probatur ex imbecillitate illius principij, *Omne quod mouetur, ab alio mouetur:* quod si de alietate omnino distincta, & suppositali intelligatur falsum est, quia etiam animalia à se mouentur per Arist. immò & inanimata, vt art. præcedenti ostendimus. Tum quia quod primum mouens sit penitùs immobile, fundatur in illo principio, quòd omne mobile sit diuisibile, & continuum, vt ex tex. 40. patet, quod principium est falsum, quia tàm Angelus,

gelus, quàm anima per se mouentur, tàm motu locali, quàm alterationis. Tum quia, vel deuenitur in cognitionem existentiæ primi motoris per motum in cõi, vel per motum Æternum, vt asserit Zabarel. primum dici non potest, quia nec Arist. de isto motu est locutus probando talẽ existentiam, nam à tex. 21. vsq. ad 40. vbi de motu vniuersaliter loquitur, non demonstrat existẽtiã primi motoris, sed solùm ostendit ex hac propositione, in quolibet motu debere dari vnum motorem, qui ab alio non moueatur, vnde concludit, quòd animata ex seipsis mouentur; quia constant ex parte per se mouẽte, & parte per se mota; & grauia, & leuia quò ad actum primũ mouentur à generante; & tex. 35. ostendit in motu baculi deuenire ad mouens nõ ab alio motum, nam baculus mouetur à manu, & manus à virtute hominis; vnde clarè colligitur, quòd ex motu in cõi non bene deducitur existentia primi motoris. Neq. sufficienter deducitur ex perpetuitate motus, quia opinio Arist. de mundi Æternitate est falsa, vt suo loco patebit, & consequenter talis motus non potest esse medium demonstrationis, cùm ex falsis nõ sequatur, nisi falsũ. Nec sufficienter demonstrauit distinctionem motoris à mobili, & hoc etiã fateri tenẽtur Aliqui Thomistæ, q̃ colligũt cũ Mag. Brun. q. 22. Phys. art. 1. Arist. & D. Tho. ꝙ moueri ab alio, vel põt esse ab alio extrinseco supposito, vel ab alia parte in eodẽ supposito, ità vt sẽper distinguãtur principiũ moues, & motum, siue realiter omnimodo, vel vt includens ab incluso, siuè distinguantur penès facultates agendi, & patiendi, siue sola ratione formali; quæ doctrina est vera, sed ex ea non benè colligitur existentia primi motoris, ergo benè dicunt Scotistæ, ꝙ rõnibus infirmis probauit Arist. in Phys. dari primum motorem.

Quomodo autẽ ex medio Methaphysico existentia primi motoris demonstretur, fusè docet Scot. in 1. d. 2. q. 1. per totum, quem ex professo sequitur Suar. in Meth. sec. 1. & vis rõnis breuiter consistit in hoc: Datur in entibus aliquod effectibile, ergo vel ab alio, vel à se; non secundum, quia nullum producit seipsum; si primum, quæritur de illo alio, vel est à se, vel ab alio; Vnde vel dabitur status ad vnum incausatum, & improductum, vel erit processus in infinitũ. Euidentiùs igitur, & fortiùs existentia primæ causæ ex causalitate concluditur, quàm ex motu, quia distinctio inter mouens, & mobile non ità ab omnibus conceditur, sicut distinctio inter causam efficientem, & effectum productum.

Ob. Nulla scientia probat existẽtiam sui obiecti, sed Deus est obiectum saltem principalitatis in Meth. ergo non potest à Methaphysica, Dei existentia probari. ℞. Maiorem esse veram per Demonstrationem à priori, falsam per demonstrationem à posteriori, quomodo Methaphysicus procedit demonstrando existentiam primæ causæ per effectus, vt Doct. ostendit in Prol. cit.

Ex his patet responsio ad vltimum argum. præcedentis art. admittendo processum Arist. ex motu in 7. & 8. Phys. non esse ità firmum, vt sufficienter existentiam primi motoris demonstrauerit, licèt nõ rectè dici pos-

set Cœlum à seipso moueri, sicut mouentur inanimata, quia ista ad propria loca tendunt, & ideò à seipsis mouentur, at hoc ex motu Cœlesti inferri non potest, cum verisimilius sit aliquod inanimatũ in proprio loco magis quiescere, quàm moueri, Cœlum autem est in proprio loco, ergo &c.

ARTICVLVS DECIMVS.

De Connexione causæ primæ cum secundis, præsertim in sent. Arist.

SCot. de hoc art. differit quol. 7. & in 1.d.8.q.5.& in 2.d.12.q.2. & alibi, vbi docet, Deum in sent. Arist. concurrere cum causis secundis ad effectus earum, non liberè, & contingenter, sed necessariò necessitate naturæ; quod etiam defendunt Piccol. lib. de Cœlorum motorib. cap. 23. Bonamicus lib. 10. de motu cap. 36. Pendasius lib. 8. Physicæ texturæ p. 36. & Alij. Vult igitur Doct. quòd Philosophus cognouerit ordinem essentialem inter causam primam, & secundam, cum hoc tñ discrimine à Theologis, quòd vbi isti ponunt subordinationem essentialem causæ secundæ ad primam, non è contra; Philosophi asserunt hunc ordinem essentialem esse mutuum, ità vt sicut causa secũda nihil efficere potest sine prima, ità neq. prima sine secunda; & ordinem essentialẽ ex parte causæ secundæ posuerũt procedere, vt etiã Theologi fatentur, ex indigentia, & imbecillitate eius; ex parte verò causæ primæ ad secundam posuerunt oriri; tùm ex imperfectione effectus causarum secundarum ex Scoto in 1.d. 2. q. 2. Y. quia cùm imperfectio effectus in causam redundet, & effectus causarum secundarum maximã habeant imperfectionem admixtã, si causa prima sine secunda concurreret, tunc imperfectio effectus in primam causam refunderetur; tùm ex multitudine effectuum essentialiter distinctorum in rerum natura, quæ multitudo cùm opponatur vnitati Dei, imperfectionem dicere videtur, & consequenter non videtur posse immediatè à Deo proficisci; sic Philosophi, licèt Theologi clarè demonstrent, hanc pendentiam causæ primæ à secunda, summã potiùs importare imperfectionem.

Quòd autem Deus necessariò cõcurrat cum causis secundis, & necessariò agat ad extra in sent. Arist. disertè docet Doct. loc. cit. in 1. & clarè colligitur ex varijs eius locis, nam Phũs 9. Meth. tex. 17. docet, quòd in æternis nihil est in potentia, sed õnia in actu, ex quo infert, timendum non esse nè Cœlum quiescat, quia neque ipsum est in potentia ad quietem, nec motor eius ad non mouendum.

Ex alio capite deinde colligitur, quòd in sent. Arist. Deus ad extra agat liberè, nam posuit ipsum Deum agens à proposito, & per cognitionem. & 4. Topic. cap. 5. ait Deũ quædã facere posse, quæ non facit; & 8. Ethic. cap. 7. ait, Deum habere erga bonos amicitiam; lib. 10 cap. 8. inquit, eos qui verè sunt sapientes, esse Deo carissimos; & Laertius in eius vita refert, quòd antequàm obierit, Deum orauit, quod non fecisset, nisi putasset, Diuinum Numen flecti precibus posse, quæ omnia sunt munera libertatis.

Ex quibus omnibus colligitur,

Arist.

Arist. de hac re fuisse dubium, quia libertatem exercitij in Deo nesciuit naturali rõne demonstrare; quare si aliqua eius dicta attendamus, videtur concedere, Deum ad extra contingenter agere, si verò eius principia perpendamus, & rõnes præsertim 8. Phys. ad probandam æternitatem motus, videtur ad necessitatem inclinare, ità quòd in hac re, de Arist. sent. idem iudicium ferendum sit, quod Scot. tulit in eiusdem sent. de immortalitate animæ, in 4. d. 43. scil. Phũm fuisse de hac veritate dubium.

Est etiam valde notandũ id, quod Scot. docet in Prol. q. 4. M. nempe Arist. posuisse intelligentias inferiores naturaliter amare superiores, & tñ sm̃ Scotum nunquam potest volũtati attribui actio naturalis, sed tm̃ libera, & si necessaria; vndè accipit ibi naturaliter pro necessario, & ità quoq. explicari potest, dum ait, sm̃ Arist. Deum ad extra naturaliter agere, idest necessariò necessitate inevitabilitatis, cum qua naturalitate, & necessitate stat libertas essentialis, quod inde probari potest, quia sicut ex summa perfectione Dei oritur, quòd & si liberè, adhuc tñ necessariò producatur Spiritus Sãctus ex Doct. in 1. d. 10. q. Vn. ità etiam ex summa perfectione Dei oritur sm̃ Arist. quod etiam necessariò, & si liberè agat ad extra cũ causis secundis; & ità Aliqui Scotistæ allatas auctoritates Philosophi exponunt, in quibus videtur concessisse, Deum ad extrà liberè agere scil. de libertate essentiali; vel quòd si Arist. firmiter tenuerit, Deum ad extrà necessariò agere, asserendũ est, hoc non dixisse ex propria sententia, sed populariter. Concesso tñ, quòd Arist. senserit Deum ad extrà agere necessariò, vt Aliqui Philosophi tenuerunt, talis ponitur decisio.

Conclusio.

Si Arist. Deũ posuit agere ad extrà necessariò cum causis secundis, latẽtes admisit contradictiones. Est Scoti in 1. d. 8. q. 5. lit. R. & in 2. d. 2. sub lit. R. cõntra Caiet. 1. p. q. 14. art. 13. Suar. disp. 29. Meth. sec. 3. nu. 16. Molinã par. 1. q. 14. art. 13. disp. 11. Vasq. disp. 100. & Alios. Probat præsertim Rubion in 2. d. 1. q. 6. contra Philosophos, ducendo illos ad duo inconuenientia: Primum, sequeretur quòd nulla daretur libertas, vel contingẽtia in causis secundis: Secundum, quod nulla daretur actio in causis secũdis, nec contingens, nec necessaria, quod est inconueniens maius primo. Probatur prima sequela, causa mouens in quantum mota, si necessariò mouetur, necessariò etiam mouet, sed quælibet causa secunda agit in quantùm mota à prima; vt etiam Arist. ipse concedit 8. Phys. 33. ergo si causa prima necessariò ageret, necessariò etiam moueret causas secundas, quæ proinde necessarò motæ, necessariò etiam mouerent, & ità in rebus contingentia periret, nàm implicat, ablata libertate per essentiam in causa prima, remanere libertatem in creaturis.

Secunda sequela probatur: Prima causa prius naturaliter respicit causatum, quàm secunda, ex prima propositione de causis, non solùm prioritate à quo, sed etiam in quo si naturaliter causat, & sm̃ vltimum potentiæ suæ, quæ etiam sm̃ Arist. est infinita, ergo in illo priori totaliter causaret se sola effectum, & nihil

nihil postea causæ secundæ remaneret agendum. Hæ sunt latentes contradictiones, quæ sequuntur ex positione Arist. Resp. Caiet. cum relatis Doctoribus, negando assignatas sequelas, data hypotesi, nàm adhuc remaneret actio causæ secundæ, quia causa prima non ageret priùs aliquo instanti durationis, in quo attingeret effectum, sed priùs prioritate naturæ, & priùs prioritate à quo, non in quo, ità Caiet. Addit Suar. quòd Deo per impossibile naturaliter agēte, adhuc actio remaneret in causis secundis, si Deus vteretur eodem influxu, quo nunc vtitur, & non maiori; & quòd etiam remaneret actio causæ secundæ contingens, & libera, quia libertas actionis non solùm prouenit à causa prima, sed etiā à voluntate creata.

Sed nulla solutio satisfacit; non illa Caiet. nam licèt ità de facto sit, quòd Deus priùs agat prioritate à quo, non in quo, eo quia nunc liberè concurrit, non tā tunc ità foret, nàm ex quo causa prima de necessitate est prior in essendo, quàm secunda, prioritate in quo, & in illo priori sit perfectissima causa, & nullo modo impedita, planè in illo priori necessariò ageret, & consequenter causalitatem causæ secundæ præueniret. Neq. illa Suar. nàm estò libertas actionum humanarum non pendeat tā à libertate Diuinæ voluntatis, sed etiam à libertate voluntatis creatæ, illa tā deficiente, necessariò oporteret, istam quoq. deficere, implicat n. remanere libertatem participatam, qualis est libertas causæ secundæ, destructa libertate per essentiam, qualis est libertas causæ primæ; nec ratio Suar. conuincit contingentiam remanere posse in nostris actionibus, si data hypotesi, non adhiberet Deus maiorem concursum illo, quem nūc exibet; nàm implicat, quòd causa prima naturaliter agat, & non agat quantū potest, nā in cuius potestate nō est agere, nec etiā est modus agēdi ex Scoto in 1.d.1.q.4. & falsum prorsus est, quod Aduersarij Doctori imponunt, nempè quòd posuerit Dei voluntatem totalem causam contingentiæ in nostris actionibus, & consequenter à nobis libertatem auferri. falsa impostura, cum Scotus multis in locis doceat, contingentiam actionum non solùm à voluntate Diuina, sed etiam à creata prouenire, solùm dicit, quòd sicut Diuina voluntas est primum liberum, ità quoq. eius libertas est prima, & præcipua radix contingentiæ in nostris actionibus, non libertas nostra, quæ est secundum liberum, & ità digniùs sentit Doctor de Voluntate Diuina, quàm Recentiores, videantur Faber in 1. disp.53.cap.3.& Mastr. & Bell. disp.8. Phys.q.1.art.2.

Obiectiones.

Ob. in oppositum, quòd si per impossibile Deus ad extra ageret necessariò, & naturaliter, adhuc remaneret in causis actio, & libertas; nā cùm plures causæ concurrūt ad producendum effectum cōem, vt ille sit liber, satis est quòd altera causarum sit libera, vt etiam Doct. docet de obiecto, & voluntate quol. 16. illo naturaliter, ista liberè concurrente, & tā actio tota est libera, ergo similiter in casu &c. R. Concedendo assumptum, quando causa principalis est libera, vt est de obiecto, & voluntate

lontate creatæ, quæ est principalior obiecto in ordine ad actum, sed data hypotesi, causa principalior foret necessaria, & consequenter etiam tota actio; & tantò magis, quia causa secunda agit, vt mota à prima, sed potentia licèt sit mota ab obiecto, hæc tamen non est motio realis, sed solùm intentionalis.

Ob. Quando effectus dependet à pluribus causis, defectus vnius causæ sufficit, vt in effectum redundet, ergo si altera causarum erit contingens, talis etiam erit effectus, hinc in syllogismo ex vna necessaria, & altera contingente, sequitur conclusio cōtingens, iuxta illam regulam logicalem, quòd conclusio sequitur semper debiliorem partem. ℞. Conced. assumptum, negando conseq. in casu, nam argumentum supponit falsum, scil. quòd agente Deo per impossibile ad extrà necessariò, adhuc remaneret actio libera, & contingens in causis secundis, quod falsum esse ostendimus.

Ob. Si data hypotesi, actio voluntatis humanæ esset necessaria, & non libera, ergo libertas non esset illi essentialis, & intrinseca, sed extrinseca, & accidentalis, sed hoc est falsum, ergo &c. ℞. Neg. sequelā, nam libertas quò ad actum primum est essentialis voluntati, non vsus libertatis, in casu autem non tolleretur libertas intrinseca, & essentialis, sed solùm eius vsus impediretur.

Ob. Data illa hypotesi, magis præstò foret concursus Dei causæ secundæ, quàm modò, nam tunc Deus necessariò illum exhiberet, ergo non tolleretur tunc actio à causis secundis, quia adhuc haberent omnia ad operandum requisita. ℞. Neg. sequelam cū sua probatione, nunc .n. ideò Dei concursus est in potestate causarum secundarum, quia Deus sua libertate, finit illas suos motus agere, eas expectando, at dato illo casu, eas non expectaret, sed earum actiones præueniret, non solùm prioritate naturæ, sed etiam temporis.

Ob. Sunt quædam actiones, quæ petunt necessariò à causis secundis produci, vt sunt vitales nostræ operationes, quæ necessariam habent connexionem cū vitalib. nostris potentijs, ergo saltem istæ non tollerētur, illa hypotesi concessa. ℞. Neg. assumptum, quia Deus potest tales actus immediatè producere in pōta vitali, vt in lib. de anima patebit; & concesso anteced. neg. consequentia, nam tunc actiones illæ vitales necessariò exercerentur, non liberè.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An causa creata sit indifferens, vel potius determinata ad suos effectus, tàm in specie, quā in indiuiduo.

SCotus difficultatem hanc resoluit in 1.d.3.q. 7. lit. Bb. & in 4. d.43.q.3.& 9.Meth.q.15.§ *Per dicta potest responderi &c. & alibi*: Supponendum est, quod licet qualibet causa creata determinata sit ad certū genus effectuum, vt inductione patere potest; non tñ omne genus creatum potest omnes effectus producere, quia non quilibet finis ad quaslibet operationes mouere potest; nec quodcumq. subiectū recipere quascumque formas; nec qualibet forma cunctos effectus formales producere, sed singula harum causarum gene-

genera ad certum genus effectuum determinata sunt; adhuc tñ ad vnam certam speciem non sunt determinata, sed vnus, & idem finis, sicut medijs specie diuersis acquiri potest, ità ad varias specie operationes potest mouere; sic etiam quodcumque subiectum potest diuersas specie formas recipere, vt de materia prima patet; & in genere causæ efficientis estò agens vniuocũ ad vnum tm̃ specie effectũ limitetur, agens tñ æquiuocum habet virtutem ad effectus specie diuersos, immò & quandoq. oppositos, & contrarios, quod non solùm in causis liberis comprobatur, verũ etiã in causis naturalibus, sol.n. lutum indurat, & liquefacit ceram; & in lacte dulcedinem causat, & in absynthio amaritudinem. Difficultas igitur est, vndè huiusmodi causæ sic indifferentes, & illimitatæ ad certum effectum in specie determinentur, q in sequenti conclusione patebit.

Conclusio Prima.

Dicimus, causas naturales in quocumq. genere ad plures specie effectus indifferẽtes, & indeterminatas, ad certum numero effectum in specie determinari ex varijs causis, & varijs conditionibus secum concurrentibus, est cõis citra controuersiam, quàm Scotus docuit in 1. cit. vbi habet, intellectum ad multas intellectiones specie differentes illimitatum, determinari ad vnam, vel alteram in certa specie à certo obiecto concurrente, & solem ad generationem hominis determinari ex cõcursu hominis, & bouis ex concursu bouis; sic etiam materia ab hoc, vel illo agente, cuius actioni substernitur ex varijs dispositionibus determinatur ad hanc, vel illam formam recipiendam; & sic intelligenda sunt axiomata illa de causis naturalibus, scil. natura determinata est ad vnum, quod colligitur ex Arist. 2. Phys. & idem manens idem semper natum est facere idem, ex 2. de gen. 18.

Causa verò libera, vt omnes vnanimiter fatentur, se ipsam determinat ex sua libertate ad certum actum in specie, ad amorem V. g. vel odiũ, ad volendum, aut nolendum, quod intelligi debet etiam positis omnibus conditionibus necessarijs, & prærequisitis ad operandum, & in hoc distinguitur à causis naturalibus, vt etiã amplectuntur Suar. in Meth. disp. 26. sec. 6. Auersa q. 16. sec. 2. Amic. tract. 14. q. 9. & Alij, & colligitur ex Arist. 9. Meth. tex. 3. vbi docet potentiam rationalem posse esse principium effectuum contrariorum, irrationalem verò vnius tm̃. Sed hoc non est absolutè intelligendum, si teneamus bonum esse non posse, nisi obiectum amoris, & malum odij, cùm .n. à talibus obiectis voluntas necessitetur quò ad actus specificationem, vtiq. per talem indeterminationem ad effectus contrarios, non poterit distingui causa naturalis à libera saltẽ vniuersaliter, sed tm̃ circa quædam obiecta, quæ bonitatem habent admixtam aliqua imperfectione, quatenus voluntas repræsentatis maiori, & minori bono, eligit minorem; & repræsentatis bono honesto, & vtili, eligit vtile, relicto honesto; quæ libertas vocatur contrarietatis, & specificationis, id est ad oppositos actus velle, & nolle; in quo sensu intelligendus est Arist. cùm 9. Meth. tex. 3. secreuit potentiam rationalem ab irratio-

tio-

tionali penès differentiam ad contraria.

Meliùs tñ sentiendũ est cum Scoto in 1.d 1.q.4.ad 3.& in 4.d.12.q.3.M. quòd absolutè loquendo, & in vniuersũ causa libera à naturali discerni debet per indeterminationem ad contradictoria scil. ad agere, & non agere; nàm positis õnibus necessariò requisitis ad agendum, voluntas adhuc potestatem habet agendi, & non agendi, causa verò naturalis prorsus determinata remanet ad alteram partem contradictionis, scil. ad agendũ, & penès hanc differentiam, potentiam rationalem ab irrationali essentialiter distinxit Arist. 9. Meth. tex. 18. vt eruditè aduertit Lych. in 1.d.6. q.2.§. *In ista littera &c.*

Sed maior difficultas est circa determinationem causarum ad certos effectus in indiuiduo, an scil. talis determinatio sumenda sit à circumstantijs, & conditionibus indiuidualibus obiecti, & dispositionum, quatenus ignis V.g. circa hoc lignum, hoc loco, & tempore sibi approximatum, non potest in eo, nisi hunc numero calorem inducere; & materia sic, & sic disposita non potest ab hoc agente, nisi hanc numero formam recipere; An verò sumenda sit tàm respectu causæ liberæ, quàm naturalis à determinatione causæ primæ ad singularitatem actus. Primæ sententiæ se subscribunt Fonsec. 5. Meth. cap. 2. q.14. Franc. de Raconis in Phys. sec. 3. de concursu Dei cum causis secundis q.3. propos.2. Vasq. tom. 1. in 3. par. disp.74. cap. 8. & inclinat Faber in 1. disp.54. num.48. & Alij. Secundã verò defendunt Scotistæ cum Doct. in 4.d.43.q.3. vbi docet, quòd quantùm est ex parte naturalium causarũ, possent interdum redire ad idem numero effectum, quia multæ combinationes causarum possent naturaliter iterum poni, vndè quòd non redeant, videtur sm ipsum Scot. in Diuinam voluntatem reduci, & sequitur Rubion cum cæteris Nominalibus in 2.d.34.q.2. Bassol. in 4.d.43.q. 2. Tatar. in præd. eam. cap. de oppositis §. *Tertio sciendũ &c.* Vulpes tom. 1. part. 2. disp. 5. art. 3. num. 11. & disp. 7. art. 5. & nouissimè Mastr. & Bell. disp. 8. Phys. q.2. art. 3. & præter Scotist. amplectuntur Recẽtiores cõiter, Suar. disp. 5. Meth. sec. 3. num. 34. Conimb. 2. Phys. cap. 7 q. 15. Hurt. disp. 10. Phys. sec. 4. Arr. iag. & Alij passim.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. cum hac secunda sententia, quæ est communior, quòd licèt causa creata quantùm est ex se, indifferens sit ad producendum in hoc tempore, & loco cum omnibus alijs circumstantijs in hoc subiecto varios effectus numerò distinctos, determinatur tñ à Deo. vt certum quẽdam singularem effectum producat. Probatur: licèt causa naturalis determinata sit ad agendum certum effectũ in specie, vt V. g. ignis ignem, non tñ indiuiduum, ergo estò ignis non indigeat aliquo determinante ipsum ad producendum ignem, indiget tñ aliquo determinante ipsum ad certum, & determinatum indiuiduum producendum, non .n. magis hunc ignem produceret, & postea alium à priori distinctum, quàm è conuerso. Tum quia nisi ità dicamus, non videtur aliam posse assignari rõnem, cur eadem res corrupta nõ possit naturaliter reparari, nam cum ignis iste

cor-

corruptus non magis sit nihil, post quàm corruptus sit, quàm fuerat antequàm esset ab alio igne productus, quia non minus nunc est in potentia materiæ, & virtute agentis, quàm anteà, vtiq. si idem ignis applicetur eidem materiæ, non videtur vndè eumdē ignem reproducere nequeat, nisi quia prima causa nō vult coagere secundæ ad eumdem effectum numerò, nisi semel.

Resp. Aduersarij, quòd indiuiduatio effectus prodit ex varijs circumstantijs occurrentibus, quatenus scil. agens agit in hoc subiectum hic, & nunc, ex quibus determinatur illimitatio virtutis agētis ad vnū numerò effectum.

Sed contrà, limitatio hæc in primis oriri nō potest ex parte subiecti, nàm sicut agens V. g. ignis de se indifferens est ad vnum, vel alium calorem numerò producendum, ità è contrà subiectum est de se indifferens ad recipiendum hunc, vel illum numerò calorem. Nec talis limitatio prouenire potest ex parte loci, quia locus nō est causa actiua caloris, nec determinatiuus ignis ad hunc calorē producendum, aut aquæ ad recipiēdum, nàm in eodem loco ignis successiuè producit in eadem aqua V.g. calores numerò diuersos. Nec prouenire potest ex parte temporis, q̃a tempus est omninò extrinsecum effectui, nec inducere videtur aliquid in causa, vel in effectu, nam duo agentia eodem tempore applicata diuersum producunt effectum, & Christus fuisset idem, qui nunc est, si in ventre Virginis fuisset in alio instanti conceptus priùs, vel posteriùs; & idem esset mundus si per annū priùs, vel posteriùs productus fuisset, quàm de facto fuerit; & idem deniq. foret Angelus à Deo creatus mense Martij, vel Augusti, alitèr vt ait Hurt. §. 67. distinguendi forent Angeli sicuti distinguuntur fructus in vernos, autumnales, vel æstiuos; nam aliqui forent Angeli, qui non peterent produci, nisi vere, Alij verò æstate, Alij non nisi autumno, quod ridiculum est.

Respondent Aduersantes, quòd licèt nulla singularis causa, aut circumstantia petat determinatè hunc effectum, sed omnes sint indifferentes per se sumptæ, tota tñ collectio illarum petit determinatum effectū. Non valet, nam de facto hodie est idem Angelus, qui mouet Cęlum, & est idem Cęlum, quod motum suscipit; est idem locus, in quo fit motus, & tñ non est idem numerò motus hodie, & cras. Nec valet recursus ad diuersa instantia temporis, quia motus primi Cęli non pendet à tempore, cùm ipsemet motus sit formaliter tempus extrinsecum reale, mensurans motus inferiores.

Dices, saltem hoc euenire, quia hodiernus motus dependet ab hoc numerò tempore imaginario. Non placet, nam tempus imaginarium nihil est, quomodò ergo determinare potest causas ad vnitatem numeralem effectus, cùm talis determinatio sit quid reale, & non imaginarium?

Hæc doctrina currit etiam de causis liberis, quia cùm non cognoscantur rationes indiuiduales effectuum, determinantur ad hunc numerò effectum ab ipso Deo, sicut determinantur causæ naturales; & hoc conducit etiam ad scientiam, & prouiden-

dentiam Diuinam, quia sicut ab æterno decreuit talem effectum in specie ex talibus circumstantijs, ità quoq. decreuit talem numerò actum singularem, alitèr talem actum distinctè nõ cognosceret, cùm omnia in suis decretis cognoscat, vt suo loco clariùs videbimus.

Obiectiones.

Ob. Auct. Arist. 2. Phys. 38. vbi sicut effectibus in genere, assignat causas in genere, ità effectibus singularibus causas singulares, ergo &c. R. Intentum Arist. colligi ex ipso contextu, quia ait, sicuti sm rõnem genericam assignatur causa, & effectus, vt statuarius statuæ; ità etiam assignari debet sm rõnem indiuidualem, vt hic statuarius huius statuæ, non quia hæc statua præcisè hũc statuarium determinaret, vel è contra, cùm.n. actiones sint singularium, non potest hic artifex efficere, nisi statuam singularem, non tñ determinatè hanc, vel illam.

Ob. Causa secunda propria actione attingit effectum sm omnes eius formalitates, etiam induiduas, ergo eius actio ex se ad hunc numerò effectum determinata est. R. Neg. conseq. concedimus, quod causa secunda per suum concursum attingat formalitatem etiam indiuiduam effectus, sed solùm quatenus eius concursus, qui ex se indifferens est ad plures numerò effectus disiunctim, determinatur ex cócursu causæ primæ ad hunc numerò effectum, & non ad alium.

Ob. Si causa secunda vim haberet ad plures numerò effectus, posset etiam effectum iam præteritum reproducere, quiam iam haberet virtutem ex se indifferentem ad omnes; ex quo sequitur, quòd posset idem numerò homo decidere idem semen, & disponere materiam ad vnionem animæ filij, & consequenter ad eius suscitationé propria virtute cooperari. R. Neg. sequelam, nam Deus decreuit non concurrere ad vnum, & eumdem numerò effectum, nisi semel, & hoc vt continuetur varietas indiuiduorum in vniuerso, quare repugnantia non est intrinseca ex propria natura ipsarum causarum, sed extrinseca ex Dei decreto. Vndè Scot. loc. cit. admittit possibile esse naturæ reducere corpus mixtum idẽ animæ susceptiuum, sed ait non esse possibile reducere idem eodem modo, quo fiet in die iudicij, in quo statim tot corpora extrahentur ex animalib. & elementis, & tot homines sine concursu maris, & fæminæ reproducentur, ex quibus capitib. resurrectio mortuorum redditur miraculosa, & naturæ vires excedens.

Ob. Cum Vasq. Ex hac doctrina maximè læderetur libertas in causis liberis, nàm voluntas non solùm est libera ad actum in specie, sed etiam in indiuiduo, non .n. tm est libera ad amandum, & non amandum, sed etiam ad amandum hoc amore ità intenso. R. Neg. sequelam, quia in nobis nulla alia libertas poni solet, quàm specificationis, quæ est ad oppositos actus, & exercitij, quæ est ad actum, & suspensionem eius, nec alia libertas ponitur ad eliciendum hunc numerò actum, quàm illum. Ad probat. dicimus cum Mastr. & Bell. ideò nos liberè amare amore sic intenso, quia per illum ità liberè amamus, vt eum suspendere possimus, & non qa alium consimilem sine determinatio-

ne primæ causæ elicere valeamus; neq. sequitur, quòd per hanc determinationem cogimur ad hunc numerò actum amoris eliciendum, quia cum tali determinatione adhuc stat libertas exercitij; & dato etiam, quòd aliquem actum sic intensum elicere velimus, cogimur ad hunc numerò actum eliciendum, & non illum ex vi talis determinationis, quæ propriè non est coactio, cùm non sit in nobis libertas ad hunc, vel illum actum in indiuiduo.

Ob. Ex Francisco de Raconis: Si ad quamlibet actionem in indiuiduo Deus determinaret causam secundã, eam pariter ad actus malos in particulari, & in indiuiduo determinaret, V.g. ad hoc in particulari homicidiũ, sed hoc est falsum ergo &c.

℞. Cum Scoto in 2.d.37. T. quem sequitur Rubion in 2.d.34. q. 1. in fine, & Scotistæ relati, neg. sequelam, Deus.n. determinat actum illũ in indiuiduo quò ad entitatem, non quo ad malitiam, ad quam solùm permissiuè se habet, nam peccatum vt peccatum reduplicat modum, quo peccaminosè oritur à sua causa; At Deus non tenetur dare rectitudinem actui, sed sola voluntas creata, & si actus non elicitur rectus, non debet voluntati Diuinæ imputari, quia per ipsã non stat quin eliciatur actus rectus, nam quicquid Deus dat antecedenter, daret etiam consequenter, si voluntas humana non obstaret.

Ob. Ex eodem: Concursus Dei, quem causis secundis exibet, est vniformis, nam Deus vniformiter omnia operatur ex D. Dion.4. de Diui. Nom. ergo sicut diuersitas specifica effectuum sumitur ex concursu causæ secundæ, qui determinat concursum primæ quò ad speciem actus, sic etiã diuersitas indiuidualis ex parte causę secundæ cum his, vel illis circumstantijs positæ sumi debebit, nam implicatorium est causam primam determinari à secunda ad speciẽ actus, & posteà ipsam determinare secundam, quò ad indiuiduationem, si.n. concursus Dei est determinatus quò ad indiuiduum, erit quoq. determinatus quò ad speciem. ℞. concursum Dei materialiter sumptum, non solùm esse vniformem, sed vnum numerò ad effectus omnes etiam specie diuersos, cùm sit simplicissimus actus voluntatis Diuinæ, virtualiter tñ est multiplex ob suam illimitationem, pro diuersitate effectuum, ac proinde negatur paritas; neq. indiget ad hũc, vel illum effectum in specie determinari a concursu causæ secundæ, sed seipsam determinat ad talem effectũ, positis illis conditionibus, & requisitis circumstantijs ad operandum, ex suppositione illius decreti, quo se obligauit ad concurrendum cũ causis naturalibus modo naturali, & cum causis liberis modo libero.

Dices, actio, qua cum igne concurrit Deus, dicitur calefactio, quatenus est ab igne, non à Deo, ergo voluntas Dei per calorem determinatur, vt ad calefactionem concurrat. ℞. Negando conseq. & calefactio dicitur ab igne, & non à Deo, non quia concursus ignis determinet cõcursum Dei, sed quia actio semper sumit de nominationem à causa propinquiore, quæ assimilatur effectui formaliter, & non à remotiori, quæ assimilatur effectui tm virtualiter, vt Scot. docet in 1.d.3.q.7.A2.

ARTI-

ARTICVLVS DVODECIMVS.

An dari possit creatura aliqua sine principio, & fine in duratione, seu an Mundus potuerit esse ab Æterno.

SCot. in hac Controu. est problematicus, & pro vtraq. parte rationes adducit, & soluit, magis tñ ad partem affirmatiuam inclinat, vt videre est in 2.d.1.q.3. & problematicè etiam defenditur ab aliquibus Scotistis, vt Vulp. 2.p.disp.7. art.5. & 6. & Parif. 8.Phyf.q.1.collat. Alij verò Scotist.cõiter defendunt partem affirmatiuam, ità Canon. 8. Phys.q. 1.Tatar.q.1.dub. 2. Faber in 2. disp. 5.Bassol. Smifinch. & Alij, quos sequuntur Mastr. & Bell. disp. 14. q. 1. art. 1. loquendo tñ de creaturis quò ad entia permanentia; non quò ad successiua, de quibus art. sequenti ex professo agemus; & nobis etiam fauent Thomistæ cum Nominalibus,& Recentioribus ferè omnibus, vt videre est apud Ruu. 8. Phys.q.2. Conimb. ibidem cap.2.q.6.art.2.Moris. Vasq.Hurt.Arriaga, Ouied.Ioan.de S.Tho. Fasol. & Alij. Partem verò negatiuam amplectuntur Henr.quol. 7.q.7.& 8.cum multis ex Antiquis, quos sequuntur Tolet. 8. Phys. q. 2. Auersa q.31.sec.9. & Alij. & quidé, quòd dari possit aliqua creatura fine fine, nulla est controuersia, quælibet .n. creatura vel est corruptibilis, vel incorruptibilis.Prima destruitur per actionem contrarij; Secunda destrui potest per cessationem actionis, & conseruationis agentis conseruantis: at Deus potest vtramq.causam impedire,nam potest suspendere concursum ad actionem contrarij, vt fecit in fornace Babylonis ex Doct. in 4. d. 49.q.13.& etiam non condescendere ad cessationem agẽtis naturalis, sicut facit in Beatis, & Damnatis, nam Illi non possunt à Beatifico actu cessare, nec Isti possunt potentia proxima à cõsideratione infernalis ignis se auertere, vt Scot. docet in 4.d.44. q.2. Quare solùm dubiũ est de productione æterna, & à parte ante, & in hoc articulo quò ad esse permanens.

Conclusio.

Dicimus, non implicare ens permanens ab æterno. Est ad mentem Scoti loc.cit.& docuit etiam D.Tho. 1.p.q.46.art.2.contra Platoné,Proclum, Philoponum, Albertum Magnum, Riccardum, & Alios. Probatur per illam maximam Scoti in 4. d.10.q.2.scil.Deo esse possibile, õne quod non includit euidenter contradictionem,vel ad quod non sequitur necessariò contradictio; at ponendo ens permanẽs ab æterno producibile, nõ apparet aliqua contradictio, ergo &c. maior est euidens, minor probatur eo modo, quò Scotus probat idẽ corpus esse posse fine implicantia in pluribus locis, nempè soluẽdo rõnes in cõtrarium. Roboratur Auct.SS.PP.nam Aug.6.de Trin.cap. 1.docet,quòd si ignis esset ab ęterno, splendor ab eo causatus,esset coęternus, & 10. de Ciuit. Dei cap.12.ait, quòd si pes ab æterno esset in puluere, semper ei subesset vestigium, ergo si per Diuum August. creatura ab æterno posset habere sibi effectum coęuum, nec dependentia eff.ctus à causa repugnaret cum æternitate, tantò magis id asserendum erit de Deo, quòd scil. posset ab æterno ef-

fectum, & creaturam producere.

Confirmatur: Libertas non adimit perfectionem, sed addit; sed si Deus esset causa naturalis, & necessaria fecisset mundum ab æterno in sent. Scoti, quia causa naturalis non impedita, operatur quò ad vltimum posse, ergo ex eo, quòd est libera, potuit etiã aliquid producere ab æterno. Tum quia eamdem facultatem, & potentiam habet Deus ad intelligendum, & volendum creaturas, ac producẽdũ; imò intelligẽdo, & volẽdo ꝑducit, sed Deus potuit intelligere, & velle mundum ab æterno, ergo &c. Tum quia actio Dei non mensuratur aliqua differentia temporis, ergo non repugnat, vt per eam creatura, esse potuerit ab æterno. Tum quia Deus non est minùs potens, quã Diuina persona; sed persona Diuina potuit, & de facto produxit aliam personam ab æterno, ergo Deus potuit ab æterno aliam essentiam creatam producere.

Obiectiones.

Ob. 1. pluribus SS. PP. Authoritatibus. Aug. contra Fęlicianum Arianum, sic creaturam definit: creatura ex eo est, quòd non dum est, vel aliquando non fuit. & Athan. orat. 2. contra Arianos, ait: non posse creaturam, quippè quæ de non esse ad esse traducitur, coęternam esse Opifici suo. idem habet Damascenus, & sępè vrgent Prés contra Arium, probantes filium Dei non esse creaturam, ex filij coęternitate cum Patre. ℞. Scot. quòd allata definitio D. Aug. fuit ad hominem contra Arium, qui contẽdebat de rõne creaturæ esse inceptionem temporaneam, ex quo principio PP. ipsum redarguebant, quòd cũ filius Dei sit coęternus Patri, nõ potest esse creatura. Verum tñ est, ꝙ multi PP. loquebantur de facto, non de possibili, & sm̃ cursum conueniẽtem essentiæ naturæ creatæ, quæ magis exigit fieri in tempore, quàm ab æterno. ℞. Scot. 2. concedendo, ꝙ de rõne creaturæ, vt creatura est, sit temporanea inceptio, nam vel creatio inuoluit formaliter, vel connotatiuè respectum ad non esse immediatè præcedens, qui respectus nõ adesset in æterna causatione, & ità nullum ens potest esse ab æterno, quatenus creatura; sed quatenus ens causatum potest esse, quia tunc non diceretur creatũ creatione propriè dicta, sed causatum, quod vltra productionem dicit dependentiam in esse, qua responsione omnibus Auctoritatibus satisfit.

Ob. Creatio est productio alicuius de nihilo, ergo nihil, seu non esse debet præsupponi, & præcedere esse creaturæ. ℞. Talem definitionem conuenire creaturæ prout de facto est, & sm̃ conuenientem cursum naturæ, non autem de possibili, vt in quæstione loquimur; Vel, quòd nihil præcedere debet, non necessariò per aliquod tempus, sed per instans naturæ, quod satis est.

Ob. Vel ista creatura semper produceretur qñ est, aut non semper, sed aliquando, si secundum, ergo in tempore incepit; si primum, ergo esset in continuo fieri sicut ens successiuũ; neq. distingueretur creatio à conseruatione, quia si semper producitur, semper creatur, & conseruatur; & sic creatio, & conseruatio essent omninò idem. ℞. Scot. quòd sicut filius in Diuinis semper generatur, & tñ

est

est summè permanens, sic creatura esset semper producta, & adhuc permanens, quia ly semper nō dicit successionem durationis temporis, sed existentiam, & durationem æui; neq. tunc distingueretur creatio à conseruatione, quia non adesset nouitas essendi.

Ob. Ex hac positione sequeretur, talem creaturam non creari liberè, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, ad hoc vt Deus liberè eam creet, debet habere potentiam non creandi, vel ergo Deus potuit eam non creare, antequàm creauit ipsam, vel dum creauit, vel postquàm creauit; non primum, nec tertium, vt patet, neq. secundum, quia tunc verificarentur duo contradictoria, esset .n. verum dicere, aliquod ens posse esse creatum, & posse non esse creatū pro eodem instanti. ℞. Neg. sequelam, ad probationem dicimus, quòd Deus dum creauit, potuit non creare, quatenus indifferens ex se præintelligitur in priori naturæ ad producendum, & non producendum; ad impugnationem, iterum negatur sequela cum sua probatione, q̄n potentia ordinatur ad plures actus diuisim, sic esset in proposito, nam Deus habuit simultatem potentiæ creandi, & non creandi, sed non habuit potentiam simultatis; & res in sensu diuiso potest esse creata, & non creata.

Ob. Eodem modo se habent creatio, & annihilatio, sed quod annihilatur necessariò priùs fuit, ergo quod creatur, necessariò priùs non fuit. ℞. Paritatem solùm valere de creatione, quæ includit nouitatem essendi, sicut annihilatio, non de creatione, quæ simplicem productionem dicit, qualis esset creatio æterna, annihilatio tñ semper aliquā dicit nouitatem.

Ob. Omne, quod potuit esse æternum, fuit æternum, sed nullum ens creatum fuit æternum, ergo non potuit esse æternum. ma. probatur, potentia ad esse æternum necessariò coniungitur actui, ergo vbi est potentia ad æternitatem, ibi est æternitas, ergo quod potuit esse æternum, fuit æternum. probatur ant. vbi potentia non necessariò coniungitur actui, & è contra vbi actus non potest sequi potentiam duratione, ibi necessariò est semper cum illa, sed æternitas actualis non potest sequi duratione suam potentiam, nec potentia ista potest æternitatem præcedere, quia tunc non esset æternitas, quia haberet principium durationis, ergo &c. ℞. Neg. ma. ad prob. negatur anteced. ad aliam probationem neg. ma. vniuersaliter; ratiò est, quia datur aliqua potentia, quæ si non reducitur ad actum, statim ac intelligitur reperiri, non est amplius reducibilis ad actum. Exemplum, Petrus modò habet potentiam logicam, seu non repugnantiam ad nunquam esse productum, scil. non repugnat Petro absolutè, & simpliciter hoc prædicatum negatiuum, nunquam esse productū, quià contingenter fuit productus, & poterat non produci, non tñ sequitur quòd ista potentia, quià modò non coniungitur tali actui negatiuo, ità præcedat actum, vt reducibilis sit aliquando ad actum, quia non potest amplius Petrus non esse productus; sic in proposito, statim ac, quòd creatura fuit in tempore, non potuit ampliùs esse ab æterno, licèt habuerit poten-

potentiam logicam ad esse æternum, & hoc,quia actus non est ampliùs reducibilis.

Ob. Nullum ens fuit æternũ, ergo nullum ens potuit esse æternũ,prob. conseq. qñ propositio de præterito est vera, est etiam necessaria, ergo si est necessaria, non potest oppositũ euenire. ℞. Neg.conseq.ad prob.verum est anteced. necessitate ex suppositione, & consequentiæ, supposito .n. quod fuit, iam non potest nõ fuisse, non tñ necessitate simpliciter, vt sunt propositiones in materia necessaria.

Ob. Ex Auersa: Plures res sunt, quæ finito tempore durare debent, vt sunt viuentia, quæ nutriri debẽt, at si essent ab æterno, quia non possent operationes illas ab æterno exercere ex vi creationis æternæ,deberent æterno tempore viuere absq. nutritionis indigentia, quod repugnat, quia petunt itá produci,vt non repugnet productioni ipsorum ex propria natura. ℞. Quòd si hæc ratiò valeret, probaret etiam nec hominẽ per beatitudinem posse reddi impassibilem, quia ex vi talis impassibilitatis etiam æternaliter saltem ex parte post, iam viuere potest absq. nutritionis indigentia; hinc dicimus,quòd in tali statu cõseruaretur à Deo; neq. hoc implicaret, nam quòd actu nutriatur viuens, accidentaliter conuenit, per se verò, & ab intrinseco est nutribile, & hoc sufficit.

Ob. Non potest creatura esse immensa, licèt dependenter à Deo,ex eo quia est attributum Diuinum,ergo neq. æterna, quamuis cum dependentia ad Deum.℞. Concedendo paritatem, nam sicut immensitas, & æternitas imparticipata dicunt necessariam, & independentem coexistentiam ad omnem locum, & tempus, itá etiam & vbiquitas participata communicari potest creaturæ ex Doct. in 4. d. 10. q. 2. R. quia dicit coexistentiam ad omnem locum, sed contingentem, & dependentem; sic etiam communicari potest æternitas, quæ dicit coexistentiam ad omne tẽpus, & dependentem,ex Doct. in 4. d.49.& quol.6. I.

Ob. Ex hac doctrina sequeretur, creaturam per infinitum tempus habere esse necessarium, & penitùs indefectibile, etiam spectata Dei absoluta potentia, sed hoc est falsum,quia repugnat omnipotentiæ Diuinæ, & dependentiæ creaturæ à Deo durare independenter ab ipso, ex eo quòd non posset illam destruere; est etiam contra contingentiam ipsius creaturæ, quæ itá existit, vt possit non esse.Resp.Bassol. quẽ sequuntur Mastr. & Bell. quòd in tali casu creatura non haberet esse simpliciter, & absolutè,quia poterat non produci,sed ex suppositione Diuini decreti,quòd sit ab æterno; & hoc verùm est, non falsum. ad probationem, negatur independenter creaturam existere, qa semper ex intrinseca sui natura esset à Deo dependens,à quo accipit esse, & per æternitatem est in continua dependentia, ideò semper habet esse intrinsecè contingens,& necessitas prouenit ei ab extrinseco, nempe à decreto diuino; Deus tñ non ligatur decretis &c.

Dices, quod conuenit alicui intrinsecè, oppositum eius nec intrinsecè, nec extrinsecè potest ei conuenire, vt patet de rationalitate, & irra-

irrationalitate respectu hominis, sed esse contingenter intrinsecè conuenit creaturæ, ergo esse necessariò, nec etiam extrinsecè potest illi conuenire. ℞. Quòd hæc ratio etiam probaret, nunquam creaturam necessariò exist. re ex suppositione, quod tñ falsum est, nam stante aliquo decreto, quòd Petrus vsq. ad tale tempus viuat, in sensu composito, necessitate ex suppositione, ità eueniet; quare dicimus, maiorem valere de oppositis simpliciter, vt patet exemplo adducto de rõnalitate, & irrationalitate, non verò de oppositis sm quid ex Doct. q. 4. Prol. lit. X. contingentia intrinseca & necessitas intrinseca sunt simpliciter opposita, nõ contingentia intrinseca, & necessitas extrinseca, seu ex suppositione.

Sed Contra hanc doctrinam pluribus rõnibus vrget Aresius de gen. disp. 5. q. 44. sect. 2. & primò: Non potest aliqua creatura produci, quam Deus necessariò conseruare tenetur per totam æternitatem à parte post, ergo nequit dari creatura necessariò existens per æte nitatem à parte ãte, vtriusq. n. videtur par ratio. Respõsio Patet ex dictis, magnũ. n. est discrimẽ inter creaturam per æternitatem à parte post duraturam, & creaturam in æternitate à parte ãte pductã; nã illa in sensu diuiso in quolibet instãti potest annihilari, quia decretum cadit supra durationem accipiendam, & futuram; ista verò non potest annihilari, nisi post infinitum tempus, quia decretum cadit supra durationem non accipiendam post productionem rei, sed quæ est cum productione; adhuc tñ verè, & absolutè contingenter existere dicitur, quatenus poterat Deus se non determinare ad productionẽ æternam talis creaturæ.

Arguit 2. Necessitas ex suppositione est duplex, vna de præsenti, vt dùm Petrus currit, necessariò mouetur, & hæc non tollit libertatem; altera ex præcedenti suppositione, vt quòd Petrus heri cucurrerit, necessariò hodie mouetur, & hæc tollit libertatem; At Deum necessariò cõseruare nunc aliquam rem, eo quòd ab æterno eam creauerit, est necessitas ex suppositione antecedenti, ergo tolleret Dei potentiam, & libertaté. ℞. Neg. min. nam tunc necessitas ex suppositione antecedéti tollit libertatem, qñ suppositio illa non est in potestate agentis, at decretum producendi creaturam ab æterno est in potestate Dei, atq. ideò licèt hoc supposito, necessariò creatura duraret per infinitum tempus, simpliciter tñ contingenter duraret, quia poterat non produci. Tum quia post infinitum tempus transactũ, potuit Deus creaturam illam annihilare, ergo non necessariò conseruaret creaturam ab æterno productam.

Vrget 3. Necessitas illa, quæ oritur ex Diuino decreto non pugnat cum omnipotentia Dei, quæ verò oritur ex ipsa creatura, repugnat Diuinæ omnipotentiæ, sed necessitas hæc in casu orietur ex ipsa creatura, ergo &c. ℞. Neg. min. licèt. n. productio æterna ex propria rõne habeat, quòd res per ipsam producta per infinitum tempus necessariò durare debeat, nõ tñ ex se habet, quòd de facto detur; sed hoc solùm oritur ex Diuina voluntate, & ideò dicitur necessitas cõsequentiæ, & ex suppositione; sicut dum Petrus currit, necessariò mouetur;

netur; at quia ipse liberè arripuit cursum, & poterat non currere, ideò non necessariò absolutè mouetur, & necessitate consequentis, sed necessitate ex suppositione, & cõsequẽtiæ.

Et hic est error aduertendus, quo Aduersarij detinentur. Si .n. repugnat Deum necessariò per infinitum tempus conseruare creaturam supposito Diuino decreto æternæ creationis, cur non erit inconueniens Deum necessariò debere non agere per infinitum tempus, si foret impossibilis productio creaturæ æternæ, cũ creatura sit contingens, & non minus cõtingenter respiciat esse, q̃ nõ esse?

Ob. Si homo esset ab æterno, vel posset exercere proprias operationes, vel non, sed infinito tempore quiesceret; non primum, quia non possunt duæ mutationes esse simul, quã terminus ad quem vnius est terminus à quo alterius; vt V.g. si paries de non albo fit albus, album est terminus ad quem, si postea fiat non albus, albũ esset terminus à quo huius mutationis, quæ mutationes non possunt esse simul, vt euidens est, sed creatio hominis, & mutatio facta in homine per illam operationẽ sunt huiusmodi, ergo non possunt esse simul in eodem instanti æternitatis; Neq. secundum, quod scil. non posset proprias exercere operationes, nam impossibile videtur (ait Auersa) quòd homo ille per infinitum tempus non intelligeret, non posset mouere brachium, aperire, vel claudere oculos &c. & si fæmina prægnans crearetur ab æterno, quòd per infinitum tempus non pareret; quia de rõne creaturæ habentis virtutem operandi est, vt statim ac existit, & positis omnibus requisitis ad agendum, valeat suam exercere operationem.

Pro solutione huius argumenti aduertendum est, quomodò, & quales operationes posset homo ab æterno productus exercere; & primò, nõ posset ibi illas operationes exercere, quæ necessariò includunt motum, vel mutationem, quia ad veram mutationem requiritur, vt terminus à quo duratione præcedat terminum ad quem, vt supra diximus in proprio articulo. Secundò posset habere aliquam operationem non includentem in suo conceptu mutationẽ, sed rõnem productionis, quo sensu admittitur generatio æterna, & talis erit intellectio, volitio, vel alia immanens actio, vel transiens, vt productio lucis, si sol esset æternus; caloris, si ignis esset æternus &c. ità præter Scotistas, Masius, & fuit doctrina Scoti in 2.d.5.q.2. I. vbi docet, quòd Angelus in eodem instanti, in quo fuit productus, potuit intelligere, & velle, & idem habet de Christo in 3.d.18. & ratiò est, quia habens esse perfectum, & obiectum approximatum, vel passum, si non impeditur, potest in actu prodire, cùm effectus non exigat necessariò suam causam tempore præcedere, sed natura ex dictis. Verum tñ est, quòd in tali casu homo detineri deberet per infinitum tempus imaginarium sub illa intellectione, vt ex Doct. colligitur in hac quest. lit. F. eadem .n. est ratiò de creatura respectu Dei, & de intellectione ab æterno producta respectu hominis æterni, q.b. habitis.

Resp. ad argum. quòd si actio non includit motũ, potest esse coæua cum homine. ad impugnationem, dicimus

cum

cùm Scoto in 2.d.5.q.2.H. maiorem esse veram de mutationibus veris, & realibus, vt in exemplo adducto de pariete albo, non de mutationibus improprijs, quarum termini ordine naturæ tantùm se consequuntur, cùm tunc subiectum non transeat de vno termino ad aliam; vnde homo in eodem tunc esset terminus creationis, & subiectum intellectionis ab ipso productæ, quomodo non verè mutaretur, sicut mutaretur si ab æterno generaret, quia generatio includit in suo conceptu mutationem, imò & multas prauias alterationes. Neq. hoc implicat, vt Auersa autumat, q̃a sm̃ Ipsum, estò Deus perfectissimã habeat creandi potentiam, necessariò tñ quiescere deberet per infinitũ tempus à creatione, cur pro impossibili hoc infert in creatura, quæ imperfectam habet operandi potẽtiam? Nec dato casu, res illa haberet omnia requisita, quia vnum ex illis in mutationibus propriè dictis est, quòd subiectum prius duratione maneat sub priuatione.

Ob. Quod fit in instanti, incipit per primum sui esse, nam verum est dicere, nunc res est, immediate ante non erat, ergo si res fieret in instanti æternitatis, daretur in æternitate primum, & creatura inciperet durare, & ità æterna non esset. ℞. Assumptum esse verum de eo, quòd fit in tempore, non de eo, quod fieret ab æterno, quod, n. habet esse in æternitate, semper habet à Deo; & tunc vt etiam concedit D. Thom. q. 3. de potentia art. 14. ad 8. potest cõcedi creaturam habere principium originis, sed non durationis.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An res, seu Mundus potuerit esse ab æterno, quò ad entia successiua.

Scot. huius art. decisionem dedit in 2. sent. d. 1. q. 3. lit. I. ad penult. pro Henrico, vbi expressè negat eamdem esse rõnem de permanentibus, & successiuis quò ad productionem æternam; & illorum possibilitatem concedit; istorum negat. & licèt respondeat vltimo Argum. pro Henr. quod facit cõtra ẽs successiuũ, nõ per hoc deducere debemus, Doctorem huius fuisse sentẽtiæ, sed ideò argum. soluit, quia non concludit; & in quol. 7. lit. X. cũ ait Multos Theologos concedere motũ ab æterno de potentia absoluta, loquitur in sententia Ipsorum, non propria, ideòq. non rectè ab Aliquib. Doctorib. pro parte affirmatiua citatur. D. Thom. in hac re videtur problematicus, nam sm̃ M. Iacob. Bruo. q. 1. de Mundo art. 4. varias adducebat responsiones secundùm quas poterat eorum errores abijcere, & mentes pacificare, vt Sanctus Doctor explicat in opusc. de concordantijs suæ doctrinæ.

Quantùm igitur ad entia successiua, Illi, qui negant posse ab æterno dari creaturam permanentem, negant etiam de successiuis. Qui verò affirmant de permanentibus, Multi etiam de successiuis affirmant, & maximè de motu circulari, & ex Scotistis sequuntur Tatar. Bassol. Canon. Faber. Aduertimus pro decisione, quòd dupliciter potest in rebus ab æterno successio contingere, scil. vel continuata, vt si motus aliquis absq. interruptione fuisset ab æterno, quomodo posuit Arist. motum Cœli absq. principio; vel discreta, vt esset in-

finita multitudo motuum, & generationum disparatarum, sed ordinatarum ad inuicem sm̃ prius, & posterius; & hoc dupliciter, vel quod essent V. g. primi homines ab æterno causati, à quibus infinitæ generationes procederent, ità vt assignabilis non sit prima, & immediata generatio ab illis prouueniens; vel quòd non sint tales homines assignabiles, sed semper progrediendo à parte ante in infinitum, non deueniendo ad aliquos primos parentes, qui ex alijs prioribus essent generati, sicut Arist. ab æterno posuit.

Conclusio.

Dicimus, nullum ens successiuum, etiam de potentia Dei absoluta potuisse ab æterno produci. Est Scot. loc.cit.cum maiori parte Scotistarũ, & nouissimè defendunt Mastr.& Bell. disp.14. Phys.q.1. art.2. quam prius docuit D. Thom. in 2.d.1.q.art.5. & sequuntur quamplures Thomistæ de eius mente, vt Isib. Manca, Bannes, Sot.Durand. Suar. & Alij, contra Greg. Capreol.Heru.Ægid. Conib. Carmelitas, Sonc. Nazar. Lync. & Aliof.& probatur primò rõnibus illis, quib.disp.13. impugnauimus infinitum in actu; sic .n. infiniti dies,& infinitæ noctes pertransissent; & de generatione, & propagatione hominum est euidentissimum, quorum generatio si ab æterno esse posset, ità vt quolibet ãno produceretur vnus homo, cùm pcessérint infiniti anni,processissent infiniti homines, & quia animæ rationales sunt immortales, multiplicatæ iam ad corporum multiplicationem, existeret in actu multitudo infinita animarum, quod ex dictis implicat, hinc D. Tho. opusc. 27.docuit, quòd si Deus creasset hominem ab æterno, licèt haberet ex tunc potentiam generatiuam, non tñ generasset pro tunc,sicut generasset leo, sed natura vniuersali consentiente, differret generationem humanam vsq. ad tempus statutum, ne in vniuerso inordinatio aliqua sequeretur. Tum quia cùm quælibet generatio plures habeat accidentales generationes, daretur vnum infinitum maius alio.

Probatur 2. de entibus successiuis, non .n. dari potest motus rectus ab æterno; nam ponatur casus,quòd duo lapides ab æterno deorsum descenderent, vnus tñ in duplo maiori velocitate, quàm alius, quod non est impossibile, vnus lapis hodie duplo maius spatium pertransisset, quàm alter, ergo tale spatium non fuisset infinitum, quia non datur vnum infinitum maius alio in eodem genere, & consequenter neq. dabitur motus æternus, & infinitus, quia finitum non pertransitur tempore infinito.

Neq. dari potest motus æternus circularis, si .n. daretur aliquis motus æternus, vt Scot. innuit ꝑ Henr. tanta esset duratio ab æterno vsq.nũc procedendo,quanta esset ab isto nũc vsq. in æternum redeundo, & retrocedendo, sicut si daretur vna linea, quæ tñ ex vna parte careret termino,tanta longitudo esset ab hoc puncto ad aliam partem termino carentẽ, quanta ab illa parte ad hoc punctum, sed retrocedendo ab isto nũc, impossibile est redire in æternum, & totum tempus accipere in quacumq. temporis differentia imaginabili, vel totum motum transactum, quia tunc infinitum pertransiretur, quod est contra

contrà rõnem infiniti, ergo è conuerso procedendo ab æternitate, impossibile est, quòd ad istud nunc perueniatur.

Resp. Complut. hoc mirum non esse, quia tempus ab æterno vsq. ad hoc nunc habet finem à parte post, ideoq. potest ad istud nunc perueniri; at ab isto nunc vsq. in æternum licèt habeat principium, non tñ habet finem à parte ante, & consequenter nunquam absoluetur. Non valet, si .n. non potest retrocedendo totum tempus accipi ꝑ æternitatem ex eo, quia infinitum esset pertransitum ex ea parte, qua infinitum esset, sic etiã pariformiter neq. ab æternitate vsq. nunc procedendo, posset ad istud nũc perueniri, quia esset infinitum acceptum; sicut .n. carentia finis facit, vt totum tempus à parte post nõ possit accipi, ità carentia principij est causa, quòd totum tempus non posset esse acceptum.

Confirmatur: Successio de sua rõne formali dicit prioritatem, & posterioritatem, scil. decisionẽ partis prioris, & inceptionem posterioris, ergo si ens successiuum potuit esse ab æterno, fuisset inceptio partis posterioris; præsupponens desitionẽ prioris, ergo ante æternitatem daretur pars prior, vel pars posterior incepisset per infinitum tempus post æternitatẽ. Tum quia si sol ab æterno cum motu fuisset creatus, hoc nõ fuisset ponendo solẽ in õnib⁹ partib⁹ ꝓpriæ circulationis, q̃a iste locus excedit solẽ, & cùm sit determinatũ corpus, locũ etiã determinatum habuisset; sit igitur determinatus locus oriens nostri hemisphærij, à quo motus ab æterno inceperit, petimus, quantum temporis consumpserit vsq. dum ad occidentem peruenerit; non infinitum, quia spatium est finitum, cui tempus adæquari debet; si finitum, ergo totus motus finitus fuit.

Resp. Faber, negando, quòd dato casu, sol creatus fuisset in aliqua determinata parte, quia ante illam partem fuisset alia, & ante istam alia, & sic in infinitum, non .n. in æternis ait ipse, est aliquod primum assignabile, sic etia resp. Complut. quòd scil. in successione æterna, non daretur prima pars incipiens, & desinens, sed qualibet data, altera, & altera in infinitum processisset; & sequitur M. Iacob. Brun. q. 1. de Mundo, art. 4. quĩ problematicè hanc quæstionẽ defendit. Non placet, nam vt benè aduertit Auersa, sicut motui locali in cõi præsupponitur necessariò, & mobile esse, & esse in loco, ità etiã motui in particulari req̃ritur tale mobile esse, & in tali loco reperiri, ergo prius sol erit in determinata parte creatus, à qua postea moueatur. Tũ q̃a successio de sua rõne formali in cõi repugnat cũ æternitate, ergo etiã & talis successio. probatur antecedens, implicat prius, & posterius, vt sic cũ æternitate, tunc .n. non essent prius, & posterius, sed potius simul; at successio de sua rõne formali includit pri⁹, & posterius, ergo. Vnde aduertendum est cum Mastr. & Bell. disp. 14. Phys. q. 4. art. 2. quòd non est eadem rõ de æternitate à parte post, & à parte ante, nam illa esset Syncathegorematica, & potentialis, nunquam in actu tota ponenda, sed finita in infinitum; at hæc iam esset accepta, & posita in actu, & consequenter prius, & posterius ei repugnabit. Impugnatur

tur tandem successio æterna discreta, non solùm rationibus adductis, & de infinitate animarum rationaliũ, quæ sequeretur; sed etiam quia generationes illæ ordine quodam succederent, ergo deberet dari prima, & verè à Deo cognosceretur Primogenitus, ergo &c.

Obiectiones.

Ob. Sicut se habet quantitas permanens in ordine ad suos terminos, ità successiua ad suos, sed illa non magis se determinat ad terminum, quam ad principium, ergo & ista, & consequenter si poterit esse sine termino, poterit etiam esse sine principio. ℞. Negando maiorem de terminis durationis, & ratio disparitatis est assignata; si verò de terminis magnitudinis loquatur, maior est vera, sed consequentia est falsa, nam solùm sequitur, quòd sicut quantitas permanens in infinitum augeri potest, nunquam tñ in actu infinita esse potest, idem de successiuis asserendum erit.

Ob. Sicut se habet præteritum ad fuisse, ità futurum ad erit, nam sicut est vera hæc propositio: *omne præteritum fuit, ità est vera hæc alia, omne futurum erit*; Sed non obstante quòd tempus erit infinitum à parte post, non sequitur, infinitum esse pertransibile, ergo nec etiam sequitur, quòd si omne præteritum fuit, quòd infinitum sit pertransitum. ℞. Paritatem non valere in omnibus, nam ly fuit in prima propositione supponit pro existentia tota in actu posita, ly erit in secunda, non significat existentiam, quæ tota aliquando erit in actu, sed ità erit in actu, vt semper in infinitum, alia remanebit accipienda, ideóq. consequentia est nulla.

Ob. Non datur aliquòd instans, in quo necessariò debet motus incipere in tempore, sed in infinitum potest incipere, ergo & ab æterno, sicut motus potest esse æternus à parte post, quia non est determinatus ad aliquod instans, in quo necessariò desinere debeat. ℞. Negando consequentiã; nam fit transitus à propositionib. distributiuis, quarum vna, vel plures indeterminatæ sunt cum alijs incompossibiles, ad propositionem collectiuam, vt in simili diximus de diuisione continui, ad probationem, negatur paritas, nam æternitas à parte post arguit infinitum in potentia sed à parte ante arguit infinitum in actu, & iam acceptum.

Ob. Priuatio, & habitus mensurantur eadem mensura, ergo si non esse fuit ab æterno, etiam esse motus, fuit ab æterno. ℞. Assumptum esse verum in priuatiuè oppositis, non in oppositis contradictoriè; sed illa est negatio motus, non priuatio; sic negatio chymeræ verè est, non tñ chymera est, vel poterit esse.

Ob. Peripatetici cũ suo Magistro de facto existimarunt, licèt errantes, mundum, & motum fuisse ab æterno, ergo signum est non esse tantam implicantiam cõtradictionis in coæternitate cum Deo. Confirmatur, si implicat mundum esse ab æterno, necessariò conuinceretur naturali rõne cepisse in tempore, sed hoc est falsum, quia mundum fuisse in tempore productum, est articulus fidei, & res fidei non habent euidentiam. Istæ sunt duæ rationes, quibus M. Iacob. Brun. q. 1. de Cœlo, & mundo art. 3. probat

probat non implicare mundum esse ab æterno, quò ad permanentia. Sed reuerentia tanti Doctoris, parum vrgent. non Prima, quia vt diximus supra art.10. huius disput. Arist. multas latentes contradictiones admisit, vt quòd Deus necessariò agat, & tamen detur contingentia in creaturis, & sit agens à proposito, & cognitione; quòd non detur infinitum in actu, & tñ mundus ab æterno fuerit productus &c. Neq. secunda vrget, vt Scot. in hac q. docet, & in 1.d.2.q.3. B. nam articuli fidei in duplici sunt differentia, quidam sunt merè crediti, vt Mysterium Santissimæ Trinitatis, Verbi Æterni Incarnatio &c. Alij non merè crediti, vt sunt existentia Dei, eius vnitas &c. de quorum numero est iste de inceptione motus in tempore, & hos vt articulos fidei toti Ecclesiæ tradere, vtile est propter imperitiam multorum; & tunc vtiq. euacuatur fides ait Scot. in 3.d.24. non tñ meritum, cuius ratio est, quia voluntas adhuc retinet affectum ad credendum tali articulo, si non adesset scientia; & laborare, vt intelligatur, & sciatur, qp creditur, meritorium est sm D. Aug. & Ansel.

Ob. Si Cælum fuisset ab æterno, habuisset potentiam ad motum ab æterno, ergo potuisset habere motum, quia ad impossibile non est potentia: patet antecedens, quia iam fuisset corpus naturale, & consequenter mobile. ℞. Concedendo Cęlum ab æterno habuisse potentiam ad motũ, at non pro æterno, sed in tempore; sicut homo ab æterno habuisset vtiq. potentiam generatiuam, non tñ generationē actualem, & hoc sufficiet.

Ob. Si Deus ab æterno creasset ignem applicatum stuppæ, combureret stuppam, & generaret ignem, ergo motus, & generatio ab æterno. ℞. Pro modò in tali casu ignem non comburere tunc stuppam, sed post infinitam duratiōnē, quādo potuisset motus incipere, & stuppa cōburi.

Ob. Potest dari ab æterno ens permanens, ergo & successiuum. antecced. est concessum. conseq. prob. ens illud ab æterno productum, diceret per totam æternitatem coexistentiā cum Diuina æternitate, sed talis coexistentia est successiua, & diuisibilis, ergo &c. probatur maior à pari: sicut res in vacuo mota acquirit aliā, & aliam præsentiam à partib. Diuinæ substantiæ virtualiter diffusæ per Immensitatem ex dictis, ità quòd partibilitas virtualis immensitatis Dei sic sufficiens ad causandam successiuam præsentiam localem; ità quia Deus sua æternitate replet omnis temporis differentiam, cum sit virtualiter multiplex, poterit etiam ista virtualis multiplicitas in æternitate, causare in coexistentia successionem. ℞. Neg. conseq. & ad probationem negatur minor de coexistentia entis permanentis, & solùm est vera de coexistentia entis successiui. Paritas assumpta de Immensitate in probatione nō valet; nam præsentia localis cum Diuina Immensitate est relatio extrinsecùs adueniens, & consequenter non fundatur immediatè in entitate locati, sed requiritur approximatio eidem spatio; vnde in tantum Petrus est cum Deo Romæ, quia Deus quoq. est ibi, & sic est veluti coexistētia localis, in tertio scil. hic, vel ibi, non absolutè, & simpliciter; coexistentia verò in essendo est relatio

tio intrinsecùs adueniens, fundata immediatè in existentia creaturæ durantis, quæ statim insurgit positis extremis in rerum natura; & quia extrema sunt formaliter indiuisibilia, & permanentia, talis quoq. erit iste respectus; quare argum. solùm vrget asserentes durationem formaliter importare quid successiuum realiter à re durante distinctũ, ꝙ nos negamus.

Sed Contra, si hæc coexistentia esset indiuisibilis, ergo modò Angelus esset coexistens æternitati sm̃ totam suam præsentialitatem, & totaliter, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, quia non aliam, & aliam præsentialitatem diceret, sed semper eamdem, sicut si duæ creaturæ simul essent, coexisterent ad inuicem totaliter. ℞. Negando sequelã, nam estò Angelus sit præsens æternitati indiuisibiliter, non tñ totaliter, & ratio est, quia hoc dicit supra coexistentiam æternitati Dei simultaneã præsentiam omni durationi extrinsecæ, & imaginariæ, quam solùm haberet Angelus si fuisset ab æterno productus; Neq. etiam modò dicitur præsens õnimodè æternitati à parte post, vt benè aduertũt Bell. & Mastr. quia sicut res permanens durans per annum magis durare dicitur altera durante per solùm mensem, non quidem intrinsecè, sed extrinsecè, & connotatiuè; sic Angelus habet hodie eamdem coexistentiam formaliter cum æternitate Dei, quam semper habebit intrinsecè, tamen connotatiuè est diuersa, propter aliam, & aliam coexistentiam tempori imaginario; Vnde licèt duæ coexistentiæ Angelorum vnus creatus hodie, & alius cras ex parte termini formaliter non differrẽt, tamẽ differrẽt ex parte termini sm̃ id quod connotat, & ista variatio sufficiet, vt non verificẽtur cõtradictoria de eodẽ sm̃ idẽ.

Per hoc satisfit Arg. Arriagæ adducto disp. 17. Phys. contra Æternitatẽ permanentiũ, quatenus ex hoc ꝙ ens permanẽs esset ab æterno, sequeretur etiam dari ens successiuũ ab æterno, ꝙ implicat, cuius argumẽti vim tãti facit, vt insolubilẽ ipse putet pro statu isto, & solutionẽ Diuinæ essẽtiæ euidenti cognitioni reseruet; At nos parũ vrget, q̃a defendimus durationẽ formaliter nõ importare, nisi existẽtiã rei durãtis, licèt sm̃ id ꝑ ꝙ à nobis explicatur, cõnotet respectũ coexistẽtię durationi extrinsecę imaginariæ, q̃ cõsequitur rõnẽ formalẽ durationis; qui respectus nõ est accidẽs aliꝙ reale, & realiter ꝓductũ, sed solũ realis dicitur, quatenus cõtra distinguitur à respectu rõnis ab actu collatiuo intellectus causato, vt Scot. docet quol. 13. lit. P. & Lych. ibidem, ad modum, quo priuatio, & denominationes extrinsecæ reales dicuntur. & De his hactenus ad laudem Dei.

Quãtũ verò ad q̃tiones aliquas, q̃ in physicis agitari solẽt, nẽpè an grauia, & leuia à seipsis localiter moueãtur. An detur quies in pũcto reflexionis. A quo ꝓiecta moueãtur, & similia, q̃a nõ ꝑtinent ad locũ in cõi, de quo hic agimus, sed ad motũ in specie .s. localẽ; inde rõnabiliter ad libros de Cęlo trãsmittimus, vbi motus localis ꝓpertim cõsideratur, vbi etiã de Mũdi origine agemus. Cęterũ quę in his libris, vel ex professo, vel obiter, vel inaduertenter exaraui, õnia censurę, & Sanctæ Romanæ, & Vniuersali Ecclesiæ submitto, cuius iudicio magis standum profiteor, quàm Augustini, Hieronimi, vel cuiuscumq. Doctoris.

FINIS.

Benigne lector, post primam correctionem typis datam, multi adhuc errores deprehensi sunt, non solùm à rectis Ortographiæ regulis aberrantes, sed etiam sensum ipsum peruertentes, Ideoq; hunc iterum indicem tibi offero, in quo potiores errores correctos inuenies, hoc ordine dispositum, vt

Primus numerus paginam, secundus columnam, Tertius lineam designet.

Pagina 20. columna 2. linea 19. formalem, lege formale

Pagina 42. col. 2. lin. 5. tantum, leg. tàm ex parte pdicati, quā subiecti

Pag. 43. col. 2. lin. 8. priuatis, leg. priuatiuis

Pag. 44. c. 1. l. 26. scilicet quod, leg. scil. ei, quod est sm̄ quid tale, & ei, quod est simpliciter tale. & lin. 30. maior, leg. minor

Pag. 51. c. 2. l. vltima, expellenda & si, leg. expellēda, ac eius priuatio & si

Pag. 52. c. 1. l. 13. & forma, leg. aut forma. & c. 2. l. 1. propria physicè, & proprietate, leg. priora physicè, & prioritate

Pag. 57. c. 1. l. 41. imēditē, leg. mediatē

Pag. 60. c. 1. l. 35. neminis, leg. nę nimis.

Pag. 64 c. 1. l. 7. etiam, leg. eam. & col. 2. lin. 3. pendeat, leg. pendeat.

Pag. 78. c. 2. l. 11. actualitatis, leg. actualitas.

Pag. 92. c. 1. l. 5. Scotus in secunda sētentia dicitur tertiò. leg. Scotus in 2. sent. d. 3. q. 6. lit. C.

Pag. 95. c. 2. l. 40. qui, leg. quia.

Pag. 101. c. 2. l. 29. corporeitati, leg. corporeitatis.

Pag. 105. c. 1. l. 36. conueni, leg. conuenire.

Pag. 106. c. 1. l. 31. debet, leg. dabat.

Pag. 108. c. 1. l. 7. si, leg. sine, & lin. 8. existeret, leg. existere.

Pag. 116. c. 1. l. 30. at materia, leg. at potentia materiæ.

Pag. 117. c. 1. l. 32. debeat, leg. debent.

Pag. 118. c. 1. l. 18. adæquatos, leg. inadæquatos.

Pag. 124. c. 2. l. 19. extrinsecus, leg. intrinsecus.

Pag. 129. c. 2. l. 28. purè, leg. non purè.

Pag. 130. c. 1. l. 33. per, leg. pro, & lin. 37. verò, leg. rem. & col. 2. l. 12. naturæ, leg. nostræ.

Pag. 138. c. 1. l. 14. lateat, leg. lata sit.

Pag. 140. c. 1. l. 29. debeat, leg. debent.

Pag. 141. c. 2. l. 31. noui, leg nouis.

Pag. 144. c. 2. l. 23. forma, leg. formam

Pag. 145. c. 1. l. 38. materiali, leg. materialis.

Pag. 148. c. 1. l. 15. Furchius, leg. Ferchius.

Pag. 149. c. 1. l. 18. ratione, leg. actione

Pag. 152. c. 2. l. 16. forme, leg. formæ.

Pap. 153. c. 1. l. 39. eductionis, leg. eductione, & col. 2. lin. 10. extrinsecus aduenięns, adde eductio ve

ro in-

rò intrinsecus adueniens.

Pag.154.c.1.l.34.sicut,leg.sic.

Pag.155.c.1.l.7.substantia, leg.subsistentia.

Pag.157.c. 2.l. 10. euidentium, leg. accidentium.

Pag.158.c.1.l.27.receptione, leg.inceptione.& lin.34.in sensu, leg. in quo sensu.

Pag.161.c.1.l.39.in causa, leg. in casu.& col.2.lin.41.ità carentiâ, leg. ità carentia subiecti infert carentiam &c.

Pag.163.c.1.l.18.præcedant,leg.præcedat.

Pag.175.c.1.l.vlt.per, leg.ergo priuatio priuationis, & de columna 2. deleantur tertia,& quarta linea.

Pag.176.c.2.l.14.de incapaci, leg.de capaci.

Pag.177.c.2.l.4.alia eiusdem, leg.alia remanet,& eiusdem.

Pag.178.c.2.l.24.si formæ, leg. sicut formæ.& l.36.infinitæ, leg finitæ.

Pag.179.c.2.l.1.quod, leg.quo.

Pag.180.c.2.l.23.quod opposita, leg. quod quando opposita.

Pag.181.c.1.l.34. generanti, leg. generatim.

Pag.186.c.1.l.20.fuerit,leg.fuerit natura.

Pag.188.c.1.l.7.scil.non, leg.scil.proximè, & immediatè forma inhæret, alterum denominationis,quod scil. &c.

Pag.189.c.1.l.7.in ligno,leg.in ligno est.

Pag.190.c.1.l.9.toto,leg.toti.

Pag.191.c 2.l.39.forma substantialis, leg.materia primæ.

Pag.195.c.2.l.vlt.absolutam, leg. absolutorum.

Pag.196.c.2.l.27. inhærentium, leg. inhærentiæ, & l. 28. adducuntur, leg. educuntur.

Pag.202.c.1.l.9.affirmatiuũ.leg affirmatiuũ & col.2.l.40.actu,leg.actum.

Pag. 206. c. 1.l.38. substantiali, leg. substantia.

Pag.219.c.2.l.17. potentia, leg. potentiam.

Pag.220.c.1. l. 8. dependentia, leg. dependentiam.

Pag.222.c.1.l.21. includentium, leg. includentem, & col.2.l.27.quam, leg.quia.

Pag. 223.c.2.l. 7. per se esse in alio, leg.per se esse, & esse in alio.

Pag. 224.c.2.l. 30. dependentia relationis ab extremis intrinseca,& essentialis non potest esse talis, qualis &c. leg. dependentia relationis ab extremis nequit esse intrinseca, & essentialis, qualis &c. & lin.vlt. dependentis, leg. terminantis.

Pag.225.c.1.l.2.quam,leg.quia. & l. 36.vt, leg.at.

Pag.227.c.2.l.14.conuersum,leg.cõcursum.

Pag 228.c.1.l.33.non primum,adde, quia accid. nõ est capax modi substantialis, neq. secundum &c.

Pag.229.c.2.l.28. per quod, leg. per hoc quod.

Pag.233.c.1.l.36.negant,leg.negat.

Pag.247.c.2.l.21.exeuntem,leg.exeuntes.& l.23.induentem,leg.induentes.

Pag.257.c.1.l.40.alio, non, leg. alio modo.

Pag.260.c.2.l.13.subtractionẽ, leg. subtractionem.& lin.22. oppositæ, leg.opposita.

Pag.262.c.2.l.16.qui,leg.quia.

Pag.263.c.1.l. 37. à natura, leg. natura.

Pag.

Pag.268.c.2.l.10.vtriusq. leg. cuiuscumq.

Pag.269.c.1.l.16 q in fine,leg q.1.in une.

Pag.270.c.1.l.6.habens naturam,adde,respectu diuersorum. sic materia est habens naturam, & lin. 18. hoc, leg.homo. & col. 2.l.4. proptera erit,leg.propterea homo erit.

Pag.272.c.2.l.7. ergo constabit, leg. ergo cęlum constabit.& l. 43. perfectus,leg.perfectius.

Pag.274 c.2.l.25 habentem, leg. habentes.

Pag.276.c.1.l.23.vt principium, leg. vt natura principium est &c.

Pag.279.c.1.l.22.domu, leg.domo.& l.24.vniuoca leg.vniuocam.& col. 2.l.3.extra,leg.intra.

Pag.280.c.2.l.41.ꝗcedẽtes,leg.procedentes.

Pag.281.c.1.l.21.esse,leg.esset.

Pag.297.c.1.l.27.causalitatem erga, leg.causalitatem materiæ erga.

Pag.308.c.1.l.12.post.leg potest.

Pag.311.c.2.l.31.hominum, leg. hominem.

Pag.315.c.1.l.9.cum dissimilare, leg. dissimilare.

Pag.321.c.1.l.6 quiam, leg.qui imi. & col.2.lin.40.actiuæ,adde,dicuntur verò illa duo corpora in eodem loco, quia eadem superficie ambiuntur, soper quam duæ locationes actiuæ fundantur &c.

Pag.326.c.1.l.31. irrefugabile, leg. irrefragabile.& col.2.l.6. distãtia, leg.distincta.

Pag.328.c.2.l.35.sicut à pari &c.deleantur sex lineæ, quia sunt replicatæ.

Pag.330.c.2.l.12.est,leg.è. & lin.38. determinandum, leg.terminãdum.

Pag.332.c.1.l.36.refert,leg.refertur.

Pag.336.c.2.l.33. disp. 5. phys. 1.q. 10.leg.disp.5.phys.q.10.art.2.

Pag.339.c.2.l.38.& filiũ, leg.& spiritum Sanctum.

Pag.350.c.1.l.17.aliquius, leg.alicuius.

Pag.353.c.2.l.37.fundat, leg.fundãt.

Pag.360.c.1.l.28.D.Tho.esse,leg. D. Tho.intentionem esse.

Pag.369.c.1.l.22.quę rursus,leg quę si rursus.

Pag.373.c.1.l.18.gratiam,leg.gratia.

Pag.379.c.2.l.26.formalis, leg. formaliter.

Pag.392.c.2.l.5.figniacati, leg significati.

Pag 394.c.2.l.15. profetto, leg.professo.

Pag.400.c. 1.l.40.quæ,leg.quibus.

Pag 409.c.2.l.14.coniurat, leg. concurrat.

Pag.411.c.1.l.17.Adola leg.ab A sola.& col.2.l.28.& intensum, leg.& sic intensum.

Pag. 416.c. 2.l. 25. perfectior, leg. perfectius. & l.28. causam principalem, leg. causa principalis.

Pag.425.c.1.l.35.quo, leg.quæ.

Pag.432.c.2.l.34.potentialis, leg. obedientialis.

Pag.435.c.2.l. 10. obedientiali, leg. obedientialis.

Pag.436 c.1.l.18.sufficiens, vt de sole,leg.sufficiens est ad ponendum effectum, vel si non est sufficiens, vt de sole &c. & col. 2.l. 35. naturale, leg.supernaturale.

Pag.445.c.2.l.28.& est, leg. est.

Pag.484.c.1.l.21.parte,leg.ex parte.

Pag.491.c.1.l. 14. ꝑ se, leg.per se.

Pag.496 c.1.l.28.suppleatur, leg supletur.

Pag.

Pag.504.c.1.l.29.diuidendi, leg. diuidendis.& col. 2.l. 22. quantitas, leg.quantitatis.

Pag. 505.c.1.l.3.coextendi, leg. coextendere.lin. 15. à posteri, leg. à posteriori. & col.2.l.8. distingui, leg.distinguitur.

Pag.508.c.1.l.7. perficibus, leg. superficiebus.

Pag.515.c.2. l. 22.substantiam, leg. substantia.

Pag.526.c.2.l.9.sex.leg. tex.

Pag.527.c.1.l.12.quod,leg.quo.

Pag.538.c.1.l.2.potentiæ,leg.potentiarum.

Pag.546.c.2.l.39.in viuentibus, leg. in non viuentibus.

Pag.554.c. 2.l. 19. fundantem, leg. fundante.

Pag.575.c.2.l.19.inuicem,leg. Iuuenum.

Pag.582.c.1.l.22.Nom,leg. Non. & col.2.l.13.amittere,leg.admittere.

Pag.586.c.1.l.27.egrederet, leg. egrederetur.

Pag.590.c.1.l.30 facerunt, leg. fuerunt.

Pag.592.c.2.l.23.infinitum, leg. in infinitum.

Pag.615.c.2.l.22.corrumpatur, leg. corrumpitur. & l. 38. quem, leg. quam.

Pag.620.c.2.l.8.coexistens,leg. consistens.& l.13.immobilis, leg. immobilitas. & l. vlt.vasis, leg.vasi.

Pag.656.c.2.l.40.totum,leg.tota.

Pag.671.c.1.l.32.sicut,leg.sed sicut.& l.34.sed,leg.scil.

Pag.740.c.1.l.28.terminus, leg. termini.